

Ipse ait et quod mulier occidit cum dicit cras, cras, et su
bito clauditur ostium: remansit enim foris cum voce cor
vina q nō hēt gemitum columbinum. Cras, cras vox
corvi est. S. August. ser. 16. de verbo Dni
Idem ibid. Concedo et cognosco qa Deus indulgentiam
promisit tibi crastinum tamen diē qs tibi promisit?
Ubi lego indulgentiā te accepturum si te correxeris lege ubi
quamdiu victurus sis. Non lego nusquā nescis ergo quamdiu vi
cturus sis. Ergo esto correctus et semper paratus.
S. Basileus. Ars diaboli est ut diem hodiernū sibi cras Deo
reliquat.

D. IOANNIS CASSIANI EREMITÆ,

Monasticarum Institutionum libri IIII.
De Capitalibus vitiis libri VIII.
Collationes SS. Patrum XXIIII.
De Verbi Incarnatione libri VII.

Nunc demùm post varias editiones ad complurium Ms. fidem à non paucis mendarum milibus incredibili labore expurgati: id quod ex subiectis ad calcem castigationibus facilè cognosci poterit: Additis etiam ad quædam loca Censorijs notationibus, & obscurarum vocum ac sententiarum elucidatione, vnà cum duobus Indicibus locupletissimis.

Accesserunt quoque Regulæ SS. Patrum ex antiquissimo Affliginiensis monasterij Ms. codice desumptæ.

Opera & studio Henrici Cuyckij Sacræ Theologiæ Licentiati.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini Architypographi Regij. M.D.LXXVIII.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ Catholicæ Maiestatis Priuilegio cautum est, ne quis D. *Ioannis Cassiani opera*, citra Christophori Plantini voluntatem ante decem annos imprimat, aut alicubi impressa importet, venaliáve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & pœna, fisco Regio exoluenda, mulctabitur: vt latiùs in Regio diplomate expressum est; Dato Bruxellæ, VII. Augusti. M. D. LXXVII.

Signat.

Iac. Blyleuen.

ILLVSTRISS. CLARISSIMOQVE DOMINO D. HERMANNO COMITI A RENNENBORCH Ecclesiæ S. Saluatoris apud Vltraiectinos Præposito ac Archidiacono, & Cathedralis Leodiensis Ecclesiæ Canonico, Baroni in Zulen & Sueseringhe, Domino in Westbroeck & Aldenhorn, &c. HENRICVS CVYCKIVS salutem optat, & felicitatem.



SApiens ille Ecclesiastes, ornatissime atq; amplissime domine Præposite, mundanarum rerum instabilitatem describens, inter alia hanc quoq; sui temporis vanitatem deplorat, quod faciendi plures libros nullus esset finis. Et Iuuenalis in Satyris, Tenet, inquit, insanabile multos scribendi cacoëthes. Id quod nos hac tempestate, post inuentum Typographiæ artificium multò veriùs deplorare possumus. Nam vt omittamus quòd pleriq; homines libros passim euulgant antequam scripserint, & scribant antequam bene conceperint; qua ratione efficitur, vt nihil in eis succi, nihil solidi reperiatur: eduntur nunc complures in lucem libri quibus nihil nisi ludicra, fabulosa, aut obscena proponuntur, vel qui nouarum circa religionem opinionum, quibus vniuersus orbis Christianus miserè hodie iactatur, pleni sunt: & è quibus nihil aliud haurire liceat, quàm insignem pietatis ac puritatis labem, maximumq; & in moribus & in Catholica atq; orthodoxa religione detrimentum. Hi nunc apud homines libri circumferuntur, habentur in manibus, & inter carissima κειμήλια reputãtur. Eam ob rem, inter illos quos Christiana Resp. Dominicæ vineæ cultores habet, non contemnendam operam, mea quidem

ſententia, nauare videtur ij qui veterum Ms. codicum fide adiuti, in reſtituendis emaculandiſq́ SS. Patrum monumentis, iiſq́ legendis ac perdiſcendis omne ſuum ſtudium collocant. Permagni enim ſemper intereſſe arbitratus ſum, qua fide & integritate libri ſanctiſſimorum doctiſſimorumq́ hominũ, quos Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Doctores & Paſtores ad conſummationem ſanctorum in ædificationem corporis ſui reliquit, quique vno ac eodem afflati ſpiritu ſcripſerunt, in lucem exirent. Quos ſi integros illibatoſq́, quales ab eis ſcripti ſunt, haberemus, nihil opus eſſet iſta tam varia, & tam ſuperuacanea hominum noſtri temporis ſcriptione: non opus eſſet libros quotidie nouos prodire & extare. Si enim rectè dixit Comicus, Nihil iam eſſe dictum quod non ſit dictum prius: & Eccleſiaſtes in cap. 12. Verba ſapientum ſicut ſtimuli & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum cõſilium data ſunt à Paſtore vno; his amplius fili mi ne requiras: quantò magis id nobis licebit dicere de ſcriptis magiſtrorum illorum qui prioribus nos ſeculis anteceſſerunt, ipſamq́ Chriſti Eccleſiam ſpectatæ vitæ ſanctimonia, & incomparabili eruditione ſua illuſtrauerunt? Nam horum verba ſanè ſunt ſtimuli quidam & claui; quia pondus habent, & auctoritatem; iiſq́ veluti œſtro & aculeo ſtimulamur ad virtutem cùm quærendam tum capeſſendam: quæ perſuadendi facultas, efficacitas, atque auctoritas in neotericorum ſcriptis ſæpenumero deſideratur. Deinde præterquam quod priſci illi ac vetuſti Patres ſumma ingenij felicitate pollebant, eloquentia eximia, copia admirabili, & eruditione varia; diuino quoq́ ſpiritu imbuti ac pleni ſcribebant: & quanquam plures eſſe videren-

viderentur, & diuersæ illorum præceptiones; ab vno tamen Pastore, seu Pastorum omnium principe Deo scripta illorum profecta fuisse, illa quæ in eis cernitur consensio, & vniformis scribendi sentiendiq; ratio palam coarguit. Quoniam autem partim temporum iniuria & vetustate, partim scribarum oscitantia, partim etiam hæreticorum insolenti temeritate, horum labores compluribus in locis fœdati & multis mendis respersi sunt: & multa passim loca in eis occurrunt hiulca, distorta, manca, confusa, & veluti scopæ dissolutæ; idcirco danda est opera vt ex vetustissimis optimisq; exemplaribus M s. suo nitori & integritati quàm accuratissimè restituantur. Ea igitur res me quoque permouit, mihiq; persuasit, operæpretium remq; omnibus diuinarum litterarum cultoribus, & cum primis monasticæ perfectionis amatoribus neutiquam ingratam me facturum; si in repurgando illustrandoq; Joanne Cassiano aliquid operæ collocarem. Quod vt facerem illustrissimi atque amplissimi Cardinalis D. Antonij Carafæ auctoritas, quæ maximi apud me momenti est, effecit. Is enim datis ad me ex vrbe litteris, id sibi gratum & Christianæ Reip. non incōmodum fore scripsit; & quid in eius auctoris recognitione fieri potissimum vellet exposuit. Quid verò in ea re à nobis præstitum sit, aliorum esto iudicium. Illud vnum adfirmare audeo: quòd si quis hanc nostram cum prioribus editionibus, quas tum à Basiliensibus, tum à Lugdunensibus paucis ab hinc annis accepimus, compararit (omitto antiquiores impressos codices in quibus omnia penè mutila sunt & imperfecta) nouam huiusce Scriptoris faciem, nouam formam, nouumq; cultum adhibitum fuisse deprehen-

det: id quod ex Præfatione proximè ſubiecta, & Notis caſtigatoriis ad calcem operis adiunctis manifeſtum euadet. Hanc porrò noſtram qualem qualē opellam, & hunc laborem quem integro penè triennio exantlauimus, Illuſtriſſimæ amplitudinis tuæ nomini inſcribere mihi viſum fuit Clariſſime Princeps: non ob id ſolùm quòd te noſtrorum qualiumcumque ſtudiorum amatorem & promotorem eſſe certò ſciam, verumetiam quòd multis nominibus, propter egregias animi tui dotes, & tam Eccleſiaſticos quàm ciuiles, quibus fulges, honores ac dignitates; denique propter illum fauorem quo parentem meum totamq́ familiam noſtram ſemper complexus es, hoc qualicumque honore te digniſſimum reputem. Quapropter hunc noſtrum laborem tibi, meq́ adeò ipſum ex animo commendo, ac Dominum Ieſum Chriſtum oro, quæſoq́, vt incolumem te nobis ac Reip. ſuæ ſeruet quàm diutiſſimè. Louanij, ex noſtro Albarum Dominarum monaſterio Calendis Martiis Anni M. D. LXXVIII.

AD LECTOREM.

NON est apud me dubium, beneuole & candide Lector, quin studium hoc & labor quem in D. Ioanne Cassiano illustrando, & veterum codicum auctoritate ab innumeris mendis, quæ vel scriptorum ac typographorum incuria, vel alias ob causas irrepserant, repurgando recognoscendoq. exantlauimus; apud complures, qui Auctorem hunc nostrum hæreticæ labis insimulant, improbabitur. Nam & Gelasius Pontifex dist. xv. cap. Sancta Romana, Ioannis Cassiani opuscula inter Apocrypha numerat: & B. Prosper contra tertiamdecimam Collationē, quæ Pelagianæ hæreseos reliquiis pænè tota respersa est, libellum edidit, cui titulum inscripsit, contra Collatorem. Verùm sicut negari non potest obscuriora aliquot loca, & errores, tam in ista tertiadecima, quàm in plerisque aliis Collationibus inueniri: quos nos ad calcem totius operis adnotauimus, & ne imprudens Lector in eos impingeret, Censorias notas, ac veluti antidota & amuleta quædam subiecimus: ita constanter adfirmamus, hos non tam ipsi Cassiano, quàm Collatoribus, quos ille ita opinatos fuisse scribit, imputandos esse. Nam hoc in primis ipsa eius Præfatio, quæ Collationibus premittitur, coarguit: in qua se non sua sed Sanctorum Patrum & Anachoretarum instituta fideli sermone narraturū pollicetur: Ea propter Collationis vigesimæ capite decimo posteaquam commemorasset de Theona Abbate, quòd diuortio ab vxore facto ad Anachoreticam vitam sese traduxerat, ita subiecit: A lectore hoc primum deposco, vt siue hoc ei placeat, siue displiceat, me quoquo modo à calumnia alienum esse cōcedens in suo hoc facto, aut laudet, aut reprehendat auctorem, Ego autem qui non meam super hac re sententiam promsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione cōplexus sum; æquum est, vt sicut mihi de eorum qui hoc factum probant, laude

nihil vendico: ita eorum qui id improbant, non pulset inuidia. Quod etsi non passim vbi Collatorum recenset errores admonuerit: omnem tamen errandi suspicionem à se sustulisse videtur, quando se non sua, sed illorum quos loquentes introducit placita, ea qua ab eis acceperat fide narraturum, in ipso totius operis exordio promisit. Vt omittam quod in ipsis Collationibus frequenter dissonæ, discrepantes, & pugnantes de Gratia Christi sententię habentur. Nam alij exclusa gratia pæne omnia referunt ad liberum arbitrium: alij contrà sic commendant gratiam, vt liberum arbitrium exclusisse videantur. Quam sententiarum contradictionem non tantum in tertiadecima Collatione, sicut à B. Prospero obseruatum est, sed in aliis etiam subinde licet deprehendere. Nam Collationis tertiæ cap. decimo Pafnutius Abbas ita loquitur: Per quod manifestè probatur, & initium nostræ salutis Domini vocatione fieri, dicentis, Exi de terra tua; & consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cùm dicit, Et veni in terram quam monstrauero tibi; id est, non quam tu ex temetipso nosse, vel industria tua poteris reperire; sed quam ego tibi non solùm ignoranti, sed etiam non inquirenti monstrauero. Et cap. 12. Nullus iustorum sibi sufficit ad obtinendam iustitiam, nisi per momenta singula titubanti eidem & corruenti fulcimenta manus suæ supposuerit diuina clementia. Quibus licet adijcere ea quæ in consequentibus aliquot illius Collationis capitibus habentur: & quæ habet Abbas Daniel Coll. 5. cap. 15. Et Abbas Serenus Coll. 7, cap. 20. Quæ omnia & his similia loca complura, cùm ex diametro aduersentur ijs quæ in tertiadecima Collatione de Christi gratia Cheremon Abbas sensisse scribitur, non possum in animum meum inducere Ioannem Cassianum, qui, sicut libri de Christi Incarnatione ab illo scripti testantur, & in confutandis hæreticorum opinionibus, & in stabiliendis & confirmãdis nostris, summa ingenij dexteritate pollebat, horum sententiis etiam

inter

inter se pugnantibus ac dissidentibus adstipulatũ fuisse. Exiguam enim admodum rectè iudicandi facultatem habuisset, si hanc opinionum pugnantiam quæ in Collationibus cernitur, vel non aduertisset, vel ab ea sibi nõ cauisset. Accedit quòd in hisce libris de Incarnatione Verbi, quos sub finem vitæ suæ scripsit, rogatus à S. Leone Romanæ vrbis Archidiacono, qui Cassiano contemporaneus ac postmodum Romanus Pontifex fuit eius nominis primus, aduersus Pelagianum quendam Antiochenum Episcopum disputat, sicut ex sexto & septimo libri sexti capitibus, & ex 31. cap. libri vltimi manifestum est. Cuius errores lectissimis optimisque argumentis ita insectatur & confutat, vt hinc liquido appareat ipsum Pelagianæ sectæ nequaquam patrocinatum fuisse. Nec ferendum est, quòd quidam illum à B. Chrysostomo propter huiusce erroris suspicionem explosum, ablegatum, vel eiectum fuisse asserunt; præsertim cùm nulla istius suæ suspicionis euidentia aut certa documenta proferant: & ipse Chrysostomus quoque propter sui temporis grassantes hęreses liberi arbitrij vires nõnunquã ita extollat, quasi gratiæ Christi iniquior fuisse videatur: quamquã secus res habeat. Quapropter cùm in certa omnino sit istius discessus causa, & ex fine septimi libri de Incarnatione palã sit Cassianũ, Diuum Chrysostomũ vti optimum & probatissimum magistrũ suum semper veneratum fuisse, temerarium esse censeo, sinistri & incerti quidpiam de eo suspicari. Aut enim per hæreticos ab Ecclesia Constantinopolitana, siue Ierosolymitana eiectus est, vt auctor est Volaterranus: Aut solitudinis desiderium ipsum impulit, vt in Narbonensem Galliam (in qua sita est Massilia) ignotam sibi prouinciam secederet, ibique duo monasteria, virorum alterum, & alterum mulierum conderet: Aut denique propter studia ingenuarum disciplinarum & morum grauitatem Massiliam commigrauit: quemadmodum Romani quoque pro Attica peregrinatione ad disciplinas capessendas Massilioticum gymnasium petebant.

bant. Vſqueadeò enim in ea vrbe morũ grauitas ac maturitas, & honeſta ſtudia floruerunt, vt Plautus in Caſina, Maſſilienſes mores tanquam optimos & probatiſſimos dixerit. Eadem quoque ſtudia & mores mirificè commendat Marcus Tullius, cùm alibi, tum præcipuè in oratione pro L. Flacco: cuius hæc ſunt verba: Neque verò te Maſſilia prætereo, quæ L. Flaccum militem quæſtorem cognouiſti: cuius ego ciuitatis diſciplinam atque grauitatem, non ſolùm Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguiſque diuiſa, cùm in vltimis terris cincta Gallorum gentibus Barbariæ fluctibus alluatur; ſic optimatum conſilio gubernatur, vt omnes eius inſtituta laudare facilius poſſint, quàm æmulari. Porrò quàm rectè Caſſianus ipſe de Chriſti gratia ſenſerit; alia eius opera teſtantur: in quibus non quid alij opinati fuerint ſicut in Collationibus, ſed ſuam ipſius ſententiam exponit: id quod etiam in primis duabus Cenſoriis notis à nobis annotatum eſt. Inter ea verò opera in quibus ex propria loquitur ſententia, præter Monaſticarum Conſtitutionum libros quatuor, & libros octo de Vitiis capitalibus, Septem illi de Verbi Incarnatione libri ſunt adnumerãdi. Hos enim ab ipſo Caſſiano editos & conſcriptos eſſe nemo addubitabit, qui illos diligenter lectitarit, & iſtud orationis filum cũ prioribus eius operibus comparauerit. Vt interim ſilentio prætercam libros hos à Trithemio & Gennadio, qui Illuſtrium Virorum Indices deſcripſerunt, inter opera Caſſiani numerari. Priores verò libri hoc conſilio ab eo ſcripti eſſe videntur, vt in iis vitæ piæ, religioſæ, & monaſticæ certam quandam abſolutamq. formam poſteris traderet. Digni idcirco qui nunquam de manibus maximè religioſorum deponantur; propter ſancta ſalutariaque quę continent dogmata & exempla. Cuius rei locupletiſſimos teſtes habemus Diuum Benedictum, Dominicũ, Thomam Aquinatem, Dionyſiũ Carthuſianum, Ignatium

tium Societatis Iesu primum auctorem, cæterosque vitæ sanctimonia & monastica perfectione insigniter claros: qui Auctoris huius lectione mirificè recreati, in eius præceptionibus, institutis, & collationibus perdiscendis, & ad vsum applicandis omne suum studium collocauerunt. Reliqui autem qui sub nomine Cassiani circumferuntur libri; vtpote Theologica Confessio, quæ ei à quibusdam tribuitur, De conflictu vitiorum & virtutum Liber, qui apud Dominicanos Leodienses Cassiani intitulatur: & si qui alij inueniantur, à nobis sunt prætermissi: tum quòd apud Gennadium & Trithemium nō inueniantur Cassiano attributi, tum quòd illius stylum non redoleant. Sequitur, vt exponam vtro idiomate, Græcóne an Latino scripserit Cassianus: nam & hoc apud quosdam propter Trithemij, vt opinor, auctoritatem in quæstionem verti video: quanquam non magnopere laborandum sit in istius quæstionis dissolutione. Nam ipse Cassianus in præfatione Collationum suarum manifestum nobis præbet testimonium quòd Latino sermone scripserit. In ea siquidem, Leontium Pontificem & Elladium fratrem alloquitur in hæc verba: Obtineant orationes vestræ ab eo qui dignos nos vel visu eorum, vel discipulatu, vel consortio iudicauit; vt nobis earundem traditionum memoriam planam, & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur: quo tam sanctè eas, tamque integrè quàm ab ipsis accepimus explicantes, ipsos quodammodo in suis institutis incorporatos; &, quod maius est, Latino disputantes eloquio vobis exhibere possimus. Et Collationis tertiæ capite quintodecimo, proferēs illud Apostoli, Sufficientia nostra ex Deo est; quod minus Latinè, inquit, sed expressiùs dici potest, Idoneitas nostra ex Deo est. Quanquam enim in commemorandis & citandis sacræ Scripturę sententiis ferè sequatur 72. Interpretum lectionem, & multæ passim obscuræ & Græcolatinæ voces inter legendum sese offerant: quarum catalogum & interpretationem post finem totius operis ad-

ris adiunximus:quia tamen prope Massiliam, vbi etiamnum eius memoria celebris habetur, & non in Græcia, & ad Episcopos Galliæ Latinos scribebat, non alio quã Latino sermone in quo illi versati erant, & in quo ipse iam quoque prope Massilioticum gymnasium habitans tritus erat, vti debuit. Sed neque de Interprete Cassiani vnquam auditum est; neque vllum hactenus Græcanicum exemplar, siue scriptum, siue excusum, quod nobis quidem videre licuit, in lucem datum. Iam verò quod ad ipsius Cassiani lectionem attinet, eam nos ab infinitis propemodum erroribus ac mendis, ex collatione veterum Ms. exemplarium, & D. Dionysij Carthusiani Paraphrastica translatione, quæ multis in locis Ms. codicibus conformis est, vindicauimus: quemadmodum ex Castigatoriis notis quarum tabulas post finem operis exhibemus, animaduertere licet. Capitum partitio, quæ multis in locis in Ms. exemplaribus ab excusis diuersa est, Dionysianæ Paraphrasi ferè consentanea est: nos tamen ab ea distinctione, quæ hactenus in impressis libris inuenitur, duximus non temerè recedendum fuisse: præterquam quòd libros de Incarnatione hactenus indistinctos, in capita digesserimus. His omnibus adiecimus duos Indices nouos ex vniuerso Cassiani opere à nobis collectos: priorem, explicatarum ab Auctore diuinæ Scripturæ sententiarum: posteriorem, insignium & memorabilium rerum. Superest amice & candide Lector, vt laborem hunc nostrum eodem animi candore quo à nobis offertur suscipias: eoque ad Dei honorem & Reipub. ac animæ tuæ salutem feliciter fruaris. Vale, Louanij ex nostro Albarum Dominarum monasterio Calendis Martiis, Anni 1578.

ILLVSTRIVM VIRORVM DE IOANNE CASSIANO ELOGIA.

D. Prosper Aquitanicus in opusculo, Contra Collatorem.



VNIVS definitionem, quem dubium non est omnibus aliis in sanctarum Scripturarum studio præstare, referemus. Et paucis interiectis: In libro cuius prænotatio est, De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu inter eos quibuscum egit, excellit, Abbatem quendam introducit, de gratia & libero arbitrio disserentem.

Gennadius in Catalogo Illustrium virorum.

CASSIANVS natione Scytha, Constantinopoli à Ioanne Magno Episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliã presbyter, condidit duo, id est, virorum & mulierum, monasteria: quæ vsque hodie extant. Scripsit experientia magistrante plano & librato sermone, &, vt apertiùs dicam, sensu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium monachorum professioni necessarias: id est, de habitu monachi, de canonico orationum atque psalmorum modo, qui in monasteriis Aegypti die noctuque tenentur, libros tres, Institutionum librum vnum, De origine & qualitate ac remediis octo principalium vitiorum libros octo; singulos scilicet de singulis vitiis libros expediens. Digessit etiam Collationes cum Patribus Aegypti habitas: & ad extremum rogatus à Leone Archidiacono, postea Vrbis Romæ Episcopo, scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem: & in his scribendi apud Massiliam, & viuendi finem fecit, Theodosio & Valentiniano regnantibus.

D. Benedictus in Regula cap. 73.

AD perfectionem conuersationis qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum: quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis, veteris ac noui testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? Necnon & Collationes

Patrum,

Patrum, & Instituta, & Vita illorum, & Regula Sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium monachorum exempla, & instrumenta virtutum?

Cassiodorus ad fratres monasterij sui.

CASSIANVM presbyterum qui scripsit de Institutione fidelium monachorum, sedulò legite, frequenter audite. Qui inter ipsa sancti propositi initia, octo principalia vitia dicit esse fugienda. Hic noxios motus animarum ita competenter insinuat, vt excessus suos hominem prius videre faciat & vitare compellat: quos antea confusione caliginis ignorabat.

Sanctus Dominicus, vt videre est in historia vitæ ipsius apud Leandrum, librum illum qui Collationes Patrum inscribitur, studiosè legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, ad magnum salutis apicem peruenit.

De D. Thoma Aquinate apud eundem Leandrum scribitur, quód pro consuetudine habuerit in singulos dies Acta Patrum audire: Interrogatus verò quid subesset causæ? se animum suum & confirmare, & inquirendæ veritati reddere aptiorem respondit: secutus Patris sui Dominici vestigia, quē Acta Patrum vehementer oblectabant, vt in eis legendis summam fuerit adeptus perfectionem.

Quid de Cassiano senserit Dionysius Carthusianus, in Præfationibus suæ Paraphrasis ostendit, vbi illum subinde, Venerabilem, deuotissimum, & æterna memoria dignum Patrem, subinde Illustrissimum ac præcipuum omnium religiosorum Doctorem appellat.

Ioannes Trithemius in Catalogo Illustrium virorum.

IOANNES Cassianus natione Scytha, Beati Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi quondam auditor atque discipulus, & ab eo diaconus ordinatus, post aliquot annos ab eodem nescio propter quam causam expulsus, apud Massiliam presbyter consecratus, duo monasteria, virorum scilicet & mulierum condidit: in quibus regularis disciplinæ feruor magnus pluribus annis permansit. Scripsit experientia magistra plura opuscula: in quibus etiam apud Interpretem venustas eloquij conspicitur. E quorum numero feruntur:

De Incarnatione Domini aduersus Nestorem hæreticum libri septem; quos scripsit rogatus à Leone Archidiacono, postea Romanæ vrbis Episcopo.

De Institutis monachorum, libri quatuor.
De octo capitalibus vitiis, libri octo.
Collationes SS. Patrum, vigintiquatuor.

IN his Collationibus SS. Patrum vtilis & necessaria monachorum instructio est: sed quia per B. Prosperum de arbitrij libertate in certis reprehenditur, opuscula eius inter Apocrypha numerantur. Moritur tandem post multorum editionem librorum apud Massiliam, nõ sine opinione sanctitatis, Theodosio & Valentiniano regnantibus; Anno Domini 435.

Incerti auctoris de Cassiano Elogium quod in excusis exemplaribus in frontispicio libri passim præmittitur.

ILLVSTRIS, prudens, ac facundus inter Ecclesiasticos Scriptores claruit Ioannes Cassianus. Cuius viri opuscula multam continent ædificationem & luculento sermone nitescunt. Nec inter plurima Antiquorum scripta, quenquam ad spiritales profectus atque perfectionis apicem tendenti, vtilius aliquid arbitror legisse.

IOANNES HABBECANVS REGVLARIS CANONICVS MONASTERIJ Septemfontani in Silua Sunia ad Henricum Cuyckium.

Nos tibi, nos certè persoluimus optime Cuycki
Meritas, vt æquum est, Cassiano pro tuo,
Quem (res grata) nouo conuestis schemate, grates:
Iterúmque easdem millies refundimus,
Hac alacres ratione: placet tua cura labórque
Ille, ille, vtroque quem probamus pollice.
Insignis placet Auctor item, quem viscera sæpè
In ima rapimus, sæpè versamus manu.
Atque regustamus, succensi pectora miris
Modis, nec assis æstimantes aut pili
Quicquid habet rerum vasti fabricatio mundi
Hæc tota, ita auctor pungit, afficit, mouet:
Omnia terrenæ purgamina linquere fæcis
Docens, & vnum colere & amplecti Deum.
Nos præstare quidem quæ tu tentauimus olim,
Aliquid daturi Cassiano luminis:
Nil opus at nostro (bene habet) conamine, post quam
Hos nunc labores in tuos inuasimus.
Nam velut immunes, tenuis quæ gloria nobis,
Aliena fuci deuoramus pabula.
Ingens nauata pro opera tibi gratia Cuycki,
Qui mella & isto construas fauos libro.

D. IOANNIS CASSIANI EREMITÆ FACVNDISSIMI ET VETVſtiſſimi Scriptoris in libros de Inſtitutis cœnobiorum ad Caſtorem pontificem,

PRÆFATIO.



ETERIS Inſtrumenti narrat hiſtoria ſapientiſſimum Salomonem poſt acceptam diuinitùs ſapientiam, prudentiámque multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam maris innumerabilem: ita vt Domini teſtimonio nullus ei ſimilis retroactis temporibus extitiſſe, neque poſt eum ſurrecturus eſſe dicatur: illud magnificum Domino templum extruere cupientem, alienigenæ regis Tyri auxilium popoſciſſe. Qui miſſo ad ſe Hyram filio mulieris viduæ, quicquid diuina ſapientia ſuggerente præclarum in templo Domini, vel in ſacris vaſis moliebatur, miniſterio eius ac diſpoſitione perfecit. Si ergo ille vniuerſis regnis terræ ſublimior principatus, & Iſraëlitici generis nobilior excellentiórque progenies, illáque ſapientia diuinitùs inſpirata, quæ cunctorum Orientalium & Ægyptiorum diſciplinas & inſtituta ſuperabat, nequaquam pauperis atque alienigenæ viri conſilium dedignatur, rectè etiam tu his eruditus exemplis, beatiſſime Papa Caſtor, verum ac rationabile Deo templum, non lapidibus inſenſibilibus, ſed ſanctorum virorum congregatione, nec tempo-

3. Reg. 4.

3. Reg. 5.

3. Reg. 7.

rale & corruptibile, ſed æternum atque inexpugnabile ædificare diſponens, vaſa etiam pretioſiſſima Domino cupiens conſecrare, non *multo auri metallo argentiue conflata, quæ poſt rex Babylonius capta concubinarum ſuarum ac principum deputet voluptati, ſed animabus ſanctis quæ innocentiæ, iuſtitiæ & caſtitatis integritate fulgentes, regem Chriſtum in ſemetipſis circumferant commorantem, egenum me omnique ex parte pauperrimum, ad cõmunionem tanti operis dignaris adſciſcere. *In prouincia ſiquidem tua cœnobiorũ ex parte Orientaliũ maximéq; Ægyptiorũ volens inſtituta fundari, cùm ſis ipſe cunctis virtutibus ſcientiáque perfectus, & vniuerſis ita refertus diuitiis ſpiritualibus, vt perfectionẽ quærentibus ſatis abundéq; non modò tuus ſermo, ſed etiã ſola vita ſufficiat ad exẽplum, me quoq; elinguẽ & pauperem ſermone atque ſcientia, vt aliquid ad explemẽtum tui deſiderij de inopia ſenſus mei conferã, poſcis præcipíſq; vt inſtituta monaſteriorũ quæ per Ægyptũ ac Palæſtinam cuſtodiri conſpeximus, ita vt ibi nobis à patribus tradita ſunt, quamuis imperito digeram ſtylo, non leporem ſermonis inquirens, in quo ipſe adprimè es eruditus, ſed ſanctorum ſimplicem vitam ſimplici ſermone fratribus in nouello monaſterio tuo cupiens explanari. Cui rei quantum me pius ardor deſiderij tui prouocat obedire, tantum multiplices æſtuum moles volentem obtemperare deterrent. Primum quia nec vitæ meæ ita æquiparant merita, vt confidam me res tam arduas, tam obſcuras, tam ſanctas, dignè poſſe animo ac mente complecti. Secundò quòd ea quæ à pueritia noſtra inter eoſdem conſtituti atque ipſorum incitati quotidianis adhortationibus & exemplis, vel agere tentauimus, vel didicimus, vel viſu percepimus, minimè

* muto.

Danielis 5.

* In prouincia ſiquidem cœnobiorum ex parte.

Caſſiani modeſtia.

minimè iam possumus ad integrum retinere, tot annorum circulis ab eorum consortio & imitatione conuersationis abstracti, præsertim cùm harum rerum ratio nequaquam possit otiosa meditatione doctrináque verborum, vel tradi, vel intelligi, vel memoria contineri: totum namque in sola experientia vsúque consistit. Et quemadmodum tradi nisi ab experto non queunt, ita nec percipi quidem vel intelligi, nisi ab eo qui ea pari studio ac sudore apprehendere elaborauerit, possunt: quæ tamen si collatione iugi spiritalium virorum frequenter discussa non fuerint & polita, citò rursum mentis incuria dilabuntur. Tertiò quia idipsum quod vtcunque non pro merito rei, sed pro præsentis temporis statu possumus reminisci, imperitior sermo congruè non valet explicare. Huc accedit, quòd super hac re viri & vita nobiles, & sermone scientiáque præclari, multa iam opuscula desudarunt, sanctum Basilium & Hieronymum dico, aliósque nonnullos, quorum anterior sciscitantibus fratribus super diuersis institutis vel quæstionibus non solum facundo, verum etiam diuinarum scripturarum testimoniis copioso sermone respondit: Alius verò non solum suo elucubratos ingenio edidit libros, verum etiam Græca lingua digestos, in Latinum vertit eloquium. Post quorum tam exuberantia eloquentiæ flumina, possem non immeritò præsumptionis notari, si aliquid stillicidij huius inferre tentassem, nisi me ad hæc fiducia tuæ sanctitatis animaret, & sponsio, quòd vel tibi hæ nugæ forent acceptæ qualescunque sunt, vel eas congregationi fratrum in nouello tantum monasterio commorantium deputares. Qui si quid à nobis minùs forsitan cautè prolatum fuerit, & piè relegant, & cum venia indulgentiore sustentent, fidem potius mei sermo-

Quinam huius doctrinæ sint capaces.

D. Basilius.

D. Hieronymus.

nis, quàm venustatem eloquij requirentes. Quapropter beatissime Papa, vnicum religionis & humilitatis exemplar tuis precibus animatus, secundum vires ingenij mei opus quod iniungis aggrediar, & ea quæ omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris, vt pote qui audita potius quàm experta describere tentauerunt, velut rudi monasterio, & in veritate sitientibus intimabo. Nec planè mirabilium Dei signorúmque narrationem studebo contexere; quæ quamuis multa per seniores nostros & incredibilia non solum audierimus, verum etiam sub obtutibus nostris perspexerimus impleta: tamen his omnibus prætermissis, quæ legentibus præter admirationem nihil amplius ad instructionem perfectæ vitæ conferunt, instituta eorum tantummodo ac monasteriorum regulas, maximéque principalium vitiorum, quæ octo ab eis designantur origines & causas, curationésque secundum traditiones eorum, quantum Domino adiuuante potuero fideliter explicare contendam. Propositum siquidem mihi est, non de mirabilibus Dei, sed de correctione morum nostrorum & consummatione vitæ perfectæ, secundum ea quæ à Senioribus nostris accepimus, pauca disserere. In eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo, vt si quid forte non secundum typum maiorum antiquissima constitutione fundatum, sed pro arbitrio vniuscuiusque instituentis monasterium, vel diminutum, vel additum in istis regionibus comprobauero, secundum eam quam vidimus monasteriorum regulam, per Ægyptum, vel Palæstinam antiquitùs fundatorum, fideli sermone, vel adiiciam vel recidam. Nequaquam credens rationabilius quippam vel perfectius constitutionem nouellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuisse,

Operis argumentum.

potuisse, quàm illa sunt instituta, in quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ à sanctis ac spiritualibus patribus fundata monasteria ad nos vsque perdurant. Illam sanè moderationem opusculo huic inserere præsumam, vt ea quæ secundum Ægyptiorum regulam, seu pro asperitate aërum, seu pro difficultate ac diuersitate morum impossibilia in his regionibus, vel dura vel ardua comprobauero, institutis monasteriorum, quæ per Palæstinam vel Mesopotamiam habentur, aliquatenus temperem: quia si rationabilis possibilium mēsura seruetur, eadem obseruantiæ perfectio est etiam in impari facultate.

D. IOANNIS
CASSIANI EREMITÆ DE COENOBIORVM INSTITVTIS Liber primus, de habitu monachi.

CAP. I. *continens præfationem.*



E institutis ac regulis monasteriorum dicturi vnde competentius, donante Deo, quàm ab ipso habitu monachorum sumemus exordium? Quorum interiorem cultum consequenter tunc poterimus exponere, cùm exteriorem ornatum sub oculorum depinxerimus obtutibus.

De cingulo monachi. CAP. II.

ITaque monachum vt militem Christi in procinctu sem-
Lucæ 12. per belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet & Eliseum, diuinarum scripturarum authoritate monstratur: ac deinceps principes auctorésque Testamenti noui, Ioannem videlicet, Petrum & Paulum, cæterósque eiusdem ordinis viros taliter incessisse cognoscimus. Quorum prior
Castimonia Eliæ. qui in veteri testamento virginitatis iam flores & castimoniæ continentiæque præfigurabat exempla, cùm fuisset à Domino missus ad increpandos nuncios Ochoziæ sacrilegi regis Israël, eo quòd ægritudine præpeditus super statu salutis suæ Beelzebub Deum Accaron consulere destinasset, & idcirco eis occurrens idem propheta descensum de lecto eius in quo conciderat denegasset, decumbenti regi exposita vestitus qualitate compertus est. Reuersos enim ad se nuncios, ac referentes sibi prophetæ sententiam, sciscitatus est cuius esset figuræ & habitus vir qui occurrisset eis, & locutus fuisset
4. Reg. 1. huiuscemodi verba. Vir, inquiunt, pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Ex quo habitu confestim rex contemplatus hominem Dei, ait: Elias Thesbites est: zonæ videlicet indicio & hirsuti incultique corporis specie virum Dei indubitanter agnoscens: eo quòd istud ei inter tot Israëlitici populi millia commoranti, cultus proprij velut quoddam impressum speciale signum perpetuò cohæreret. De Ioanne quoque, qui veteris nouíque Testamēti velut quidam sacratissimus limes, finis initiumque processit, ita Euangelista narrante cogno-

ſcimus: Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. Petro *Matth. 3.* etiam in cuſtodiam carceris ab Herode detruſo, & ad necem die poſtero producendo, angelo aſſiſtente, præcipitur, Præcin- *Actor. 12.* gere & calcia te caligas tuas: Quod vt faceret, nequaquam monuiſſet eum angelus Dei, niſi vidiſſet eum ob refectionem nocturnæ quietis pauliſper defecta membra ſolita cinguli obſtrictione laxaſſe. Paulum quoque aſcendentem Ieroſolymam, & protinus à Iudæis in vincula mittendum, Agabus propheta reperiens Cęſareæ, ſublato eius cingulo, manus ſuas ligans ac pedes, vt geſtu corporis ſui paſſionis eius præfigu- *Actor. 21.* raret iniurias, ait: Hæc dicit ſpiritus ſanctus: Virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt Iudæi in Ieruſalem, & tradent in manus gentium. Quod vtique à propheta proferri minimè potuiſſet, & dici, virum cuius eſt zona hæc, niſi Paulus eam lumbis ſuis indeſinenter ſolitus fuiſſet aptare.

De veſte monachi. CAP. III.

VEſtis quoque ſit monachi quæ corpus contegat tantũ, & repellat nuditatis verecundiã, & frigoris retundat iniuriã: non quæ ſeminaria vanitatis aut elationis enutriat, ita eodem Apoſtolo prædicante: Habentes autem alimenta & operi- *1. Tim. 6.* menta, his contenti ſimus. Operimenta inquiens, non veſtimenta, vt in quibuſdam Latinis exemplaribus non propriè continetur, id eſt, quæ corpus operiant tantùm, non quæ amictus gloria blandiantur: ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate inter cæteros huius propoſiti viros habeantur inſignia: ita ſtudioſis accurationibus aliena, vt nullis rurſum ſint affectatis per incuriam ſordibus decolorata. Poſtremò ſic ab huius mundi ſeparentur ornatu, vt cultui ſeruorum Dei in omnibus communia perſeuerent. Quicquid enim inter famulos Dei præſumitur ab vno vel paucis, nec catholicæ per omne corpus fraternitatis tenetur, aut ſuperfluum aut elatum eſt, & ob id noxium iudicandum eſt, magiſque ſpeciem vanitatis, quàm virtutis oſtentans. Et idcirco hæc quæ nec à veteribus ſanctis qui huius profeſſionis fundamenta iecerunt, neque à patribus noſtri temporis qui eorum per ſucceſſiones inſtituta nũc vſque cuſtodiunt, tradita videmus exempla, vt ſuperflua & inutilia nos quoque reſecare conueniet. Quamobrem cilicinam veſtem velut circũſpectam à cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipſo non ſolum nulla ſpiritui poſſit emolumenta conferre, ſed etiam elationis concipere vanitatem, quæque ad neceſſarij operis exercitium, in quo monachum ſemper impigrum expeditumque oportet incedere,

inhabilis atque inepta sit, omnimodis refutarunt. Quòd si quosdam hoc amictu circumdatos audiuimus probabiles extitisse, non ex eo nobis monasteriorum est regula sancienda, vel antiqua sanctorum patrum sunt perturbanda decreta, quod pauci præsumentes aliarum virtutum priuilegio, ne in his quidem quæ non secundum catholicam regulam ab eis vsurpata sunt, reprehendi debere credũtur. Generali namque omnium constitutioni, paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia. Illis enim debemus institutis ac regulis indubitatam fidem, & indiscussam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas tantorum temporum, & innumerositas sanctorum patrum concordi definitione in posterum propagauit. Nec hoc sanè præiudicare nobis debet ad quotidianæ conuersationis exemplum, quòd vel Ioram sacrilegus rex Israel cateruis hostium circumseptus, scissa veste, cilicium habuisse perhibetur intrinsecus: vel quòd Niniuitæ ad mitigandam Dei sententiam quæ in eos lata fuerat per Prophetam, cilicij asperitate velati sunt, cùm & ille ita intrinsecus latenter indutus eo fuisse monstretur, vt nisi scisso desuper indumento à nemine prorsus potuisset intelligi, & isti eo tempore operimentum cilicij *ostentarent, quo cunctis super imminente vrbis euersione lugentibus, eodemque amictu circumdatis, nullus posset à quoquam *ostentatione notari. Quia nisi insolens sit diuersitas, non offendit æqualitas.

4. Reg. 6. Ionæ. 3.

al. sustentarent.

al. ostentationis.

De cucullis Ægyptiorum. *Cap.* IIII.

SVnt præterea quædam in ipso Aegyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis & innocentiæ obseruantia etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur. Cucullis namque perparuis vsque ad ceruicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus vtuntur ac noctibus, scilicet vt innocentiam & simplicitatem paruulorum iugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur. Qui reuersi ad infantiam Christi cunctis horis cum affectu ac virtute decantant: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre sua.

Psal. 130.

De collobiis Ægyptiorum. *Cap.* v.

COllobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus,

vt am-

vt amputatos habere eos actus & opera mundi huius ſuggerat abſciſſio manicarum, & ab omni conuerſatione terrena mortificatos eos velaminis linei doceat indumẽtum, audiántque per hoc Apoſtolum quotidie dicentem ſibi, Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Illud quoque ipſo habitu proteſtante, Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Et iterum: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Mihi quidem mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Coloſſ. 3.* *Ibidem.* *Galat. 2.*

De rebrachiatoriis. Cap. VI.

GEſtant etiam reſticulas duplices, laneo plexas ſubtegmine, quas Græci ἀναβολὰς, nos verò ſuccinctoria ſeu redimicula vel propriè rebrachiatoria poſſumus appellare. Quæ deſcendentia per ſumma ceruicis & è lateribus colli diuiſa, vtrarumque alarum ſinus ambiunt, atque hinc inde ſuccingunt, vt conſtringentia latitudinem veſtimenti ad corpus contrahant atque coniungant, & ita conſtrictis brachiis impigri ad omne opus expeditique reddantur, illud Apoſtoli præceptum ſtudentes omni virtute complere, Quia non ſolum mihi, ſed etiam his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ, neque gratis panem ab aliquo manducauimus, ſed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Et, ſi quis non vult operari, nec manducet. *Actor. 20.* *2. Theſſal. 3.*

De mafortibus eorum. Cap. VII.

POſt hæc anguſto palliolo tam amictus humilitatem quàm vilitatem pretij, compendiumque ſectantes, colla pariter atque humeros tegunt, quæ mafortes tam noſtro quàm ipſorum nuncupantur eloquio, & ita planeticarum atque birrorum pretia ſimul ambitionemque declinant.

De melote & pelle caprina. Cap. VIII.

VLtimus eſt habitus eorum pellis caprina quæ melotes vel pera appellatur, & baculus, quæ geſtant ad imitationem eorum qui profeſſionis huius præfigurauere lineas in veteri teſtamento. De quibus Apoſtolus: Circumierunt (inquit) in melotis & in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Qui tamen habitus pellis caprinæ, ſignificat mortificata omni petulantia carnalium paſſionum debere eos in ſumma virtutum grauitate conſiſtere, nec quicquam petulcum vel calidum iuuentutis ac mobilitatis antiquæ in eorum corpore reſidere. *Hebr. 11.*

De baculo. CAP. IX.

4. Reg. 4. NAm & baculum gestasse eosdem viros, etiam Eliseus, qui vnus ex ipsis est, docet, cùm dicit ad Giezi puerum suum, mittens eum ad suscitandum filium mulieris: Tolle baculum meum, & currens vade, pone eum super faciem pueri, vt viuat. Quem vtique non dedisset ei propheta gestandum, nisi eum manu sua solitus esset iugiter circumferre. Cuius gestatio spiritualiter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere (De quibus beatus Dauid liberari postulans dicit: Ne tradas Domine bestiis animam Psal. 73. confitentem tibi) sed irruentes eas retundere crucis signaculo, ac longius propulsare, atque aduersum se sæuientes iugi memoria Dominicæ passionis, & imitatione illius mortificationis extinguere.

De calciamentis eorum. CAP. X.

CAlciamenta verò velut interdicta euangelico præcepto recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes: hoc interpretantes vsu earum vel Dominica permissione signari, vt si in hoc mundo constituti cura & sollicitudine carnis huius omnimodis exuti esse non possumus, nec ab ea penitus præualemus absolui, saltem occupatione leui & implicatione tenui necessitatem corporis explicemus, néue animæ nostræ pedes, qui expediti ad spiritalem cursum, & prædicandam euangelij pacem semper esse debent parati (quibus post odorem vnguentorum Christi Cantic. 1. currimus, & de quibus Dauid, Cucurri, inquit, in siti. & Iere- Psal. 61. mias: Ego autem non laboraui te sequens) morticinis huius Ieremiæ 17. seculi curis patiamur inuolui, de his scilicet cogitantes quæ non ad supplendam necessitatem naturæ, sed ad superfluam noxiamque pertinent voluptatem. Quod ita implebimus, si secundum Apostolum carnis curam non fecerimus in desi- Roman. 13. deriis. Quibus tamen caligis quanquam licito vtantur, vtpote Domini mandato concessis, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt cùm accedunt ad celebranda seu percipienda sacrosancta mysteria, illud æstimantes etiam secundum literam custodiri debere, quod dicitur ad Moysen Exod. 3. vel ad Iesum filium Naue, Solue corrigiam calciamenti tui, Iosue 5. locus enim in quo stas, terra sancta est.

De temperamento obseruantiæ quæ secundum aërum qualitatem vel vsum prouinciæ sit tenenda. CAP. XI.

Hæc

HAec dicta sint, ne quid prætermisisse de Aegyptiorum habitu videamur. Cæterum à nobis tenenda sunt illa tantummodo quæ vel locorum situs, vel prouinciæ vsus admittit. Nam neque caligis nos, neque colobiis, seu vna tunica esse contentos hiemis permittit asperitas, & paruissimi cuculli velamen, vel melotis gestatio derisum potius quàm ædificationem vllam videntibus comparabit. Quapropter illa tantum quæ superius commemorauimus, quæque sunt & humilitati professionis nostræ, & qualitati aërum congruentia, à nobis quoque affectanda censemus, vt omnis summa nostri vestitus nõ in nouitate habitus, qui possit offendiculum hominibus seculi huius inferre, sed honesta in vilitate cõsistat.

De cingulo spiritali, & sacramento ipsius. CAP. XII.

HIs itaque vestimentis Christi miles indutus, nouerit prius ob id se cinguli constrictione munitum, vt ad cunctos vsus & opera monasterij non solum mẽte promptus, sed etiam ipso habitu semper expeditus incedat. Tanto namque feruentior circa spiritalem profectum ac diuinarum rerum scientiam cordis puritate probabitur, quanto fuerit erga obedientiæ studium operisque deuotior. Secundo cognoscat etiam in ipso habitu cinguli inesse non paruum quod à se expetitur sacramentum. Accinctio enim lumborum, & ambitus pellis emortuæ, significat eum mortificationem circumferre membrorum, in quibus libidinis atque luxuriæ seminaria continentur, euangelicum illud mandatum quo dicitur, Sint lumbi vestri præcincti, apostolica interpretatione ingeri sibi semper intelligens; mortificate scilicet membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. Ideoque illos tantummodo legimus in scripturis sanctis cingulo fuisse præcinctos, in quibus seminaria coitus inueniuntur extincta, quique illud B. Dauid eloquium opere atque virtute decantant: Quia factus sum sicut vter in pruina: eo quòd crasa medullitus carne vitiorum emortuam exterioris hominis cutem spiritus virtute distendant. Et idcirco in pruina significanter adiecit, quòd scilicet nequaquam fuerint sola cordis mortificatione contenti, verumetiam exterioris hominis motus & ipsius naturæ incentiua continentię pruina extrinsecus accedente habuerint congelata, nullum iam dumtaxat, secundum Apostolum, regnum peccati in suo mortali corpore sustinentes, nec gestantes carnem spiritui repugnantem.

Lucæ 12. Coloss. 3. Psal. 118. Rom. 6.

Libri primi institutionum finis.

LIBER

DE CANONICO NOCTVRNARVM ORATIONVM ET PSALMORVM *modo.* *Caput* I.

Canonicæ orationes.

Collat. 9. cap. 3. 6. & sequ. & Collat. 10. cap. 7.

1. Thessal. 5.

VPLICI igitur hoc quod diximus cingulo Christi miles accinctus, interim qui modus canonicarum orationum psalmorumque sit in partibus Orientis à sanctis patribus antiquitùs statutus agnoscat. De qualitate verò earum, vel quemadmodum orare secundum Apostoli sententiam, sine intermissione possimus, suis in locis cùm Seniorum Collationes cœperimus exponere, quantum Dominus dederit proferemus.

De diuersitate numeri qui ad decantandos psalmos per vniuersas prouincias sit statutus. *Cap.* II.

Rom. 10.

Antiphonarum vsus.

Preces horæ, tertiæ, sextæ, & nonæ.

MVltos namque comperimus per alias regiones pro captu mentis suæ, habentes quidem, vt ait Apostolus, zelum Dei, sed non secundum scientiam, super hac re diuersos typos ac regulas sibimet constituisse. Quidam enim vicenos seu tricenos psalmos, & hos ipsos antiphonarum protelatos melodiis, & adiunctione quarundam modulationum debere dici singulis noctibus censuerũt: Alij hunc modũ etiam excedere tentauerũt: Nonnulli decẽ & octo. atque in hunc modum diuersis in locis diuersum canonem agnouimus institutum, tótque propemodum typos ac regulas vidimus vsurpatas, quot etiam monasteria cellasque conspeximus. Sunt quibus in ipsis quoque diurnis orationum officiis id est tertia, sexta, nonaque id visum est, vt secundum horarum modum in quibus hæc Domino redduntur obsequia, psalmorum etiam & orationum putarent numerum coæquandum, nonnullis placuit senarium numerum singulis diei conuentibus deputari. Quapropter necessarium reor antiquissimam patrum proferre in medium constitutionem, quæ nunc vsque per totam Aegyptum à Dei famulis custoditur, quò nouelli monasterij in Christo rudis infantia antiquissimorum potius patrum vetustissimis institutionibus imbuatur.

De vniformis regulæ per totam Ægyptum custodia, & de electione eorum qui fratribus præponantur. *Cap.* III.

ITaque per vniuersam Aegyptum & Thebaidem, vbi monasteria non pro vniuscuiusque renunciantis instituuntur arbitrio, sed per successiones ac traditiones maiorum, vsque in hodiernum diem vel permanent vel mansura fundantur, legitimum orationum modum in vespertinis conuentibus seu nocturnis vigiliis vidimus retentari. Non enim quisquam conuenticulo fratrum, sed ne sibi quidem ipsi præesse conceditur, priusquam non solum vniuersis facultatibus suis reddatur externus, sed ne sui quidem ipsius se esse dominum vel potestatem habere cognoscat. Ita namque renunciantem huic mundo quibuslibet facultatibus ac diuitiis præditum necesse est cœnobij commorationem expetere, vt in nullo sibi ex his quæ reliquit aut intulit monasterio blandiatur; sic obedire cunctis, vt redeundum sibi secundum sententiam Domini ad infantiam pristinam nouerit, nihil sibi consideratione æui vel annorum numerositate præsumens, quam in seculo inaniter consumptam se reputat perdidisse, sed pro rudimentorum merito & tyrocinij nouitate, quam se gerere in Christi militia recognoscit, subdere se etiam iunioribus non moretur. Operis quoque ac sudoris assuetudinem ita subire compellitur, vt propriis manibus, iuxta Apostoli præceptum, quotidianum victum, vel suis vsibus, vel aduenientium necessitatibus præparans, & fastus vitæ præteritæ possit & delicias obliuisci, & humilitatem cordis contritione laboris acquirere. Ideoque nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, priusquam idem qui præficiendus est, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendo didicerit, & quid iunioribus tradere debeat, institutis seniorum fuerit assecutus. Bene enim regere vel regi, sapientis esse pronunciant, summumque donum & gratiam sancti Spiritus esse definiunt. Nam neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi eum qui prius vniuersis virtutum disciplinis fuerit instructus, nec obedire quenquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei & humilitatis fuerit virtute perfectus. Ideoque diuersitates typorum ac regularum per cæteras prouincias cernimus vsurpatas, quod plerumque seniorum institutionis experres monasteriis præesse audemus, & Abbates nos antequam discipulos professi quod libitum fuerit statuimus, promptiores nostrorum inuentorum exigere custodiam, quàm examinatam maiorum seruare doctrinam. Sed dum orationum modum, qui potissimum debeat custodiri, volumus explicare, institutis patrum auidius prouocati, narrationem quam suis reseruabamus

Proprietatis abdicatio monachis perquam necessaria.

Itidem & obedientia, suique subiectio.

Matth. 18.

Manualia Monachorum opera.

Actor. 20.

uabamus locis preproperο excessu præuenimus. Nunc itaque ad propositum reuertamur.

Quòd per Ægyptum & Thebaiden duodenarius psalmorum numerus obseruetur. CAP. IIII.

Preces vespertinæ & nocturnæ.

IGitur per vniuersam, vt diximus, Aegyptum & Thebaiden duodenarius psalmorum numerus tam in vespertinis quàm in nocturnis sollemnitatibus custoditur, ita dumtaxat vt post hunc duæ lectiones veteris scilicet ac noui Testamenti singulæ subsequantur. Qui modus antiquitus constitutus, idcirco per tot secula penes cuncta illarum prouinciarum monasteria intemeratus nunc vsque perdurat, quia non humana adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed cælitus Angeli magisterio patribus fuisse delatus.

Angeli magisterio tradita est ratio dicendarum precationum.

De duodenario psalmorum numero Angeli traditione suscepto. CAP. V.

NAm cùm in primordiis fidei pauci quidem sed probatissimi, monachorum nomine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ euangelista Marco, qui primus Alexandrinæ vrbi Pont. præfuit, normam suscepere viuendi, non solum illa magnifica retinebant quæ primitùs ecclesiam vel credentium turbas in Actibus apostolorum legimus celebrasse (Multitudinis scilicet credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum: diuidebatur autem singulis pro vt cuique opus erat) verumetiam his multo sublimiora cumulauerant. Etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his qui erant religionis *externi, stupori esset tam ardua conuersationis eorum professio. Eo enim feruore scripturarum diuinarum lectionibus, orationique & operi manuum diebus ac noctibus incubabant, vt nec escarum quidem appetitus vel memoria nisi alio tertioue die corporis interpellaret inediam, cibumque ac potum non tam desideratum, quàm necessarium sumerent, & ne hunc quidem ante solis occasum, vt tempus lucis cum spiritualium meditationum studiis, curam verò corporis cum nocte sociarent, aliaque his multo sublimiora perficerent. De quibus etiam is qui minus indigenarum relatione cognouit, Ecclesiastica historia poterit edoceri. Ea igitur tempestate cum ecclesiæ illius primitiuæ perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inuiolata duraret, feruensque paucorum

Actor. 4.

* externæ.

Magnus veterum Patrum abstinentiæ rigor.

eorum fides necdum in multitudinem dispersa tepuisset, venerabiles patres peruigili cura posteris consulentes, qui nam modus quotidiano cultui per vniuersum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conueniunt, vt hæreditatem pietatis ac pacis etiam successoribus suis absolutam ab omni dissensionis lite transmitterent: verentes scilicet ne qua in quotidianis sollemnitatibus inter viros eiusdem culturæ cõsortes dissonantia vel varietas exorta, quandoque in posterum erroris vel æmulationis seu schismatis noxium germen emitteret. Cumque pro suo vnusquisque feruore infirmitatis immemor alienæ id statui debere censeret, quod contemplatione fidei ac roboris sui facillimum iudicabat, parum discutiens quid generaliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri, diuersoque modo enormem psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute certarent, & alij quinquagenos, alij sexagenos psalmos, nonnulli verò ne hoc quidem numero contenti excedi eum debere censerent, essetque inter eos pro religionis regula piæ contentionis sancta diuersitas, ita vt tempus sollemnitatis vespertinę sacratissimę succederet quæstioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque sedentibus cunctis (vt est moris nunc vsque in Aegypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, II. psalmos orationum interiectione distinctos contiguis versibus parili pronunciatione cantasset, duodecimum sub alleluia responsione consummans, ab vniuersorum oculis repentè subtractus, quæstioni pariter & cærimoniis finem imposuit.

De consuetudine duodecim orationum. CAP. VI.

EX hinc venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hunc numerum tam in vespertinis quàm in nocturnis conuenticulis custodiri, quibus lectiones geminas adiungentes, id est, vnam veteris & aliam noui Testamenti, tanquam à se eas traditas & velut extraordinarias, volentibus tantum, ac diuinarum scripturarum memoriam possidere assidua meditatione studentibus addiderunt. In die verò sabbati vel Dominico vtrasque de nouo recitant Testamento, id est, vnam de Apostolo vel Actibus apostolorum, & aliam de Euangeliis. Quod etiam totis quinquagesimæ diebus faciunt hi quibus lectio curæ est, seu memoria scripturarum.

De di-

De disciplina orandi. Cap. VII.

HAs igitur prædictas orationes hoc modo incipiunt atque consummant, vt finito psalmo, non statim ad incuruationem genuum corruant, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, qui ne dum bene finito psalmo, in orationem procumbere festinamus ad *celeritatem missæ quantocyus properantes. Cuius dum volumus excedere modum qui antiquitus à maioribus statutus est, supputantes residuorum psalmorum numerum, ad finem tendere perurgentem, de refectione potius lassi corporis cogitantes, quàm orationis vtilitatem & commoda requirentes. Apud illos ergo non ita est, sed antequam flectant genua paulisper orant, & stantes in supplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque post hæc puncto breuissimo procidentes humi, velut adorantes tantum diuinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus eodem modo quo prius stantes orauerant, suis precibus intentius immorantur. Humi namque diutius procumbentem, non solum cogitationibus aiunt, verumetiam somno grauius impugnari. Quod etiam nos verum esse vtinam non experimentis & quotidiana consuetudine nosceremus, qui sæpenumero hanc eandem incuruationem membrorum, non tam orationis quàm refectionis obtentu in terram prostrati, optamus diutius prolongari. Cùm autem is qui orationem collecturus est è terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita vt nullus nec antequam inclinetur ille genu flectere, nec cùm è terra surrexerit remorari præsumat, ne non tam secutus fuisse illius conclusionem qui precem colligit, quàm suam celebrasse credatur.

* *B. Dionysius legit*, celebritatem.

Collectarum in officio ecclesiastico appellatio & vsque ab isto munere colligendi orationem sumtus esse videtur.

De subsequente oratione post psalmum. Cap. VIII.

ILlud etiam quod in hac prouincia vidimus, vt vno cantante in clausula psalmi omnes astantes concinant cum clamore, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, nusquam per omnem Orientem audiuimus, sed cum omnium silentio ab eo qui cantat finito psalmo orationem succedere: *hanc verò glorificationem Trinitatis tantummodo solere antiphona terminari.

* hac verò glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari.

De qualitate orationum. Cap. IX.

ET quia nos ad orationum canonicarum modum consequenter institutorum ordo prouexit, quarum pleniorem tractatum licet in Collationes seniorum reseruemus ibidem plenius digesturi, cùm de earum qualitate seu iugitate verbis eorum disserere cœperimus: necessarium tamen reor pro opportu-

Collat. 9. & 10.

opportunitate loci ac narrationis ipsius, quoniam ita obtulit sese occasio, etiam in præsenti pauca perstringere, vt formantes interim exterioris hominis motus, & velut quædam nunc orationis fundamenta iacientes, minore post hæc labore cum cœperimus de statu interioris hominis disputare, orationum quoque eius fastigia construamus. Illud ante omnia prouidentes, vt si nos ab illa narratione quam cupimus opportunè Deo volente digerere, præueniens vitę nostræ finis excluserit, vel initia vobis rei præsertim tam necessariæ hoc opere relinquamus, quibus pro ardore desiderij totum tardum est: vt dum nobis huius commorationis tribuuntur induciæ saltem quasdam tantisper orationum vobis lineas præsignemus, quibus hi vel maximè qui in cœnobiis commorantur valeant aliquatenus informari. Simul etiam prospicientes his qui forsitan huic tantummodo occursuri libro, ad illum peruenire non poterunt, vt instructione huius erga orationis qualitatem vel ex parte reperiantur imbuti, & quemadmodum sunt de habitu & amictu exterioris hominis instituti, ita etiam qualiter eum ad offerenda spiritalia sacrificia debeant exhibere non nesciant. Siquidem hi libelli quos in præsenti cudere Domino adiuuante disponimus, ad exterioris hominis obseruantiam, & institutionem cœnobiorum competentius aptabuntur, illi verò ad disciplinam interioris ac perfectionem cordis, & anachoretarum vitam atque doctrinam potius pertinebunt.

Quanto silentio & breuitate orationes apud Ægyptios colligantur. Cap. X.

CVm igitur prædictas sollemnitates quas illi synaxes vocant celebraturi coueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam innumerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum qui consurgens psalmum decantat in medio nullus hominum penitus adesse credatur: ac prçcipuè cùm consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta diffutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur, nulla vox absque Sacerdotis precem concludentis, auditur, nisi fortè hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili spiritus feruore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Illum verò qui constitutus in tepore

Sacerdos precationem claudit.

pore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum quæ prædiximus è faucibus suis emittit, aut præcipuè oscitationibus præuenitur, dupliciter peccare pronunciant. Primo quòd orationis suæ reus sit, quòd eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundo quòd indisciplinato strepitu, alterius quoque qui forsitan intentiùs orare potuit, intercipit sensum. Ideóque præcipiunt eam celeri fine concludi, ne fortè immorantibus nobis in ea, redundantia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat nostræ orationis excessum. Et idcirco dum adhuc feruet, velut è faucibus inimici velociter rapienda est. Qui proculdubio cùm sit nobis semper infestus, tunc maximè adsistit infestior, cùm contra se offerre nos preces Domino velle peruiderit, cogitationibus seu diuersis humoribus excitatis, abducere mentem nostram à supplicationis intentione festinans, & per hoc eam tepefacere à cœpto feruore contendens. Quamobrem vtilius censent breues quidem orationes, sed creberrimas fieri, illud quidem vt frequentius Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus. Hoc verò vt insidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè cùm oramus insistit, succincta breuitate vitemus.

Qua disciplina apud Ægyptios Psalmi dicantur.

Cap. XI.

ET idcirco ne psalmos quidem ipsos quos in congregatione decantant, continuata student pronunciatione concludere: sed eos pro numero versuum duabus vel tribus intercisionibus cum orationũ interiectione diuisos distinctim particulatimque consummant. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur, illud tota virtute sectantes, Psallam spiritu, psallam & mente. Ideóque vtilius habent 1. Cor. 14.
10. versus cum rationabili assignatione cantari, quàm totum psalmum cum confusione mentis effundi. Quæ nonnunquam pronunciantis festinatione generatur, dum residuorum psalmorum qui decantandi sunt, modum numerumque considerans, non distinctionem sensuum audientibus studet pandere, sed ad finem synaxeos properat peruenire. Denique si quispiam iuniorum, vel pro feruore spiritus, vel pro eo quòd nec dum institutus est, cœperit modum decantationis excedere, psallentis progressio Senioris *interdicitur plausu, quem dans manu sua in sedili quo sedet, cunctos facit ad orationem consurgere, illud omnibus modis prouidens, ne quod sedentibus tædium generetur prolixitate psalmorum, *qua is qui decantat, non modò per seipsum intelligentiæ fructum amittat, sed etiam per illos incidat detrimentum quos fastidium

*intercidi-tur

*quo, *vel*, ne

dium ſynaxeos nimietate ſua fecit incurrere. Illud quoque apud eos omni obſeruantia cuſtoditur, vt in reſponſione alleluia nullus dicatur pſalmus, niſi is qui in titulo ſuo alleluia inſcriptione prænotatur. Prædictum verò duodenarium pſalmorum numerum ita diuidunt, vt ſi duo fuerint fratres, ſenos pſallant; ſi tres, quaternos; ſi quatuor, ternos. Quo numero nunquam minus in congregatione decantant, ac proinde quantalibet multitudo conuenerit, nunquam amplius pſallunt in ſynaxi quàm quatuor fratres.

Cur vno pſallente, cæteri in ſynaxi ſedeant, vel quali poſt hos ſtudio per cellulas ſuas vſque ad lucem vigilias extendant. Cap. XII.

HVnc ſanè canonicum quem prædiximus duodenarium pſalmorum numerum tali corporis quiete releuant, vt has eaſdem congregationum ſollemnitates ex more celebrantes, abſque eo qui dicturus in medium pſalmos ſurrexerit, cuncti ſedilibus humillimis inſidentes, ad vocem pſallentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque ieiuniis & operatione totius diei noctíſque laſſeſcunt, vt niſi huiuſcemodi refectione adiuuentur, ne hunc quidem numerum ſtantes implere præualeant. Nullum etenim tempus ab operis exercitatione vacuum tranſire concedunt, quia non ſolum ea quæ diei ſplendor admittit omni inſtantia manibus exercere contendunt, ſed etiam illa operationum genera ſollicita mente perquirunt, quæ ne ipſius quidem noctis denſiſſimæ tenebræ valeant impedire, credentes ſe tanto ſublimiorem ſpiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæſituros, quanto diutius fuerint erga operis ſtudium ac laboris intenti. Et idcirco mediocrem canonicarum orationum numerum iudicant diuinitùs moderatum, vt ardentioribus fide, ſpatium quo ſe virtutis eorum infatigabilis curſus extẽderet, ſeruaretur, & nihilominus feſſis ægriſque corporibus minimè gigneretur de nimietate faſtidium. Ideoque cùm fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitę, vnuſquiſque ad ſuam recurrens cellulam (quam aut ſolus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur, quem ſcilicet ſocietas operationis, vel diſcipulatus, & diſciplinæ imbutio copulauit, vel certè quem ſimilitudo virtutum comparem fecit) idem rurſus orationum officium velut peculiare ſacrificium ſtudioſius celebrant, nec vlterius quiſquam eorum in requiem ſomni reſoluitur, donec ſuperueniente diei ſplendore nocturno operi ac meditationi operatio diurna ſuccedat.

Quare post missam nocturnam dormire non oporteat.
Cap. XIII.

QVem laborem, præter illam rationem qua tota industria annitentes sacrificium Deo de fructu manuum suarum offerre se credunt, duabus ex causis cum omni obseruatione custodiunt. Quod nos quoque si perfectioni studemus, eadem diligentia conuenit obseruare. Prima ne fortè purificationem nostram nocturnis psalmis & orationibus acquisitam, inuidus inimicus liuens puritati nostræ, cui maximè insidiatur semper, & indesinenter infestus est, quadam *somni illusione contaminet. Qui post illam satisfactionem quam pro negligentiis seu ignorationibus nostris obtulimus, & confessionis nostrę veniam profusis gemitibus imploratam, sollicitius nos, si tempus quietis inuenerit, maculare festinat, tunc præcipuè fiduciam nostram deiicere atque eneruare contendens, cùm feruentius nos ad Deum tendere orationum nostrarum puritate peruiderit: ita vt nonnunquam quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, sub illius horæ breuissimo tempore dehonestare conetur. Secunda verò, quòd tametsi nulla talis verenda diaboli emergat illusio, intercedens etiam purus sopor inertiam monacho mox euigilaturo parturiat, segnemque torporem inferens menti, per totum diei spatium vigorem eius obtundat, illamque hebetet perspicaciam sensus, & pinguedinem cordis exhauriat, quæ nos possit per totum diem aduersus omnes insidias inimici cautiores robustioresque seruare. Quamobrem canonicis vigiliis priuatæ ab eis subiunguntur excubiæ, ac maiore illis obseruatione succedũt, vt & illa purificatio que psalmis & orationibus est acquisita, non pereat, & intentior sollicitudo diligentius nos per diem custoditura, præparetur meditatione nocturna.

*somnij

Quemadmodum in cellulis suis opus manuum & orationes pariter exerceant. *Cap.* XIIII.

ET idcirco eas cum adiectione operis exequuntur, ne velut otiosis valeat somnus irrepere. Sicut enim nullum fermè ab eis otij tempus excipitur, ita nec meditationi quidem spiritali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis animæque virtutes, exterioris hominis stipendia cum emolumentis interioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondera, velut quandam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa intra cellæ claustra, velut in portu fidissimo valeat contineri, atque ita spiri-

ſpiritali meditationi tantum & cuſtodiæ cogitationum intenta, non modò ad conſenſum prauæ cuiuſque ſuggeſtionis peruigilem mentem corruere non ſinat, verùm etiam ab omni ſuperflua otioſaque cogitatione cuſtodiat, ita vt quid ex quo pendeat haud facilè poſſit à quoquam diſcerni, id eſt, vtrum propter meditationem ſpiritalem inceſſabile manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem tam præclarum ſpiritus profectum ſcientiæque lumen acquirant.

Qua lege modeſtiæ poſt orationum miſſam vnuſquiſque ad ſuam cellulam redeat, & cui ſubdatur increpationi is qui aliter fecerit. Cap. XV.

FInitis itaque pſalmis, & quotidiana congregatione, ſicut ſuperius commemorauimus, abſoluta, nullus eorum vel ad modicum ſubſiſtere, aut ſermocinari audet cum altero: ſed ne quidem per totum diei ſpatium è cella ſua progredi, aut deſerere opus quod in ea ſolitus eſt exercere, præſumit, niſi fortè cùm fuerint ad officium neceſſarij cuiuſque operis euocati. Quod ita explent foras egreſſi, vt nulla inter eos ſermocinatio penitus conſeratur. Sed ſic vnuſquiſque opus exequitur iniunctum, vt pſalmum vel ſcripturam quamlibet memoriter recenſendo, non ſolum conſpirationi noxiæ, vel conſiliis prauis, ſed nec otioſis quidem colloquiis, vllam copiam vel tempus impartiat, oris pariter & cordis officio in meditatione ſpiritali iugiter occupato. Summa namque obſeruantia cuſtoditur, ne quiſquam cum alio, ac præcipuè iuniores, vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut vſpiam ſeceſſiſſe, vel manus ſuas inuicem tenuiſſe deprehendantur. Si qui verò contra huius regulæ diſciplinam, reperti fuerint aliquid ex his quæ interdicta ſunt admiſiſſe, vt contumaces ac præuaricatores mandatorum non leuis culpæ rei pronunciati, ſuſpicione etiam coniurationis prauique conſilij carere non poterunt. Quam culpam niſi in vnum cunctis fratribus congregatis publica diluerint pœnitentia, orationi fratrum nullus eorum intereſſe permittitur.

Quòd nulli orare cum illo qui fuerit ab oratione ſuſpenſus, liceat. Cap. XVI.

SAnè ſi quis pro admiſſo quolibet delicto fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo prorſus orandi habet licentiam, antequam ſubmiſſa in terram pœnitentia, reconciliatio eius & admiſſi venia coram fratribus cunctis, publicè fuerit ab Abbate conceſſa. Ob hoc namque tali obſeruantia ſemetipſos *Cenſurarum Eccleſiaſticarum rigor.*

ab orationis eius consortio segregant atque secernunt, quòd credunt eum qui ab oratione suspenditur, secundum Apostoli sententiam tradi Satanæ: & si quis orationi eius antequam recipiatur à Seniore, incōsiderata pietate permotus, communicare præsumpserit, complicem se damnationis eius efficiat, tradens scilicet semetipsum voluntariè Satanæ, cui ille pro sui reatus emendatione fuerat deputatus, in eo vel maximè grauius crimen incurrens, quòd cum illo se vel confabulationis vel orationis communione miscendo maiorem illi generet insolentię fomitem, & contumaciam delinquentis in peius enutriat. Perniciosum namque solatium tribuens, cor eius magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eum sinet ob quod fuerat segregatus, & per hoc vel increpationem Senioris non magni pendere, vel dissimulanter de satisfactione & venia cogitare.

Excommunicatio.

Cum excōmunicato communicans eidem pœnæ inuoluitur.

1. Cor. 5.

Quòd is qui ad orationem fratres exuscitat, hora solita debeat eos commonere. Cap. XVII.

IS autem cui religiosi conuentus commonitio, vel synaxeos cura committitur, non passim vt libitum est, nec pro vt nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas eum somni proprij seu insomnij coarctauerit, fratres etiam ad quotidianas vigilias exuscitare præsumit. Sed quamuis eum consuetudo diurna hora solita euigilare compellat, tamē sollicitè frequenterque stellarum cursu præstitutum congregationis tempus explorans, ad orationum eos inuitat officium, ne in vtroque inueniatur incautus, si vel oppressus somno statutam noctis transgrediatur horam, vel eandem dormiturus atque festinus ad somnum anticipet, & non tam officio spiritali vel quieti omnium deseruisse, quàm requiei suæ satisfecisse credatur.

Quòd à vespera Sabbati vsque ad vesperam diei Dominicæ genua non flectantur. Cap. XVIII.

HOc quoque nosse debemus, à vespera Sabbati, quæ lucescit in diem Dominicum, vsque ad vesperam sequentem apud Aegyptios genua non curuari; sed nec totis quidem quinquagesimæ diebus, nec custodiri in eis ieiuniorum regulam. Quarum rerum ratio suo loco in Collationibus Seniorum, cùm Dominus iusserit, exponetur. Nunc propositum est nobis causas tantummodo breui narratione percurrere, ne *statutum modum volumen excedens, aut fastidio legentem oneret aut labore.

Collat. 21.

* castigatum

Libri secundi Institutionum finis.

LIBER

DE CANONICO DIVRNARVM ORATIONVM ET PSALMORVM MODO.

Cap. I.



E nocturno orationum & psalmorum modo, qui nam per Aegyptum habeatur, donante Deo, quantum tenuitas ingenij nostri præualuit, arbitror expeditum: nunc de sollemnitate tertiæ, sextæ, nonæque secundum regulam monasteriorum Palæstinæ vel Mesopotamiæ nobis est disserendum, vt præfati sumus in Prologo, perfectionem Aegyptiorum, &*imitabilem disciplinæ rigorem horum institutis moderantes.

* *Fortasse legendum est,* inimitabilem

Quòd apud Ægyptios sine horarum discretione per totam diem cum operis adiectione & orationibus iugiter insistatur & psalmis. Cap. II.

APud illos etenim hæc officia quæ Domino soluere per distinctiones horarũ & temporis interualla cum admonitione compulsoris adigimur, per totum diei spatium iugiter cum operis adiectione spontaneè celebrantur. Ita namque ab eis incessanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt psalmorum quoq; vel cęterarum scripturarũ meditatio nunquam penitus omittatur. Cui preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officijs quę nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt. Quamobrem exceptis vespertinis ac nocturnis cõgregationibus nulla apud eos per diem publica sollemnitas absque die sabbathi vel Dominica celebratur, in quibus hora tertia sacræ communionis obtentu conueniunt. Plus enim est id quod incessanter offertur, quàm quod per temporis interualla persoluitur; & gratius est voluntarium munus, quàm functiones quæ canonica compulsione redduntur: pro hoc quoq; Dauid gloriosius aliquid exultante cùm dicit, Voluntariè sacrificabo tibi: *Psal.* 53. Et, Voluntaria oris mei beneplacita sint tibi Domine. *Psal.* 118.

Quòd per omnem Orientem sollemnitas tertiæ, sextæ vel nonæ, trinis tantum psalmis & orationibus finiatur: & cur specialius istis horis hæc spiritalia sint officia deputanda. Cap. III.

ITaque in Palæstinæ vel Mesopotamiæ monasteriis ac totius Orientis supradictarum horarum sollemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur, vt & orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis officia consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis, nullatenus valeant impediri. His enim tribus temporibus etiam Danielem prophetam quotidie fenestris apertis in cœnaculo preces Domino fudisse cognoscimus. Nec immeritò hæc specialius tempora religiosis sunt officiis deputata. In his siquidem promissionum perfectio, & summa nostræ salutis est adimpleta. Hora namque tertia repromissus olim per prophetas Spiritus sanctus super Apostolos in orationum officio constitutos, descendisse primitus comprobatur. Nam cùm propter elocutionem linguarum, quæ ab eis infusione Spiritus sancti profluebat, gens incredula Iudæorum obstupescens pariter & irridens, diceret eos musto repletos: stans Petrus in medio eorum ait; Viri Israëlitæ & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea: Nõ enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ; & iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt. Quæ omnia hora tertia videmus impleta, sanctique spiritus vaticinatum per prophetas aduentum eodem tempore super Apostolos commeasse. Hora autem sexta immaculata hostia, Dominus noster atque Saluator oblatus est patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit: & expolians principatus ac potestates traduxit palam, vniuersosque nos obnoxios atque constrictos insolubili chirographi debito liberauit, tollens id de medio, & crucis suæ affigens trophæo. Eadem quoque hora Petro in excessu mentis vocatio gentium omnium per submissionem vasis euangelici delati cælitùs, & purificatio omnigenum animantium in eodem consistentium, delata ad eum voce diuinitùs reuelatur, dicente ei: Surge Petre, occide, & manduca. Quod vas quatuor initiis de cælo summissum, non aliud quàm Euangelium designare manifestè cognoscitur. Licet enim quadriformi euangelistarum narratione distinctum quatuor videatur habere principia, vnum tamen euangelij corpus est: eiusdem scilicet Christi natiuitatem pariter

Danielis 6.

Horæ tertiæ mysterium.

Act. 2.

Ioëlis 2.

Horæ sextæ significatio.

Coloss. 2.

Actor. 10.

riter ac deitatem, miracula quoque passionemque comple-
ctens. Pulchrè autem non ait linteum, sed quasi linteum.
Linteum quippe mortificationis indicium est. Quoniam igi-
tur mors Dominicæ passionis non humanæ naturæ lege, sed
propriæ voluntatis subitur arbitrio, quasi linteum dicitur.
Mortuus enim secundum carnem, non est secundum spiri- *Psal. 15.*
tum mortuus: quia nec derelicta est anima eius in inferno,
nec caro eius vidit corruptionem. Et rursus: Nemò (inquit) *Ioan. 10.*
tollet animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Po-
testatem habeo ponere eam, & potestatem iterum habeo su-
mere eam. In hoc itaque euangeliorum vase cælitus destina-
to, id est à Spiritu sancto perscripto, omnes gentes quæ quon-
dam extra legis obseruantiam positæ habebantur immundæ,
per credulitatem fidei confluentes, vt ab idolorum cultu salu-
briter *immolentur, atque ad salutarem escam proficiant, Pe- *auertantur,
tro purificante voce Dominica deferuntur. Hora verò nona *Nonæ horæ*
inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione *sacramentum.*
sui splendoris extinxit, portasque eius æreas effringens, ac
seras ferreas conterens, captiuitatem sanctorum quæ clausa
tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam trans-
uexit secum ad cælos: igneaque rhomphæa summota, anti-
quum incolam paradiso pia confessione restituit. Eadem quo- *Actor. 10.*
que hora Cornelius centurio in precibus solita deuotione
persistens, commemorationem orationum & eleemosynarum
suarum ante Dominum factam, angelo sibi colloquente co-
gnoscit, palamque ei hora nona vocationis gentium sacra-
menta panduntur, quæ Petro in excessu mentis hora sexta
fuerant reuelata. Alio quoque loco de eodem tempore in
actibus Apostolorum ita narratur: Petrus autem & Ioannes *Act. 3.*
ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Qui-
bus liquidò comprobatur, non immeritò à sanctis & aposto-
licis viris has horas religiosis obsequiis consecratas, à nobis
quoque obseruari similiter oportere: qui nisi velut lege qua-
dam soluere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus
adigamur, totum diei spatium obliuione aut desidia vel oc- * interpola-
cupationibus inuoluti, absque orationis *interpellatione con- tione
sumimus. De vespertinis autem sacrificiis quid dicendum *Vespertinæ*
est, quæ iugiter offerri etiam in veteri testamento lege Mo- *preces quor-*
saica sanciuntur? Holocausta enim matutina & sacrificia ves- *sum institutæ.*
pertina cunctis diebus in templo, licet figuralibus hostiis, *Numer. 28.*
etiam ex eo probare possumus indesinenter oblata, quod à
Dauid canitur, Dirigatur oratio mea sicut incensum in con- *Psalm. 140.*
spectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vesper-
tinum.

Christum in cœna nouissima, sacrificium obtulisse. tinum. Quo in loco de illo quoque vero sacrificio vespertino sacratius intelligi potest, quod vel vespere à Domino Saluatore cœnantibus Apostolis traditur, cùm initiaret ecclesiæ sacrosancta mysteria: vel quòd ipse die postero sacrificium vespertinum in fine scilicet seculorum eleuatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est patri. Quæ extensio manuum eius in patibulo satis propriè eleuatio nuncupatur. Omnes enim nos in inferno iacentes, eleuauit ad cælos, secundum promissionis eius sententiam, dicentis:

Ioan. 14. Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. De matutina verò sollemnitate etiam illud nos instruit, quod

Psal. 62. in ipsa quotidie decantari solet, Deus Deus meus ad te de

Ibidem. luce vigilo. Et: In matutinis meditabor in te. Et: Præueni in

Psal. 118. maturitate & clamaui. Et rursum: Præuenerunt oculi mei

Ibidem. ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. In his quoque horis

Matth. 20. etiam ille euangelicus paterfamilias operarios conduxit in vineam suam. Ita enim & ille primo mane conduxisse describitur: quod tempus designat matutinam nostram sollemnitatem: deinde tertia, inde sexta, post hæc nona, ad extremum vndecima, in qua lucernaris hora signatur.

Matutinam, quam nos primæ horæ sollemnitatem appellamus, non antiqua traditione statutam, sed nostro tempore adinuentam esse. Cap. IIII.

SCiendum tamen hanc matutinam quæ nunc obseruatur in occiduis vel maximè regionibus, canonicam functionem nostro tempore in nostro quoque monasterio primitus institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus natus ex virgine humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam sua gratia confirmauit. Vsque ad illud enim tempus hac sollemnitate matutina, (quæ expletis nocturnis psalmis & orationibus post modicum temporis interuallum solet in Galliæ monasteriis celebrari) cum quotidianis vigiliis paritur consummata, reliquas horas refectioni corporum deputatas à maioribus nostris inuenimus. Verùm cùm hac abutentes indulgentia, negligentiores quique indutias somni longiùs protelarent: quippe quos vel *cellas progredi, vel de suis stratis consurgere ante horam tertiam nulla conuentus vllius necessitas inuitaret, & cum operationis iactura tempore quoque diei quo non nullis oportebat officiis inhærere, soporis nimietate torperent, in his præsertim diebus quibus à vespertinis horis excubias vsque ad auroræ viciniam celebrantibus nascebatur onerosior lassitudo, quorundam illic fratrum feruentium

* cella, vel de cellis

uentium ſpiritu quibus hoc negligentiæ genus haud leuiter diſpliceret, ad Seniores querela delata, decretum eſt ab eis diutino tractatu & conſultatione ſollicita, vt vſque ad ſolis ortum, quo iam ſine offenſione vel lectio parari, vel opus manuum poſſet aſſumi, feſſis corporibus refectione conceſſa, inuitati poſt hæc religionis huius obſeruantia cuncti pariter è ſuis ſtratis conſurgerent: ac tribus pſalmis & orationibus celebratis, ſecundum modum qui antiquitùs in obſeruatione tertiæ vel ſextæ, trinæ confeſſionis exemplo ſtatutus eſt, & ſomno deinceps finem, & initium operationi æquali ſimul moderamine facerent. Qui typus licet ex occaſione videatur inuentus, & recenti memoria pro cauſa quam diximus ſtatutus appareat, tamen illum numerum quem deſignat beatus Dauid, quanquam ſpiritalem quoque habeat intellectum, ſecundum literam manifeſtiſſimè ſupplet: Septies in die lau- *Pſal.* 118.
dem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Hac enim adiecta ſollemnitate, ſepties ſine dubio ſpiritales hos cõuentus in die facientes, ſepties in ea laudes Domino dicere comprobamur. Denique cùm hic idem typus de Oriente procedens hucuſque fuerit vtiliſſimè propagatus, in nonnullis nunc vſque per Orientem antiquiſſimis monaſteriis, quæ nequaquàm vetuſtiſſimas regulas patrum violari patiuntur, minimè videtur admiſſus.

Quòd poſt matutinas orationes ad ſomnum reuerti non oporteat.

CAP. V.

CVius ſollemnitatis ratio cur ſtatuta ſit vel inuenta in hac prouincia, nonnulli ignorantes, expletis matutinis hymnis iterum reuertuntur ad ſomnum, in illam cauſam nihilominus incidentes ob quam compeſcendam hæc à Senioribus noſtris ſollemnitas inſtituta eſt. Illa namque hora eam conſummare feſtinant, qua negligentioribus minúſque ſollicitis rurſum dormiendi reddatur occaſio. Quod omnimodis fieri non oportet, ſicut in libello ſuperiori deſcribentes Aegyptiorum ſynaxim plenius expoſuimus, ne purificationem noſtram confeſſione ſupplici & antelucanis orationibus acquiſitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium pollúat, vel illuſio corrumpat inimici, vel certè intercedens etiam puri ac ſimplicis ſomni refectio interrumpat ſpiritus noſtri feruorem, ac tepefactos ſomni torpore per totum diei ſpatium inertes deinceps ignauóſque traducat. Quod Aegyptij ne incurrant equidem cùm ſoleant certis temporibus etiam ante gallorum cantum conſurgere, miſſa canonica celebrata vſque ad lucem poſt hæc vigilias extendunt,

dunt, vt eos superueniens lux matutina in hoc feruore spiritus reperiat constitutos, ac per totum diei tempus feruentiores sollicitioresque custodiat, præparatos eos suscipiens ad conflictum & contra diurnam diaboli colluctationem, nocturnarum exercitio vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos.

Quòd nihil sit à Senioribus immutatum de antiquo ordine psalmorum cùm matutina statueretur sollemnitas.

CAP. VI.

ILlud quoque nosse debemus nihil à Senioribus nostris qui hanc eandem matutinam sollemnitatem addi debere censuerunt, de antiqua psalmorum consuetudine immutatum: sed eodem ordine missam quo prius in nocturnis conuentibus perpetuò celebratam. Etenim hymnos quos in hac regione ad matutinam *excepere sollemnitatem, in fine nocturnarum vigiliarum quas post gallorum cantum ante auroram finire solent similiter hodieque decantant, id est centesimum quadragesimum octauum psalmum, cuius initium est, Laudate Dominum de cælis, & reliquos qui sequuntur; quinquagesimum verò psalmum & sexagesimum secundum & octogesimum nonum huic nouellæ sollemnitati nouimus fuisse deputatos. Denique per Italiam hodieque consummatis matutinalibus hymnis quinquagesimus psalmus in vniuersis ecclesiis canitur, quod non aliunde quàm exinde tractum esse non dubito.

* excerpere

Quòd ei qui ad diurnam orationem antequàm primus finiatur psalmus non occurrerit, oratorium introire non liceat: in nocturnis autem vsque ad finem secundi psalmi veniabilis mora sit.

CAP. VII.

IS verò qui in tertia, sexta vel nona priusquam psalmus cœptus finiatur, ad orationem non occurrerit, vlterius oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus: sed congregationis missam stans pro foribus præstolatur donec egredientibus cunctis, submissa in terram pœnitentia negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam, sciens nequaquam se posse desidiæ suæ noxam aliter expiare; sed ne in ea quidem quæ post tres horas erit secutura sollemnitas admittendum, nisi pro negligentia præsenti confestim vera humilitate subnixiùs satisfacere festinauerit. In nocturnis verò conuenticulis vsque ad secundum psalmum præbetur tardanti dilatio, ita dumtaxat vt antequam finito eodem psalmo fratres in oratione procumbant, semetipsum congregationi

gationi inſerere atque admiſcere feſtinet, eidem proculdubio increpationi ac pœnitentiæ quam prædiximus ſubiiciẽdus, ſi vltra præſtitutam dilationis horam vel modicum tardauerit.

Vigiliæ quæ à veſpera illuceſcente ſabbato celebrantur, quem temporis modum teneant vel quo ordine celebrentur.

CAP. VIII.

SAnè vigilias quæ ſingulis hebdomadibus à veſpera illuceſcente ſabbato celebrantur, idcirco Seniores hiemali tempore quo noctes ſunt longiores vſque ad quartum gallorum cantum per monaſteria moderantur, vt poſt excubias totius noctis reliquis duabus fermè horis reficientes corpora ſua, nequaquàm per totum diei ſpatium ſomni torpore marceſcant, requie breuis huius temporis pro totius noctis refectione contenti. Quod nos quoque omni obſeruatione cuſtodire conueniet, vt ſcilicet contenti ſomno qui nobis poſt vigiliarum miſſam vſque ad lucis indulgetur aduentum, id eſt vſque ad matutinos pſalmos, totum deinceps diem in opere ac neceſſariis ducamus officiis, ne ſomnum quem nocti ſubtraximus, reſumere per diem vigiliarum laſſitudine & inanitate compulſi, non tam requiem corpori ſubtraxiſſe, quàm quietis tempus & refectionem nocturnam commutaſſe videamur. Nullatenus enim poterit fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, vt per conſequentem diem ſine dormitatione mentis animique torpore inconcuſſam poſſit ſeruare vigilantiam. Quæ impedietur ex hoc potius quàm iuuabitur, niſi poſt vigiliarum miſſam ſomni quantulumcunque guſtauerit. Et idcirco ſaltem vnius horæ ſopor, quemadmodum diximus, ante lucis aduentum ſi fuerit impartitus, lucrabimur omnes vigiliarũ horas quas tota nocte in oratione conſumpſimus, impartiẽtes naturæ quod ſuum eſt, nec habẽtes neceſſitatẽ reſumendi per diem quod nocti ſubtraximus. Totum enim carni huic proculdubio reddet, quiſquis ei non rationabiliter partem ſubtrahere, ſed totum tentauerit denegare, &, vt verius dixerim, non ſuperflua ſed neceſſaria voluerit amputare. Propter quod maiore fœnore neceſſe eſt vigilias compenſari, ſi fuerint vſque ad lucem inconſiderata atque irrationabili nimietate protractæ. Ideoque eas tripartitis diſtinguunt officiis, vt labor hac diuerſitate diuiſus, delectatione quadam defectionem corporis releuet. Nam cùm ſtantes antiphonas tres concinuerunt, humi poſt hæc vel ſedilibus humillimis inſidentes, tres pſalmos vno modulante reſpondent, qui tamẽ ſinguli à ſingulis fratribus viciſſim ſuccedentibus ſibi præbentur, atque his ſub eadem quiete reſidentibus

ternas adiiciunt lectiones. Itaq; fit vt corporeum minuentes laborem vigilias suas maiore intentione mentis exerceant.

Quare illucescente die sabbathi vigiliæ statutæ sint, & quare per omnem Orientem absolutio ieiunij in die sabbatho præsumatur.

CAP. IX.

QVas à tempore prædicationis apostolicæ, quo religio ac fides Christiana fundata est per vniuersum Orientem, idcirco statutum est illucescente sabbatho debere celebrari, quòd Domino & Saluatore nostro sexta sabbathi crucifixo, discipuli adhuc recenti eius passione perculsi, peruigiles totâ nocte manserunt, nullatenus quietis somnum oculis suis indulgentes. Quamobrem ex illo tempore huic nocti deputata vigiliarum sollemnitas vsq; in hodiernum diem per vniuersum Orientem similiter obseruatur. Ideóque & absolutio ieiunij post vigiliarum laborem, totidem apostolicis viris in die sabbathi statuta, non immeritò præsumitur per vniuersas Orientis ecclesias, secundum illam quoque Ecclesiastis sententiam, quæ licet habeat & alium mysticum sensum, tamen ab hoc quoque non abhorret, quo vtrique diei, id est, hebdomadi pariter & ogdoadi eandem partem sollemnitatis impartire præcipimur, ita dicentis, Da partem his septem, &
Ecclesiast. 11. quidem his octo. Non enim ad communionem festiuitatis Iudaicæ absolutio ista ieiunij reputanda est, his præsertim qui ab omni Iudaica superstitione alieni monstrantur, sed ad refectionem quam diximus lassi corporis pertinere: quod per totas anni septimanas iugiter quinis diebus ieiunans, nisi duobus saltem interpositis refocillatum fuerit, facilè lassescit ac deficit.

Vnde factum sit vt in Vrbe die sabbathi ieiunetur.

CAPVT X.

CVius moderaminis causam nonnulli in quibusdam Occidentalibus ciuitatibus ignorantes, & maximè in Vrbe,
*ieiunij idcirco putãt absolutionẽ *sabbathi minimè debere præsumi,
Actor. 8. quòd apostolum Petrum in eodem die contra Simonem conflictaturum asserãt ieiunasse. Ex quo magis apparet hoc eum non consuetudine canonica fecisse, sed præsentis potius necessitate conflictus. Siquidem & ibi pro hac eadem re non generale, sed speciale videatur Petrus discipulis suis ieiunium indixisse. Quod vtique non fecisset, si scisset illud canonica consuetudine solere seruari: idem proculdubio etiam Dominico die paratus indicere, si certaminis ipsius in eum compegisset occasio, nec tamen ex hoc statim canonica fuisset ieiunij re-

nij regula promulganda: quod non generalis obſeruatio ſtatuerat, ſed vt ſemel fieret ratio neceſſitatis extorſerat.

In quo Dominicæ diei ſollemnitas ab aliorum dierum conſuetudine diuerſa teneatur. CAP. XI.

VErùm ne hoc quidem ignorãdum, die Dominico vnam tantummodo miſſam ante prandium celebrari: in qua pſalmorum atque orationum ſeu lectionum pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia ſollemnius aliquid ac propenſius impendentes, in ipſa tertiam ſextamque pariter conſummatam reputant. Itaque fit vt de orationum obſequiis nihil imminuatur, adiectione ſcilicet lectionum: & nihilominus differentia quædam vel remiſſio videatur fratribus indulgeri pro reuerentia dominicæ reſurrectionis præ cętero tempore, quæ & totius ſeptimanæ videatur obſeruãtiam relaxare, & pro hac ipſa quæ intermiſcetur quãdam differentia eũdem diem velut feſtiuum prouocet rurſum ſollemnius expectari, minuſque faciat hebdomadis vẽturæ ieiunia huius expectatione ſentiri. Semper enim æquanimius quælibet fatigatio ſuſtinetur: & ſine faſtidio labor impenditur: ſi interiecta ei viciſſitudo quędam vel operis immutatio qualiſcumq; ſuccedat.

Quibus diebus cùm cœna fratribus exhibetur, accedentibus ad refectionem pſalmus non dicatur, ſicut fieri in prandiis ſolet.

CAPVT XII.

DEnique etiam in ipſis diebus, id eſt ſabbatho vel Dominica ſeu feriatis temporibus quibus pariter prandium & cœna ſolet fratribus exhiberi, pſalmus ad veſperam non dicitur: id eſt nec cùm accedunt ad cœnam, nec cùm ab ea conſurgunt, vt ſolet fieri in ſollemnibus prandiis, vel canonica ieiuniorũ refectione, quam & præcedere conſuetudinarij pſalmi ſolent & ſubſequi: ſed tantummodo ſimplici oratione facta accedunt ad cœnam, eamque rurſum cõſurgentes ab ipſa ſola oratione concludunt, quòd ſcilicet extraordinaria ſit inter monachos iſta refectio, nec omnes ad eam conuenire cogãtur, niſi aut peregrini qui ſuperuenerint fratres, aut hi quos infirmitas corporis aut propria inuitat voluntas,

Libri tertij Inſtitutionum finis.

LIBER

DE INSTITVTIS RENVNCIANTIVM.

CAPVT I.



DE canonico modo psalmorum atque orationum qui debeat in diurnis conuenticulis per monasteria custodiri, ad institutionem eius qui renunciat huic mundo, narrationis nos ordine prouocante transimus, condiciones in primis quibus hi qui ad Dominum conuerti cupiunt recipiantur in cœnobiis breui quantum possumus studentes sermone complecti, quædam scilicet de Aegyptiorum, quædam de Tabenensiotarum regulis admiscentes quorum in Thebaide est cœnobium, quanto numero populosius cunctis, tanto conuersationis rigore districtius. Siquidem in eo plusquàm quinque milia fratrum sub vno Abbate reguntur, tantaque fit obedientia hic tam prolixus monachorum numerus omni æuo Seniori suo subditus, quanta non potest apud nos vnus vni vel obedire pro modico tempore vel præesse.

Tabenensiotarum monachorum obedietia.

Quòd ad vltimam vsque senectutem apud eos in cœnobiis perseuerent. CAP. II.

QVorum tam longa perseuerantia & humilitas atque subiectio quemadmodum tam diuturna perduret, quáue institutione formetur, per quam vsque ad incuruam senectam in cœnobio perseuerent, opinor nos ante omnia debere perstringere: Tanta namque est, quantam neminem in monasteriis nostris ingressum ne anno quidem integro tenuisse meminimus, vt cum renunciationis eorum primordia viderimus, consequens fuisse intelligamus vt in tam sublimia perfectionis fastigia talium initiorum fundamenta consurgerent.

Quo examine probetur qui in cœnobio suscipiendus est. CAP. III.

IGitur ambiens quis intra cœnobij recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quàm diebus decē vel eo amplius pro foribus excubans, indicium perseuerātiæ ac desiderij sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstrauerit. Cumq; omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus atq; despectus, tanquam qui non

non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare: iniuriis quoque & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ, qualísque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declarauerit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus: diligentia summa perquiritur ne de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum sub monasterij disciplina diuturnum esse non posse, sed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa cœnobij paupertate ac districtione contentum fore, si in conscientia eius pecuniæ quantulumcumque latitauerit: sed vbi primùm exorta fuerit qualibet occasione commotio, fiducia stipis illius animatum, continuò de monasterio velut funda rotante fugiturum.

Proprietatis peccatum in monacho perniciosissimum.

Cur facultates eius qui collegio monachorum adscribitur, nolint monasterij vsibus applicari. CAP. IIII.

ET idcirco ne vsibus quidem cœnobij profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescunt. Primum ne confidentia huius oblationis inflatus, nequaquàm se pauperioribus fratribus coæquare dignetur; tum ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Christi descendens, cùm sub disciplina cœnobij non potuerit perdurare, egressus exinde ea quæ in principio renunciationis suæ spiritali feruore succensus intulerat, tepefactus postea non sine iniuria monasterij sacrilego spiritu recipere atque exigere moliatur. Quod omnimodis obseruari debere, multis sunt experimẽtis frequenter edocti. Nam per alia minus cauta monasteria simpliciter quidam suscepti, eorum quæ intulerant, quæque in Dei opere fuerant dispensata, cum ingenti pòst blasphemia redibitionem poscere tentauerunt.

Cur hi qui renunciant suscepti in monasteriis propria vestimenta deponant, & ab Abbate aliis induantur. CAP. V.

QVamobrem ita nudatur quisque cùm receptus fuerit omni pristina facultate, vt ne ipsum quidem quo opertus est indumentum habere permittatur vlterius, sed in concilio fratrum productus in mediũ exuatur propriis, ac per manus Abbatis induatur monasterij vestimentis, vt per hoc se non solùm vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatũ, verumetiam omni fastu deposito mundiali, ad Christi paupertatem & inopiam descendisse, iamq; opibus sustentãdum non seculi arte quęsitis, nec de infidelitate pristina reseruatis; sed de sanctis ac piis monasterij largitionibus militiæ suæ stipẽdia percepturum, atque inde se deinceps vestiendum alendumque

cognoscens, & nihil habere, & nihilominus de crastino nõ esse
Matth. 6. sollicitus secundum euangelij discat sentẽtiam, nec erubescat pauperibus, id est, corpori fraternitatis æquari, quibus connumerari Christus & quorum se fratrem non erubuit nuncupare: quin potius glorietur domesticis eius factũ se esse consortẽ.

Qua de causa vestimenta renunciantium cum quibus ingressi sunt monasterium à dispensatore seruentur. CAP. VI.

ILla verò quæ deposuit vestimenta œconomo consignata tamdiu reseruantur, donec profectus & cõuersationis eius ac tolerantiæ virtutem diuersis tentationibus ac probationibus euidenter agnoscant. Et si quidem posse eum inibi perdurare tempore procedente perspexerint, & in eodem quo cœpit feruore persistere, indigentibus eadem largiuntur: Sin verò quoddam ex eo murmurationis vitium, vel paruæ cuiuslibet inobedientiæ culpã processisse deprehenderint, exuentes eum monasterij quibus indutus fuerat vestimentis, & antiquis reuestitum quæ fuerant sequestrata, depellunt. Nullum etenim fas est cum illis quæ accepit abscedere, nec quemquam patiũtur illis adhuc indui, quem semel ab institutionis suæ regula tepuisse peruiderint. Vnde etiam copia nulli penitùs palam discedendi conceditur, nisi aut in morem serũi fugacis captãs densissimas tenebras nocte diffugiat; aut certè hoc ordine & professione iudicatus indignus, cum cõfusione & nota coram cunctis fratribus deposita veste monasterij expellatur.

Cur in monasterio suscepti non permittantur statim congregationi fratrum commisceri, sed xenodochio antè tradantur.

CAP. VII.

CVm igitur quis susceptus, & hac perseuerantia quam diximus comprobatus, ac depositis propriis vestimẽtis habitu monasteriali fuerit accinctus; nõ statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur Seniori qui seorsum haud longè à vestibulo monasterij commanens, habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit.
Annua probatio. Cumque ibidem integro anno deseruiens absque vlla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima institutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione pręcognitus, admiscendus ex hoc congregationi fratrum; alij traditur Seniori qui decem iunioribus præest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat: secundum illud scilicet quod ordinatum in Exodo legimus per Moysen.

Quibus

Quibus primum institutis iuniores exerceantur: ut ad superandas omnes concupiscentias proficiant. CAP. VIII.

CVius hęc erit sollicitudo & eruditio principalis, per quam iunior introductus ascendere cõsequenter etiam culmina perfectionis summa præualeat, vt doceat eũ primitùs suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti, tradũt monachum & maximè iuniores ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates. Ideoq; pronunciant nullatenus præualere vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatẽ perpetuam, nec firmam diuturnamque posse retinere concordiam, sed nec in cœnobio quidem diutius permanere eum qui prius voluntates suas non didicerit superare.

Quare iunioribus imperetur, ut Seniori suo nihil de cogitationibus suis subtrahant. CAP. IX.

HIs igitur institutis eos quos initiant velut elemẽtis quibusdam ac syllabis imbuere ad perfectionem atque informare festinant, per hæc ad liquidum discernentes, vtrum ficta & imaginaria, an vera sint humilitate fundati. Ad quod vt facilè valeant peruenire, consequẽter instituũtur nullas penitùs cogitationes prurientes in corde, perniciosa confusione celare, sed confestim vt exortæ fuerint, eas suo patefacere Seniori: nec super earum iudicio quicquam suæ discretioni cõmittere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronunciauerit Senioris examen. Ita fit vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus velut inexpertum ignarumq; præualeat, nec vlla fraude decipere, quem præuidet non sua, sed Senioris discretione muniri, & suggestiones suas velut ignita iacula quæcumq; in cor eius iniecerit, vt Seniorem celet non posse suaderi. Aliter quippe subtilissimus diabolus illudere vel deiicere iuniorem non poterit, nisi cùm eum seu per arrogantiam, siue per verecũdiam ad cogitationum suarum velamen illexerit. Generale namque & euidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronunciant, si eam Seniori confundamur aperire.

Quanta iuniorum obedientia, etiam in his quæ naturali necessitati subiecta sunt. CAP. X.

POst hæc tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia vel permissu non

solùm non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua authoritate præsumant. Sicque vniuersa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cælitùs edita sine vlla discussione festinant; vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea aut consummare nitantur: & ne impossibilitatem quidem præcepti pro Senioris sui reuerentia metiantur. De quorum obedientia speciatim nunc dicere prætermitto. Exemplis enim eam ipsis paulò post tradere suo loco disponimus: si Dominus nobis orationibus vestris dederit commeatum. Nunc instituta cętera prosequamur, prætermittentes illa contexere quæ in hac regione vel tradi monasteriis, vel ab ipsis nequeunt custodiri, sicut in præfatiuncula nostra facturos nos esse promisimus; quòd scilicet nec laneis indumentis vtantur, sed lineis tantum, & ne ipsis quidem duplicibus: quibus vicaria prępositus vnusquisq; suæ decaniæ subministrat, cùm illa quibus vestiti sunt sorduisse conspexerit.

Lineis vtuntur indumẽtis, non laneis.

Cuiusmodi cibus apud eos delicatissimus habeatur.

CAPVT XI.

ILlud quoque arduum atque sublime genus continentiæ similiter prætermittens, in qua summæ reputantur deliciæ si herba sale condita quam * lapsanium vocant aqua diluta ad refectionem fratribus apponatur, aliaque complura his similia; quæ in hac prouincia nec aërum temperies, nec qualitas nostræ fragilitatis admittit, illa tantummodo prosequar, quæ nulla carnis infirmitas, non situs loci poterit impedire: si ea non fragilitas animæ ac tepor mentis ademerit.

* lapsamum *vel* lasamum

Quòd ad sonitum pulsantis ostium nihil operis non omittant studio celeriter accurrendi. CAP. XII.

ITaque considentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi studium pariter impendentes, cùm sonitum pulsantis ostium ac diuersorum cellulas percutientis audierint: ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus suis vnusquisq; prorũpit: ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam finire non audeat, sed in eodem pũcto quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem moræ interponat quãtum cœpti apicis consummet effigiem, sed imperfectas literæ lineas derelinquẽs, non tam operis cõpendia lucráve sectetur, quàm obedientiæ virtutẽ exequi toto studio atq; æmulatione festinet. Quam non solùm operi manuum,

nuum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ, verumetiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia postponenda, & vniuersa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violasse videantur.

Quàm criminosum habeatur, si aliquid vel vilissimum quispiam suum dixerit. CAP. XIII.

ILlam sanè virtutem inter cæteras eorum institutiones vel commemorare superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarē sportellam liceat possidere, nec tale aliquid quod velut propriū retinēs suo debeat communire signaculo. Quos ita nouimus omni ex parte nudos existere, vt præter colobium, mafortem, caligas, melotē, ac psiathium, nihil amplius habeant: cùm in aliis quoq; monasteriis in quibus aliqua remissiùs indulgentur, hanc regulam videamus strictissimè nunc vsq; seruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnumq́; sit crimen ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, proq̀ue hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore eius effugerit.

Quòd licet multa pecunia de vniuscuiusque opere congeratur, nullus tamen præsumat excedere statutæ sufficientiæ parcitatem.

CAPVT XIIII.

ET cùm tantos vnusquisque eorum quotidie de opere ac sudore proprio redditus cōferat monasterio, vt ex his sustentare non solùm suam valeat parcitatē, verumetiam vsibus possit exuberare multorum: in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui quæstu ac sudore blanditur: sed præter duo paximacia quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius vnusquisq; præsumit. Inter quos nullum peculiare opus, (quod pudet dicere, quodq́; in nostris monasteriis vtinam fieri nesciremus) non dicam effectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo penitùs affectatur. Cumq̀ue totam enthecam cœnobij suam credat esse substantiam, cunctisq̀ue rebus vt omnium dominus omnem curam sollicitudinemq́; dependat, ad retinendam nihilominus arreptæ nuditatis virtutem, quam studet ad finem vsq; perfectè atq; inuiolabiliter custodire, ita semetipsum à cūctis extraneum, & ex omnibus iudicat alienum, vt tāquam peregrinum se gerat, & incolam istius mundi, alumnumq̀ue se potius monasterij reputet, ac ministrum quàm dominum cuiuscumque rei præsumat.

De immodico apud nos studio habendi. CAP. XV.

AD hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac sub Abbatis cura & sollicitudine constituti, peculiares circumferimus claues, omniq; professionis nostræ verecundia & confusione calcata, etiam anulos quibus recondita præsignemus, in digitis palam gestare nos non pudet, quibus non solùm cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de seculo reseruauimus, condenda sufficiunt. Quique ita nõnumquam pro vilissimis nullisque rebus accendimur, eas dumtaxat velut proprias vendicantes, vt si quis vel digito quicquam ex his contrectare præsumpserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, vt commotionem cordis nostri ne à labiis quidem ac tota corporis indignatione reuocare possimus. Sed prætermissis nostris vitiis, & his quæ nec commemorari quidem dignum est silentio traditis, secundum illud eloquium, Non loquatur os meum opera hominum, virtutes potius quæ apud illos sunt, & hæc quæ nos quoque omni studio debemus appetere, cœpto narrationis ordine prosequamur, ipsasque iam regulas ac typos cursim breuiterque ponamus, vt peruenientes post hæc ad quosdam actus & opera Seniorum quæ studiosè memoriæ mandare disponimus, hæc quæ nostra expositione digesta sunt velut testimoniis validissimis roboremus, vniuersa quæ diximus exemplis eorum potius ac vitæ authoritate firmantes.

Psal. 16.

De regulis diuersarum correptionum. CAP. XVI.

SI quis igitur gillonem fictilem quem baucalem nuncupãt, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam quàm publica diluet pœnitentia: cunctisq; in synaxi fratribus congregatis, tamdiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur sollemnitas, impetraturus eam cùm iussus fuerit Abbatis iudicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciet quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardius occurrerit, aut si decantans psalmum vel modicum titubauerit. Similiter si superfluo, si durius, si contumacius responderit, si negligentius obsequia iniuncta compleuerit, si vel leuiter murmurauerit, si lectionem operi vel obedientiæ præferens officia statuta segnius fuerit executus, si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinauerit, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis vspiam secesserit, si alterius tenuerit manum, si cum illo qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcumq; præsumpserit, si orauerit cum illo

qui

qui eſt ab oratione ſuſpenſus, ſi parētum quempiam vel ami corum ſecularium *viderit, vel collocutus eis ſine ſuo fuerit Seniore, ſi epiſtolam cuiuſcumque ſuſcipere, ſi reſcribere ſine Abbate ſuo tentauerit. Hucuſque & in huiuſmodi ac ſimilibus admiſſis, procedit animaduerſio ſpiritalis. Reſidua verò quæ apud nos indifferenter admiſſa, à nobis quoque reprehenſibilius ſuſtinentur, id eſt, aperta conuicia, manifeſti contemptus, cōtradictiones tumidæ, libera & effrenata proceſſio, familiaritas apud feminas, iræ, rixæ, ſimultates, & iurgia, operis peculiaris præſumptio, philargyriæ contagio, affectus atq; poſſeſſio rerum ſuperfluarum quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiua cibi refectio, & his ſimilia, non illa increpatione quam diximus ſpiritali, ſed vel plagis emendantur, vel expulſione purgantur.

* videre tentauerit,

Quibus authoribus ſit inuentum, vt reficientibus fratribus ſacræ lectiones in cœnobiis recitentur, & quantum apud Ægyptios præbeatur ſilentium. CAP. XVII.

ILlud autem, vt reficientibus fratribus ſacræ lectiones in cœnobiis recitentur, non de typo Aegyptiorum proceſſiſſe, ſed de Cappadocum nouerimus. Quos nulli dubium eſt non tam ſpiritalis exercitationis cauſa, quàm compeſcendæ ſuperfluæ otioſæq; confabulationis gratia, & maximè contentionum quæ plerumq; ſolent in conuiuijs generari, hoc ſtatuere voluiſſe, videntes eas aliter apud ſe non poſſe cohiberi. Apud Aegyptios enim vel maximè Tabenenſiotas tantū ſilentium ab omnibus exhibetur, vt cùm in vnum tanta numeroſitas fratrū refectionis obtentu conſederit, nullus nec mutire quidem audeat præter eum qui ſuæ decaniæ præeſt. Qui tamen ſi quid menſę ſuperinferri vel auferri neceſſarium eſſe peruiderit, ſonitu potius quàm voce ſignificat. Tantaq; veſcētibus eis ſilētij huius diſciplina ſeruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demiſſis (ne ſcilicet liber aſpectus habeat curioſius copiam euagandi) nihil amplius intueantur quàm menſam & appoſitos in ea vel quos ex ea capiunt cibos, ita vt quemadmodum vel quantum reficiat alius nullus inuicem notet.

Quàm illicitum ſit extra menſam communem quicquam cibi potúſue guſtare. CAP. XVIII.

ANtequàm vel poſtquàm legitimam communemq; refectionem percipiant, ſumma cautione ſeruatur ne extra menſam quicquam cibi penitus ori ſuo quiſquam indulgere præſumat, vt incedentibus per hortos & pomœria cùm paſſim blandeq; per arbores poma pendētia non ſolum obijciant ſe pectoribus tranſeūtium, verum etiā ſtrata per terram

conculcanda pedibus se offerant, atque ad colligendum parata facilè ad consensum concupiscentiæ illicere valeāt intuentes, & opportunitate vel copia quāuis districtos atq; abstinentissimos ad sui desiderium prouocare, sacrilegium ducatur non modò quicquam ex his degustare, verumetiam manu contingere, absq; eo quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum œconomi dispensatione per fratrum obsequia publicè ministratur.

Quemadmodum per Palæstinam vel Mesopotamiam quotidiana fratribus exhibeantur obsequia. CAP. XIX.

NE quid sanè de institutis cœnobiorum pretermisisse videamur, quemadmodum quotidiana fratribus etiam per alias regiones exhibeātur obsequia, cōmemorandum breuiter puto. Per cunctam namq; Mesopotamiā, Palęstinam, & Cappadociam, ac totū Orientem, singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedūt, ita vt secundum cœnobij multitudinem, ministrorum quoq; numerus deputetur. Quæ explere tāta deuotione & humilitate deproperāt, quanta nullus seruorum ditissimo domino ac præpotēti exhibet suum famulatum; ita vt ne istis quidē solis contenti obsequiis quę canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes, illos quos specialiter hæc manet cura, studio suo releuent, & ea quæ ab ipsis perficienda sunt, furtim præuenientes implere contendant. Has autem septimanas vnusquisque suscipiens, vsq; ad cœnam Dominici diei ministraturus obseruat. Qua peracta ministerium totius hebdomadis ita concluditur, vt hi quibus succedendum est, conuenientibus in vnū fratribus ad concinendos psalmos, quos quieturi ex more decātant, omnibus in ordine pedes lauēt, hanc scilicet ab eis pro labore totius septimanæ benedictionis mercedem fideliter expetentes, vt eos explentes mādatum Christi emissa generaliter ab omnibus fratribus oratio prosequatur: quæ vel pro ignorationibus intercedat, vel pro admissis humana fragilitate peccatis: & cōmendet Deo velut sacrificium pingue consummata eorū deuotionis obsequia. Et ita secunda sabbathi post matutinos hymnos aliis rursum succedentibus vtensilia in quibus ministrauerant, ac vasa consignant: quæ tanta sollicitudinę curaq; suscipientes custodiūt, ne quid ex eis imminuatur vel pereat, vt credant se etiam pro minimis quibusque vasis tamquā pro sacrosanctis rationem non solùm dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex eis negligentia eorum fuerit imminutum. Cuius disciplinę qui modus sit, vel quanta fide & cautione seruetur, vno testimonio, quod exēpli gratia

Summa in seruandis eduliis & vtensilibus fides.

gratia ponam, poteritis agnoscere. Sicut enim studemus satisfacere vestro feruori, quo plenam vniuersorum cognitionem desiderantes, etiam ea quę optimè nostis, hoc libello vobis cupitis iterari: ita veremur mensuram breuitatis excedere.

De tribus lenticulæ granis ab œconomo repertis.

CAPVT XX.

IN septimana cuiusdã fratris cùm pręteriẽs œconomus tria lenticulæ grana vidisset iacere in terra, quæ hebdomadario festinanti dum ea præparat coctioni inter manus cum aqua qua diluebantur elapsa sunt, confestim super hoc Abbatẽ consuluit: à quo velut interuersor neglectorq; sacri peculij iudicatus, ab oratione suspensus est. Cuius negligentię reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non solùm enim seipsos non esse suos, sed etiam omnia quæ sua sunt credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit in monasterio semel illatũ, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari. Tantaque fide vniuersa procurant atq; dispensant, vt etiam ea quæ despectui habẽtur paruaque reputantur ac vilia, si vel loco mouerint vel competentiùs collocauerint, si gillonem aqua impleuerint, si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, si tenuem festucam de oratorio cellâve submouerint, mercedem se cõsecuturos à Domino tota credulitate confidant.

De spontaneo quorundam fratrum ministerio. CAP. XXI.

NOuimus fratres, in quorum septimana cùm accidisset tanta lignorum penuria, vt non esset penitùs vnde soliti cibi fratribus pararentur, & donec possent coëmpta deferri, vt cruda comestione quæ dicitur xerophagia contenti essent, Abbatis fuisset authoritate pręceptum, essetque hoc vniuersis placitum, nec quisquam posset vllũ coctionis sperare pulmẽtum, illos velut qui fructu ac mercede sui laboris & obsequij fraudarentur, si in ordine vicis suæ cibos fratribus non secundum consuetudinem parauissent, tantum sibi spontanei operis ac sollicitudinis indixisse, vt in illis aridis ac sterilibus locis in quibus ligna nisi de fructiferis arboribus excidantur omnimodis nequeunt inueniri (nec enim, vt apud nos, vlla reperiũtur fruteta siluestria) per extenta auia discurrentes, & eremũ quæ versus mare mortuum tenditur obeũtes, festucas tenues ac spinulas quas ventus huc illucque disperserat, suo sinu & gremiis colligentes, cunctam sollemnitatem ciborum spontaneis obsequiis præpararent: ita vt de solita præbitione nihil paterentur imminui, tanta fide hæc sua munia fratribus exhibentes, vt etiam cùm illos honestè posset vel lignorum ex-

cusare penuria, vel Abbatis imperiũ, pro fructu suo atq; mercede noluerint hac abuti licentia.

De Aegyptiorum typo qui est super quotidianis fratrum statutus obsequijs. CAP. XXII.

HAec dicta sint secundum typum vt pręfati sumus totius Orientis: quem etiam in partibus nostris necessariò dicimus debere seruari. Cęterum apud Aegyptios quibus maxima cura est operis, nõ est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione huius officij omnes ab operis canone impediantur: sed vni probatissimo fratrum cellarij vel coquinæ cura committitur, qui perpetuo donec vires eius vel ætas admittit, iugiter opus istud exerceat. Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum vel coctionis impenditur, quippe qui maximè xerophagijs vel homophagijs vtuntur, & apud quos secta singulis mensibus porrorum folia, lapsania, sal frictum oliuæ, pisciculi minuti saliti, quos illi menominia vocãt, summa voluptas est.

De obedientia Abbatis Ioannis per quam vsque ad prophetiæ profectus est gratiam. CAP. XXIII.

ET quoniam hic liber de institutione est eius qui renunciat huic mundo, per quam scilicet introductus ad humilitatem veram & obedientiam perfectam cæterarum quoque virtutum culmina possit ascendere, necessarium reor quędam Seniorum gesta quibus per hanc enituere virtutem, exempli gratia, sicut promisimus explicare, de multis admodum pauca carpentes, vt studentibus sublimiora sectari, non solùm incitamentum ex his vitæ perfectæ, sed etiam propositi forma procedat. Quamobrem duos vel tres pro libelli huius compẽdio de tam innumera patrum multitudine proferentes ponemus. Primum Abbatem Ioannem qui commoratus est iuxta Lico, quod est opidum Thebaidis, quique propter obediẽtiæ virtutem vsque ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic vniuerso claruit orbi, vt etiam regibus mundi huius merito suo redderetur illustris. Nam cùm in extremis, vt diximus, Thebaidę partibus commaneret, non ante præsumebat Theodosius imperator ad præpotentium bella tyrannorum procedere, quàm oraculis illius animaretur atque responsis. Quibus confidens velut cælitùs sibi delatis, trophæa de bellis desperatis atque hostibus reportauit.

De ligno arido quod idem Abbas Ioannes ad arbitrium Senioris sui quasi adolendum rigare non destitit. CAP. XXIIII.

HIc itaque beatus Ioannes ab adolescentia sua vsque ad perfectam ac virilem ætatem Seniori suo deseruiẽs, donec

nec ille in huius vitæ conuersatione durauit, tanta humilitate inhæsit eius obsequiis, vt ipsi quoq; Seni stuporem summum obedientia eius incuteret. Cuius hanc virtutem vtrum de vera fide ac profunda cordis simplicitate descēderet, an affectaticia esset, & quodammodo coacticia, atque ad imperantis faciem præberetur, volens manifestiùs explorare, quamplura ei etiam superflua minusque necessaria vel impossibilia frequētiùs iniungebat. Ex quibus tria ponam, per quæ manifestari possit volentibus scire, vel mentis eius vel subiectionis integritas. Sumpsit namque de lignario suo Senex virgultũ, quod olim excisum vsibus foci fuerat pręparatum: dumque coctionis retardat occasio, non modò aridum, sed propè putre iacebat temporis vetustate. Cumq; hoc coram ipso fixisset in terrã, præcepit aduecta aqua quotidiè bis rigari, vt scilicet diurnis humoribus radicatum, atque in antiquam arborem reuiuiscens, diffusis ramis amœnitatem oculis atq; vmbraculum in æstu feruenti subter residentibus exhiberet. Quod præceptum veneratione solita sine vlla impossibilitatis cõsideratione suscipiens adolescens, ita quotidianis diebus expleuit, vt aquam per duo fermè milia indesinenter apportans, nullatenus lignum rigare cessaret, atq; per totum anni spatium non infirmitas corporis, nõ festiuitas sollemnitatis, non occupatio necessitatis vllius quæ illum etiam honestè excusaret ab executione mandati, non deniq; hiemis asperitas intercedens ab huius obseruatione præcepti potuerit impedire. Cumq; eius hanc sedulitatem tacitus Senex latenter diebus singulis exploraret, & videret eum simplici cordis affectu mãdatum suũ velut diuinitùs emissum sine vlla permutatione vultus vel rationis discussione seruare, sinceram humilitatis eius obedientiam comprobans, pariter etiam miserans tam longum laborem, quem per totum anni spatium studio deuotionis impenderat, ad virgultum aridum accedēs, ô, inquit, Ioãnes misit ne radices hæc arbor, an nõ? Cumq; ille se nescire dixisset, Senex velut inquirēs rei veritatē, & tãquam tentans vtrum iam suis radicibus niteretur, euulsit corã ipso leui cõmotione virgultũ, sicq; proiiciens illud, præcepit vt deinceps rigare desineret.

De proiecto ab Abbate Ioanne vase vnico olei ad Senioris imperium. CAP. XXV.

ITaque cùm huiusmodi exercitiis eruditus quotidiè iuuenis in hac parendi virtute succresceret, & humilitatis eius enitesceret gratia, atque obedientiæ suæ suauis odor per monasteria vniuersa fragraret, quidam fratrum probationis imò ædificationis obtētu venientes ad Senē, cùm subiectionē eius

quam

quam audierant mirarentur, vocans eum repentè Senex, ascẽde, ait, & sumens léticulam olei, quæ sola in eremo suis vel aduenientium vsibus liquorem pinguedinis tenuissimum ministrabat, deorsum proiice per fenestram. Quam ille cùm ad superiora concitus peruolasset, per fenestram proiiciens comminuendam dimisit ad terram, parũ cogitans vel retractans pręcepti ineptiam, diurnam necessitatem, infirmitatem corporis, penuriam sumptuum, eremi squalentis angustias ac difficultates, in qua etiam si pecunia suppeditaret, nihilominus perdita species inueniri repararique non posset.

Quemadmodum Abbas Ioannes suo obedierit Seniori cùm niteretur voluere prægrande saxum, quod ne à multis quidem possibile erat moueri. CAP. XXVI.

ALiis rursum ædificari cupientibus obedientię huius exẽplo, vocans eum Senior, curre, inquit, Ioannes, saxum illud huc aduolue quantocyus. Qui confestim saxum immane quod turbæ multæ hominũ vel mouere non possent, applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto nisu atq; conatu prouoluere contendebat, vt sudore omnium membrorũ suorum non solùm totum infunderet vestimentum, sed etiam saxum ipsum suis ceruicibus humectaret, in hoc quoque parum metiens impossibilitatem præcepti vel facti pro reuerẽtia Senioris & obsequij simplicitate sincera, qua credebat Senem tota fide nihil posse incassum ac sine ratione præcipere.

De humilitate & obedientia Abbatis Mucij quam in proiiciendo in fluuium paruulo filio ex præcepto Senioris non hæsitauit implere. CAPVT XXVII.

HVcusque Abbatis Ioannis pauca dixisse de multis sufficiat, nunc Abbatis Mucij factum memoria dignũ comprehendam. Hic namq; abrenũciare desiderans huic mundo, tam diu pro foribus monasterij excubans perdurauit, donec immobili perseuerãtia sua contra omnẽ consuetudinẽ cœnobiorũ cum filio suo paruulo, qui octo circiter erat annorũ, vt susciperetur eliceret. Cumq; tandẽ recepti fuissent, confestim non solùm diuersis præpositis traditi, verũetiam cellæ habitatione seiuncti sunt, ne scilicet iugi visione paruuli, reminisceretur pater ex omni sua quam renuncians abiecerat facultate atq; affectione carnali, saltem sibi filium superesse: & queãdmodum se iam diuitẽ non esse sciebat, ita etiam patrem se esse nesciret. Quod vt plenius probaretur, vtrũ videlicet plus faceret affectione sanguinis ac suorũ viscerũ charitate, an obedientia & mortificatione Christi, quam renũcians quisq; pro eius debet amore præferre, de industria negligebatur paruulus,

lus, pannis potius, quàm vestimentis indutus, sordibus quoq; ita obsitus ac fœdatus, vt offendere potius quàm delectare paternos oculos posset quoties ab eo fuisset aspectus: sed etiã colaphis atq; alapis expositus diuersorum, quas plerumq; sub obtutibus suis innocẽti paruulo etiam gratis cernebat infligi, ita vt numquam genas eius nisi lacrymarum sordentibus vestigiis videret infectas. Cumque taliter infans sub oculis eius per dies singulos ageretur, pro amore nihilominus Christi & obediẽtiæ virtute rigida semper atq; immobilia patris viscera permanserunt. Non enim iam reputabat suum filium, quem secum pariter obtulerat Christo: nec curabat de præsentibus eius iniuriis, sed potius exultabat quòd eas nequaquam infructuosè cernebat tolerari: parum cogitans de lacrymis eius, sed de propria humilitate ac perfectione sollicitus. Quam districtionem mentis illius atq; immobilẽ rigorem peruidens cœnobij Senior, ad comprobandã penitùs animi eius constantiã; cùm plorare quadã die vidisset infantem, simulãs se aduersus eum cõmotum pręcepit patri, vt tollẽs eum iactaret in flumẽ. Tunc ille velut à Domino sibi hoc præceptum esset, cõfestim celeri cursu rapiens filiũ, vlnis propriis vsq; ad oram fluminis aduexit iactaturus. Quod profectò feruore fidei & obediẽtiæ eius fuisset opere consummatũ, nisi procurati fuissent de industria fratres, qui sollicitè ripã fluminis obsiderẽt, proiectũq; iam & quodãmodo de fluminis alueo paruulum rapuissent: & consummationẽ præcepti obsequio patris ac deuotione completam, ab effectu operis atque ab ipso fine reuocassent.

Quemadmodũ reuelatum sit Abbati de patre Mucio opus eum Abrahæ fecisse: & quòd defuncto eidem Abbati idem pater Mucius in monasterij administrationem successerit. CAP. XXVIII.

CVius fides atque deuotio in tantum Deo fuit accepta, vt diuino statim testimonio cõprobata sit. Reuelatum nãq; est continuò Seniori, hac eum obedientia Abrahæ patriarchæ opus implesse. Cumque breui tempore transacto idem Abbas cœnobij de mundi huius commoratione migraret ad Dominum: hunc præponens cunctis fratribus successorem sibi atque Abbatem monasterio dereliquit.

Moribundus Abbas successorem sibi delegit.

De obedientia fratris qui decem sportas circumferens publicè distraxit ad Abbatis imperium. CAP. XXIX.

NOn tacebimus etiam nobis cognitum fratrem, secũdum seculi huius ordinem summę familiæ. Nam patre comite ac ditissimo oriundus fuit, studiis quoq; liberalibus nõ mediocriter institutus. Qui relictis parentibus cùm ad monasterium peruolasset ad comprobandam mentis humilitatem vel

fidei

fidei eius ardorem, confestim ei à Seniore præceptum est, vt decem sportas quas necesse non erat publicè venditari, ceruicibus suis onerans distrahēdas per plateas circumferret: adiecta condicione qua diutiùs in hoc officio retineretur, vt si fortè eas vnus pariter coëmere voluisset, nō cederet, sed singillatim eas quærentibus venundaret. Quod ille tota deuotione compleuit, & omni cōfusionis verecundia pro nomine ac desiderio Christi calcata, sportas humeris suis imponens pretio statuto distraxit, ac pecuniā ad monasterium reportauit, nequaquam perterritus tam vilis & insueti officij nouitate, nec considerans indignitatem rei, nataliumq; splendorem, ac venditionis iniuriam, dum illam Christi humilitatem quæ est vera nobilitas, per obedientiæ gratiam desiderat obtinere.

De Abbatis Pynufii humilitate, qui relicto cœnobio celeberrimo cui presbyter præerat, longinquum monasteriū, in quo velut incipiens susciperetur desiderio subiectionis expetijt. CAP. XXX.

COarctat nos libelli modus ad finē tendere, sed obediētiæ bonum quæ inter cæteras virtutes primatum tenet, non patitur nos eorum gesta qui per hanc claruerunt, penitùs silētio prętetire. Propter quod vtrumq; congruè temperantes, id est, tam breuitati quàm studiosorum desideriis atque vtilitatibus seruientes, vnum adhuc ponemus humilitatis exemplū, quod nō ab incipiente, sed à perfecto atq; Abbate completū, nō solùm iuniores instruere, sed etiam seniores ad perfectam humilitatis virtutem lectione sua poterit incitare. Vidimus itaque Abbatem Pynufium, qui cùm esset immanis cœnobij presbyter, quod est in Aegypto nō lōgè à Panephisi ciuitate, & pro ipsa reuerentia, vel vitæ suæ, vel ætatis, vel sacerdotij, cunctis honorabilis ac venerandus existeret, videns se pro hoc ipso humilitatem illā quam secundū suæ mentis ardorem cōcupierat, exercere nō posse, nec habere quo virtutem desideratę subiectionis extenderet, clam fugiens de cœnobio secessit solus in Thebaidos vltimas partes. Ibiq; deposito habitu monachorum, assumpta seculari veste cœnobium Tabenensiotarū expetiit, quod sciebat cunctis esse districtius, & in quo se vel pro longitudine regionis credidit ignorādum, vel pro magnitudine monasterij ac multitudine fratrū facilè posse celari. Vbi diutissimè pro foribus perseuerans, cūctorum fratrum genibus prouolutus, vt susciperetur summis precibus ambiuit. Cumque multo despectu tandē fuisset admissus, quòd scilicet decrepitus senex & qui omnē suam in seculo vitā peruixisset, ætate vltima ingredi cœnobium postularet, quo tempore iam ne deseruire quidem suis voluptatibus præualeret, ac ne hoc quidem

humilitas

quidem ipſum cauſa religionis expetere eum aſſererent, ſed famis & inopiæ neceſſitate conſtrictum, vt ſeni nulliq́ue operi penitùs apto, horti cura diligentiaq́ue mandatur. Quam ſub alio fratre iuniore qui eum ſibi creditum retinebat exercens, ſic eidem ſubdebatur tantaq; obedientia deſideratam humilitatis excolebat virtutem, vt nõ ſolùm ea quæ ad horti curam diligentiamq; pertinebant, verumetiam vniuerſa officia quæ cunctis erant aſpera vel indigna, atq; ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidiè ſedulitate compleret. Complura etiam nocte conſurgens ita furtim nullo teſte vel conſcio tenebris occulentibus efficiebat, vt penitùs authorem operis nemo deprehenderet. Cumq; ibidem triennio deliteſcens diſperſis per vniuerſam Aegyptũ vbiq; fratribus quæreretur, à quodã tandẽ viſus qui de Aegypti partibus cõmearat, vix potuit pro humilitate habit⁹ ſui ac vilitate officij quod gerebat, agnoſci. Nã ſarculo deorſum incuruus laxabat oleribus terrã, deinde ſtercus humeris ſuis aduectans eorũ radicibus ingerebat. Cumq; hæc intuens frater ſuper agnitione eius diutiſſima fuiſſet hæſitatione detentus, propiùs tandem accedens, & nõ ſolùm vultum, ſed etiam ſonum vocis diligẽter explorans, ad pedes eius cõminus procidiſſet, primò quidem ſuper hoc ſtuporem ſummum videntibus cunctis incuſſit, cur videlicet iſtud faceret ei qui apud ipſos velut nouitius ac de ſeculo nuper egreſſus habebatur extremus; pòſt verò miraculo ſunt maiore perculſi, cùm eius nomen quod apud ipſos quoque magna fuerat opinione compertum, protinus prodidiſſet. A quo vniuerſi fratres prioris ignorantiæ veniam poſtulantes, quòd eum videlicet tãto tempore inter iuniores ac paruulos deputaſſent, inuitum ac flentem quòd inuidia diaboli digna ſibi fuiſſet cõuerſatione atque humilitate fraudatus, quam diutiſſimè requiſitam tandem aliquando ſe inueniſſe gaudebat, nec meruiſſet vitam ſuam in illa quam arripuerat ſubiectione finire, ad proprium cœnobium reduxerunt, cuſtodientes eum ſumma diligentia, ne ab eis quoque ſimiliter quoquam dilapſus aufugeret.

Quemadmodum Abbas Pynufius reductus in monaſterium ſuum, & modico tempore ibidem commoratus, iterum fugerit in partes Syriæ. CAP. XXXI.

VBi cùm fuiſſet modico tempore demoratus, eodem rurſus humilitatis deſiderio atque ardore ſuccenſus, captans nocturna ſilentia ita diffugit, vt iam prouinciam nõ vicinam, ſed ignotas & alienas longeq́ue * diuiſas regiones expeteret. * poſitas Nam conſcendens nauem in Palæſtinæ partes commeare curauit, credẽs ſe tutiùs latitaturum, ſi ad illa ſemetipſum aſportaſſet

tasset loca, in quibus ne nomẽ quidem suum fuisset auditum. Quò cùm aduenisset, nostrum monasterium protinus expetiuit, quod non longè fuit à spelæo, in quo Dominus noster Iesus Christus ex virgine nasci dignatus est. In quo permodico tempore delitescens, secundum sententiam Domini tamquam ciuitas super montem posita, diutiùs abscondi non potuit. Nam continuò quidam fratrum qui ad loca sancta de Aegypti partibus orationis causa conuenerant, agnitum eum summa vi precum ad cœnobium suum reuocarunt.

Matth. 5.

Quæ præcepta dedit idem Abbas Pynufius fratri quem in suum monasterium recipiebat. CAP. XXXII.

HVnc igitur senem pro illa quæ nobis fuerat apud ipsum in monasterio nostro familiaritas, cùm post hæc in Aegypto studiosissimè requisissemus, exhortationem quam dedit fratri quem sub nostra præsentia in cœnobio suo recipiebat, quia puto ex hac posse aliquid instructionis accedere, animus est opusculo huic intexere. Nosti, ait, quot diebus pro foribus excubans, hodie sis receptus. Cuius difficultatis causam primitùs debes agnoscere. Poterit enim tibi in hac via quam ingredi cõcupiscis multum conferre, si ratione eius agnita ad Christi seruitium consequenter ac sicut oportet accesseris.

Quòd sicut magna remuneratio monacho debetur secundum institutionem patrum laboranti, ita & pœna similiter tribuatur, & idcirco non debeat quis facilè admitti in monasterio.

CAPVT XXXIII.

SIcut namq; immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundum institutionis huius regulam ei cohęrentibus repromittitur in futurũ, ita pœnæ grauissimæ præparantur his qui tepidè eam negligẽterq; fuerint executi, & secũdum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse credũtur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius est enim secundum scripturæ sententiam non vouere quemquam, quàm vouere & non reddere: Et, Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ideò igitur à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti, & his qui ad Christum cupiunt conuerti, etiam procul occurrere non optemus: sed ne temerè recipiẽtes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipsum reum grauioris supplicij faceremus, si ad præsens facilè susceptus, nec pondus professionis huius intelligens, vel destitutor post hæc, vel tepidus extitisses. Quamobrem ipsam causam abrenunciationis debes in primis agnoscere. Qua perspecta, quid te cõueniat agere ex eius ratione manifestiùs instruaris.

Ecclesiast. 5.
Ierem. 48.

Quòd

Quòd abrenunciatio nostra nihil sit aliud quàm mortificatio & imago crucifixi.

CAP. XXXIIII.

ABrenunciatio nihil est aliud quàm crucis ac mortificationis indiciū. Ideoque noueris hodierno die te huic mundo & actibus eius ac desideriis esse defunctū, teque secundum Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibique hūc mundum. Cōsidera ergo condiciones crucis sub cuius te deinceps, sacramēto oportet in hac luce versari, quia iā tu nō viuis, sed ille viuit in te qui est crucifixus pro te. Eo ergo habitu ac figura qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, vt scilicet secūdum Dauid affigentes de timore Domini carnes nostras, vniuersas volūtates ac desideria, non nostræ cōcupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis, Qui non accipit crucem suam & sequitur me, nō est me dignus. Sed fortè dicas: Quomodo potest homo crucem suam iugiter portare, vel quemadmodum viuens quis possit esse crucifixus? Audi rationem breuiter.

Galat. 6. *Galat. 2.* *Psal. 118.* *Matth. 10.*

Quòd crux nostra timor Domini sit.

CAP. XXXV.

CRux nostra timor Domini est: Sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi vel conuertendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras ac desideria non secūdum id quod nobis suaue est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini quo nos illa constrinxerit applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, nō de præsentibus dolet iniuriis, non præteritarū iam recordatur, seque cùm adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc pręmittēs sui cordis intuitum, quò se non dubitat ilico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verumetiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostrę defixos quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus vniuersas concupiscentias nostras, & affectus habere carnales.

Quòd renunciatio nostra nihil prosit si iisdem quibus renunciauimus implicemur.

CAP. XXXVI.

CAue ergo ne quid aliquando eorum resumas quæ renunciaris abiecisti, & contra Domini interdictum de agro euangelicæ operationis reuersus, inueniaris tunica tua qua te expoliaueras, reuestiri. neque ad humiles terrenasque mundi huius concupiscentias ac studia reuoluaris, & contra Christi mandatum de perfectionis tecto descendens, tollere aliquid præsumas ex his quæ abrenuncians abdicasti. Caue ne parentum, ne affectionis pristinæ recorderis, & ad curas huius sæculi sollicitudinesque reuocatus, secundum Saluatoris sententiam ponens manum tuam super aratrum & aspiciens retro, regno cælorum aptus esse non possis. Caue ne quando superbiam quam nunc incipiens ardore fidei ac plena humilitate calcasti, cùm cœperis psalmorum vel professionis huius quãdam notitiam degustare, paulatim elatus resuscitare mediteris, ac secundum Apostoli sententiã quæ destruxisti iterum reædificans præuaricatorem constituas temetipsum, sed potius vt in hac nuditate quam coram Deo & Angelis eius professus es ad finem vsque perdures. In hac quoque humilitate ac patientia, qua vt susciperesis in monasterio decẽ diebus pro foribus perseuerans multis lacrymis implorasti, non modò persistas, verumetiam proficias atque succrescas. Satis enim miserum est vt cùm debeas à rudimentis ac primordiis tuis prouehi & ad perfectionem tendere, etiam ab ipsis incipias ad inferiora recidere. Non enim qui cœperit hęc, sed qui perseuerauerit in his vsque ad finem, hic saluus erit.

Matth. 24. *Lucæ 9.* *Galat. 2.* *Professionem monasticã corã Deo & Angelis factã nulla ratione violandam esse.* *Matth. 10. & 24.*

Quòd diabolus nostro fini semper insidietur, & nos eius caput iugiter obseruare debeamus.

CAP. XXXVII.

Genes. 3.

VErsutus enim serpens calcanea nostra semper obseruat, id est, insidiatur exitui nostro, & vsque in finẽ vitæ nostræ nos supplantare conatur. Et idcirco bene cœpisse nihil proderit, nec pleno feruore renunciationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendauerit atque concluserit, Christique humilitas atque paupertas quam nunc coram ipso professus es vsque ad extremum vitæ quemadmodum arrepta est à te non fuerit custodita. Quod vt possis implere, tu eius capita, id est, cogitationum principia semper obserua, ad Seniorem scilicet mox ea deferens. Ita enim disces perniciosa eius initia conterere, si nihil ex eis Seniori tuo erubueris reuelare.

De

De renunciantis præparatione aduersum tentationes, & de paucis imitandis. CAP. XXXVIII.

QVapropter secundum scripturæ sententiam egressus ad seruiendum Domino, sta in timore Dei, & præpara animam tuam non ad requiem, non ad securitatem, non ad delicias, sed ad tentationes & angustias. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Angusta namque est porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Considera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi, & pusillus est grex, cui complacuit patri hæreditatem dare. Itaque non leue noueris esse peccatum, perfectionem professum quempiam ea quæ sunt imperfecta sectari. Ad quem perfectionis statum his gradibus atque hoc ordine peruenitur.

Eccli. 2. *Actor. 14.* *Matth. 20. & 22.* *Luca 12.*

Quo ordine ad perfectionem ascendere oporteat.

CAPVT XXXIX.

PRincipium nostræ salutis eiusdemque custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutũ custodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui cùm penetrauerit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione facultatum omnium, humilitas acquiritur. Humilitas verò his indiciis comprobatur: Primo, si mortificatas in se habeat omnes volũtates: Secũdo, si non solum actuum suorum, verumetiam cogitationum nihil suum celauerit Seniorem: Tertio, si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens ac libenter auscultet: Quarto, si in omnibus seruet obedientiam, mansuetudinẽ, & patientiæ cõstantiam: Quinto, si non solum iniuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur: Sexto, si nihil agat, nihil præsumat quod non vel communis regula, vel maiorum cohortantur exempla: Septimo, si omni vilitate contentus sit, & ad omnia quæ sibi præcipiuntur, velut operarium malum se iudicauerit & indignum: Octauo, si semetipsum cunctis inferiorẽ non superficie pronũciet labiorum, sed intimo cordis credat affectu: Nono, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce: Decimo, si nõ sit facilis ac promptus in risu. Talibus nãque indiciis, & his similibus humilitas vera dinoscitur. Quæ cùm fuerit in veritate possessa, confestim te ad carita-

tem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet, per quam vniuersa quæ prius non sine pœna formidinis obseruabas, absque vllo labore velut naturaliter incipies custodire, non iam contemplatione supplicij vel timoris vllius, sed amore ipsius boni & delectatione virtutum.

Quòd non debeat monachus exempla perfectionis à multis expetere, sed ab vno vel paucis. CAP. XL.

AD quod vt valeas facilius peruenire, exempla tibi sunt imitationis ac vitæ perfectæ in congregatione commoranti, à paucis, imò ab vno, vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam præter id quod examinata vita atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc vtilitatis accedit quod ad perfectionem propositi huius, id est, cœnobialis vitæ diligentius quis vnius imbuitur ac formatur exẽplo.

In congregatione cœnobitica constituti quid tolerare ac sustinere debeant. CAP. XLI.

QVæ omnia vt possis consequi, & sub hac regula spiritali perpetuò perdurare, tria hæc in congregatione necessariò custodienda sunt tibi, vt scilicet secundum Psalmistæ
Psalm. 37. sententiam, Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus qui non aperit os suum, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, tu quoque velut surdus ac mutus & cæcus incedas, vt absque illius contemplatione qui tibi fuerit ad imitandũ merito perfectionis electus, vniuersa quæcunque videris minus ædificationis habentia velut cęcus non videas, ne animatus eorum qui hęc agunt autoritate vel forma, ad id quod deterius est, & quod antè damnaueras, traducaris. Si inobedientem, si contumacẽ, si detrahentem audieris, vel secus quàm tibi traditũ est aliquid admittentẽ, non offendaris, nec ad imitandũ eum tali subuertaris exẽplo: sed vt surdus qui hæc penitus nec audieris vniuersa transmittas. Si tibi vel cuiquam conuicia, si irrogãtur iniuriæ, esto immobilis, & ad responsionem talionis vt mutus ausculta, semper hunc Psalmistæ versiculum in corde
Psalm. 38. tuo decantãs: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam cùm cõsisteret peccator aduersus me, obmutui & humiliatus sum, & silui à bo-
Obedientiam cæcam esse oportet. nis. Verùm & quartum hoc præ omnibus excole, quod hæc quæ suprà diximus tria ornet atque cõmendet, id est, vt stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mũdo vt
1. Cor. 3. sis sapiens: nihil scilicet discernens, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud

illud vtile, illud sapiēs esse iudicans, quicquid tibi vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus, sub hac disciplina poteris durare perpetuò, & de cœnobio nullis tētationibus inimici, nullis factionibus deuolueris.

Quòd bonum patientiæ suæ non debeat monachus de aliorum sperare virtute, sed de sua longanimitate.

CAPVT XLII.

ERgo patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute, id est, vt tunc eam tantummodo possideas cùm à nemine fueris irritatus, quod vt possit non euenire, tuæ non subiacet potestati, sed potius de humilitate tua & longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.

Recapitulatio expositionis per quam monachus ad perfectionem possit ascendere. CAP. XLIII.

ET vt hæc omnia quæ latiori sermone digesta sunt cordi tuo facilius inculcentur, ac tenacissimè tuis sensibus valeant inhærere, quoddam ex his breuiarium colligam, per quod possis breuitate & compendio mandatorum memoriter vniuersa complecti. Audi ergo paucis ordinem, per quem ascendere ad perfectionem summam sine vllo labore ac difficultate valeas. *Prouer. 1.* Principium nostræ salutis sapientiæque secundum scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De cōpunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt vniuersa vitia. Expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis apostolicæ caritatis perfectio possidetur.

De institutis renunciantium libri quarti finis.

DE SPIRITV GASTRIMARGIÆ.

Transitus ab institutis cœnobiorum ad colluctationem octo principalium vitiorum. CAPVT I.



VINTVS nobis iuuante Deo liber iste proceditur. Nã post quatuor libellos qui super institutis monasteriorũ digesti sunt, nũc arripere colluctationem aduersus octo principalia vitia vestris orationibus Domino confortante disponimus, id est, primum Gastrimargię, quæ interpretatur gulæ concupiscentia: secundum Fornicationis: tertium Philargyriæ, quod intelligitur auaritia, vel vt propriùs exprimatur, amor pecuniæ: quartum Iræ: quintum Tristitiæ: sextum Accidię, quod est anxietas siue tædium cordis: septimum Cenodoxiæ, quod sonat vana seu inanis gloria: octauum Superbię. Quem ineuntes agonem tuis precibus ô beatissime papa Castor, nũc impensius indigemus, vt primũ naturas eorum, tam minutas, tam occultas, tamque obscuras inuestigare condignè: deinde causas eorundem sufficienter exponere: tertio vt idoneè curationes eorum ac remedia possimus inferre.

Quòd causæ vitiorum sicut in omnibus immorantur, ita ab omnibus ignorãtur, & quòd ad manifestandas eas Domini egeamus auxilio.
CAPVT II.

QVarum passionũ causæ quemadmodum cùm patefactæ fuerint traditionibus Seniorum ab omnibus protinus agnoscuntur, ita priusquam reuelentur cùm ab ipsis vniuersi vastemur, & in cunctis hominibus immorentur, ab omnibus ignorantur. Verùm eas ita nos aliquatenus explicare posse confidimus, si intercessionibus vestris ad nos quoque ille qui per Esaiam prolatus est sermo Domini dirigatur: Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo, portas æreas cõfringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi thesauros absconditos & arcana secretorum: vt nos quoque verbum Dei præcedens, primum terræ nostræ potentes humiliet, id est, has easdem quas expugnare cupimus noxias passiones, dominationem sibi ac tyrannidem sęuissimam in nostro mortali corpore vendicantes, easque faciat indagini nostræ atque expositioni succumbere, & ita nostræ ignorationis portas effringens, ac vitiorum vectes excludentium nos à vera scientia

Isaiæ 45.

conte-

conterens, ad secretorum nostrorum arcana perducat, ac secundum Apostolum illuminatis nobis reuelet ea quæ sunt abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium: vt sic ad tetras vitiorum tenebras purissimis oculis animæ penetrantes, patefacere eas ac producere possimus ad lucem, earumque causas atque naturas his vel qui caruerunt eis, vel adhuc obligati sunt, pandere valeamus, & ita secundum Prophetam transeuntes per ignem vitiorum dirissimè nostras exurentium mentes, confestim per aquas quoque virtutum, extinguentium scilicet ea transire possimus illæsi, ac spiritalibus remediis adrorati ad refrigerium perfectionis puritate cordis mereamur educi.

1. Cor. 4.

Psalm. 65.

Quòd prima nobis colluctatio sit aduersus spiritum Gastrimargiæ, id est, concupiscentiam gulæ. CAP. III.

ITaque primum nobis ineundum certamen est aduersus Gastrimargiam quam diximus gulæ esse cõcupiscentiam. Et in primis de modo ieiuniorũ & escarum qualitate dicturi, rursus ad Aegyptiorum traditiones ac statuta recurremus, quibus sublimiorem continentiæ disciplinam, & perfectam discretionis inesse rationem nullus ignorat.

Testimonium Abbatis Antonij quo docet vnamquamque virtutem ab illo qui eam peculiarius possidet expetendam.

CAPVT IIII.

VEtus namque est beati Antonij admirabilisque sententia, monachũ qui post cœnobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, & apprehenso discretionis examine, proprio iam potens est stare iudicio, atque ad arcem anachoreseos peruenire, minimè debere ab vno quamuis summo vniuersa genera virtutum expetere: Alius enim scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio supereminet cæteros. Et idcirco monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam debere vnamquamque virtutem ab his qui eam familiarius possident, deflorare, & in sui pectoris vase diligenter recondere: nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantũ quid virtutis habeat contemplari studioseque decerpere. Cunctas nãque si ab vno volumus mutuari, aut difficile aut certè nũquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Quia licet nec dum Christum omnia factum secũdum

1. Cor. 15. Apostolum videamus in omnibus, tamen hoc modo possumus eũ, id est, per partes in omnibus inuenire. De ipso enim dicitur, qui factus est nobis ex Deo sapientia, iustitia, sanctitas & redemptio. Dum ergo in alio sapientia, in alio iustitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, in alio patientia reperitur, membratim Christus per vnumquemque nunc sanctorum diuisus est. Concurrentibus verò vniuersis in vnitatem fidei ac virtutis, redditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis, in singulorum membrorum compage ac proprietate perficiens. Donec ergo veniat illud tẽpus quo sit Deus omnia in omnibus, in præsenti potest hoc quo diximus modo, id est, per partes virtutũ esse in omnibus Deus, licet nondum per plenitudinem earũ omnia sit in omnibus. Quia licet vnus religionis nostræ sit finis, professiones tamen diuersæ quibus ad Deum tendimus, sicut in collationibus Seniorum plenius disputandum est. Ideoque discretionis & continentiæ forma ab his est nobis peculiarius expetenda, à quibus virtutes has per gratiam Spiritus sancti vberius videmus effluere, non quòd vllus quæ in multos diuisa sunt sólus possit acquirere, sed vt in his bonis quorum capaces esse possumus, ad eorum nos imitationem qui ea peculiarius obtinuere, tendamus.

1. Cor. 1.

Ephes. 4.

Quòd non possit ab omnibus vniformis ieiuniorum regula custodiri.

CAPVT V.

ITaque super ieiuniorum modo haud potest facilè vniformis regula custodiri, quia nec robur vnum cunctis corporibus inest, nec sicut ceteræ virtutes animi solius rigore parantur. Et idcirco quia non in sola fortitudine mentis consistũt, cum corporis enim possibilitate participant, talem super his definitionem traditam nobis accepimus, diuersum esse refectionis quidem tempus ac modum & qualitatem, pro impari scilicet corporum statu, vel ætate, ac sexu: vnam tamen esse omnibus pro mentis continentia & animi virtute castigationis regulã. Neque enim cunctis possibile est hebdomadibus protelare ieiunia, sed ne triduana quidem vel biduana inedia refectionem cibi differre. A multis quippe ægritudine & maximè senio iã defessis, ne vsque ad occasum quidem solis ieiunium sine afflictione toleratur. Non omnibus infusorum leguminum esus conuenit eneruatus, nec cunctis purorum olerum habilis est parcimonia, nec vniuersis sicci panis refectio castigata conceditur. Alius quantitate librarum duarum saturitatem non sentit, alius libræ vnius siuè vnciarum sex edulio prægrauatur, attamen vnus in omnibus his con-

continentiæ finis est,ne quis iuxta mensuram capacitatis suæ saturitatis oneretur ingluuie. Non enim qualitas sola, sed etiam quantitas escarum, aciem cordis obtundit, ac mente cum carne pariter impinguata noxium vitiorum fomitem igneumque succendit.

Quòd non solo vino mens inebriatur. CAP. VI.

QVibuslibet escis refectus venter seminaria luxuriæ parit,nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari,ciborum pondere præfocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit, verumetiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. Sodomitis causa subuersionis atque luxuriæ,non vini crapula,sed saturitas extitit panis. Audi Dominum per Prophetam Hierusalem increpantem. Quid enim peccauit soror tua Sodoma, nisi quia panẽ suum in saturitate & abundantia comedebat? Et quia per saturitatem panis inextinguibili carnis fuerunt ardore succensi,iudicio Dei cælitùs sunt igne sulphureo concremati. Quòd si illos sola nimietas panis ad tam prærupt um flagitiorũ præcipitiũ vitio satietatis impegit,quid cẽsendũ est de his qui vegetato corpore perceptionem carniũ ac vini immoderata * vbertate præsumunt, non quantũ expetit imbecillitas, sed quantũ animi libido suggesserit vsurpantes? *Ezech.* 16. *Genes.* 19. * libertate

Quòd infirmitas carnis puritatem cordis nequeat impedire.
CAPVT VII.

INfirmitas carnis ad puritatem cordis non officit, si hæc tantummodo quæ fragilitas carnis, non quæ voluptas exigit,vsurpẽtur. Facilius vidimus* viros qui ab escis opulentioribus omnimodis temperarent, quas moderatè vsus pro necessitate concedit, & qui totum sibi pro continentiæ amore denegarent, quàm qui eas sub infirmitatis occasione sumentes mensuram sufficientiæ custodirent. Habet etiam corporis imbecillitas continentiæ suæ palmam, dummodo escis defectioni carnis indultis adhuc indigentem se refectione defraudet, tantumque esus indulgeat, quantum sufficere ad viuendi vsum temperantiæ discretio rigida iudicauerit, non quantũ desiderij appetitus exposcit. Esculẽtiores cibi vt procurant corporis sanitatem, ita castitatis non adimunt puritatem,si cum moderatione sumantur. Quicquid enim fortitudinis causa esu eorum percipitur,ægritudinis labore ac defectione consumitur. Quamobrem vt nulli statui virtus parcimoniæ adimitur, ita ne integritatis quidem consummatio denegatur. * victos

Quomodo cibum appetere ac sumere liceat.

CAPVT VIII.

VErissima est itaque Patrum probatissimaque sententia, ieiuniorum & continentiæ modum in mensura parcitatis tantum & castigatione consistere, & hunc esse perfectæ virtutis in commune omnibus finem, vt ab escis quas sumere sustentandi corporis necessitate compellimur, adhuc in appetitu earum positi temperemus. Quamuis enim qui corpore sit infirmus, perfectam virtutem æquamque robustis ac sanis in omnibus possidebit, si desideria quæ fragilitas carnis non exigit, mentis rigore castiget. Apostolus nanque ait: Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Non ergo curam eius omnimodis interdixit, sed vt in desideriis fieret, denegauit. Voluptuosam ademit diligentiam carnis, gubernationem vitæ necessariam non exclusit: illud, ne indulgentia carnis ad desideriorum occupationes noxias deuoluamur; hoc verò, ne corruptum nostro vitio corpus spiritales ac necessarias functiones implere non possit.

Rom.13.

De mensura castigationum assumendarum, remedioq; ieiuni.

CAPVT IX.

SVmma igitur continentiæ non sola temporis ratione, nec escarum qualitate tantummodo, sed ante omnia cõscientiæ iudicio colligenda est. Tantum enim debet vnusquisque sibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ obluctationis pugna deposcit. Vtilis quidem & omnimodis obseruanda est canonica ieiuniorum custodia, sed nisi hãc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta, ad integritatis calcem non poterit peruenire. Longorum namque ieiuniorum inedia, saturitate corporis subsequente, lassitudinem potius temporalem quàm puritatem castitatis acquirit. Integritas quippe mẽtis ventri cohæret inediæ. Non habet perpetuam castimoniæ puritatem, quisquis non iugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus est. Quamuis districta ieiunia, succedente superflua remissione, vacuantur, & in Gastrimargiæ vitium protinus collabuntur: Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum lõgumque ieiunium. Nouit immoderata inedia non modò mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam.

Saturitas post inediam & ieiunium animæ iuxtà ac corpori inimica.

Ad conseruandam mentis & corporis puritatem, abstinentiam ciborum non posse sufficere. CAP. X.

AD integritatem mentis & corporis conseruandam abstinentia ciborum sola non sufficit: nisi fuerint cæteræ

quoque

quoque virtutes animæ coniugatæ. Humilitas igitur primitus obedientiæ virtute, & * cordis contritione, corporisque fatigatione discenda est. Pecuniarum non solum vitanda est possessio, sed etiam desiderium earum radicitùs extirpandum. Non enim eas sufficit non habere, quod plerumque solet etiam ex necessitate descendere, sed ne ipsam quidem, si fortè oblatæ fuerint, habendi recipere voluntatem. Iræ conterendus est furor, tristitiæ superanda deiectio, cenodoxia, id est, vana gloria contemnenda, superbiæ calcandus est fastus, mentis quoque ipsius instabiles vagique discursus assidua Dei memoria refrenandi. Totiesque nobis est ad contemplationem Dei lubrica cordis nostri peruagatio reducenda, quoties subtilis hostis ab hoc intuitu mentem captiuare pertentans, recessibus nostri cordis irrepserit. * operis

Concupiscentias cordis non extingui, nisi cum omni extirpatione vitiorum. CAP. XI.

IMpossibile namque est extingui ignita corporis incentiua, priusquam cæterorum quoque principalium vitiorum fomites radicitùs excidantur: de quibus sigillatim distinctis libellis suo loco donante Domino differemus. Nunc verò propositum nobis est de Gastrimargia, id est, gulæ concupiscentia, contra quam nobis primus conflictus est, disputare. Nunquam igitur poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrenare nequiuerit. Interioris hominis castitas, virtutis huius consummatione discernitur. Nunquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum quem in leuiore conflictu conspexeris ab infirmioribus paruisque superari. Cunctarum namque virtutum vna natura est, licet in multas diuidi species & vocabula videatur: sicut auri quoque vna substantia est, licet per multa variaque monilium genera pro artificum videatur ingenio ac voluntate distincta. Itaque nullam perfectè possidere probabitur, quisquis elisus in earum parte dinoscitur. Quo enim modo flagrantes æstus concupiscentiæ, qui non sola instigatione corporis, sed etiam mentis vitio succenduntur, extinxisse credendus est, qui aculeos iræ cordis solius intemperantia prorumpentes mitigare non potuit? Aut quonam modo putandus est carnis animæque lasciuientes stimulos retudisse, qui superbiæ vitium simplex non quiuit euincere? Aut quemadmodum credendus est insertam carni luxuriam conculcasse, qui pecuniarum concupiscentiam forinsecus sitam, atque à nostra substantia alienam, non

valuit

valuit abdicare? Qua autem ratione bellum carnis & animæ triumphabit, qui idoneus non fuit morbum curare tristitiæ? Quantalibet vrbs sublimitate murorum & clausarum portarum firmitate muniatur, posterulæ vnius quamuis paruissimæ proditione vastabitur. Quid enim differt vtrum per excelsa mœnia & ampla portarū spatia, an per angusti cuniculi latibula perniciosus hostis penetralibus ciuitatis irrepat?

De agone carnali etiam spiritalis agonis imitationem esse sumendam.

CAPVT XII.

2.Tim. 2. QVi in agone contendit, non coronabitur nisi legitimè certauerit. Qui naturalis appetitus carnis optat extinguere, extra naturam vitia collocata primitùs superare festinet. Si enim apostolicæ sententiæ vim volumus experiri, quæ sint agonis mundani leges ac disciplina primitus debemus agnoscere, vt ita demum harum comparatione scire possimus quid nos in spiritali agone certantes beatus Apostolus hoc exemplo voluerit edocere. In illis enim certaminibus quæ secundum eundem Apostolum corruptibilem coronam vincentibus parant, mos iste seruatur, vt is qui se ad gloriosam coronā, & immunitatis priuilegio decoratam præparare contendit, & perfecta cupit agonis * subire certamina, prius in Olympiacis ac Pythiis certaminibus indolem suæ iuuentutis ac rudimentorum robur ostentet. In his siquidem iuniores qui has disciplinas cupiunt profiteri, vtrum mereantur vel debeant ad eas admitti, tam eius qui istis certaminibus præsidet, quàm totius populi iudicio comprobantur. Cumque diligenter examinatus quis, primum repertus fuerit nulla vitæ respersus infamia, deinde non seruitutis iugo ignobilis; & ob hoc * indignus disciplina hac, vel congressu eorum qui hanc profitentur, fuerit iudicatus: tertiò si artis, si fortitudinis digna præferat documenta, & iunioribus coæuisque decertans peritiam pariter ac virtutem suæ demonstrauerit iuuentutis, ac proficiens de epheborum luctamine, perfectis iam viris & experientia longa probatis congredi permissus fuerit præsidentis examine, seque non solum parem virtuti eorum assidua colluctatione probauerit, verumetiam frequenter inter hos quoque victoriæ palmam fuerit consecutus, tum demum ad agonis præclara certamina merebitur peruenire, in quibus non nisi victoribus tantum, & his qui multarum coronarum stipendiis decorati sunt facultas conceditur decertandi. Si intelleximus carnalis agonis exemplum, spiritalis quoque certaminis quæ disciplina vel ordo sit, comparatione huius debemus agnoscere.

* sudare *vel* desudare

* dignus

Quòd nisi gulæ fuerimus vitio liberati, nequaquā possimus ad pugnas interioris hominis peruenire. CAP. XIII.

OPortet nos quoque primùm libertatem nostram carnis subiectione monstrare. A quo enim quis vincitur, eius & seruus est. Et omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Cumque nos nulla concupiscentiæ turpis respersos infamia examen certamini præsidentis inuenerit, nec fuerimus ab eo vt serui carnis & ignobiles indigniq; Olympiacis vitiorum colluctationibus iudicati, tunc poterimus contra coæuos nostros, id est, concupiscentiam carnis & motus ac perturbationes animæ inire certamen. Impossibile namque est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignum est eū qui potest deiici leuiore conflictu.

2. Petr. 2.

Ioan. 8.

Quomodo possit gulæ concupiscentia superari.

CAPVT XIIII.

PRima ergo nobis calcanda est gulæ concupiscentia, & eò vsque extenuanda mens non solum ieiuniis, verū etiam vigiliis, lectione quoque & crebra compunctione cordis, in quibus se forsitan vel illusam, vel victam reminiscitur: ingemiscens nunc horrore vitiorum, nunc desiderio perfectionis & integritatis accensa, donec eiusmodi curis ac meditationibus occupata pariter ac possessa, ipsius cibi refectionem non tam iocunditati concessam, quàm oneris vice sibi impositam recognoscat, magisq; eam necessariam corpori quàm desiderabilem animæ sentiat attributam. Quo studio mentis, & iugi compunctione detenti, lasciuiam carnis quæ fotu escarum vehementiùs insolescit, & aculeos eius noxios retundemus, atque ita fornacem corporis nostri quæ rege Babyloniæ occasiones peccatorum & vitia nobis iugiter subministrante succenditur, quibus naphthæ & picis vice acriùs exuramur, vbertate lacrymarum & fletu cordis poterimus extinguere: donec Dei gratia spiritu roris sui in cordibus nostris insibilante, æstus carnalis concupiscentiæ penitus valeant consopiri. Hæc est igitur nobis prima contentio, hæc nostra velut in Olympiacis certaminibus prima probatio, gulæ ventrisque concupiscentiam desiderio perfectionis extinguere. Ob quod ciborum non solum superfluus appetitus virtutum contemplatione calcandus, sed etiam ipsi naturæ necessarius tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. Et ita demum vitæ nostræ instituendus est cursus, vt nullum magis sit tempus quo sentiamus nos à spiritalibus studiis reuocari, quàm quo descendere ad necessariam corporis

Cibum non voluptatis sed necessitatis causa sumendum esse.

corporis curam eius fragilitate compellimur. Cumque ad hanc necessitatem submittimur, vsui potius vitæ, quàm mentis desiderio famulantes quantocyus ab ea velut à salutaribus nos studiis retrahente subtrahi festinemus. Nequaquā enim poterimus escarum præsentiū spernere voluptates, nisi mens cōtemplationi diuinæ defixa, amore virtutum potius & pulchritudine cælestium delectetur. Et ita quis velut caduca despiciet vniuersa præsentia, cùm ad ea quæ immobilia sunt & æterna, inseparabiliter defixerit mentis obtutum, adhuc in carne positus futuræ commorationis beatitudinem iam corde contemplans.

Quòd ad custodiendam cordis sui puritatem monachus semper intentus esse debeat. CAPVT XV.

VElut si quis immania virtutum præmia in sublimi quibusdam paruis indiciis designata, perspicacissimis oculorum obtutibus cum teli directione tendentibus ferire festinet, sciens immensam gloriæ palmā & remunerationis præmia in eorum confixione consistere, oculorum aciem ab omni intuitu auertēs, illuc dirigat necesse est, vbi summā remunerationis & præmij perspicit collocatam, amissurus proculdubio peritiæ palmam & remuneratione virtutis, si quantulumcumque contemplationis eius acies deuiauerit.

Quòd monachus secundum Olympiaci certaminis morem non possit spiritales conficere pugnas, nisi obtinuerit bella carnalia.

CAPVT XVI.

ITaque ventris & gulæ concupiscentia hoc intuitu superata, nec serui carnis, nec infames vitiorū nota pronunciati, velut in Olympiacis disciplinis, iudicabimur superiorū quoq; certaminū digni esse conflictu, præmissisq; huiuscemodi documētis, spiritalibus quoq; nequitiis cōgredi posse credemur, quæ nō nisi victoribus tantùm, & his qui merentur in spiritali agone contendere, concertare dignātur. Illud enim est cūctorum luctaminū velut quoddā solidissimum fundamentū, vt primitus carnaliū desideriorū incētiua perimantur. Nam nullus carne propria non deuicta legitimè decertare poterit. Et qui legitimè nō decertat, sine dubio nec in agone cōfligere, nec coronæ gloriā, nec victoriæ gratiā poterit promereri. Quòd si hoc fuerimus certamine superati, velut serui carnalis concupiscētiæ comprobati, & per hoc nec libertatis nec roboris insignia preferentes à spiritaliū cōgressionum cōflictu, vt indigni seruique nō sine confusionis nota protinus repellemur. Omnis enim qui facit peccatū, seruus est peccati. Di- *Ioan. 8.*
ceturque nobis per beatum Apostolum cum his inter quos fornicatio

fornicatio nominatur, Tentatio vos non apprehendit, nisi humana. Non enim merebimur mentis robore conquisito grauiores pugnas nequitiarũ cælestium experiri, qui carnẽ fragilem resistentem spiritui nostro subiugare nequiuimus. Quod Apostoli testimoniũ no[illegible]ligentes quidam posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum, id est, tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Quod ab ipso magis dici manifestum est, non optantis, sed pronunciantis vel exprobrantis affectu. 1. Cor. 10.

Quòd fundamentum ac basis spiritalis agonis in Gastrimargiæ sit certamine collocata. CAP. XVII.

VIs audire verũ athletam Christi legitimo agonis iure certãtem? Ego, inquit, sic curro, nõ quasi in incertũ, sic pugno, nõ quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne aliis prædicãs ipse reprobus efficiar. Vides vt in seipso, id est, in carne sua colluctationum summam velut in base quadã firmissima statuerit, & prouentũ pugnæ in sola castigatione carnis & in subiectione sui corporis collocarit. Ego itaque sic curro non quasi in incertum. Nõ currit in incertum, qui cęlestem Ierusalem conspiciens, defixum habet quò sibi cordis sui indeflexibilis sit dirigẽda pernicitas. Nõ currit in incertũ, qui obliuiscẽs posteriora, ad ea quę priora sunt extẽdit se ad destinatũ persequẽs brauiũ supernę vocationis Dei in Christo Iesu, quò semper dirigens suæ mẽtis obtutũ, & ad eũ omni cordis præparatione festinãs, cũ fiducia proclamat: Bonum agonẽ certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui. Et quia se nouerat post odorẽ vnguentorum Christi pręperi cõscientiæ deuotione infatigabiliter cucurrisse, & spiritalis agonis certamen carnis castigatione vicisse, cum fiducia infert & dicit: De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Et vt nobis quoque similem spem retributionis aperiret, si in agone cursus istius imitari eum velimus, adiecit: Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius: participes nos coronæ suæ in die iudicij fore pronunciãs, si diligentes aduentũ Christi, non illũ tantùm qui etiam nolentibus apparebit, sed etiam hunc qui quotidie in sanctis commeat animabus, victoriam certaminis castigatione corporis acquiramus. De quo aduentu Dominus in euangelio, Ego, inquit, & pater meus veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et iterum: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

1. Cor. 9.
2. Tim. 4.
Ioan. 14.
Apoc. 3.

Per quot genera certaminum atque palmarum beatus Apoſtolus ad coronam ſublimiſſimi agonis aſcenderit.

CAPVT XVIII.

NEc tamen agonem curſus tantummodo ſe cõſummaſſe
deſcribit cùm di[illegible]urro non quaſi in incertum,
quod ſpecialiter refertur [illegible]tentionem mentis & feruorem
ſpiritus ſui, quo toto Chriſtum ſequebatur ardore, cum Spõ-
Cantic.1. ſa decantans, Poſt te in odorẽ vnguentorum tuorum curre-
Pſal.62. mus: Et iterum, Adhæſit anima mea poſt te: ſed etiam aliud
1.Cor.9. colluctationis genus ſe viciſſe teſtatur dicens: Sic pugno non
quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & ſerui-
tuti ſubiicio. Quod propriè ad continentiæ dolores & cor-
porale ieiunium atque afflictionem carnis pertinet, per hãc
ſe pugilem quẽdam ſtrenuum ſuæ carnis eſſe deſcribens, nec
in vanum aduerſus eam ictus continentiæ exercuiſſe deſi-
gnans, ſed triumphum pugnæ, mortificatione ſui corporis
acquiſiſſe, quo verberibus cõtinentię caſtigato, & ieiuniorum
** æſtibus* * ceſtibus eliſo, victori ſpiritui immortalitatis coronam &
incorruptionis contulit palmam. Vides legitimum collucta-
tionis ordinem, & ſpiritalium certaminum contemplaris
euentum, quemadmodum athleta Chriſti adeptus de rebella-
trice carne victoriam, ſubiecta illa quodammodo pedibus
ſuis, vt ſublimis triumphator inuehitur. Et idcirco non cur-
rit in incertum, quia confidebat vrbem ſanctam Ieruſalem
cæleſtem ſe protinus ingreſſurũ. Sic pugnat ieiuniis ſcilicet &
afflictione carnali, non quaſi aërem verberans, id eſt, in va-
num ictus cõtinentiæ porrigens, per quos nõ aërem vacuum,
ſed illos ſpiritus qui in eo verſantur, caſtigatione ſui corporis
verberabat. Qui enim dicit, non quaſi aërem verberans, oſtẽ-
dit ſe tametſi non aërem vacuum & inanem, aliquos tamen
in aëre verberare. Et quia hæc certaminum genera ſuperarat,
& ditatus multarum coronarum ſtipendiis incedebat; non
immeritò robuſtiorum incipit hoſtium ſubire luctamina, ac
prioribus æmulis triumphatis cum fiducia proclamat, & di-
Epheſ.6. cit: Iã nõ nobis eſt colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ, ſed
aduerſus principat⁹, aduerſus poteſtates, aduerſus mũdi recto-
res tenebrarũ harũ, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus.

Quòd athletæ Chriſti donec in corpore commoratur, pugna non deſit.

CAPVT XIX.

ATHletæ Chriſti in corpore commoranti nunquam defi-
cit colluctationũ palma, ſed quãto magis triumphorum
ſucceſſibus creuerit, tanto ei etiam colluctationum robuſtior
ordo ſuccedit. Subiugata etenim carne atque deuicta, quantæ
aduerſa-

aduersariorum cohortes, quanta hostium agmina aduersum victorem militem Christi triumphis eius instigata consurgunt, scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat obliuisci colluctationum suarũ gloriosa certamina, ac securitatis inertia dissolutus, præmiorum stipendiis ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque si ad hos triumphorum gradus cupimus crescente virtute cõscendere, eodẽ nos quoque ordine oportet prœliorum inire certamina, & primum cum Apostolo dicere: Sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio: vt hoc conflictu superato, rursus cum eo dicere possimus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Aliter enim congredi cum illis nullo modo poterimus, nec spiritales pugnas merebimur experiri, carnali deiecti cõflictu, & colluctatione ventris elisi: meritoq; nobis ab Apostolo cũ exprobratione dicetur, Tentatio vos non apprehẽdit nisi humana. 1. Cor. 9. Ephes. 6. 1. Cor. 10.

Quòd non debeat monachus sumendi cibi tempus excedere, si vult ad pugnas interiorum certaminum peruenire. CAP. XX.

IGitur monachus ad pugnas interiorum certaminũ cupiẽs peruenire, hãc in primis cautionem sibimet indicat, vt non potus quicquam, nõ esus vlla oblectatione deuictus, ante stationem legitimam communemque refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat: sed ne refectione quidem transacta, ex his præsumere sibi quãtulumcunque permittat: similiter quoque canonicum somni tempus mensuramque custodiat. Eodem namque studio istæ sunt mentis amputandæ lasciuiæ, quo meretricationis vitium desecandum. Qui enim gulæ superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo ęstus carnalis cõcupiscentiæ valebit extinguere? Et qui non quiuit passiones in propatulo sitas paruasque compescere, quemadmodum occultas, nulloq; hominum teste prurientes, moderatrice discretione poterit debellare? Et idcirco per singulos motus & in quolibet desiderio robur animæ comprobatur: quæ si in minimis apertisque cupiditatibus superatur, quid in maximis ac fortioribus occultisque sustineat, vnicuique sua conscientia testis est.

De interiori monachi pace & abstinentia spiritali.

CAPVT XXI.

NOn enim est nobis aduersarius extrinsecus formidandus, in nobismetipsis hostis inclusus est. Intestinũ in nobis quotidie geritur bellũ, deuicto eo omnia quæ forinsecus

sunt reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erũt & subdita. Nõ habebimus aduersariũ nobis extrinsecus metuendum, si ea quæ intra nos sunt spiritui deuicta subdantur. Nec solum nobis istud ieiunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis & corporis puritatem sufficere posse credamus, nisi fuerit huic animæ quoq; ieiuniũ cõpulatum. Habet namque & illa suos noxios cibos, quibus impinguata etiam sine escarum abundantia ad luxuriæ prærupta deuoluitur. Detractio cibus eius est & quidem persuauis. Ira etiam cibus eius est licet minimè * leuis, ad horam tamen infelici eam esu pascens, ac pariter lethali sapore prosternens. Inuidia cibus est mentis, virulentis eam succis corrumpens, & prosperitate alieni successus iugiter miseram excruciare non desinens. Cenodoxia, id est, vana gloria, cibus eius est, qui delectabili eam esca permulcet ad tempus, pòst verò vacuam omniq́ue virtute spoliatam reddet ac nudam, cunctis eam spiritalibus fructibus sterilem inanemq́ue dimittens: ita vt non solum immaniũ laborum faciat merita deperire, verumetiam supplicia maiora conquirat. Omnis concupiscentia & peruagatio cordis instabilis, pastus quidã est animæ, noxiis escis eam nutriens; expertem verò cælestis panis ac solidi cibi in posterum derelinquens. Ab his itaq; quanta nobis est virtus sacratissimo ieiunio continentes, vtilem habebimus commodamq́ue obseruantiam ieiunij corporalis. Labor namque carnalis spiritus contritioni coniunctus, acceptissimum Deo sacrificium dignumq; sanctitatis habitaculũ puris mundisq́ue recessibus exhibebit. Cæterum si corporaliter ieiunantes perniciosissimis animæ vitiis implicemur; nihil nobis proderit carnalis afflictio pretiosiore parte pollutis per eam scilicet substantiam delinquentibus nobis qua efficimur habitaculum Spiritus sancti. Non enim tam corruptibilis caro, quàm cor mundum habitaculum Deo templumq́ue Spiritus sancti efficitur. Oportet ergo exteriore homine ieiunante, interiorem quoq; similiter à cibis noxiis temperare: quem præcipuè exhiberi mundũ Deo, vt hospitem in se Christum recipere mereatur, beatus Apostolus monet his verbis, Interiorẽ, inquiens, hominẽ habitare Christũ per fidẽ in cordibus vestris.

Spiritale ieiunium quomodo perficiatur.

* lenis, *vel* lætus,

Ephes. 3.

Quòd idcirco nos oporteat exercere continentiam corporalem, vt per ipsam perueniamus ad spiritale ieiunium. CAP. XXII.

NOuerimus itaque nos idcirco laborem continentiæ corporalis impendere, vt ad puritatem cordis hoc possimus ieiunio peruenire. Cæterum labor à nobis impenditur incassum, si hunc quidem contemplatione finis infatigabiliter sustinemus:

tinemus: finem verò propter quem tolerauimus afflictiones tantas, obtinere nequeamus: meliusque fuit interdictis escis animæ temperasse, quàm voluntariis minusque noxiis corporaliter ieiunasse. In his enim simplex & innoxia creaturæ Dei perceptio est, nihil per semetipsam habens peccati, in illa verò primitus fratrum perniciosa deuoratio, de qua dicitur, Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Et de ira atque inuidia beatus Iob dicit: Etenim stultũ interficit iracũdia, & paruulum occidit inuidia. Simulque notandum, quòd qui irascitur, stultus; & qui inuidet, paruulus iudicetur. Ille namque nõ immeritò stultus iudicatur, voluntariè sibi mortem iræ stimulis incitatus inducens; & hic dum liuet, paruulum minoremque se probat. Dum enim inuidet, testatur maiorem esse eum cuius prosperitate cruciatur. *Iob 5.*

Qualis esse monachi cibus debeat. CAP. XXIII.

IGitur est cibus eligendus non tantum qui concupiscentiæ flagrantis ęstus temperet, minusq; succendat, verumetiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendũ opportuniorem vilioris pretij compendium præstet, quique sit conuersationi fratrũ vsuique communis. Triplex enim natura est gastrimargiæ: Vna quæ canonicam refectionis horã præuenire compellit: alia quæ tantummodo ventris ingluuie & saturitate quarumlibet gaudet escarum: tertia, quæ accuratioribus epulis & esculentioribus oblectatur. Ideoque aduersus eam necesse est monachũ obseruantiam triplicem custodire, id est, vt primum legitimum tempus absolutionis expectet; deinde vt saturitati non cedat: tertiò, vt qualibuscũque escis vilioribus contentus sit. Quicquid autem extra consuetudinem præsumitur vsumq; cõmunem, vt vanitatis & gloriæ atque ostentationis morbo pollutũ, antiquissima patrum traditio notauit, nec quemquam ex his quos merito scientiæ ac discretionis enituisse peruidimus, vel quos ad imitandum gratia Christi velut splendidissima luminaria omnibus prçlocauit, esu panis qui apud eos vilis habetur ac facilis, abstinuisse cognouimus, nec eorum quempiam qui hanc regulam declinãtes, prætermisso panis vsu, leguminũ vel olerũ seu pomorũ refectionẽ sectati sunt, inter probatissimos habitũ aliquando conspeximus, sed ne discretionis quidem aut scientię gratiam consecutũ. Non solum enim cæteris inusitatas escas expetere monachũ non debere decernunt, ne videlicet cursus eius velut in propatulo cunctis expositus, inanis factus ac vacuus cenodoxiæ morbo depereat, sed ne ipsam quoque ieiuniorum castigationem communem cuiquam facilè patefieri

oportere pronunciant: verùm quantũ fieri poteſt contegi pariter & abſcondi. Aduentantibus autẽ fratribus magis humanitatis ac dilectionis offerri debere virtutẽ, quàm continentiæ diſtrictionem, & quotidiani propoſiti rigorẽ manifeſtari probabilius cenſuerunt, nec quid voluntas vtilitasq́ue noſtra ſeu deſiderij ardor expoſcat attendere, ſed quod aduenientis requies vel infirmitas exigit proponere, & gratanter implere.

Quòd in Aegypto indifferenter vidimus ſub aduentu noſtro ſolui quotidiana ieiunia. CAPVT XXIIII.

CVm de Syriæ partibus Seniorum ſcita diſcere cupientes, Aegypti prouinciã petiſſemus, ibiq́ue tanta cordis alacritate nos ſuſcipi miraremur, vt nulla prorſus ſicut fueramus in Palęſtinæ monaſteriis inſtituti, vſque ad præſtitutam ieiunij horam refectionis regula ſeruaretur, ſed abſque legitimis quartæ, ſextæq́ue feriis, quocunque pergebamus quotidiana ſtatio ſolueretur: quidã Seniorum percunctantibus nobis, cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana ieiunia; reſpondit, Ieiunium ſemper eſt mecum. Vos autem cõtinuò dimiſſurus mecũ iugiter tenere nõ potero. Et ieiunium quidẽ licet vtile ſit ac iugiter neceſſarium, tamen voluntarij muneris eſt oblatio. Opus autẽ caritatis impleri, exigit præcepti neceſſitas. Itaque ſuſcipiens in vobis Chriſtum, reficere eum debeo: deducens autem vos, humanitatem eius obtentu præbitam, diſtrictiore ieiunio in memetipſo potero
Lucæ 5. compenſare. Non enim poſſunt filij ſponſi ieiunare, donec cũ illis eſt ſponſus: Cùm autẽ diſceſſerit, tũc licitè ieiunabũt.

De continentia ſenis cuiuſdam qui ſexies ita frugaliter cibum ſumpſit, vt ſeruaret eſuriem. CAP. XXV.

QVidam Seniorum cùm reficientẽ me, vt adhuc paululũ quid ederem hortaretur: iamq́ue me dixiſſem nõ poſſe: reſpondit, Ego iã ſexies diuerſis aduenientibus fratribus mẽſam poſui, hortansq́; ſingulos cum omnibus cibum ſumpſi, & adhuc eſurio, & tu primitus nunc reficiens, iam te dicis non poſſe.

De alio ſene, qui in cella ſua eſcam nunquã ſolus accepit. CAP. XXVI.

VIdimus alium in ſolitudine commorantẽ, qui nunquam ſe ſibi ſoli indulſiſſe cibum teſtatus eſt, ſed etiam ſi per totos quinque dies ad eius cellulam nullus è fratribus aduenisset, refectionem iugiter diſtuliſſe, donec Sabbato vel Dominico die deuotę cõgregationis obtentu procedens ad eccleſiam, peregrinorum quempiã repperiſſet, quem exinde reducens ad cellulam, conſorte eo refectionem corporis non tam ſuæ neceſſitatis obtentu, quã humanitatis gratia cauſaq́; fratris

fratris assumeret. Itaque vt norunt in aduentu fratrum indifferenter soluere quotidiana ieiunia, ita discedentibus eis refectionem ob illos indultam continentia maiore compensant, perceptionē cibi paruissimi acriore castigatione non sola panis, sed etiam somni ipsius diminutione durius exigētes.

Encomium Pesij & Ioannis Abbatum. CAP. XXVII.

APud senem Pesium in eremo vastissima commorantē, cùm senex Ioannes magno cœnobio ac multitudini fratrū prępositus aduenisset, & ab eodē velut antiquissimo sodale, perquireret, quidnā per omnes quadraginta annos quibus ab eodem separatus in solitudine minimè à fratribus interpellatus egisset: Nunquā me, ait, sol reficientem vidit. Et ille, Nec me, inquit, iratum.

Eiusdē Abbatis Ioānis iam moribundi insigne documētum. CAP. XXVIII.

EVndem senem cùm alacrem tanquam ad propria transmigrantem, in extremo iam anhelitu positum anxij fratres circumuallantes suppliciter precarentur, vt aliquid eis memoriale mandatum velut hæreditarium quoddam legatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius peruenire: ingemiscens ille, Nunquam, ait, meam feci voluntatē, nec quemquam docui quod prius ipse non feci.

De Abbate Machete inter collationes spiritales nunquam dormitante, & semper inter terrenas fabulas obdormiente. CAP. XXIX.

VIdimus senem Machetem nomine à turbis fratrum eminus commorantem, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetrasse, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritalis, nunquam somni torpore penitus laxaretur: Si quis verò detractionis verbum seu otiosum tentasset inferre, in somnum protinus concidebat, ac sic ne vsque ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire. *Detractorem audire malum est.*

Eiusdem senis de nemine iudicando sententia. CAP. XXX.

HIc idem senex cùm institueret nos neminem diiudicare debere, intulit tria fuisse in quib' discusserit vel reprehenderit fratres, quòd scilicet vuam sibi nonnulli paterentur abscindi, quòd haberent in cellulis sagum, quòd oleū benedicentes exposcentibus secularibus darent, & hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam ægritudinem vuæ cōtrahens, tamdiu, inquit, eius languore distabui, donec tam doloris necessitate, quàm Seniorū omnium adhortatione cōpulsus abscindi eam permitterem. Cuius etiā infirmitatis obtentu sagum quoque habere coactus sum. Oleum etiam benedicere ac supplicanti-

bus dare, quod præ omnibus execrabar, vtpote iudicans illud ex magna cordis præsumtione descendere, circumdantibus me repentè secularibus multis: ita constrictus sum, vt aliter eos nullatenus euadere possem, nisi à me summa vi & obtestationibus extorsissent, vt oblato ab eis vasculo manũ meam impresso crucis signaculo superponerem: itaque se credentes benedictionis oleum consecutos, tandem me aliquando relaxarunt. Quibus mihi manifestè compertum est, iisdem causis ac vitiis monachum obligari, in quibus de aliis iudicare præsumserit. Oportet ergo vnumquẽque semetipsum iudicare tantummodo, & circumspectè cauteq; custodire in omnibus, non aliorum conuersationem vitamque discutere, secundum illud Apostoli præceptum, Tu autem quid iudicas fratrem tuũ? suo Domino stat aut cadit. Et illud: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Præter hanc enim quam diximus causam etiã ob hoc iudicare de aliis periculosum est, quòd ignorantes vel necessitatem, vel rationem qua illi hæc in quibus * offendimus, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temerè iudicasse, & per hoc admittimus non leue peccatũ, secus quàm oportet de fratribus nostris aliquid sentiẽtes.

Rom. 14.

1. Cor. 4.

Matth. 7.

* *fortè legendum* offendimur.

Increpatio eiusdem Senis, cùm fratres inter spiritales collationes dormitantes, ad narrationem otiosæ fabulæ vidisset expergefactos.

CAPVT XXXI.

HIc idem senex otiosarum fabularum diabolum esse fautorem, ac spiritalium collationum impugnatorem semper existere, his declarauit indiciis. Nam cum fratrib. quibusdam de rebus necessariis ac spiritalibus disputaret, eosque videret lethæo quodam sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere; otiosam repentè fabulam introduxit. Ad cuius oblectationem cùm eos euigilasse confestim atque erectas aures suas habere vidisset, ingemiscẽs ait: Nũc vsque de rebus cælestibus loquebamur, & omnium vestrum oculi lethali dormitione deprimebantur: at cũ otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussimus: Vel ex hoc ergo perpendite, quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator, aut quis huius infructuosæ atque carnalis insinuator existat. Ille etenim esse manifestissimè deprehenditur, qui malis adgaudens, vel istam fouere, vel illam impugnare non desinit.

De epistolis priusquam legerentur incensis. CAP. XXXII.

NEc minus quoque hoc opus fratris erga puritatem sui cordis intenti, & erga contemplationem diuinam valdè solliciti,

ſolliciti, cõmemorare neceſſarium reor: qui cũ ei poſt annos quindecim patris ac matris amicorũq; multorũ de prouincia Ponti cõplures epiſtolæ delatæ fuiſſent, accipiens grandẽ faſciculũ litterarũ, diuq; apud ſemetipſum voluens, quãtarum, inquit, cogitationũ cauſa erit mihi harũ lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad triſtitias infructuoſas impellent: quot dieb⁹ horũ recordatione qui ſcripſerũt, intẽtionẽ pectoris mei à propoſita contẽplatione reuocabũt: poſt quantũ tẽporis digerẽda eſt hæc mẽtis cõcepta cõfuſio, quantoq; labore rurſus iſte trãquillitatis reparandus eſt ſtatus, ſi ſemel animus litterarũ permotus affectu, eorumq; recenſendo ſermones ac vultus quos tanto tempore dereliquit, iterũ eos reuiſere, ipſiſq; cohabitare, & animo ac mẽte cœperit intereſſe. Quos profectò corporaliter deſeruiſſe nihil proderit, ſi corde eos incipiat intueri, ac memoriam quam ſeculo huic renuncians quiſque velut mortuus abdicauit, reuiuiſcens eandẽ rurſus admiſerit. Hæc voluens in corde ſuo, non ſolũ nullam reſoluere epiſtolã definiuit, ſed ne ipſum quidem faſciculũ reſignare, ne ſcilicet eorum qui ſcripſerant vel nomina recenſendo, vel vultus recordando à ſpiritus ſui intentione ceſſaret. Itaq; vt eum conſtrictũ ſuſceperat, igni tradidit concremandũ. Ite, inquiẽs, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me vlteriùs ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.

De abſolutione quæſtionis quam Abbas Theodorus orando promeruit.

CAPVT XXXIII.

VIdimus etiam Abbatem Theodorũ ſumma ſanctitate & perfecta ſcientia præditum non ſolum in actuali vita, ſed etiam notitia ſcripturarum, quam ei non tam ſtudium lectionis, vel litteratura mũdi cõtulerat, quàm ſola puritas cordis: ſiquidem vix ipſius quoque Græcæ linguæ perpauca verba vel intelligere poſſet vel proloqui. Hic cùm explanationem cuiuſdam obſcuriſſimæ quæſtionis inquireret, ſeptem diebus ac noctibus in oratione infatigabilis perſtitit, donec ſolutionem propoſitæ quæſtionis Domino reuelãte cognoſceret.

De ſententia eiuſdem ſenis, qua docuit quo ſtudio monachus poſſit aſſequi ſcientiam ſcripturarum.

CAP. XXXIIII.

HIc ergo quibuſdam fratribus admirantibus tam præclarum ſcientiæ eius lumen, & ab eodem quoſdam ſcripturarum ſenſus inquirentibus, ait: monachum ad ſcripturarum notitiam pertingere cupientem, nequaquam debere labores ſuos erga commentatorum libros impendere, ſed potius omnem mentis induſtriam & intentionem cordis erga emundationem vitiorum carnalium detinere.

Oratione & puritate cordis magis quàm ſtudiorum aſſiduitate ſcientiã ſcripturarum comparari.

Quibus expulsis confestim cordis oculi, sublato velamine passionum, sacramenta scripturarum velut naturaliter incipient contemplari. Siquidem nobis non vt essent incognita vel obscura, sancti spiritus gratia promulgata sunt: sed nostro vitio velamine peccatorum cordis oculos obnubente * reddantur obscura, quibus rursum naturali redditis sanitati, ipsa scripturarum sanctarum lectio ad contẽplationem veræ sciẽtiæ abundè etiam sola sufficiat, nec eos commentatorum institutionibus indigere: sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent doctrina, si modò fuerint à suffusione vel caligine cæcitatis immunes. Ideo namque & tanta varietas erroresque inter tractatores ipsos exorti sunt, quòd pleriq; minimè erga purgationem mẽtis adhibita diligentia, prosilientes ad interpretandum eas pro pinguedine vel immunditia cordis sui diuersa atque contraria vel fidei, vel sibimet sentientes, veritatis lumen comprehendere nequiuerunt.

*reddũtur

Increpatio eiusdem Senis cùm ad meam cellulam media nocte venisset.

CAPVT XXXV.

HIc idem Theodorus cùm inopinatus ad meam cellulam intempesta nocte venisset, quidnam rudis adhuc Anachoreta solus agerem, paterna curiositate latenter explorans, meque illico finita vespertina sollemnitate incipientem fessum corpus iam reficere, & incubantẽ psiathio reperisset: protrahens imo corde suspiria, meoque me vocitans nomine: Quanti, inquit, ô Ioannes, hora hac Deo colloquuntur, eúmque in semetipsis amplectuntur ac retinent, & tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus! Et quoniã nos ad huiuscemodi narrationẽ diuertere patrũ virtutes & gratia prouocarunt, necessarium reor memorabile opus caritatis quam summi viri Archebij humanitate sumus experti, in hoc volumine commendare, quo puritas continentiæ operi caritatis inserta propensius enitescat pulchra varietate distincta. Etenim tunc gratum Deo ieiunij munus efficitur, cùm hoc fructibus caritatis fuerit consummatum.

Descriptio eremi quæ est in Diolco, in qua Anachoretæ commorantur.

CAPVT XXXVI.

ITaque cùm de Palæstinæ monasteriis ad opidum Aegypti quod Diolcos appellatur, rudes admodum venissemus, ibique plurimam turbam cœnobij disciplina cõstrictam, & optimo ordine monachorum, qui etiam primus est, institutam mirificè videremus, alium quoque ordinem, qui excellentior habetur, id est, Anachoretarum, cunctorum præconiis instigati, sagacissimo corde videre properauimus. Hi namque in

cœnobiis

cœnobiis primum diutissimè commorantes, omniq́ue patiẽtiæ ac discretionis regula diligenter edocti, & humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atque ad purum vitiorum vniuersitate consumpta, dirissimis dæmonũ prœliis congressuri, penetrant eremi profunda secreta. Huius igitur propositi viros comperientes circa Nili fluminis alueum commorari, in loco qui vno latere eodem flumine, alio maris vastitate circumdatus, Insulam reddit, nullis aliis quàm monachis secreta expetentibus habitabilẽ: nec enim cuiquã culturæ aptã esse eam salsitas soli ac sterilitas patitur arenarum: ad hos inquam summo desiderio festinãtes, vltra modum sumus labores eorũ, quos contemplatione virtutum & amore solitudinis tolerant, admirati. Nam ipsius aquæ tanta penuria constringuntur, vt tali eã diligentia scrupuloq; dispensent, quali nemo frugalissimorũ speciẽ pretiosissimi vini conseruat & parcit. Tribus namque milibus vel eò amplius eam de prædicti fluminis alueo necessariis vsibus aduehunt: quod tantum interuallum arenosis diuisum montibus, laboris difficultate grauissima duplicatur.

Abbatis Archebij humanitas commendatur. CAP. XXXVII.

HIs igitur visis, cùm imitationis eorum nos ardor accenderet, prædictusque Archebius probatissimus inter eos humanitatis gratia nos ad suam cellulã pertraxisset, explorato desiderio nostro, confinxit se de eodem loco velle discedere, ac nobis cellulam suam velut exinde migraturus offerre, sese id facturũ etiamsi minimè adfuissemus affirmans. Quã rem nos & desiderio cõmorationis accensi, & assertionibus tanti viri indubitatam accõmodantes fidem, libenter amplexi, cellulam cũ omni supellectili vtensilibusq́ue suscepimus. Itaque religiosa potitus circumuentione, paucis diebus quib. construendæ cellæ pararet impendia de loco discedens, reuersus post hæc aliam sibi summo labore construxit. Quam rursum nõ longo pòst tempore aliis superuenientibus fratribus, eodemq́ue desiderio cupientibus ibidem cõmorari, simili caritatis mendacio circumuentis, cum vniuersis tradidit instrumẽtis. Ipse verò erga opus caritatis infatigabilis perseuerans, tertiam sibi cellulam in qua commaneret, extruxit.

Idem Archebius manuum suarum labore matris debitum dissoluit.

CAPVT XXXVIII.

OPeræpretium mihi videtur aliud quoque eiusdem viri caritatis opus memoriȩ tradere, quo nostrarũ partium monachi non solũ continentiæ rigorem, verumetiã sincerissimum retinere dilectionis affectum, vnius eiusdemq́ue viri

 instituan-

institiuantur exemplo. Hic namque nō ignobili oriundus familia, ad monasterium quod à prædicto opido fermè quatuor milibus distat, mundi huius ac parentum affectione cōtempta, à puerilibus annis aufugit. Vbi ita vitæ suæ omnem exegit ętatem, vt nunquā prorsus per totos quinquaginta annos non solum vicum ex quo egressus est, nec fuerit ingressus, nec viderit, sed ne cuiusquam quidem feminæ, vel ipsius matris suæ conspexerit vultum. Interea pater morte præuentus, centum solidorum debitum reliquit. Cumque hic esset omni inquietudine penitus alienus, vtpote qui vniuersis paternis facultatib. esset extorris, à creditoribus tamen inquietari vehementer comperit matrem. Tunc hic ab euangelico illo rigore quo antehac in statu prospero parentibus constitutis, nec patrem in terra se norat habuisse nec matrem, pietatis consideratione mollitus, ita se habere credidit matrem, eiq; subuenire festinauit oppressæ, vt nihil à proposita districtione laxaret. Intra monasterij namque claustra perdurans, soliti operis pensum sibimet triplicari poposcit. Et ibi per totū anni spatiū diebus pariter noctibusq; desudās, debiti modū operis sudore * partim creditoribus soluens, matrē omni inquietudinis iniuria liberauit, ita eruens eā debiti sarcina, vt nihil de propositi rigore piæ necessitatis obtentu pateretur imminui. Ita districtionē solitā custodiuit, vt nequaquā pietatis opus maternis visceribus denegaret, quam pro Christi caritate prius despexerat, pro eius rursus pietate cognoscens.

* paratum

Qua simulatione senis cuiusdam Abbati Simeoni cùm otiosus esset opus manuum sit prouisum. CAP. XXXIX.

CVm frater nobis optimè carus nomine Simeō, penitus Gręci sermonis ignarus, è partibus Italię cōmeasset, quidā Seniorū erga eum, vtpote peregrinū, caritatis opus quodā redibitionis colore cupiens exhibere, inquirit ab eo cur otiosus sederet in cella, per hoc cōiiciens eū tā otij peruagatione quā penuria necessariarū rerū diutius in ea durare nō posse, certus neminē posse impugnationes solitudinis tolerare, nisi eū qui propriis manib⁹ victū sibimet fuerit parare cōtentus. Quo respōdente, nihil se nec posse, nec præualere ex his quæ illic exercebātur à fratribus operari, pręter librariā manum, si tamē vllus in Aegypti regione Latinū codicem vsui esset habiturus: tūc ille tandē nactus occasionē, qua posset desideratū pietatis opus velut *debiti colore mercari, Ex Deo hęc inuēta est, inquit, occasio. Nā olim quęrebā qui Apostolum Latina mihi manu perscriberet. Etenim habeo fratrē militiæ laqueis obligatū, & apprimè Latinis instructū, cui de Scripturis sāctis aliquid ad legendū ędificationis eius obtētu transmittere cupio. Ita-

* redibitionis

pio. Itaque Simeone hanc occasionẽ velut à Deo oblatam sibi gratanter suscipiente: Senex quoque colorẽ, cuius prætextu pietatis opus liberè posset implere, libentius amplexus, confestim non solum vniuersas ei necessitates sub obtentu mercedũ totius anni conuexit, verumetiam membranas & vtensilia quæ ad scribendum necessaria erant, comportans, recepit post codicem scriptum nullis vsibus vel commodis profuturum, quippe vniuersis in illa regione notitia linguæ huius penitus ignaris, præter id quod hac subtilitate sumptuque prolixiore mercatus est, quemadmodum & ille sine confusionis verecundia, merito laboris & operis sui necessaria victus alimenta perciperet, & ipse munificentiæ suę pietatem tanquam debiti necessitate compleret, eo abundantius mercedem sibi conquirens, quo ambitu maiore peregrino fratri non solum victus necessaria, verum etiam operis instrumenta & operandi occasionem pariter contulisset.

De pueris qui deferentes ad ægrotantem ficus, non degustatis eisdem, fame in eremo defecerunt. CAP. XL.

SEd quoniam in loco vbi de ieiuniorũ & continentiæ rigore dicere aliquid proposuimus, affectio & opera caritatis videntur admixta, rursum ad propositum reuertentes, quoddam puerorũ ætate, nõ sensu, factum memorabile opusculo huic inseremus. Nam cùm vltra omnem admirationem ficus quidam de Mareotæ Libyæ partibus velut rem antè in loco illo non visam Abbati Ioanni œconomo in eremo Scythi detulisset, qui dispensationem ipsius ecclesiæ temporibus beati Pafnutij presbyteri ab eodẽ sibi creditam gubernabat: hic confestim eas ad Senem quendã, qui in interioribus deserti mala valetudine laborabat, per duos adolescẽtulos misit: Siquidẽ decem & octo milibus lõgè ab ecclesia cõmanebat. Qui pomis acceptis, cũ ad prædicti Senis tẽderent cellam, quod ibi perfacilè solet etiã Senioribus euenire, infusa repentè densissima nebula, tramitẽ recti itineris perdiderunt. Cumq; tota die & nocte discurrentes per auiã eremi vastitatem, nequaquã potuissent ægrotãtis cellulã reperire, tam itineris lassitudine, quàm inedia sitiq; confecti, fixis genibus, in orationis officio spiritũ Domino reddiderũt. Qui post hęc vestigiorũ suorũ indiciis diutissimè perquisiti, quæ in locis illis arenosis tanquã niuibus impressa signantur, donec ea vel leui ventorum flatu tenuis arena discurrens, rursus operiat, inuẽti sunt ficus intactas vt acceperãt reseruasse: eligentes scilicet animã magis quàm fidem depositi prodere, vitamq; potius amittere temporalem, quàm Senioris violare mandatum.

Sen-

Sententia Abbatis Macharij, de obseruantia monachi, vel tanquam diutissimè victuri, vel tanquam quotidie morituri. CAP. XLI.

ADhuc vnum beati Macharij profertur nobis salutare mãdatum quo libellum ieiuniorũ & continentiæ, tanti viri claudat sententia. Ita, inquit, debere monachum ieiuniis operam dare, vt centum annis in corpore commoraturũ, ita motus animi refrenare, & iniuriarum obliuisci, tristitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tãquam quotidie moriturum. In illo namque vtilis est prudensque discretio, æquali monachum districtione faciens semper incedere, nec permittens sub occasione debilitati corporis de arduis ad perniciosissima prærupta deuolui: in hoc verò magnanimitas salutaris, quæ valeat non solum quæ videntur prospera mundi præsentis despicere, verum etiam aduersis tristibusque non frangi, & ea velut parua nullaque contemnere, illic habens iugiter defixum suæ mentis intuitum, quo quotidie singulisque momentis accersendum esse se credit.

De spiritu Gastrimargiæ libri quinti finis.

LIBER VI.
DE SPIRITV FORNICATIONIS.

CAPVT I.



ECVNDVM nobis iuxta traditionẽ Patrum aduersus spiritũ fornicationis certamẽ est, longũ præ cęteris ac diuturnũ, & perpaucis ad purũ deuictũ, immane bellũ, & quod cũ à primo tempore pubertatis impugnare incipiat hominũ genus, nõ nisi prius cętera vitia superẽtur, extinguitur. Duplex namque est oppugnatio gemino armata vitio consurgens ad prœlium, & idcirco similiter ei gemina est acie resistendũ. Siquidẽ vt morbo carnis animæq; concretũ vires acquirit, ita nisi vtrisq; pariter dimicãtibus nequit debellari. Nec enim sufficit solũ corporale ieiuniũ ad cõquirendã vel possidendam perfectæ castimoniæ puritatẽ, nisi præcesserit contritio spiritus & oratio cõtra hũc immundissimũ spiritum perseuerans, dein cõtinuata meditatio scripturarũ, huic cque fuerit scientia spiritalis adiuncta: labor etiam opusq; manuũ instabiles cordis peruagationes coërcens ac reuocãs, & ante omnia fundata fuerit

ta fuerit humilitas vera, sine qua nullius penitus vitij poterit vnquam triumphus acquiri.

De principali remedio aduersus spiritum fornicationis. CAP. II.

PRincipaliter enim vitij huius correctio de cordis perfectione descẽdit, ex quo etiam huius morbi virus Domini voce prodire signatur. De corde, inquit, exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, &c. Illud ergo est primitus expiandũ, vnde fons vitæ & mortis manare cognoscitur; dicente Salomone, Omni custodia serua cor tuũ: Ex his enim sunt exitus vitæ. Caro enim eius arbitrio atq; imperio famulatur, & idcirco summo studio parcimonia ieiuniorũ sectanda est, ne escarũ abundantia referta caro, præceptis animæ salutaribus aduersata, rectorem suũ spiritũ deiiciat insolescens. Cęterũ si omnẽ summam in castigatione tantũ corporis collocemus, anima non similiter à cæteris vitiis ieiunãte, nec meditatione diuina & spiritalibus studiis occupata, nequaquã ad illud sublimissimũ verę integritatis fastigiũ poterimus ascendere, illo quod in nobis est principale, puritatẽ corporis nostri infestante. Oportet ergo nos mundare prius iuxta sententiam Domini, id quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat & id quod deforis est mundũ.

Matth. 15. *Prouerb. 4.* *Matth. 23.*

Quantũ ad superandũ fornicationis vitium conferat solitudo. CAP. III.

DEinde cætera vitia etiã vsu hominum & exercitio quotidiano purgari solẽt, & quodãmodo ipsius lapsus * offensione curari: vt puta iræ, tristitiæ, impatiẽtiæ lãguor, meditatione cordis ac peruigili sollicitudine, fratrum etiam frequẽtia & assidua prouocatione sanãtur. Dumque cõmora manifestantur sæpius, & crebrius arguũtur, quantocyus perueniũt ad salutem. Hic verò morbus cum corporis afflictione & contritione cordis, solitudine quoque ac remotione indiget, vt possit ad integrum sanitatis statum, perniciosa æstuum febri deposita, peruenire. Sicut plerũque certa ægritudine laborantibus vtile est, vt cibi noxij ne oculorum quidẽ ipsorum obtutibus offerantur, ne quod aspectus occasione desiderium eis lethale gignatur: ita plurimũ confert ad depellendum hunc specialiter morbum quies ac solitudo, vt mens ægra minimè diuersis figuris interpellata, ad puriorem perueniens contemplationis intuitum, facilius pestiferum concupiscentiæ fomitem radicitùs possit eruere.

* ostẽsione

Quid intersit inter castitatem & continentiã, & an vtraq; simul semper habeatur. CAPVT IIII.

NEmo tamen ex hoc negare nos putet, etiam in cõgregatione fratrum positos inueniri continentes, quod perfacilè

facilè fieri posse confitemur. Aliud enim est continentē esse, id est, ἐγκρατῆ, aliud castum, &, vt ita dicam, in affectum integritatis vel incorruptionis trāsire, quod dicitur ἁγνόν. Quæ virtus illis solis tribuitur maximè, qui virgines vel mente vel carne perdurāt, vt vterq; Ioānes in nouo Testamēto; in veteri quoq; Elias, Ieremias, Daniel fuisse noscuntur. In quorū gradu hi quoq; non immeritò reputabūtur, qui post experimēta corruptionis ad similē puritatis statū per laborē longum & industriam integritate mētis & corporis peruenerūt, & aculeos carnis nō tam impugnatione cōcupiscentiæ turpis, quàm naturæ tantūmodo motu sentiunt. Quem statū dicimus difficillimè posse inter hominū turbas apprehendi, vtrū verò & impossibile sit, vnusquisq; nō nostra sententia expectet agnoscere, sed cōscientię suæ rimetur examine. Cæterū continentes multos existere nō dubitamus, qui impugnationē carnis, quā vel rarò vel quotidie sustinent, seu metu gehennæ, seu desiderio regni cælorum extinguunt atq; compescunt. Quos Seniores sicut pronunciāt posse nō penitus incentiuis obrui vitiorum, ita securos & insauciatos semper existere nō posse definiunt. Necesse est enim vnūquemq; in colluctatione positum, quamuis frequenter aduersarium vincat ac superet, & ipsum tamen aliquando turbari.

Quòd impugnatio fornicationis solo humano studio fieri nequeat.

CAPVT V.

2.Tim.4. QVapropter si nobis cordi est agonē spiritalem cū Apostolo legitimè decertare, hunc immundissimū spiritum superare, omni mētis intentione, non nostris viribus confidentes (hoc enim industria humana perficere non præualet) sed opitulatione Domini festinemus. Tamdiu namque hoc vitio animā necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra vires suas agnoscat, nec labore vel studio proprio victoriā obtinere se posse, nisi Dñi fuerit auxilio ac protectione suffulta.

De peculiari gratia Dei ad castitatis consecutionem necessaria.

CAPVT VI.

ET reuera cùm in omnibus virtutum profectibus, & cunctorū expugnatione vitiorū, Domini sit gratia atque victoria, in hoc præcipuè peculiare beneficium Dei ac speciale donum, & Patrū sententia & experimēto purgationis ipsius manifestissimè declaratur his qui eam meruerint possidere. Quodāmodo enim exire de carne est in corpore cōmorantē, & vltra naturam est fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis (vt ita dixerim) pennis ad tam præcelsū cęlesteq; præmiū subuolare;

lare, nisi eũ gratia Domini de terræ cœno munere * euexerit castitatis. Nulla etenim virtute tam propriè carnales homines spiritalibus angelis imitatione conuersationis æquantur, quàm merito & gratiã castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum municipatum in cælis: quod deposita corruptela carnali habituros sanctos promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes.

* eduxerit

Castitatis munus homines angelis simillimos efficit.

Philip. 3.

Exemplum de agone mundiali, secundum sermonem Apostoli.

CAPVT VII.

AVdi quid dicat Apostolus: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. A quibus omnib. dixerit, inquiramus, vt possit nobis spiritalis agonis instructio comparatione carnalis acquiri. Illi etenim qui in hoc agone visibili studẽt legitimè decertare, vtendi omnibus escis quas desiderij libido suggesserit, non habent facultatem, sed illis tantum quas eorundem certaminum statuit disciplina. Et nõ solum interdictis escis, & ebrietate, omnique crapula eos necesse est abstinere; verum etiam cuncta inertia, otio atque desidia, vt quotidianis exercitiis iugique meditatione virtus eorũ possit accrescere. Et ita omni sollicitudine ac tristitia negotiisq; secularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiũtur alieni, vt præter exercitiũ disciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur: ab eo tantum qui certamini præsidet sperantes quotidiani victus substantiam, & coronæ gloriam, condignaque præmia victoriæ laude cõquirere. Atq; intantũ se mũdos ab omni coitus pollutione custodiunt, vt cũ se pręparant ad agonũ certamina, ne qua forsitan per somnum nocturna delusi fallacia, vires minuant multo tẽpore conquisitas, laminis plumbeis renum contegant loca, quò scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obscenos humores valeant inhibere, intelligẽtes se proculdubio esse vincendos, nec iam posse propositum certamen demtis viribus adimplere, si prouisam pudicitiæ soliditatem fallax noxiæ voluptatis imago corruperit.

1. Cor. 9.

De comparatione purificationis eorum qui in terreno agone certamen habituri sunt.

CAP. VIII.

ITaque si agonis mundialis intelleximus disciplinam, cuius exemplo beatus Apostolus nos voluit erudire, docens quãta in illa sit obseruatio, quanta diligentia, quanta custodia, quid nos conueniet facere, qua puritate oportebit custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci, quas neminem immundũ cõtingere etiam veteris legis præcepta permittũt.

Ibidem.

In Leui-

in Leuitico nãque ita præcipitur: Omnis mundus manducabit carnes. Et anima quæcũq; comederit de carnibus sacrificij salutaris quod est Domini, in qua est immũditia, peribit corã Domino. Quantum igitur integritatis est munus, sine qua etiam illi qui erant sub veteri testamento, sacrificiis typicis non poterãt interesse, & qui huius mundi corruptibilem coronam cupiunt adipisci, nequeunt coronari?

Quantã semper cordis puritatẽ parare corã Dei oculis debeamus. CAP. IX.

ITaque omni custodia cordis nostri sunt latebræ primitùs expiandæ. Quod enim illi in corporis puritate cupiunt assequi, nos debemus etiã in arcanis conscientiæ possidere, in qua Dominus arbiter atque agonotheta residens, pugnã cursus & certaminis nostri iugiter * expectat, vt ea quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur, & in quibus humana cognitione confundimur, ne occulta quidẽ conniuentia polluamur. Quæ licet possit hominum præterire notitiam, sanctorum tamen angelorũ ipsiusque omnipotentis Dei scientiam, quam nulla subterfugiunt secreta, latere non poterit.

* spectat,

Quod sit indicium perfectæ & integræ puritatis. CAP. X.

CVius puritatis hoc erit euidens indicium ac plena probatio, si vel nulla imago decipiens quiescẽtibus nobis & in soporem laxatis occurrat, vel certè interpellans nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minimè reputetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium est, nec ad purũ excocti vitij manifestatio, cùm per fallaces imagines huiusmodi operatur illusio.

Quo vitio illusio nocturna procedat. CAP. XI.

QValitas enim cogitationũ quæ distẽtionibus diei neglig ẽtius custoditur, probatur quiete nocturna. Et idcirco cũ intercesserit aliqua talis illusio, nõ culpa somni credenda est, sed negligentia tẽporis præcedentis, & manifestatio morbi latentis intrinsecus, quẽ nõ primitus noctis hora parturiit, sed intimis animæ reconditũ fibris ad cutis superficiẽ somni refectione produxit, arguens occultas æstuũ febres quas per totum diei spatium noxiis cogitationibus pasti contraximus: vt solent malæ quoque valetudines corporum non ea colligi tempestate in qua videntur emergere, sed negligentia sunt præteriti tẽporis acquisitæ, quo pastus quis impudenter escis saluti cõtrariis noxios humores sibimet lethalesq; contraxit.

Quòd carnis puritas sine munditia cordis nequeat obtineri. CAP. XII.

IDeoq; humani generis creator & conditor Deus, opificij sui naturam præ omnibus emendationemque cognoscens, illic

illic curam adhibuit medicinæ, vnde causas morbi principaliter nouerat emanare: Quicumque, inquiens, viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Petulantes oculos notans, non tam eos arguit, quàm illum interiorem sensum, qui officio eorum malè vtitur ad vidēdum. Cor namq; est ægrum & saucium libidinis telo quod ad concupiscendum videt: beneficium intuitus rectè sibimet à creatore concessum, suo vitio ad operum prauorum ministeria contorquens, & in semetipso reconditum concupiscentiæ morbum contemplationis occasione producens. Idcirco ergo huic pręcipitur salutare mandatum, cuius vitio pessimus languor visus occasione procedit. Nō enim dicitur, omni custodia serua oculos tuos, quos vtiq; oportuit principaliter custodiri, si ex ipsis concupiscentiæ prodiret affectus: nihil enim amplius oculi, quàm simplex animæ præbēt visionis officium: sed dicit, omni custodia serua cor tuum: illi potissimùm imposita medicina quod vbique abuti potest oculorum ministerio.

Matth. 5.

Prouerb. 4.

Exurgentes primum cogitationes carnales ilico repellendas esse.

CAPVT XIII.

HAec erit igitur purgationis huius prima custodia, vt cùm menti nostræ memoria sexus feminei per subtilem suggestionem diabolicæ calliditatis obrepserit; primum recordatione præmissa matris, sororum, parentum, seu certè feminarum sanctarum, quantocyus eam de nostris* recessibus extrudere festinemus: ne si fuerimus in ea diutius immorati occasione sexus semel * indepti, illex malorum ad eas personas exinde subtiliter deuoluat ac præcipitet mētem, per quas noxias cogitationes possit inserere. Quamobrem illius pręcepti iugiter meminisse debemus, Omni custodia serua cor tuum: & secundum Dei principale mandatum sollicitè serpentis obseruare noxium caput, id est, cogitationum malarum principia, quibus serpere in animam nostram diabolus tētat: ne si caput eius per negligētiam penetrauerit cor nostrum, reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensus illabatur. Qui proculdubiò si fuerit intromissus, morsu virulento mentem interimet captiuatam. Emergentes etiam peccatores terræ nostræ, id est, sensus carnales in matutinis sui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc paruuli sunt allidere filios Babylonis ad petrā. Qui nisi, dum tenerrimi sunt, fuerint enecati, adulti per conniuentiam in perniciem nostram validiores insurgent, aut certè non sine magno gemitu ac labore vincētur. Dum enim fortis scilicet spiritus noster domum suam custodit armatus,

* sensibus

* *hoc est, semel in animum admissi.*

Genes. 3.

Psal. 136.

Luca 11.

recessus cordis sui Dei timore cõmuniens, in pace erit omnis substantia eius: id est, emolumenta laborum ac virtutes longo tempore conquisitæ. Si autem fortior superueniens vicerit eum: id est, diabolus cogitationum consensu, arma eius diripiet in quibus confidebat, id est memoriam scripturarum vel timorem Dei: & spolia eius diuidet, virtutum scilicet merita per contraria vitia quæque dispergens.

Quòd non laudem studeamus texere castitatis, sed effectum eius exponere.

CAPVT XIIII.

ET vt cuncta prætereum quæ in sanctis scripturis ob laudem virtutis huius inserta sunt: (non enim mihi propositum est laudem texere castitatis, sed de qualitate ipsius, vel quemadmodum acquiri vel custodiri debeat, quíve sit finis eius, Patrum traditionibus explicare) vnam tantummodo ponam beati Apostoli sententiam, qua pateat qualiter illam, Thessalonicensibus scribens, virtutibus prætulerit vniuersis, tali eam verbi nobilitate commendans.

Quòd specialiter castitatis virtus ab Apostolo sanctimonia nuncupetur.

CAPVT XV.

1. Thess. 4. HAec est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra. Et ne fortè dubium nobis relinqueret vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare, vtrum iustitiam, an caritatem, an humilitatem, an patientiam: in omnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio: infert & manifestè designat quid propriè sanctificationẽ voluerit appellare. Hæc est volũtas Dei sanctificatio vestra: vt abstineatis vos, inquit, à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Vide quibus eam laudibus prosequatur: honorem vasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem eam appellans. Igitur econtrariò qui in passione desiderij est, in ignominia & in immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur. Tertiò quoque post pauca

Idem. infert, rursus sanctimoniam eam pronũcians. Non enim vocauit nos Deus in immunditiã, sed in sanctificationem. Itaq; qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Authoritatem præcepto suo inuiolabilem iunxit, dicens: Qui hæc spernit, id est, quæ de sanctimonia præfatus sum, non hominem spernit, hoc est, me qui hæc præcipio, sed Deum qui in me loquitur, qui etiam spiritui suo sancto cor nostrum habitaculum deputauit. Cernis simplicibus verbis ac puris quibus eam præconiis quantisque extulerit laudibus, primum virtuti huic sanctifica-

ctificationem propriè tribuendo: deinde per hanc asserens vas nostri corporis ab immunditia liberandum: tertio quòd abiecta ignominia & contumelia, in honore sit & sanctificatione mansurum: postremò quæ summa est perfecti præmij ac beatitudinis remuneratio, per hanc habitatorem pectoris nostri sanctum fore spiritum designauit.

De alio Apostoli testimonio super eadem sanctimonia.

CAPVT XVI.

ET licet ad finem libelli tendat oratio, aliud adhuc simile huic prætermissum eiusdem Apostoli testimonium ponam. Ad Hebræos namque scribens: Pacem, inquit, sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Hic quoque euidenter sine sanctimonia quam solet integritatem mentis vel puritatem corporis appellare, pronũciauit Deum penitùs videri non posse. Siquidem & hic similiter infert, eundem sensum explanans, Ne quis fornicator aut profanus, vt Esau. *Heb. 12.*

Quòd spes sublimioris præmij debeat custodiam castitatis augere.

CAPVT XVII.

ITaque quantum sublime cælesteque est præmium castitatis, tanto grauioribus aduersariorum insidiis lacessitur. Et idcirco propensius nobis est, non solùm continentia corporis, verum etiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, vt clibanus carnis nostræ quem rex Babylonius incentiuis suggestionum carnalium succendere non desistit, descendente in corda nostra rore sancti spiritus extinguatur.

Castitatem niti humilitate, & scientiam castitate.

CAP. XVIII.

ETenim hanc seniores aiunt apprehendi non posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata: Ita nec ad fontem quidem veræ scientiæ perueniri posse definiunt, donec penetralibus animæ nostræ radix vitij huius insederit: & possibile quidem esse integritatem sine scientiæ gratia reperiri, impossibile verò scientiam spiritalem sine integritatis castimonia possideri. Quia & diuersa sunt dona, & non omnibus vna gratia spiritus sancti tribuitur, sed ad quam se vnusquisque studio vel industria sua dignum aptumque præbuerit. Denique cùm in omnibus Apostolis sanctis virtus integritatis perfecta fuisse credatur, abũdantiùs tamen scientiæ donum exuberauit in Paulo, quia se ad hanc aptum solerti studio atque industria præparauit. *Vide annotationem primã ad calcem totius operis.*

Sententia sancti Basilij episcopi de qualitate virginitatis suæ.

CAPVT XIX.

FErtur sancti Basilij Cæsariensis episcopi districta sententia: Et mulierem, inquit, ignoro, & virgo non sum. Intantum intellexit incorruptionem carnis, non tam in mulieris esse abstinentia quàm in integritate cordis, quæ verè incorruptam perpetuò sanctimoniam corporis vel timore Dei, vel amore castitatis custodit.

Vnde perfecta integritas animi dinoscatur. CAP. XX.

ITaq; hic est integritatis finis ac perfecta probatio, si quiescentibus nobis titillatio voluptatis nulla subrepserit, ac pro necessitate naturæ nobis inconsciis concretiones egerãtur obscenę. Quas sicut abscindere per omnia & in perpetuum amputare super naturam est, ita reuocare ad ineuitabilem rarissimamque naturæ necessitatem summæ virtutis est, quæ pulsare monachum duobus interpositis mensibus solet. Quod tamen dictum sit secundum nostram experientiam, non secundum sententiam Seniorum, à quibus etiam hæ memorati temporis indutiæ admodum iudicabantur angustæ, ne si hoc modo quo ab ipsis percepimus voluerimus exponere, his fortè qui pro negligentia sua, vel remissiore studio puritatẽ hanc minus experti sunt, incredibilia vel impossibilia descripsisse credamur.

Quemadmodum perfectæ puritatis statum retinere possimus.

CAPVT XXI.

QVem statum ita tenere perpetuò poterimus, ac nũquam naturalem modum nec tempus excedere superius comprehensum, si Deum non solùm secretorum actuum nostrorum, verumetiam cogitationum cunctarum diurnum pariter nocturnumque inspectorem esse & conscium cogitemus, ac pro omnibus quæ in nostro corde versantur, sicut pro factis & operibus nostris rationem nos ei reddituros esse credamus.

Ad quem vsque modum possit integritas corporis nostri perduci, vel quod indicium sit ad purum mentis excoctæ. CAP. XXII.

HVcusque igitur festinandum est nobis, & eò vsque aduersus animi motus vel carnis incentiua pugnandum, donec ista carnis condicio necessitatem naturæ expleat, non suscitet voluptatem, concretam exuberantiam sine vllo pruritu noxaque propellens, non pugnam suscitans castitati. Cæterum mens dum adhuc dormiens imaginum visione deluditur, nouerit se necdum ad integram perfectionem castitatis excoctam.

Remedia

Remedia curationis quibus perfecta poßit cordis & corporis nostri puritas permanere CAP. XXIII.

IGitur vt illusiones hæ ne dormientibus quidem nobis subrepere valeant, æquale moderatumque semper tenendum est ieiunium. Quisquis enim mensuram districtionis excesserit, necesse est vt modum quoque remissionis excedat. Qua inæqualitate detentus ab hoc tranquillitatis planissimo statu sine dubio reuocabitur: nunc quidē nimia inanitate defectus, nunc autem cibo propensiore distentus. Cum immutatione siquidem refectionis, qualitatem quoque puritatis nostræ necesse est immutari. Deinde iugis humilitas ac patientia cordis adhibenda perpetuò est, atque intenta aduersus iram vel cæteras passiones per diem cautio. Vbi enim furoris insidet virus, libidinis quoque necesse est incendium penetrare. Ante omnia verò peruigil necessaria est sollicitudo nocturna. Nam sicut puritas & custodia diei nocturnam præparāt castitatem, ita nocturnæ vigiliæ cordi pariter & obseruationi diurnæ statum solidissimum roburque præmittunt.

De spiritu fornicationis libri sexti finis.

LIBER VII.

DE SPIRITV PHILARGYRIAE.

CAPVT I.



TERTIVS nobis conflictus est aduersus philargyriam, quam nos amorem pecuniarum possumus appellare: peregrinum bellum & extra naturam, nec aliunde in monacho sumens principium, quàm de corruptæ ac torpidæ mentis ignauia, & plerumque initio abrenunciationis malè arrepto, & erga Deum tepido amore fundato. Cætera namque vitiorum incitamenta humanæ inserta naturæ, velut ingenita videntur in nobis habere principia, & quodammodo inuiscerata carni, ipsique propemodùm coæua natiuitati discretionem boni malique præueniunt: & licet prima arripiant hominem, longo tamen labore vincuntur.

Quòd perniciosus sit morbus philargyriæ.

CAP. II.

HIc verò morbus posteriùs superueniens & extrinsecus accedens animę, quantò faciliùs caueri potest ac respui, tanto neglectus & intromissus semel cordi, fit perniciosior cunctis, difficiliusque propellitur. Malorum namq; omnium efficitur radix, multiplices fructificans fomites vitiorum.

Quæ nobis in vitiis naturalibus sit vtilitas. CAP. III.

VT puta carnis simplices motus, nónne videmus non solùm in pueris in quibus adhuc innocentia boni maliúque præuenit discretionem, verumetiam in paruulis atque lactẽtibus? Qui cùm ne initium quidem vllius libidinis in semetipsis habeant, motus carnis naturali incitamento sibi inesse designant. Iræ quoque aculeos truces nónne similiter in paruulis iam vigere conspicimus, & antequam patiẽtiæ virtutem agnoscant, iniuriis eos cernimus commoueri, & verborum sentire etiam per iocum contumelias irrogatas? ac nonnumquam cùm desint vires, voluntas tamen vltionis ira instigãte non deest. Nec hoc dico, quòd vocem naturam condicionis in culpam, sed quòd asseram motus hos qui procedunt ex nobis, quosdam quidem vtilitatis causa nobis insertos, quosdam verò negligentiæ vitio ac malæ voluntatis arbitrio extrinsecus introduci. Hi namque quos suprà diximus, motus carnales ob reparationem sobolis & posteritatis propaginem suscitandã, vtiliter sunt corpori nostro prouidentia creatoris inserti, non ad perpetrãda stuprorum flagitia & adulteria, quæ legis etiam authoritate damnantur. Iræ etiam aculeos nónne saluberrimè nobis intelligimus attributos, vt nostris vitiis & erroribus irascentes, virtutibus potiùs ac spiritalibus studiis occupemur, omnem caritatem Deo, & patientiam nostris fratribus exhibentes? Tristitiæ quoque vtilitas quanta sit nouimus, quæ inter cætera vitia cùm in contrarium affectum est mutata, connumeratur. Est enim & secundum Dei timorem pernecessaria, & secũdum seculum admodum perniciosa, vt docet Apostolus dicens: Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur. *2. Cor. 7.*

Quòd inesse nobis quædam naturalia vitia sine creatoris dicamus iniuria.

CAPVT IIII.

NOn ergo si dixerimus hos motus à creatore insertos nobis, ex eo culpabilis ille videbitur, si nequiter his abusi maluerimus eos ad noxia potius ministeria detorquere, & velimus pro infructuosis & secularibus lucris, non pro salutari

pœniten-

pœnitentia & vitiorum correctione tristari: vel certè si non nobismetipsis vtiliter, sed contra interdictum Domini nostris fratribus irascamur: Nam si ferrum quis ad necessarium & vtile ministerium contributum ad necem voluerit insontium retorquere, non ex hoc infamabit materiæ cõditorem, si quod ille ad vsum bene viuendi aptum ac necessarium prestitit, iste hoc vsus est ad nocendum.

De vitiis quæ extra naturalem motum nostro vitio contrahuntur.

CAPVT V.

DIcimus tamen quædam vitia sine vlla præcedente naturali occasione concrescere, sed solius corruptæ ac malæ voluntatis arbitrio, vt est inuidiæ ipsiusq; etiam philargyriæ, quæ cùm nulla habeant in nobis de naturali instinctu principia, extrinsecus contrahuntur. Quæ tamen quantum facilia sunt ad cauendum & opportuna ad declinandum, tantùm occupatam mentem atque possessam miseram faciunt, vixque ad sanitatis concedunt remedia peruenire, siue quòd non merentur curari celeri medicina qui ab his sauciati sunt quæ* vel ignorare vel vitare vel facillimè vincere potuerunt: vel certè quod malè fundati, virtutum structuram & perfectionis suscipere culmen indigni sunt. * quos

Receptus semel philargyriæ morbus quàm difficilè pellatur.

CAPVT VI.

QVamobrem nulli vilis despectusque videatur hic morbus: qui sicut potest perfacilè declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix peruenire concedit. Receptaculum namque est vitiorum malorumque omnium radix, & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo, Radix omnium malorũ est philargyria, id est amor pecuniæ. 1. Tim. 6.

Quibus vitiis philargyria generetur; vel quantorum malorum sit eadem procreatrix.

CAP. VII.

HAec igitur cùm remissam tepidamque possederit monachi mentem, primitùs eum in exigua summa sollicitans, iustos quosdam & velut rationabiles ei colores ob quos vel reseruare sibi aliquid pecuniæ debeat vel parare, describit. Nam & ea quæ præbentur in monasterio queritur non esse sufficientia, & sano robustoque corpore vix posse tolerari. Quid faciendum si valetudo mala carnis emerserit, & reconditũ non fuerit aliquid peculiare quo sustentetur infirmitas? Præstationẽ monasterij esse pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximã. Si proprium aliquid non fuerit quo cura corpori valeat adhiberi, miserè esse moriendum. Ipsum etiam

vestimentum non sufficere quod præbetur, nisi procurauerit vnde sibi aliud valeat exhiberi. Postremò nec diu posse in eodem loco vel monasterio cõmorari: & nisi parauerit sibi viatici sumptus, euectionisque transmarinæ mercedem, non posse cùm voluerit transmigrare, & necessitate inopiæ coarctatum, laboriosam ac miserabilem absque vllo profectu vitam iugiter toleraturum: inopem se quoque semper ac nudum non sine improperio aliena substantia sustentandum. Itaque cùm huiuscemodi cogitationibus laqueauerit mentem, qualiter vnum saltem denarium acquirere possit excogitat. Tunc peculiare opus quod exerceat Abbate inscio sollicita mẽte perquirit. Quod vendens clam & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet acriùs vehementiusque torquetur, vbi reponat, cuíve illum credat ambiguus. Deinde quid ex eo coëmere, qualique eum commercio valeat duplicare, cura grauiore distenditur. Cumque illi & hoc ex voto cesserit, auidior fames accrescit auri, tantoque vehementius suscitatur, quanto etiam summa lucri maior apponitur. Cum pecuniȩ etenim incremento rabies cupiditatis augetur. Tum deinde vita longæua promittitur, senectus incurua, infirmitates diuersæ atq; prolixæ, quæ nisi maior summa in iuuẽtute fuerit præparata, tolerari in senecta non possint. Agitur itaque infelix anima serpentinis nexibus obligata, dum materiam malè concretam nequiore cura concupiscit augere, pestem sibi qua dirius inflammetur ipsa parturiens, totaque lucri cogitatione possessa, nihil aliud respicit cordis intuitu, quàm vnde pecuniam parare valeat, per quam possit de monasterij disciplina quantocyus euolare, nullam exhibens fidem vbi potuerit nummi spes aliqua refulgere. Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore suppleri. Si quoquam à spe quæstus deciderit; non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, vt aliis venter, ita huic aurum & spes lucri pro Deo. Vnde beatus Apostolus huius morbi
Coloss. 3. noxia venena prospiciens, nõ solùm eam radicem esse omniũ malorum, verumetiam idolorum seruitutem pronũciauit, dicens; Et auaritia, quod in Græco dicitur φιλαργυρία, quæ est simulacrorum seruitus. Cernis igitur ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, vt etiam idolorum vel simulacrorum seruitus Apostoli voce pronuncietur, eo quòd figura Dei & imagine prætermissa, quam deuotè seruiens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit & tueri.

Quòd

Quòd philargyria omnes virtutes impediat.

CAP. VIII.

TAlibus igitur decessionum profectibus in deterius crescens, nullam deinceps humilitatis, nullam caritatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutem, sed ne vmbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat atque suspirat. Nullaque iam reuerentia reseruata, velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis: nec victu quotidiano, nec solito indumento contentus, non se diutius hæc toleraturum esse testatur. Deum quoque non ibi solummodo esse proclamat, nec salutem suam in illo tantum loco esse conclusam. Vnde si quoquam se non celerius asportauerit, se periturum protinus grauiter ingemiscit.

Quòd monachus habens pecunias, in cœnobio permanere non possit.

CAP. IX.

ITaque instabilitatis suę viaticum habens nummos, in quorum præsidio alarum sibi instar aptauit, iamque ad transmigrandum paratus insolenter ad omnia præcepta respondet: & tamquam peregrinum extraneumq; se gerens, quæcumq; indigentia correctione perspexerit, negligit atque contemnit. Cumque furtim possideat reconditam pecuniam, nec calciamenta quidem ac vestimenta se habere conqueritur, darique sibi tardius indignatur. Ac si fortè dispensatione Senioris ei prius qui nihil penitùs habere cognoscitur, aliquid horũ fuerit impartitum, maioribus iræ stimulis inardescit, seq; despici veluti extraneum putat, nec ad vllum opus manus suas accõmodare contentus, reprehẽdit omnia quæ necessariò fieri monasterij compellit vtilitas. Deinde occasiones quibus offendi vel irasci debeat, studiosè perquirit, ne leuiter motus de cœnobij disciplina videatur exire. Nec solus tamen transmigrare contentus, ne tamquam suo vitio deseruisse credatur, quantos potuerit susurrationibus clandestinis deprauare non desinit. Quòd si etiam tẽporis asperitas itineris seu nauigationis eius intercluserit commeatum, per omne illud tempus suspẽso anxioque residens corde, tristitias serere vel excitare non cessat: discessus solatium & excusationem leuitatis non se aliter credens, quàm nota vel macula monasterij reperturum.

Quem philargyriæ laborem subeat desertor monasterij, qui antè pro leuissimis operibus murmurabat. CAP. X.

AGitur itaque facibus pecuniarum suarum magis ac magis accensus, quæ possessæ, numquam monachum vel in monasterio residere vel viuere sub regulæ institutione permittunt. Cumque exinde eum velut feralis quædam bestia de

cœtu gregis ſegregãs, pecus opportunum prædæ,deſtitutione ſodalium fecerit, & deuorationi facilem contubernij priuatione reddiderit, eum qui prius opera monaſterij leuia exercere deſpexerat,die ac nocte ſpe quæſtus infatigabiliter laborare compellit, non orationum ſollemnia, non ieiuniorum modum, non vigiliarum regulam cuſtodire permittit, non honeſtarum interceſſionum explere officia ſinit, dummodo vel auaritiæ rabiem ſatiare, vel quotidianis vſibus poſſit occurrere, cupiditatis ignem dum acquirendo extinguendum credit accendens.

Quòd occaſione cuſtodiendæ pecuniæ feminarum contubernia requirantur.

CAPVT XI.

HInc iam nonnulli per abruptum præcipitium lapſi irreuocabili ruina feruntur ad mortem,& non contenti ſoli poſſidere quas vel numquam habuerant, vel initio malo reſeruauerant pecunias, inquirunt contubernia feminarum, quæ debeant ea quæ malè congeſta vel retenta ſunt, cuſtodire. Tantisque ſe occupationibus noxiis ac perniciosis inuoluunt,vt vſque ad profundum inferi deuoluti,dum acquieſcere illi apoſtolicæ ſententiæ renuunt, Vt habentes victum & veſtimentum his contenti ſint, quæ monaſterij frugalitas exhibebat, ſed volentes diuites fieri incidant in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa & inutilia & nociua quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt pecuniarum cupiditas, id eſt, philargyria:quam quidam appetentes errauerunt à fide,& inſeruerunt ſe doloribus multis.

1.Tim.6.

Ibidem.

Exemplum cuiuſdam tepidi monachi philargyriæ laqueis obligati.

CAPVT XII.

NOn ignoro quendam qui ſemetipſum autumat monachum, ſibique quod eſt deterius de perfectione blanditur,qui receptus in cœnobio,cùm à ſuo moneretur Abbate ne reuolueretur ad illa quæ renuncians abdicarat, ſeque de malorum omnium radice philargyria terreniſque laqueis expediret,ac ſi mallet priſtinis paſſionibus emundari, quibus eum grauiſſimè ſingulis momentis videbat vrgeri, ceſſaret affectare ea quæ ne antea quidem poſſederat, quorum nexibus compeditus ad purgationem vitiorum ſuorum ſine dubio peruenire non poſſet:truculento vultu eidem reſpondere non hæſitauit: Si tu habes vnde plurimos ſuſtentes, me ſimiliter habere cur prohibes?

Quid conferant seniores iunioribus in denudatione vitiorum.

CAPVT XIII.

HAec autem nemini videantur superflua vel molesta. Nisi enim prius exposita fuerint genera vulnerum, & origines causæq; morborum fuerint indagatæ; nec infirmis poterit adhiberi congrua medicinæ curatio, nec validis conferri perfectè custodia sanitatis. Nam & hæc & multò his plura ad instructionem iuniorum solent à senioribus, qui innumeros diuersorum casus ac ruinas experti sunt, in collatione proferri. Quorum multa sæpenumero cognoscentes in nobis ita senioribus exponentibus ac reuelantibus, velut qui eisdem ipsi quoque passionibus pulsarentur, absq; confusionis nostræ verecundia curabamur, cùm & remedia pariter & causas infestantium nos vitiorum taciti disceremus, quę nos non fraternitatis veriti corpus vel obteximus vel prætериimus, sed ne fortè delapsus liber in manus eorum qui in hoc proposito minus instituti videntur, patefaciat inexpertis, quę desudantibus solis ac festinantibus culmen perfectionis attingere debent esse comperta.

Philargyriæ morbus tripartitus. CAP. XIIII.

TRiplex itaq; est huius valetudinis morbus, qui ab vniuersis patribus æquali detestatione damnatur. Vnus hic cuius superiùs descripsimus labem, qui decipiens miserabiles quosque ea quę ne anteà quidem cùm in seculo degerent possidebant, congregare persuadet. Alius qui hæc quæ in primordiis suæ renunciationis abiecerant, posteà resumere ac rursum desiderare compellit. Tertius qui initio malo vitiosoque contractus, & ab imperfectione incipiens, eos quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentię timore perterritos, spoliare se cũctis mundi facultatibus non sinit: eosq; pecunias vel substantias quas vtique renunciantes abiicere debuerant reseruãtes, ad euangelicam perfectionem numquam peruenire concedit. Quarum trium ruinarum exempla in scripturis sanctis etiam inuenimus non leui pœna fuisse damnata. Nam Giezi ea quæ ne anteà quidem possederat volens acquirere, non modò gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hæreditariam à suo habuit magistro suscipere; verumetiam econtrariò æterna lepra sancti Elisei maledictione perfunditur. Iudas autẽ volens 4. *Reg.* 5.
resumere pecunias quas anteà Christũ secutus, abiecerat, non *Matth.* 26.
solùm ad proditionẽ Domini lapsus, apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam cõmuni exitu finire nõ meruit, *Actor.* 5.
eamq; biothanati morte conclusit. Ananias verò & Sapphira reser-

reseruantes partem quandam ex his quæ possederant, apostolico ore morte multantur.

Malè renuncians à non renunciante quo differat. CAP. XV.

DE his igitur qui dicētes renunciasse se huic mundo, rursus incredulitate fracti nudari terrenis opibus timent, in
Deut. 20. Deuteronomio mysticè præcipitur. Si quis est homo formidolosus & corde pauido, non egrediatur ad bellum: vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. Hoc testimonio quid euidētius quæso? Nónne manifestè mauult eos scriptura professionis huius nec initium sibimet vsurpare, nec nomen, quàm exhortatione exemploq; corrupto etiam alios ab Euāgelicá perfectione reuocare, & infideli infirmare terrore? Iubetur itaq; eis vt discedentes è pugna reuertantur in domum suam, quia non potest quisquam duplici corde bella Domini
Iacob. 1. prœliari. Vir enim duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Et cogitantes secundum illam Euangelij parabolam
Luca 14. eum qui cum decem milibus progreditur contra regem cum viginti milibus venientem, non posse confligere, adhuc eo lōgè posito postulēt pacem, id est, vt ne initium quidem renunciationis arripiant potius quàm tepidè eam pòst exequentes maiori discrimine semetipsos inuoluant. Melius est enim non
Eccles. 5. vouere, quàm vouere & non reddere. Pulchrè autem hic cum decem milibus, & ille cum viginti venire describitur. Amplior enim vitiorum nos impugnantium numerus est, quàm virtu-
Matth. 6. tum pro nobis dimicantium. Nemo autem potest Deo seruire
Luca 9. & mammonæ. Nec ponēs quisquam manum suam super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

Cuius testimonij se colore tueantur qui exui facultatibus suis nolunt.
CAPVT XVI.

HI ergo occasionem auaritiæ pristinæ sibimet intromittere quadam scripturæ sanctæ authoritate conantur: Quam vitiosiore intellectu interpretantes, Apostoli, imò Domini sententiam corrumpere, atque ad suum desiderium gestiunt deprauare, non suam vitam vel intellectum scripturarū sensui coaptantes, sed vim scripturis pro desiderio suæ libidinis inferentes, consentire eas suis opinionibus volunt, aiūtq;
Actor. 20. scriptum esse, Beatius magis dare quàm accipere. Cuius interpretatione prauissima eneruatam Domini putāt illam esse
Matth. 19. sentētiam qua dicitur, Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Et arbitrātur hoc colore diuitias suas se abijcere non debere: beatiores scilicet semetipsos pronunciantes,

si pristinis suffulti substantiis, aliis quoq; de earum superabundantia largiantur: dumque erubescunt pro Christo gloriosam cum Apostolo suscipere nuditatem, nec opere manuũ nec monasterij parcimonia volunt esse contenti. Quibus superest vt aut semetipsos circũuenire nouerint, & nequaquam renunciasse huic mundo, diuitiis pristinis incubantes: aut si professionem monachi re atq; opere cupiunt experiri, dispersis atque abiectis omnibus, nihilque ex his quibus renunciauerunt reseruantes, cum Apostolo glorientur in fame & siti, in frigore & nuditate. 2.Cor.11.

De renunciatione Apostolorum & ecclesiæ primitiuæ. CAP. XVII.

QVasi verò & ille similiter non potuerit facultatibus pristinis sustentari, qui se non ignobilem etiam in huius mundi ordine fuisse testatur, cùm se asserit à natiuitate ciuis Romani dignitate prælatum, si hoc esse ad perfectionem cõmodius iudicauisset. Et illi qui Ierosolymis cùm essent possessores agrorum vel domorum, vendentes omnia, & nihil sibi penitùs ex his reseruantes, afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes discipulorum; non potuerint necessitatem corporis sui facultatibus proprijs sustentare, si hoc perfectius fuisset ab Apostolis iudicatũ, vel ipsi esse vtilius probauissent? sed vniuersas simul abiicientes substantias maluerunt labore proprio, vel collatione gentium sustẽtari. De quorum sumptu sanctus Apostolus ad Romanos scribens, suumque eis in hoc ministerium prædicans, ac subtiliter eos ad hanc collationem prouocans, ait: Nunc autem proficiscar Ierusalem ministrare sanctis. Complacuit enim Macedoniæ & Achaiæ collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt Ierusalem: complacuit enim, & debitores sunt eorum. Quoniam si spiritalium eorum participes factæ sunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. Ad Corinthios quoque horum sollicitudinem similiter gerens, monet eos vt ante aduentum suum collationem quam ad vsus eorum mittere disponebat, sollicitiùs præpararet. De collectis autem quæ fiunt in sanctis, sicut ordinaui ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Vnusquisque vestrum per vnam sabbathi thesaurizet apud semetipsum recõdens quod ei bene placuerit, vt non cùm venero tunc collectæ fiant. Cùm autem venero, quos probaueritis per epistolas, hos trãsmittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Et vt eos ad largiorem collationem prouocaret, infert: Quòd si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt: id est si talis fuerit oblatio vestra quæ mea quoque mereatur prosecutione deferri. Ad Galatas quoque cùm prædicationis ministeriũ cum Apostolis parti-

Actor.22. Actor.4. Rom.15. 1.Cor.16. Galat.2.

partiretur: hoc idem se depactum cum Iacobo, Petro & Ioãne testatur, vt licet prędicationem susciperet gentium, pauperum tamen qui erant Ierosolymis, nequaquam sollicitudinem curamq; respueret: qui propter Christum vniuersis rebus suis renũciantes, spontaneam subierãt egestatẽ. Et cùm vidissent, inquit, gratiam Dei quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederũt mihi & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes prædicaremus, ipsi autem in circumcisione, tantum vt pauperum memores essemus. Quam rem omni sollicitudine se testatur implesse dicens: Quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Qui igitur sunt beatiores, vtrum nam hi qui nuper de numero gentium congregati, nec præualentes euangelicam perfectionem conscendere adhuc suis substantiis inhęrebant, in quibus magnus fructus ab Apostolo ducebatur, si saltem ab idolorum cultu & fornicatione & suffocatis & sanguine reuocati, fidem Christi cum suis facultatibus suscepissent, an illi qui euangelicæ satisfacientes sententiæ, crucem Domini quotidiè portantes, nihil sibi de propriis facultatibus superesse voluerunt? Cumq; ipse beatus Apostolus vinculis & carceribus obligatus, seu vexatione itineris impeditus, & ob hoc consuetam victus substãtiam parare, vt erat solitus, suis manibus non occurrens, à fratribus qui de Macedonia venerant supplementum suę necessitatis se asserit accepisse, nam quod mihi, inquiens, deerat, suppleuerũt fratres qui venerũt à Macedonia: Et ad Philippẽses ipse referens, scitis enim & vos Philippẽses, quia in principio euangelij quando profectus sum à Macedonia, nulla ecclesia mihi communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli quia & Thessalonicam & semel & bis in vsum mihi misistis, erunt secundum istorum sententiam quam mente tepida conceperunt, & isti beatiores Apostolo, quia de suis inueniũtur ei substantiis impartisse? Quod amens quilibet dicere non audebit?

Actor. 15.

Matth. 10.

2. Cor. 11.

Philip. 4.

Quòd si Apostolos imitari velimus, non debeamus nostris definitionibus viuere, sed illorum exempla sectari. CAP. XVIII.

QVamobrem si euangelico præcepto volumus obedire, & Apostoli ac totius illius ecclesiæ primitiuæ, seu patrum, qui virtutibus ac perfectioni eorum nostris temporibus successerũt, imitatores existere; nõ nostris definitionibus acquiescamus, de hoc tepido ac miserabili statu perfectionem nobis euangelicam pollicentes, sed illorum sectantes vestigia circũuenire nosmetipsos minimè studeamus: & ita monasterij disciplinam institutionemque pariter expetamus, vt in veritate renunciemus huic mundo: nihil ex his quæ contempsimus infide-

infidelitate nos retrahente seruantes: quotidianum victum non recondita pecunia, sed opere proprio conquiramus.

Sententia sancti Basilij episcopi aduersus Syncletium prolata.

CAPVT XIX.

FErtur sententia S. Basilij Cæsariẽsis episcopi ad quẽdam prolata Syncletiũ: tali quo diximus tẽpore torpẽtem, qui cùm renunciasse se diceret huic mundo, quædam sibi de propriis facultatibus reseruauit, nolẽs exercitio manuum suarum sustentari, & humilitatem veram nuditate & operis contritione monasteriique subiectione conquirere: Et senatorem, inquit, Syncletium perdidisti, & monachum non fecisti.

Quàm ignominiosum sit à philargyria superari. CAP. XX.

ITaque si agonem spiritalem certare legitimè cupimus, hũc quoq; perniciosum hostem à nostris cordibus extrudamus. Quem quantum superare non magnæ virtutis est, tantum ab eo vinci ignominiosum plenúmque dedecoris. A potente enim elidi licet sit in deiectione dolor & gemitus in amissione victoriæ, tamen quodammodo de aduersarij robore victis nascitur consolatio. Sin verò & inimicus exilis & genus colluctationis infirmum, vltra deiectionis dolorem cõfusio turpior, & ignominia detrimento grauior infertur.

Quemadmodum superanda sit philargyria. CAP. XXI.

DE quo hæc erit summa victoria triumphusq́; perpetuus: vt quemadmodum dicitur, nec minuto quidem nummo consciẽtia monachi polluatur. Impossibile namq; est eum qui victus in exigua stipe, concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit, non maioris desiderij protinus incendio cõflagrari. Tamdiu namq; miles Christi victor ac securus, cunctaque cupiditatis impugnatione erit externus, donec initiá concupiscẽtiæ huius hic nequissimus spiritus in eius corde nõ seuerit. Quapropter cùm in cũctis generibus vitiorum generaliter serpentis caput oporteat seruari, in hoc præcipuè diligentiùs conuenit præcaueri. Quod si fuerit intromissum, sua materia conualescens, ipsum sibimet vehementiora suscitabit incendia. Ideoque non solùm pecuniarum est cauenda possessio, verumetiam voluntas ipsa ab animo penitùs extrudenda. Non enim tam effectus philargyriæ vitandus est, quàm affectus ipsius radicitùs amputandus Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi.

Quòd possit quis etiam non habens pecunias philargyrus iudicari.

CAPVT XXII.

POssibile namq; est etiam non habentem pecunias nequaquam philargyriæ morbo carere, nihilq́; ei prodesse beneficium

ficium nuditatis, quia cupiditatis vitium resecare non valuit: paupertatis bono, non virtutis merito delectatus, & necessitatis onere non sine cordis languore contentus. Quemadmodũ etiam corpore non pollutos euãgelicus sermo pronunciat corde mœchatos; ita pecuniæ quoq; pondere minimè sarcinatos, affectu ac mente cum philargyris condemnari possibile est. Occasio enim eis habendi defuit, non voluntas: quæ semper apud Deum solet magis quàm necessitas coronari. Itaq; festinandũ nobis est, ne in vanum laborum nostrorũ emolumenta depereant. Miserabile namq; est paupertatis ac nuditatis *exitus tolerasse, fructus verò earũ cassę volũtatis vitio perdidisse.

Mat. 5.

* B. Dionys. legit, executiones exitus siue labores.

Exemplum de Iuda. CAP. XXIII.

VIs nosse quàm perniciosè, quàm noxiè fomes iste nisi fuerit diligẽter excisus, ad eius interitum qui eum conceperit fructificet, & omnigenis pullulet ramusculis vitiorũ? Respice Iudam apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis huius caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit, & concupiscentiæ laqueis irretitum ad quam abrupti præcipitij crimen impegerit, vt redemptorem mundi & humanæ salutis auctorẽ triginta argenteis persuaserit vendere. Qui nequaquam esset ad tam scelestum proditionis facinus deuolutus, si non philargyriæ morbo fuisset infectus: nec Dominicę *negationis reus sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare.

* necationis

Quòd philargyria nisi nuditate vinci non possit. CAP. XXIIII.

IMmane satis & euidens tyrannidis huius exemplum: quæ semel (vt diximus) animæ captiuatæ nullam permittit honestatis regulam custodire, nec vlla quæstus adiectione satiari. Finis enim rabiei huius non diuitiis, sed nuditate conquiritur. Deniq; cùm hic ipse ob hoc loculos dispensationi pauperũ deputatos suæ potestati creditos accepisset, vt saltem pecuniarum abundantia satiatus concupiscentiæ suæ modum imponeret, in tãtum copia earum in abundantiorem fomitem cupiditatis exarsit, vt iam non loculos clanculo compilare, sed ipsum Dominum venundare maluerit. Vniuersas enim diuitiarum moles, cupiditatis huius rabies exuperat.

De exitu Ananiæ & Sapphiræ & Iudæ quem philargyria impellente subierunt. CAP. XXV.

DEnique Princeps apostolorum his eruditus exemplis, sciens habentem quippiam cupiditatis frena non posse moderari, nec finem eius in parua summa magnáve consistere, sed in sola virtute nuditatis, Ananiã & Sapphiram, quorũ superiùs fecimus mentionem, quia sibi quippiam de sua facultate

Actor. 5.

cultate seruauerant, morte multauit, vt interitum quem ille vltrò sibi pro reatu Dominicæ proditionis intulerat, hi pro mendacio cupiditatis exciperent. Quanta in hoc quoq; facinoris ac supplicij similitudo cõcurrit. Ibi namq; philargyriam proditio, hic falsitas subsecuta est. Ibi veritas proditur, hic mendacij crimen admittitur. Licet enim operis eorum dissimilis videatur effectus, vnus tamen finis in vtroq; concurrit. Ille namq; refugiens paupertatẽ resumere, quæ abiecerat cõcupiuit: hi ne fierẽt pauperes de substãtia sua, quam aut Apostolis offerre fideliter, aut totã dispergere fratribus debuerãt, quiddam retinere tentauerũt. Et ideò vtrobiq; sequitur mortis damnatio, quia vtrumq; crimen de philargyriæ radicibus pullulauit. Itaq; si in eos qui non alienas concupierunt substãtias, sed proprijs parcere tentauerunt, nec habuere desiderium acquirendi, sed reseruandi tantummodo voluntatem, processit tam seuera sentẽtia, quid censendum de his qui numquam possessas pecunias cupiunt congregare, & nuditatem coram hominibus præferentes, affectu concupiscentiæ coram Deo diuites comprobantur?

Quòd philargyria lepram animæ inferat spiritalem. CAP. XXVI.

QVI secundum similitudinem Giezi spiritu ac mente leprosi esse noscuntur, qui mundi huius caducas pecunias concupiscens immundæ lepræ contagione respersus est. Per quam nobis euidens reliquit exemplum, omnem animam cupiditatis labe pollutam spiritali vitiorum lepra respergi, immundamq; apud Dominum perenni maledictione reputari. 4. Reg. 5.

Testimonia de scripturis quibus perfectionem desiderans edocetur non resumere quæ renuncians abdicauit. CAP. XXVII.

IGitur si perfectionis desiderio dimittens omnia secutus es Christum dicentem tibi, Vade, vende omnia quæ habes & Matth. 19. da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me: quid missa super aratrum manu respicis retrò, vt eiusdem Domini voce pronuncieris non esse aptus regno cælorum? Luca 9. Super tectum euangelici culminis stabilitus, quid descendis Luca 17. tollere aliquid de domo tua, ex his videlicet quæ antea contemsisti? Constitutus in agro atque operatione virtutum, substantia mundi qua te renuncians spoliasti, quid recurrens niteris reuestiri? Si verò paupertate præuentus nihil quod dimitteres habuisti, multò minus acquirere debes quod anteà non possedisti? Ob id enim ita Domini beneficio præparatus es, vt expeditior ad eum nullis pecuniarum laqueis impeditus accurreres. Verum tamen nullus in hoc egens frangatur; nemo est enim qui non habeat quod dimittat. Vniuersis renun-

nunciauit facultatibus mundi, quisquis affectum possidendi eas radicitùs amputauit.

Quòd aduersus philargyriam victoria non aliter posit nisi nuditate conquiri. CAP. XXVIII.

HAec est igitur de philargyria perfecta victoria, vt paruissimæ cuiuslibet stipis in corde nostro residere non sinamus igniculum, certi quòd restinguendi eum non habebimus vlteriùs facultatem, si quantulamcumque scintillæ huius in nobis materiam fouerimus.

In quo monastica nuditas consistat. CAP. XXIX.

QVam virtutem non aliàs retinere valebimus illibatam, nisi in monasterio consistentes secundum Apostolum
1.Tim.6. habentes victum & vestitum his contenti fuerimus.

Remedia contra morbum philargyriæ. CAP. XXX.

Actor.5. DAmnationem ergo Ananiæ & Sapphiræ memoriter re-
4.Reg.5. tinentes, horrescamus aliquid ex his reseruare quæ renunciantes penitùs abdicare deuouimus. Giezi quoque per-
* æterno timescamus exemplum: qui ob philargyriæ culpam * æternæ supplicio lepræ multatur, & aliquid ex his quæ nec antè possedimus caueamus acquirere. Nec nō etiam Iudæ vel meritum vel exitum formidantes, quicquam pecuniæ resumere (quam semel à nobis abiecimus) tota virtute vitemus. Super hæc omnia considerantes condicionem fragilis incertæque naturæ
1.Thess.5. nostræ, caueamus ne dies Domini sicut fur in nocte superueniens maculatam vel vno obolo nostram conscientiam deprehendat: qui omnes fructus nostræ renunciationis euacuās,
Luca 12. illud quod in euangelio diuiti dictum est, ad nós quoq; faciat voce Dominica dirigi, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem præparasti, cuius erunt? Nihilque de crastino cogitantes, numquam nos de cœnobij disciplina patiamur auelli.

Quòd non posit quis philargyriam vincere nisi in cœnobio perseuerans: & quemadmodum posit ibidem permanere. CAP. XXXI.

QVod sine dubio nequaquam permittimur implere, sed ne sub institutionis quidē regula permanere, nisi prius patientiæ virtus, quæ non aliundè quàm de humilitatis fonte procedit, in nobis fuerit firma soliditate fundata. Illa namq; nulli commotiones nouit inferre; hæc verò sibi illatas magnanimiter tolerare.

De spiritu philargyriæ libri septimi finis.

LIBER

DE SPIRITV IRÆ.

CAPVT I.



VARTO quoque certamine est iræ mortiferum virus de recessibus animæ nostræ funditus eruendum. Hac enim in cordibus nostris insidente, & oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, nec iudicium rectę discretionis acquirere, nec honestæ cõtemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed ne spiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere; quia turbatus est, inquit, præ ira oculus meus. Nec sapientiæ participes effici, tametsi sapientes omnium pronunciari opinione videamur, quia ira in sinu insipientium requiescit. Sed ne vitam quidem immortalitatis consequi poterimus, quamuis prudentes videamur definitione hominum iudicari, quia ira perdit etiam prudentes. Nec iustitiæ moderamina perspicaci discretione cordis valebimus obtinere, licet perfecti sanctique cunctorum opinationibus æstimemur: quia ira viri iustitiam Dei non operatur. Ipsam quoque honestatis grauitatem quæ etiam viris seculi huius solet familiaris existere, nullo modo possidere poterimus, licet nobiles & honesti natalium prærogatiua putemur, quia vir iracundus inhonestus est. Consilij etiam maturitatem nullatenus valebimus obtinere, quamuis graues & summa scientia præditi videamur: quia vir iracundus agit sine consilio. Sed nec quieti esse à perturbationibus noxiis, nec poterimus carere peccatis, tametsi nequaquam nobis inquietudines ab aliis inferantur, quia vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata.

Psal. 30. *Eccles. 7.* *Iacob. 1.* *Prouerb. 29.*

De his qui dicunt iram non esse noxiam si delinquentibus irascamur, quia & ipse Deus irasci dicatur. CAP. II.

NOnnullos audiuimus hunc animæ perniciosum morbum ita excusare tentantes, vt eum detestabiliore interpretatione scripturarum extenuare gestirent, dicentes nõ esse noxiũ si delinquentibus fratribus irascamur, siquidẽ, inquiũt, ipse Deus cõtra eos qui eum vel scire nolunt, vel sciẽtes contemnunt, furere atque irasci dicatur: vt ibi, Et iratus est furore

Psal. 105.

Dominus in populum suum. Vel cùm orat Propheta, dicens:
Psal.6. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: non intelligentes quòd dum hominibus occasionem pestiferi vitij volunt concedere, immensitati diuinæ, ac fonti totius puritatis iniuriam carnalis passionis admisceant.

De his quæ in Deo ex nostræ naturæ consuetudine nominantur.

CAPVT III.

SI enim hæc cùm dicuntur de Deo, carnali & pingui secũdum litteram significatione percipienda sunt; ergo & dormit cùm dicitur, Exurge, quare obdormis Domine: de quo alibi dicitur, Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël: Et stat, ac sedet, cùm dicit, Cælum mihi est sedes, terra autem scabellum pedum meorum: qui metitur cælum palmo, & terram pugillo cõcludit: Et crapulatur à vino, cùm dicitur, Et exurrexit sicut dormiẽs Dominus potens crapulatus à vino: qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: vt prætermittam ignorationem & obliuionem quæ de ipso legimus in scripturis sanctis frequenter inserta, deinde lineamenta membrorum quæ tanquam de homine figurali & composito describuntur capillis scilicet, capite, & naribus, oculis, ac facie, manibus, ac brachiis, digitis, vtero, pedibusque: quæ omnia secundum vilem litterę sonum si voluerimus admittere, Deum lineamentis membrorum & corporea figura compositum, quod dictu quoque nefas est, quodq; absit à nobis, necesse est æstimari.

(Psal.43. Psal.120. Isa.66. Isa.40. Psal.77. 1.Tim.6.)

Qualiter de affectibus membrisq; humanis quæ immutabili & incorporeo Deo adscribi legimus, sentiendum sit. CAP. IIII.

ITaque vt hæc secundum litteram non absque nefando sacrilegio possunt intelligi super eo qui inuisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, simplex, & incompositus sanctarum scripturarum authoritate definitur, ita ne furoris quidem & iræ perturbatio, illi indemutabili naturæ sine ingenti blasphemia poterit coaptari. Nam huiuscemodi significatione membrorum diuinas efficientias Dei & immensas operationes eius sentire debemus, quæ nobis nisi per hæc vsitata vocabula membrorum nequeunt intimari: vtputa significatione oris collocutiones eius quæ in arcanos animæ sensus solent clementer infundi, vel quod in patribus nostris atque prophetis idem locutus sit agnoscamus: in oculis immensitatem perspicaciæ qua vniuersa perlustrat ac perspicit, & quòd nihil eum ex his quæ à nobis geruntur gerendáue sunt seu cogitantur lateat, scire possimus: manuum nuncupatione prouidentiam & operationem, qua omnium ipse sit creator & conditor

conditor sentiamus: brachium quoque virtutis & gubernationis eius insignia qua cuncta sustentat, moderatur ac regit. Et vt de cæteris taceam: canities capitis quid aliud quàm longæuitatem deitatis & antiquitatem significat? qua sine vllo principio est, & ante omnia tẽpora & creaturas excedit vniuersas. Ita igitur & de ira Dei vel furore cùm legimus, nõ ἀνθρωποπαθῶς, id est, secundũ humilitatẽ humanæ perturbationis, sed dignè Deo, qui ab omni perturbatione alienus est, sentire debemus, scilicet quo per hæc eum iudicem & vltorẽ omniũ quæ iniquè gerũtur in hoc mundo possimus aduertere, & retributorem terribilem actuum nostrorum his verborum significationibus formidantes, cõtra illius voluntatem timeamus quicquam admittere. Illos etenim timere consueuit humana natura, quos indignari nouit & veretur offendere, vt in nonnullis æquissimis iudicibus solet ab his qui aliquo reatu suæ conscientiæ remordentur, ira vltrix timeri; non scilicet quòd hæc in animis eorum qui iustè iudicaturi sunt perturbatio consistat; sed quòd ita metuentibus ille sentiatur affectus qui pro executione legum & examinatione iustitiæ & æquilibratione procedit. Quæ tamen quantalibet animi fuerit mansuetudine ac lenitate prolata, ab his qui pro suo merito pœna plectẽdi sunt, furor grauis & ira sæuissima iudicatur. Longum est, nec præsentis operis, si voluerimus omnia quæ de Deo humana significatione figuraliter in scripturis dicta sunt, explanare. Hæc ad præsentem necessitatem quæ contra furoris vitium pertinebãt, dixisse sufficiat, vt nullus exinde sibimet occasionẽ morbi mortisq; perpetuæ per ignorãtiam trahat: vnde sanctitas & immortalitas vitę salutisq; remedia cõquiruntur.

Quid ira in Deo significet.

Cuius placiditatis monachum esse conueniat. CAP. V.

ITaq; monachus ad perfectionem tendens, & agonem spiritalem legitimè cupiens decertare, ab omni iræ furorisq; vitio alienus existat, & audiat quid sibi vas electionis præcipiat: Omnis, inquit, ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. Cùm dicit, omnis ira tollatur à vobis, nullam penitùs velut necessariam & vtilem nobis excepit. Delinquentemq; fratrem si necesse est, ita curare festinet, vt dum medelam leuiori forsitan febricula laboranti procurat inferre, non semetipsum iratus deteriori morbo cæcitatis inuoluat. Oportet namque illum qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbo alienum sanumq; subsistere, ne illud euangelicum dicatur ei, Medice prius cura teipsum; ac vidẽs festucam in oculo fratris sui, trabem in oculo

Ephes. 4.

Quanta lenitate proximus sit corripiendus.

Lucæ 4.

Matth. 7.

suo non videat. vel quomodo videbit eiicere festucam de oculo fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo?

De iniusta iracundiæ commotione vel iusta. CAP. VI.

QValibet ex causa iracundiæ motus efferuens excæcat oculos cordis, & acumini visus exitialē validioris morbi ingerens trabem, solem iustitiæ non sinit intueri. Nihil interest, vtrū aurea lamina plumbeáue seu cuiuslibet metalli oculorum obtutibus imponatur; differentiam cæcitatis non facit pretiositas metallorum. Habemus sanè iræ ministerium satis commodè nobis insertum, ad quod solum eam recipere vtile nobis est ac salubre, cùm contra lasciuientes cordis nostri motus indignantes infremimus; & ea quæ agere confundimur coram hominibus vel proloqui, in latebras ascendisse nostri pectoris indignamur: angelorū scilicet ac Dei ipsius præsentiam vbique & omnia penetrantis, oculumq́ue eius tota formidine tremiscentes: quem nequaquam possunt conscientiæ nostræ latere secreta.

In quo tantummodo nobis ira sit necessaria, vel quibus beati Dauid exemplis ira salubriter assumatur. CAP. VII.

VEl certè cùm contra hanc ipsam iram cur nobis aduersus fratrem irrepserit commouemur, & irati lethales instigationes eius extrudimus, nec in abditis pectoris nostri noxias eam latebras habere permittimus. Taliter nos irasci etiā ille propheta docet, qui in tantum hanc è suis abegerat sensibus, vt ne inimicis quidem propriis, & quidem à Deo sibi traditis, maluerit reddere talionem: Irascimini, inquiens, & noli- *Psal. 4.*
te peccare. Ille enim cùm aquam de cisterna Bethleemitica concupisset, eamq́ue à viris fortibus per medias hostium cateruas suscepisset, allatam protinus effudit in terram: & ita voluptuosam concupiscentiæ passionem iratus extinguens, libauit eam Domino, & cupiditatis suæ desiderium non expleuit, dicens, Propitius sit mihi Dominus ne faciam hoc: Num *2. Reg. 23.*
sanguinem hominū istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Vel cùm Semei in regem Dauid audiente eo lapides & maledicta coram omnibus irrogaret, velletq́ue Abisai filius Saruiæ princeps militum, conuicij regalis vltionē trūcatione capitis eius explere; beatus Dauid aduersus diram suggestionē eius indignatione pia cōmotus, humilitatis modum & patientiæ rigorem inconcussa lenitate seruauit, dicēs: Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite eū, vt maledicat. *2. Reg. 19.*
Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis hic

filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.

De ira aduersus nosmetipsos suscipienda.

CAP. VIII.

IVbemur itaque irasci salubriter, sed nobismetipsis, ac suggestionibus accedētibus prauis, & non peccare ad effectum scilicet eas noxium perducentes. Denique hunc eundem sensum euidentiùs explanat versiculus sequens, Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compũgimini: id est, quæcumque in cordibus vestris ingruentibus repentinis ac lubricis instigationibus cogitatis, consilij moderatione omnem strepitum & perturbationem furoris amouentes, velut in cubili quietis positi compunctione saluberrima emendate atq; corrigite. Denique beatus Apostolus vsus huius versiculi testimonio, cùm dixisset, Irascimini & nolite peccare; subiunxit, Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo. Si noxium est super iracundiam nostram occidere solem iustitiæ, & irati confestim locum diabolo damus in corde nostro, quomodo superiùs præcipit vt irascamur dicens, Irascimini & nolite peccare? Nónne euidenter hoc dicit: rascimini vitiis & furori vestro, ne conniuentibus vobis sol iustitię Christus incipiat propter iracundiam vestram mētibus obscuratis occidere, & discedente illo locum diabolo in vestris cordibus præbeatis? *Ephes. 4.*

De quo sole dicatur, vt non occidat super iracundiam vestram.

CAPVT IX.

DE quo sole per prophetam Deus euidenter commemorat, ita dicens: Timentibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Qui rursus peccatoribus & pseudoprophetis, illisque qui irascuntur, occidere dicitur in medio die, dicente propheta, Occidit eis sol in meridie. Vel certè secundum tropicum sensum, mens, id est, νοῦς, siue ratio quæ pro eoquòd omnes cordis cogitationes discretionesque perlustret, sol meritò nuncupatur, iræ vitio non extinguatur, ne eadem occidente, perturbationum tenebræ cum authore suo diabolo vniuersum nostri cordis occupent sensum, & tenebris iræ possessi, velut in nocte cæca, quid nos oporteat agere ignoremus. Tali sensu hunc Apostoli locum institutis seniorum traditum nobis, quia necesse fuit, quemadmodum de ira sentirent, licet longiore sermone protulimus, qui eam nec ad momentum quidem cor nostrum *Malach. 4.* *Amos 8.*

penetrare permittunt, illud euangelij omnimodis obseruantes, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Cæterùm si vsq; ad occasum solis licitum sit irasci, antè perturbationes noxiæ poterunt furoris satietatem & vltricis iræ commotionem explere, quàm iste sol ad locum sui vergat occasus.

Matth. 5.

De his quorum iracundiæ ne occasus quidem solis istius modum ponit.

CAPVT X.

QVid verò dicam de his (quod quidem dicere sine mea confusione non possum) quorum implacabilitati nec hic quidem sol occidens terminum ponit, sed per dies eam plurimos protelantes atque aduersus eos in quos commoti fuerint rancorem animi reseruãtes, negant quidem se verbis irasci, sed re ipsa & opere indignari grauissimè cõprobantur? Nam neq; eos congruo sermone compellant, nec affabilitate eis solita colloquuntur; & in eo se minimè delinquere putãt, quòd vindictam suæ cõmotionis non expetant: quam tamen quia proferre palam & exercere, aut nõ audent, aut certè non possunt, in suam perniciem virus iracundiæ retorquentes concoquunt eam in corde taciti, ac silentes in semetipsis consumunt, amaritudinem tristitiæ non virtute animi protinus expellẽtes; sed digerentes processu dierum, & vtcumq; pro tẽpore mitigãtes.

Qui iram suam dißimulant aut tegunt, non secus peccant quàm si iam proderent.

CAP. XI.

QVasi verò non hic finis vnicuique vindictæ sit, & aliùdè quis furori proprio vel tristitiæ satisfecerit, si id quod præualet ira instigante compleuerit: quod hi quoq; facere noscuntur, qui motus suos non appetitu placiditatis, sed inopia cohibent vltionis; nihil enim inferre amplius his quibus irati sunt possunt, nisi vt cum eis affabilitate solita minimè colloquantur: aut quasi in effectu operis solummodo sit iracundia moderanda, & non potius ab arcanis nostri pectoris emenda: ne tenebris illius obscurati nec consilij salubris, nec scientiæ lumen admittere, sed ne templum spiritus sancti habitante in nobis spiritu iracundiæ nequaquam valeamus existere. Cohibitus enim in corde furor, astantes quidem homines non offendit, sed æquè spiritus sancti splendidissimũ iubar ac si prolatus excludit.

Quòd ne momentaneam quidem iram liceat retinere.

CAPVT XII.

AVt quemadmodum vel ad momẽtum vulteam Dominus retentari, qui nec sacrificia quidem spiritalia orationum nostrarum permittit offerri: si vel alium contra nos aliquid rancoris habere cognoscimus, dicens, Si ergo offers munus

Matth. 5.

nus

nus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare,& vade prius recõciliari fratri tuo; & sic veniens offer munus tuum? Quomodo ergo non dicam vsq; in dies plures, sed vel vsque ad occasum solis istius permittimur contra fratrem retinere tristitiam: qui ne*illo quidem aliquid habente aduersum nos orationes nostras Deo offerre concedimur? quibus præcipitur ab Apostolo, Sine intermissione orate: &, In omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Superest igitur, vt aut numquam oremus huiuscemodi virus retinẽtes in cordibus nostris, & apostolico huic pręcepto siue euãgelico, quo indesinenter & vbiq; iubemur orare, simus obnoxij, aut si nosmetipsos circumuenientes precem fundere contra eius interdictum pręsumimus, non orationem Domino, sed rebellionis spiritu contumaciam nos eidem nouerimus offerre.

*vllo

1. Thess. 5.

1. Tim. 2.

De reconciliatione fraterna. CAP. XIII.

ET quia plerumque seu læsos fratres, & contristatos contemnimus, vel certè non vitio nostro dicentes eos offensos despicimus. animarum medicus & occultorum conscius, occasiones iracundiæ volens radicitùs à cordibus nostris euellere, non solùm si læsi fuerimus iubet nos remittere, & recõciliari fratribus nostris, nullamque aduersus eos iniuriæ seu læsionis memoriam retinere, sed etiam si illos aduersum nos seu iustè seu iniustè habere aliquid nouerimus, similiter præcepit, vt munus nostrũ relinquentes, id est, compescentes orationes nostras, ad eorum prius satisfactionem tendere festinemus: & ita fratris curatione præmissa orationum nostrarum munera illibata deferre. Non enim ita nostris obsequiis communis omniũ Dominus delectatur, vt quòd in vno acquirit, perdat in altero dominante tristitia. In cuiuslibet namq; dispendio vnum patitur detrimentum, qui eodem modo omniũ famulorum suorum salutem desiderat & expectat. Et idcirco æquè habente aliquid aduersum nos fratre inefficax erit oratio nostra, ac si nos aduersum eum tumenti spiritu indignationis amaritudinem reseruemus.

Quòd vetus quoque lex iram non tantum de effectu, sed etiam de cogitatione conuellat. CAP. XIIII.

SEd quid diutius præceptis euangelicis atq; apostolicis immoramur, cùm etiam vetus lex quæ aliquid habere remissionis videtur, hæc eadem præcaueat dicẽs, Ne oderis fratrem tuum in corde tuo: & iterum; Nõ eris memor iniuriæ ciuium tuorum: & rursum, Itinera eorum qui memoriam retinẽt malefacti, in mortem? Vides & ibi nequitiam non in opere tantùm,

Leuit. 19.

Ibidem.

tùm, ſed etiam in arcanis cogitationibus reſecari, cùm de corde odium, & iniuriæ non ſolùm retributio, ſed etiam ipſa memoria radicitùs iubetur euelli.

Notat eos qui impatientiæ ſuæ cauſas in alios coniiciunt.

CAPVT XV.

INterdum ſuperbia vel impatientia ſuperati, cùm inconditos mores noſtros atque inordinatos volumus emendare, ſolitudinem nos deſiderare conquerimur, tamquam ibi nullis nos concitantibus ilico virtutem patientię reperturi, excuſantes negligentiam noſtram, cauſaſque commotionis non noſtra dicentes impatientia, ſed fratrũ vitio generari. Dumq; in alios erroris noſtri vertimus cauſas, numquam ad patientię ac perfectionis calcem valebimus peruenire.

Quòd tranquillitas cordis noſtri non in alterius arbitrio, ſed in noſtra debeat ditione conſiſtere. CAP. XVI.

SVmma igitur emendationis ac tranquillitatis noſtræ, non eſt in alterius arbitrio collocãda, quòd nequaquam noſtræ ſubiacet poteſtati, ſed in noſtra potius condicione conſiſtit. Itaque vt non iraſcamur, non debet ex alterius perfectione, ſed ex noſtra virtute deſcendere, quę non aliena patientia, ſed propria longanimitate conquiritur.

Quo ſtudio eremum debeamus expetere. CAP. XVII.

POrrò eremum perfectos omniique vitio purgatos oportet expetere, & excoctis ad purum in congregatione fratrum vitiis, non puſillanimitatis profugio, ſed diuinæ contemplationis obtentu, & deſiderio intuitus ſublimioris intrare, qui non niſi in ſolitudine à perfectis ſolummodò poterit apprehendi. Quæcumque enim vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis non abolita ſentientur. Solitudo namq; ſicut nouit emendatis moribus cõtemplationem puriſſimam reſerare, & intuitu ſinceriſſimo ſpiritalium ſacramentorum ſcientiam reuelare, ita eorum qui minus emendati ſunt vitia non ſolum ſeruare, verumetiam exaggerare conſueuit. Tamdiuque ſibi patiens quis videtur & humilis, donec nullius hominis commiſceatur conſortio, ad naturam priſtinam mox reuerſurus cùm interpellauerit cuiuſlibet commotionis occaſio: emergunt quippe ex eo confeſtim vitia quæ latebant, & velut equi infrenes certatim è ſuis repagulis otio longiore nutriti acrius ad perniciem aurigæ proprij, ferociuſque prorumpunt. Magis enim exercitio vſuq; humano ceſſante efferãtur in nobis vitia, niſi fuerint antè purgata. Ipſamque vmbram patientiæ quam poſſidere imaginariè permixti fratribus ſaltem pro

tem pro

tem pro eorum reuerentia & nota publica videbamur, desidia securitatis amittimus.

Impatientes atque iracundos esse frequenter etiam illos qui ab hominibus non prouocantur. CAP. XVIII.

QVasi verò vniuersa virulenta serpentium genera vel ferarum, cùm in solitudine suisque cubilibus immorantur *, non innoxia perseuerent, nec tamen ex eo pronunciari possint innoxia, quia nulli noceant. Hoc enim eis non affectus bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cùm lædēdi nacta fuerint copiam, in semetipsis reconditum virus & animæ feritatem protinus egerunt atque demonstrant. Ideoque perfectionem quærentibus non sufficit contra hominem non irasci. Meminimus enim in solitudine commorantibus nobis contra calamum cùm aut grossitudo eius aut exilitas displiceret, contráve scalpellum cùm incidenda hebeti acie segniter execaret, contraque silicem si fortè ex ea festinantibus nobis ad lectionem tardius scintilla ignis emicuerit, ita indignationis irrepsisse motum, vt nō aliàs perturbationem mētis quàm vel contra insensibiles materias, vel certè aduersus diabolum maledictione prolata digerere atque euaporare possemus. Quamobrem ad perfectionis dumtaxat rationem non satis proderit abesse homines in quos ira moueatur, cùm si patientia prius non fuerit acquisita, etiam erga res mutas speciesque minutas exerceri similiter iracundiæ possit affectus, qui residens in corde nostro, nec iugem nos possidere tranquillitatis statum, nec residuis vitiis carere permittet: nisi fortè in eo putemus commotionibus nostris lucrum aliquod vel remedium comparari, quòd maledictionibus vel iracundiæ nostræ, minimæ res inanimatæ mutæque respondeant, & intemperantiam cordis nostri ad maiorem nequaquam prouocent exardescere furoris insaniam. * innoxia

De amputanda ira secundum euangelium.

CAPVT XIX.

QVapropter si illam summam diuini præmij cupimus adipisci, de quo dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: non solùm è nostris actibus hæc amputanda est, sed etiam de internis animæ radicitùs extirpanda. Non enim valdè proderit iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illum arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta non latent cordium, inesse perspexerit. Radices enim vitiorū potius excindi præcipit euāgelicus sermo, quàm fructus: qui proculdubiò euulsis fomitib. nequaquā vlterius pullulabunt, atq; ita mens poterit iugiter in omni *Matth. 5.*

patientia

patientia & sanctitate durare, cùm hæc non de superficie operationis & actuum, sed de cogitationum fuerint euulsa penetralibus. Et ideò ne homicidium perpetretur, ira odiumque succiditur, sine quibus homicidij crimen nullo modo valebit admitti. Qui irascitur enim fratri suo, reus erit iudicio: Et, qui odit fratrem suum, homicida est: in eo scilicet quòd eum corde cupiat interire: cuius cruorem propria manu vel telo apud homines minimè fudisse cognoscitur, affectu iræ homicida pronunciatur à Domino, qui non solùm pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio, vnicuique aut præmium reddet, aut pœnam; secundum illud quod ipse loquitur per prophetam: Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis. Et Apostolus: Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum.

Matth. 5. *1. Ioan. 3.* *Isa. 66.* *Rom. 2.*

In eo quod in Euangelio scriptum est, qui irascitur fratri suo, &c. vtrum recipiendum sit quod adiectum est, sine causa. CAP. XX.

SCiendum tamen in eo quod in quibusdam exemplaribus inuenitur, qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio, superfluum esse, sine causa, & adiectum esse ab his qui amputandam iram pro iustis causis minimè putauerũt, cùm vtique nullus quamlibet absque ratione commotus sine causa dicat se irasci. Quamobrem apparet ab eis adiectum qui propositum non intellexerunt scripturæ volentis fomitem iracũdiæ omnimodis amputare, nullamque indignationis occasionem penitùs reseruare, ne dum iubemur irasci cum causa, etiam sine causa irascendi nobis intromittatur occasio. Finis enim patientię non in irascendo iustè, sed penitùs non irascẽdo consistit. Licet à quibusdam hoc ipsum quod dicitur sine causa, ita interpretari sciã, quòd scilicet sine causa irascatur is cui expetere vltionem irato non liceat. Melius tamen est ita tenere, vt & nouella exemplaria multa, & antiqua omnia inueniuntur esse perscripta.

Remedia quibus iram de cordibus nostris eradicare possimus.
CAPVT XXI.

QVapropter athletam Christi legitimè decertantem, iracundiæ motus radicitùs oportet euellere. Cuius morbi hęc erit medicina perfecta, vt primitùs credamus nullo modo siue iustis siue iniustis ex causis licere nobis irasci, sciẽtes nos discretionis lumen, rectiq; consilij firmitatem, ipsam quoque honestatem, & iustitiæ moderamina protinus amissuros, si principale cordis nostri lumen eius fuerit tenebris obscuratũ.

Tum

Tum deinde puritatem mentis nostræ mox perturbandam, templumq; eam sancti spiritus effici omnino non posse, iracundiæ in nobis spiritu commorante. Postremò, vt cogitemus nequaquam licere nobis orare, nec iratos fundere preces ad Deum. Et præ omnibus incertum statum condicionis humanæ præ oculis habentes, quotidiè nos credamus è corpore migraturos, nihilq; nobis continentia castitatis, nihil abrenunciatione omnium facultatum, nihil diuitiarum contemtu, nihil ieiuniorum vigiliarumque laboribus conferendum, quibus propter iracundiam solam & odium ab vniuersitatis iudice supplicia promittuntur æterna.

De spiritu iræ libri octaui finis.

LIBER IX.

DE SPIRITV TRISTITIÆ.

CAPVT I.



VINTO nobis certamine edacis tristitiæ stimuli retundendi sunt. Quæ si passim per singulos incursus & incertos ac varios casus obrinendi animum nostrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula separat diuinæ contemplationis intuitu, ipsamque mentem ab vniuerso puritatis statu deiectam funditus labefactat ac deprimit. Non orationes eam explere cum solita cordis alacritate permittit, non sacrarum lectionũ sinit remediis incubare, tranquillum quoque ac mitem fratribus esse non patitur, & ad cuncta operationum vel religionis officia impatientem & asperum reddit, omniique perdito salubri consilio & cordis constantia perturbata velut amentem facit & ebrium sensum, frangitque & obruit desperatione pœnali.

Qua cautione morbus tristitiæ sit curandus. CAP. II.

QVamobrem nõ minore prospectu si spiritalis agonis certamina legitimè cupimus desudare, hic quoq; nobis curandus est morbus Sicut enim tinea vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Satis euidenter ac propriè vim noxij huius ac perniciosi vitij, spiritus diuinus expressit. *Prouerb. 25.*

Quam

Quam comparationem habeat anima, quæ tristitiæ morsibus deuoratur.

CAPVT III.

VEstimentum namq; tinearum esu attractum, nullius pretij vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium: itidemque lignum vermibus exaratum, non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ita igitur & anima quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit vel vestimento illi pontificali, quod vnguentum spiritus sancti de cælo descendens, prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solere suscipere, sancti Dauid vaticinio perhibetur, secundum illud: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Sed nec ad structuram templi illius spiritalis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus architectus sapiens posuit fundamenta, dicens: Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis. Cuius qualia sint ligna, sponsa describit in Cantico canticorum: Trabes, inquiens, nostræ cupressus, tigna domorum nostrarum cedri. Et idcirco huiuscemodi ad templum Dei lignorum genera eliguntur, quæ sunt & bonæ fragrantiç & imputribilia, quæque nec corruptelæ vetustatis, nec esui vermium valeant subiacere.

Psal.132. *1.Cor.3.* *Ibidem.* *Cantic.1.*

Vnde vel quibus modis tristitia gignatur.

CAPVT IIII.

NOnnumquam tamen iræ prçcedentis vitio subsequi, seu concupiscentiæ lucríve cuiusdam minus indepti generari solet, cùm se harum rerum quadam spe mente concepta quis viderit excidisse. Interdum verò etiam nullis existentibus causis quibus ad hanc labem corruere prouocemur, inimici subtilis instinctu, tanto repentè mærore deprimimur, vt ne charorum quidem ac necessariorum nostrorum aduētum solita suscipere affabilitate possimus, & quicquid ab eis competenti fuerit confabulatione prolatum, importunum nobis ac superfluum iudicetur, nullaque à nobis reddatur eis grata responsio, vniuersos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante.

Quòd non aliorum, sed nostro vitio, commotiones excitentur in nobis.

CAPVT V.

VNde manifestissimè comprobatur, non semper nobis aliorum vitio commotionum stimulos excitari, sed potius nostro qui reconditas in nobismetipsis habemus offensionum causas ac seminaria vitiorum, quæ cùm mentem nostram tentationum imber alluerit, in germina confestim fructusque prorumpunt.

Quòd

Quòd nullus repentino lapsu corruat, sed paulatim per longam incuriam recidens, pereat. CAP. VI.

NVmquam enim quis alterius vitio lacessitus, peccare cõpellitur, si repositam materiem delictorum in suo corde non habeat. Nec tunc subitò quispiam deceptus esse credendus est, cùm cõspecta mulieris forma in barathrum concupiscentiæ turpis inciderit, sed potius occultos ac latentes medullitùs morbos occasione visus in superficiem tunc fuisse productos.

Quòd non sint fratrum deserenda consortia, vt perfectio conquiratur, sed patientia iugiter excolenda. CAP. VII.

IDeoque creator omnium Deus opificij sui curationem prę omnibus noscens, & quia non in aliis, sed in nobismetipsis offensionum radices causæque consisterent, non deserenda præcepit fratrum consortia, nec vitari eos quos læsos à nobis, vel à quibus nos arbitramur offensos, sed deliniri iubet; sciens perfectionem cordis non tam separatione hominum, quàm patientiæ virtute conquiri. Quæ firmè possessa, sicut potest nos etiam cum his qui oderunt pacem pacificos cõseruare, ita si parata non fuerit ab his quoq; qui perfecti ac meliores nobis sunt, facit iugiter dissidere. Occasiones enim cõmotionum ob quas eos quibus iungimur deserere festinamus, in conuersatione humana deesse non poterunt, & idcirco tristitię causas ob quas à prioribus separamur, non euadimus, sed mutamus.

Quòd si mores nostros emendatos habuerimus, possit nobis cum omnibus conuenire. CAP. VIII.

PRocurandum itaque nobis est, vt nostra potius emendare vitia & mores corrigere festinemus: Quæ proculdubiò si fuerint emendata, non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris & belluis facillimè nobis cõueniet, secundum illud quod in libro beati Iob dicitur: Bestiæ enim terræ pacatæ erunt tibi. Extrinsecus quippe venientia non verebimur offendicula, nec vlla poterunt scandala nobis deforis inferri, si in nobismetipsis intus radices eorum receptæ insertæque non fuerint: Pax enim multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum.

Iob 5.

Psal. 118.

De alio genere tristitiæ quod desperationem salutis importat. CAPVT IX.

EST etiam aliud detestabilius tristitiæ genus, quod nõ correctionem vitæ nec emendationem vitiorum; sed perniciosissimam desperationem animæ inijcit delinquenti. Quod nec Cain fecit post fratricidium pœnitere, nec Iudam

post

post traditionem ad satisfactionis remedia festinare, sed ad suspendium laquei sua desperatione pertraxit.

In quo tantummodo sit nobis tristitia vtilis.

CAP. X.

IDeoque vtilis nobis vna re tantùm tristitia iudicanda est, cùm hanc vel pœnitudine delictorum vel desiderio perfectionis accensi, vel futuræ beatitudinis contemplatione con-
2. Cor. 7. cipimus. De qua & beatus Apostolus, Quæ secũdum Deum est, inquit, tristitia pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur.

Quemadmodum discernatur quæ sit vtilis ac secundum Deum tristitia, & quæ diabolica atque mortifera. CAP. XI.

SEd illa tristitia quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suauis, ac patiens, vtpotè ex Dei caritate descendens, & ad omnem dolorem corporis ac spiritus cõtritionem, infatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, & quodammodo læta ac spe profectus sui vegetata, cunctam affabilitatis & longanimitatis retinet suauitatem, habens in semetipsa omnes fru-
Galat. 5. ctus spiritus sancti, quos enumerat idem Apostolus: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia. Hæc verò asperrima, impatiens, dura, plena rancore & mærore infructuoso ac desperatione pœnali, eum quem complexa fuerit, ab industria ac salutari dolore frangens ac reuocans, vtpotè irrationabilis & intercipiẽs non solũm orationum efficaciam, verũetiam vniuersos quos prædiximus fructus spiritales euacuans, quos nouit illa conferre.

Quòd absque illa salutari tristitia, quæ tribus modis generatur, omnis tristitia tamquam noxia repellenda sit. CAP. XII.

QVapropter absque illa, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tamquam seculi & quæ mortem inferat æqualiter repellẽda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyriȩ, vel iræ, de nostris cordibus penitùs extrudẽda.

Remedia quibus tristitiam de cordibus nostris exterminare possimus.

CAPVT XIII.

HAnc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, vt mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo vniuersa tristitiarum genera, siue quæ ex præcedenti ira descendunt,

siue

ſiue quæ amiſſione lucri, vel detrimenti illatione nobis adueniunt, ſiue de irrogata generantur iniuria, ſiue quæ de irrationabili mentis confuſione procedunt, ſeu quæ lethalẽ deſperationem nobis inducunt, valebimus ſuperare, cum æternarum rerum ac futurarum intuitu ſemper lęti atque immobiles perdurãtes, nec caſibus deiecti præſentibus, nec proſperis fuerimus elati, vtraque velut caduca & mox tranſeuntia contemplantes.

De ſpiritu triſtitiæ libri noni finis.

LIBER X.
DE SPIRITV ACEDIÆ.

CAPVT I.

SEXTVM nobis certamen eſt, quod Græci ἀκηδίαν vocant, quam nos tædium ſiue anxietatem cordis poſſumus nuncupare. Affinis hæc triſtitiæ eſt, & vagis maximè ac ſolitarijs magis experta, & in eremo commorantibus, infeſtior hoſtis ac frequens, maximè circa horam ſextam monachum inquietans, vt quædam febris ingruens tempore præſtituto, ardentiſſimos æſtus * accẽſionum ſuarum, ſolitis ac ſtatutis horis animæ inferens ęgrotanti. Denique nonnulli ſenũ hunc eſſe pronunciant meridianum dęmonem, qui in pſalmo nonageſimo nuncupatur.

* acceſſionum

Quomodo acedia ſerpat in corde monachi, quæúe inferat menti diſpendia.

CAP. II.

QVi cùm miſerabilem obſederit mentem, horrorem loci, faſtidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium ac minus ſpiritalium aſpernationem gignit atq; contemtum. Ad omne quoque opus quod intra ſepta ſui cubilis eſt, facit deſidem & inertem. Non eum in cella reſidere, nec operam ſinit impendere lectioni, nihilque ſe proficere tanto tempore in eadem commorantem crebrius ingemiſcit, nec habere ſe fructum aliquem ſpiritalem, donec fuerit illi conſortio copulatus conqueritur atque ſuſpirat, & ab omni ſe dolet ſpiritali quæſtu inanem, in locóque vacuum conſiſtere, vtpote qui cùm poſſet etiam alios regere ac prodeſſe plurimis, nullum ædificauerit,

nec quemquam institutione sua doctrinaque lucratus sit. Absentia longeque posita magnificat monasteria, loca etiam illa magis ad profectum vtilia & saluti congruentiora describit; consortia quoque ibidem fratrum suauia & plena spiritali cõuersatione depingit. Econtra vniuersa quæ habentur in manibus aspera, & non solum ædificationem nullam esse in fratribus qui morantur in loco, sed ne ipsum quidem victũ corporis absque ingenti labore conquiri. Postremò non posse se saluari putat in eo loco durantem, nisi relicta cella cum qua sibi si adhuc in ea fuerit remoratus pereundum erit, exinde semetipsum quantocyus asportauerit. Deinde lassitudinem corporis cibiq́ue esuriem, quinta sextaque hora tantam suscitat, vt velut longo itinere grauissimoque labore confectus sibimet lassusq́ue videatur, aut quasi refectionem cibi biduano ieiunio triduanóue distulerit. Tum præterea huc illucq́ue anxius circumspectat, & nec fratrem sibi quempiam aduentare suspirat, sæpiusq́ue egreditur & ingreditur cellam, ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur. Et ita quadam irrationabili mentis confusione velut tetra suppletur caligine, omniq́ue actu spiritali redditur otiosus ac vacuus, vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quàm visitatione fratris cuiuspiam seu somni solius solatio posse æstimet inueniri. Deinde honestas idem morbus ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesq́ue infirmorum vel eminus vel longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, illos vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari, illã religiosam deuotamq́ue Deo feminam, omni præsertim parentũ præsidio destitutam, magnũ opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parẽtibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisq; oportere in his operam pietatis impendi, quàm infructuosè ac sine vllo profectu in cellula residere.

Quibus generibus monachum superet acedia.

CAPVT III.

AGitur itaque infelix anima talibus inimicorum machinis impedita, donec acediæ spiritu velut ariete validissimo fatigata, aut in somnũ discat concidere, aut excussa claustris cellulæ suæ consolationem impugnationis huius visitatione fratris consuescat acquirere, hoc quo vtitur ad præsens remedio, paulo pòst acrius infirmanda. Frequentius enim ac durius aduersarius attentabit eum quem conserto prœlio prębiturum cominus sibi terga cognoscit, salutemq́ue sibi nec de victo-

de victoria,nec de conflictu,ſed de fuga ſperare peruidet, do-
nec paulatim protractus è cella actus ſuæ profeſſionis incipiat
obliuiſci,qui non eſt aliud quàm intuitus & contēplatio di-
uinæ illius & excellentis ſuper omnia puritatis, quæ nō alibi
poteſt, niſi in ſilentio & iugi cellæ perſeuerantia ac medita-
tione conquiri: atque ita militiæ ſuæ fugitiuus ac deſertor
Chriſti miles effectus, implicet ſe negotiis ſecularibus, ei cui *2.Tim.2.*
ſe probauit minimè placiturus.

Quòd acedia excæcat mentem ab omni contemplatione virtutum.

CAPVT IIII.

HVius ægritudinis vniuerſa incommoda vno verſiculo
beatus Dauid eleganter expreſſit, Dormitauit, inquiens, *Pſal.118.*
anima mea præ tædio, id eſt, præ acedia. Propriè ſatis non
corpus dixit, ſed animam dormitaſſe. Verè enim ab omni cō-
templatione virtutum & intuitu ſpiritalium ſenſuum dormi-
tat anima, quæ perturbationis huius telo fuerit ſauciata.

Quòd duplex acedia ſit in pugna. CAP. V.

ITaque Chriſti verus athleta qui agonem perfectionis cu-
pit legitimè decertare, hunc quoque morbum de latebris
animæ ſuæ feſtinet extrudere, & ita contra hunc quoque ne-
quiſſimum acediæ ſpiritū vtrobique contendat, vt neq; ſomni
telo eliſus concidat, neque de monaſterij clauſtris expulſus,
quamuis ſub prætextu coloris pij fugitiuus abſcedat.

Quàm peſtilentes ſint acediæ effectus. CAP. VI.

QVemcunque enim in qualibet parte cœperit ſuperare,
aut tanquam inertem & deſidioſum ſibi patietur abſq;
vllo profectu ſpiritus in cellula commorari, aut excuſſum
exinde inſtabilem de cætero reddet ac vagum, & ad omne o-
pus deſidem, cellas fratrum ac monaſteria iugiter faciet cir-
cumire, nihilque aliud procurare, quàm vbi, quóue colore oc-
caſionem refectionis futuræ valeat præparare. Mens enim o-
tioſi nihil aliud cogitare nouit, quàm de eſcis ac ventre, donec
inuenta quandoque ſodalitate cuiuſquam viri vel feminæ
æquali tepore torpentis, rebus eorum ac neceſſitatibus in-
uoluatur, & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus ir-
retitus, vt tanquam ſerpentinis * ſpiris obſtrictus, nunquam **ſagittis*
deinceps ad perfectionem profeſſionis antiquę ſe valeat eno-
dare.

Teſtimonia Apoſtoli contra ſpiritum acediæ.

CAPVT VII.

HVnc morbum qui de acediæ ſpiritu naſcitur, beatus A-
poſtolus vt verus ac ſpiritalis medicus, vel tunc iam cō-
ſpiciens ſerpere, vel emerſurū inter monachos ſancto ſpiritu

reuelante prospiciens, salutaribus præceptorum suorum medicamentis præuenire festinat. Thessalonicensibus enim scribens,& primo vt peritissimus quidam perfectusque medicus, infirmitatem susceptorum blanda lenique verbi curatione fomentans,ac de caritate incipiens, eosque in ea parte collaudans, quousq; lethale vulnus leniore remedio delinitum,deposita tumoris indignatione, facilius medicamina austeriora
1.Thes.4. sustineat, ita ait: De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: Ipsi enim à Deo edocti estis, vt diligatis inuicem. Etenim facitis illud in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Præmisit laudis fomenta lenia, fecit eorũ aures ad curam salutaris verbi placidas & paratas. Rursum infert: Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis. Adhuc eos blanda verborũ lenitate demulcet, ne fortè nec dum aptos ad perceptionem perfectæ curationis inueniat. Quid est quod rogas Apostole, vt in quo abundent magis, scilicet in caritate,de qua superiùs dixeras, De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis? Et quid necesse est, vt dicas eis, Rogamus autem vos vt abundetis magis,qui super hac re ne scribi quidem sibi aliquid indigẽt, cùm præsertim & inferas causam ob quam hoc ipso non egeant, dicens, Ipsi enim vos à Deo docti estis vt diligatis inuicem: tertium quoque maius adijcias, quòd non solum à Deo edocti sint, verum etiam compleant opere quæ docentur? Etenim facitis illud,inquit, nõ in vno tantum vel duobus,sed in omnes fratres, nec in vestros tantummodo ciues vel notos, sed in vniuersa Macedonia? Dic igitur tandem, quid est quòd tantopere hoc præmittis? Iterum infert: Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis. Et vix aliquãdo in id quòd olim moliebatur,erumpit: Et operam detis, vt quieti sitis. Dixit primam causam. Deinde infert secundam: Et vt vestra negotia agatis. Tertiam quoque: Et operemini manibus vestris,sicut præcepimus vobis. Quartam: Et vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Quintam: Et vt nullius aliquid desideretis. Ecce illa cunctatio quam tantis proferre prooemijs differebat, quid in eius pectore parturiebat agnoscitur. Et operam detis,vt quieti sitis,id est in vestris cellulis commorantes, nec diuersis rumoribus qni solent otiosorum votis vel fabulis generari, inquieti effecti, alijs quoque inquietudines inferatis. Et vt vestra negotia agatis, nõ vestra curiositate actus mundi velitis inquirere, ac diuersorum conuersationes explorantes, * opera vestra non ad correctionem vestram seu virtutum studia, sed ad detractiones fratrum velitis impendere.

* operam vestram

Et operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis. Vt illa fierent quæ monuerat superiùs ne agerent, id est, ne inquieti essent, & aliena curarent negotia, vel inhonestè ambularēt ad eos qui foris sunt, vel alterius aliquid desiderarent: nunc intulit, dicens: Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Vt enim illa fierent quæ superiùs reprehendit, otium causam esse euidenter expressit. Nullus enim potest vel inquietus esse, vel aliena curare negotia, nisi qui operi manuū suarum non acquiescit insistere. Quartum quoque intulit morbum, qui ex hoc ipso otio nascitur, id est, vt inhonestè nō ambulent, dicens: Et vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Nunquam potest nec apud eos quidem qui seculi homines sunt, honestè incedere, qui nequaquam claustris cellæ & operi manuum suarum inhærere contentus est, sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit: adulationi quoque operam dare: nouitates etiam rumorum sectari: causarum fabularumque occasiones conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ac facultatem qua diuersorum domos valeat penetrare. Et nullius aliquid desideretis. Non potest non alienis donis & muneribus inhiare, qui non delectatur pio quietoque labore operis sui quotidiani victus parare substantiam. Videtis tot causas tam graues ac turpes vna otij labe generari? Denique hos ipsos quos in epistola prima molli fouerat palpatione verborum, qualiter in secunda, velut qui non profecissent ad leuiora remedia, austeriorib. quibusdam & causticis medicamentis sanare aggreditur, nullaque iam mitium verborū fomenta præmittit, non vllam teneram vocem ac blādam, vt ibi, Rogamus autem vos fratres; sed, Denūciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Ibi rogat, hic denunciat. In illa blandientis affectus, in hac obtestantis seueritas & minantis. Denunciamus vobis fratres: Quia prius rogantes contemsistis audire, saltem nunc denunciationibus obedite. Ipsámque denunciationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Iesu Christi terribilem infert, ne fortè simplicem velut humana voce prolatam rursum contemnerent, nec magnopere ducerent obseruandam. Statimque vt peritissimus medicus putribus membris quibus leni medicamento remedium ferre non potuit, mederi spiritalis ferri incisione pertentat: vt subtrahatis vos, inquiens, ab omni fratre ambulante inordinatè & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Itaque ab his qui vacare operi nolunt, iubet subtrahi, & velut

Otium multorum malorum fons & origo.

2. Thess. 3.

membra otij corrupta putredine desecari, ne inertiæ morbus velut lethale contagium, etiam sanas membrorum partes tabe serpente corrumpat. Dicturusque de his qui operari manibus suis nolunt, & panem suum cum silentio manducare, à quibus etiam præcepit subtrahendum, qualibus eos à principio opprobriis inurat attēdite. In primis inordinatos dicit, nec secundum suam traditionem ambulare: aliis verbis contumaces eos, vtpote qui nollent iuxta institutionem eius incedere, & inhonestos esse designans, id est, non processionis, non visitationis, nō verbi, non temporis opportunitatem cōgruam honestamque sectantes. Omnib. enim istis vitijs inordinatum quēque necesse est subiacere. Et nō secundum traditionē quam acceperunt à nobis: Et in hoc rebelles eos quodammodo & contemtores notat, qui traditionem quam acceperunt ab eo, tenere contemnerent, nec imitari vellent id quod magistrum non solum verbo docuisse meminerint, sed etiā opere nouerint perfecisse. Ipsi enim scitis quemadmodū oporteat imitari nos. Immanē cumulū reprehēsionis exaggerat, cùm hoc eos asserit nō obseruare quod & memoriæ eorū inhæreat, & ad imitandū non solum verbo instruente didicerint, sed etiam exemplo operum prouocante susceperint.

Quòd necesse sit inquietum esse eum qui opere manuum suarum nō vult esse contentus. CAP. VIII.

Ibidem. QVia nō inquieti fuimus inter vos. Cùm se vult inquietū inter eos nō fuisse per operis exercitiū comprobare, eos qui operari nolūt abundè notat otiositatis vitio inquietos semper existere. Neq; gratis panē manducauimus ab aliquo. Per singula verba increpationis auxesin facit Doctor gentiū. Prędicator euangelij dicit se non gratis panē ab aliquo manducasse, qui nouit Dominū præcepisse, vt qui euangeliū denunciant, de euāgelio viuant: & rursum, Dignus est operarius cibo suo. Cùm *itaq; non gratis qui euangeliū prædicabat, tam sublime ac spiritale opus exercens, cibum sibi Dominicę iussionis autoritate præsumeret, quid nos faciemus, quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed nec vlla quidē nisi animæ nostræ solius cura mandatur? Qua fiducia otiosis manibus gratis panē comedere audebimus, quē vas electionis euangelica sollicitudine & prędicatione cōstrictus, sine opere manuū comedere nō presumit? Sed in labore, inquit, & fatigatione, nocte & die operātes, ne quē vestrū grauaremus. Adhuc additamēta suæ castigationis exaggerat. Non enim simpliciter dixit, non comedimus panem gratis ab aliquo vestrum, & hucusq; stetit. Poterat enim videri proprio otiosoq; sumptu ac re-

1.Cor.9.
Matth.10.
* vtique

ac recondita pecunia vel aliorũ,licet non istorũ collatione seu muneribus sustentatus fuisse. Sed in labore, inquit, & fatigatione nocte ac die operantes, id est, nostro opere specialiter sustentati. Et hoc, inquit, non pro nostra voluntate perpetrabamus, nec pro delectatione, vt requies & exercitiũ corporis inuitabat, sed vt necessitas & inopia victus non sine ingenti fatigatione corporis facere compellebat. Non solum namque per totum diei spatiũ, sed etiam noctis tempore, quod quieti corporis videtur indultum, hoc opus manuum pro escę sollicitudine indesinenter vrgebam.

Quòd non solum Apostolus, sed etiam hi qui cum illo erant, manibus suis operati sunt. CAP. IX.

NEc tamen se solum taliter inter eos conuersatum fuisse testatur, ne fortè non magna nec generalis videretur hęc forma, si ipsius tantummodo traderetur exẽplo, sed etiam omnes qui erant secũ ad ministeriũ euãgelij deputati, id est, Siluanũ & Timotheũ, qui hæc eadẽ cum eo scribũt, asserit simili opere laborasse. In eo etiã quod dicit, ne quẽ vestrũ grauaremus, verecũdiã eis incutit magnã. Si enim ille qui euãgeliũ prædicabat, signis illud virtutibusq; cõmẽdãs ne grauaret quẽpiã gratis panẽ mãducare nõ audet, quomodo illi nõ ęstimãt se grauare qui quotidie eum otiosi vacantésq; pręsumũt? *2. Thes. 3.*

Quòd ob hoc manibus suis Apostolus operatus sit, vt nobis operandi præberet exemplum. CAP. X.

NOn quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Pandit causam cur tantum laboris sibi indixerit. Vt, inquit, formam daremus vobis ad imitandum nos, vt si fortè doctrinã verborum auribus vestris frequenter ingestam obliuioni traderetis, saltem conuersationis exempla sub oculorum fide vobis tradita memoriter retineretis. Haud leuis eorum & in hoc reprehensio, cùm dicit se nulla alia quàm exempli gratia laborẽ hunc & fatigationem die noctuque corporis exegisse, & eos nihilominus erudiri nolle, propter quos ipse necessitatẽ non habens, tantum sibi fatigationis indixerit. Et quidem, inquit, cùm haberemus potestatem, & paterent nobis facultates omnium vestrum atque substantiæ, & vtendi eis Domini nostri nossem me habere promissum, non sum tamen hac vsus potestate, ne quod à me bene ac licito fieret, aliis otij noxij præberet exemplum. Et idcirco euãgelium prædicans meis manibus atque opere malui sustentari, vt vobis quoque volentib. iter virtutis incedere, viam perfectionis aperirem, & conuersationis formam meo labore præberem.

Quòd non solum exemplo, sed etiam verbis prædicans, monuerit operari.

CAP. XI.

SEd ne fortè tacitus operans & erudire eos volens exemplis, minimè illos etiam pręceptorum monitis instruxisse videretur, infert: Nam & cùm essemus, inquit, apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Adhuc illorum desidiam qui scientes eum vt magistrum bonum doctrinæ gratia, & institutionis obtentu suis manibus operatum imitari contemnunt, & diligentiam cautionemque suam exaggerat, dicens non tantum se hoc illis exemplo tradidisse præsentem, sed etiam verbis iugiter prædicasse, vt si quis scilicet non vult operari, nec manducet.

Quòd non contentus sola monitione autoritatem quoque & præceptum adiunxerit Apostolus. CAP. XII.

NOn iam doctoris vel medici vtitur ad eos consilio, sed districtione in eos iudiciariæ pronunciationis inuehitur, & apostolica potestate resumpta, velut è tribunali in contemtores sententiam dicit: illa nempe potestate quam cum
2. Cor. 10. interminatione scribēs ad Corinthios, à Domino sibi asseruit datam, cùm eos in delicto positos præmoneret, vt ante aduentum suum semetipsos corrigere festinarent, ita præcipiēs: Rogo vos ne præsens compellar audere in quosdam potesta-
Ibidem. te illa quæ data est mihi in vobis. Et iterum: Si enim voluero aliquid gloriari de potestate quā dedit mihi Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram, non erubescam. Illa inquam potestate pronunciat, Si quis non vult operari, nec manducet: non gladio carnali eos addicens, sed autoritate spiritus sancti, huius vitæ eis interdicens substantiam: vt si fortè pœnam futuræ mortis minimè cogitantes, adhuc vellent amore otij existere cōtumaces, saltem necessitate naturali constricti, & metu præsentis interitus, salutaria pręcepta suscipere cogantur.

De eo quod dicit, Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè.

CAP. XIII.

POst tantum igitur rigorem euangelicæ districtionis, nunc iam causam exponit, cur hæc vniuersa præmiserit. Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Nusquam eos qui dediti esse operi nolunt, vno tantum morbo corruptos pronunciare con-
1. Thess. 4. tentus est. In priori namque epistola inordinatos eos appellat, nec secundum traditionem ambulare quam acceperāt ab eo: inquietos etiam esse definiuit, & gratis panem manducare. Rursum hic: Audiuimus, inquit, quosdam inter vos ambulare

bulare inquietè. Et subiungit statim secundum languorem qui inquietudinis huius est radix: Nihil,inquit,operãtes. Tertium quoque morbum, qui ex isto velut quidam ramusculus oritur,sed curiosè agentes. 2. Thess. 3.

Quòd multa vitia amputet operatio. CAP. XIIII.

ITaque fomiti vitiorum tantorum congruam nunc emendationem conferre festinat,& illa Apostolica qua vsus fuerat paulò antè deposita potestate,iterum ad viscera pij patris vel clemẽtis reuertitur medici,& velut filijs susceptisque suis consilio salubri infert remedia sanitatis,dicens: His autẽ qui eiusmodi sunt denunciamus & obsecramus in Domino Iesu, vt cum silentio operantes panem suum manducent. Causas tantorum vlcerũ quæ de radice otiositatis emergunt, vno operationis salutari præcepto curauit, vt peritissimus medicorum: cæteras quoque valetudines malas eodem cespite pullulantes sciens protinus extinguendas, origine morbi principalis exemta. Ibidem.

De humanitate etiam otiosis & negligentibus impartienda.

CAP. XV.

NIhilominus tamen vt perspicacissimus ac prouidus medicus, non solum infirmantium cupit mederi vulneribus, sed etiam sanis quibus eorum possit perpetua sospitas custodiri, similiter congruentia præcepta commendat, dicẽs: Vos autem nolite deficere benefacientes. Qui nos,id est,vias nostras sectantes,exempla vobis tradita operis imitatione cõpletis,ac nequaquam eorum desidiam inertiamque sectamini: Nolite deficere benefacientes,id est, humanitatem vestrã erga eos si fortè neglexerint obseruare,quę diximus,similiter impertite. Vt castigauit ergo eos qui erant infirmi, ne otio dissoluti inquietudini & curiositati operã darent, ita hos qui sani sunt præmonet, vt humanitatem quam bonis ac malis impartire Domini præcepto iubemur, si fortè quidam praui ad sanam doctrinam conuerti noluerint, non * abscindant ab eis, sed benefacere & fouere eos tam consolationis & correptionis sermone, quàm beneficiis solitis & humanitate non desinant. Ibidem. * abscondant

Quòd non odij, sed dilectionis causa eos qui delinquunt corripere debemus.

CAP. XVI.

RVrsum tamen ne fortè hac lenitate prouocati quidam præceptis eius obedire contemnant, intermiscet apostolicam seueritatem: Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam hunc notate,& nolite commisceri cum illo, vt confundatur. Monensque eos pro reuerentia sui & vtilitate communi Ibidem.

muni quid oporteat obseruari, quaque cautione apostolica mandata custodiant, subiungit confestim patris indulgentissimi lenitatem: & vt filios suos quem erga prædictos pro caritate fraternitatis affectum debeant retinere, similiter docet. Et nolite, inquit, quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Seueritati iudiciariæ paternam intermiscuit pietatē, & sententiam apostolico rigore prolatam, clementi mansuetudine temperauit. Nā & notari iubet eum qui obedire præceptis suis contemserit, & cum illo non commisceri, & tamen hæc fieri non odij vitio præcipit, sed fraternæ dilectionis & eorum emendationis intuitu. Nolite, inquit, commisceri cum illo, vt confundatur, vt qui non est meis præceptis mitib. emēdatus, saltem publica omnium vestrum segregatione confusus, ad tramitem salutis incipiat aliquando reuocari.

Diuersa testimonia quibus Apostolus præcipit operari debere, vel quibus ipse operatus fuisse monstratur. CAP. XVII.

Ephes. 4. IN epistola quoque ad Ephesios de hoc ipso opere ita præcipit, dicens: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonū est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. In actibus etiam Apostolorum

Actor. 18. hæc eadem non solum docuisse eum, sed etiam opere perfecisse similiter inuenimus. Nam cùm venisset Corinthū, alibi se manere non patitur, nisi apud Aquilam & Priscillam, eo quòd eiusdem artis essent opifices, quam ipse erat solitus exercere. Ita enim habes: Post hæc Paulus egressus ab Athenis, venit Corinthum, & inueniens quēdam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, & Priscillam vxorem eius, accessit ad eos, eo quòd eiusdem essent artis, & manebat cum eis, & operabatur. Erant enim scenofactoriæ artis.

Quòd tantum operatus sit Apostolus, quantum & sibi & aliis qui cum eo erant sufficere posse arbitrabatur. CAP. XVIII.

Actor. 20. DEinde procedēs Miletum, & exinde mittens Ephesum, conuocansq; ad se presbyteros Ephesiorum ecclesiæ, & dans eis præcepta quemadmodum regere ecclesiam Dei se absente deberent, ait: Aurum & argentum nullius concupiui, ipsi scitis quoniam ad omnia quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm accipere. * Graue nobis suæ conuersationis reliquit exemplum, cùm se non solum id operatum esse testatur quod necessitati tantummodo sui corporis expediret, sed etiam quod vsibus eorum qui secum erant posset sufficere: his

* Grande

re: his videlicet qui quotidie necessariis ministeriis occupati, nequaquam sibi parare similiter victum suis manibus occurrebant. Et sicut ad Thessalonicenses operatum sese dixit, vt illis formam daret ad imitandum eum, ita & hic tale quid intulit, dicens; Omnia ostendi vobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos, scilicet vel mente vel corpore, id est, vt nostro potius labore sumptúque, operis sudore quæsito, & non de abundantiæ cumulo seu reposita pecunia, sed ne de aliena quidem largitate ac substantia eos reficere festinemus. 1.Thess. 2.

Quemadmodum intelligi debeat, Beatius est magis dare quàm accipere.

CAPVT XIX.

ET hoc ipsum Domini dicit esse mandatum: Quoniam ipse, inquit, dixit, id est, Dominus Iesus, Beatius est magis dare quàm accipere. Hoc est impartientis beatior largitas quàm accipientis penuria, quæ non de pecunia per infidelitatē vel diffidētiam reseruata, nec de recōditis auaritiæ thesauris impenditur, sed quæ de fructu operis proprij & pio sudore profertur. Et ideo beatius est magis dare quàm accipere; quia cùm illius qui accipit is qui tribuit habeat paupertatem, nihilominus labore proprio non solum suæ necessitatis sufficientiam, verum etiam quod tribuat indigenti pia sollicitudine parare festinat: duplici gratia decoratus, quód & perfectā nuditatem Christi vniuersarum rerum suarum abiectione possideat, & munificentiam diuitis labore suo exhibeat & affectu. Hic quidem honorans Deum de suis iustis laboribus, & delibans ei de fructibus iustitiæ suæ: ille verò otij torpore & inertia resolutus, indignum se esse etiam cibo panis, Apostoli probat sententia, contra eius scilicet interdictum otiosus eum non sine reatu peccati contumaciæque præsumens. Actor. 20. 2. Thess. 3.

De fratre desidioso, qui alios egredi de cœnobio sollicitabat.

CAPVT XX.

NOuimus fratrem, cuius etiam nomen si amplius aliquid ex hoc instructionis accederet, proderemus, qui cū in cœnobio moraretur, eumque necessitas coarctaret, vt statutum operis pensum quotidie œconomo traderet, ne in maiorem operis modum alicuius propensius laborantis tenderetur vel confunderetur exēplo, cùm in cœnobio quempiam fratrum vidisset ingressum, qui ardore fidei vellet aliquid amplius operis consignare, si clandestinis eum persuasionibus reuocare ab huiusmodi intentione minimè potuisset, consiliis prauis ac susurrationibus ad transmigrādum

exinde perſuadebat. Et quo eum facilius aſportaret, ſe quoque iam olim multis ex cauſis offenſum confingebat velle diſcedere, ſi ſolatium itineris vel comitis repperiſſet. Cùmque eum ad conſenſum occultis * obtrectationibus monaſterij pellexiſſet, condicens ei horam qua de monaſterio deberet exire, vel locum quo ſe præueniens expectaret, ipſe velut ilico ſubſecuturus ibidem ſubſiſtebat. Illoque iam pro diſceſſus ſui verecundia non audente ad monaſterium de quo aufugerat, vlterius aggregari, infelix fugę eius autor in cœnobio reſidebat. Hoc vnum exemplum de iſtiuſmodi genere hominum pro incipientium cautione dixiſſe ſufficiat, quo pateat euidẽtius, quanta mala otioſitas ſecundum ſcripturę ſententiam in monachi mente parturiat, vel quemadmodum corrumpant bonos mores colloquia mala.

[* obtestationibus] [1.Cor.15.]

Diuerſa ex Salomone contra Acediam teſtimonia. CAP. XXI.

[Prouerb. 28.] QVod otioſitatis vitium etiam ſapientiſſimus Salomon euidentiſſimè notat in multis, ita dicens: Qui ſectatur otium, replebitur paupertate, vel viſibili ſcilicet vel inuiſibili, qua neceſſe eſt otioſum quemque & diuerſis vitiis inuolutum teneri, & alienum ſemper exiſtere à contemplatione Dei vel diuitiis ſpiritalibus, de quibus beatus Apoſtolus, Quia in omnibus, inquit, diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia. De hac autem otioſi paupertate alibi quoque ita ſcribitur: Et veſtietur conſciſſa veſte, & pannoſa omnis ſomniculoſus. Sine dubio enim non merebitur illo incorruptionis veſtimento ornari, de quo Apoſtolus præcipit: Induite vos Dominum Ieſum Chriſtum. Et iterum: Induti lorica iuſtitiæ & caritatis. & de quo etiam Dominus ad Ieruſalem loquitur per prophetam: Exurge exurge Ieruſalem, induere veſtimentis gloriæ tuæ. quiſquis ſomno otij vel acediæ ſuperatus, non induſtriæ ſuæ labore, ſed inertiæ pannis operiri maluerit, quos abſcindẽs de perfecta plenitudine & corpore ſcripturarum, nõ veſtimentum gloriæ nec decoris, ſed ignominioſum excuſationis velamen ſuæ coaptabit ignauiæ. Solent enim hi qui ſunt hac ſegnitie diſſoluti, nolentes opere manuũ ſuarum ſuſtentari, quod Apoſtolus indeſinenter exercuit, vel nobis exercere præcepit, quibuſdam vti teſtimoniis ſcripturarum, quibus quoddam inertiæ ſuæ velamen imponant: dicentes ſcriptum eſſe: Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Et, Meus cibus eſt, vt faciã voluntatem patris mei. Sed hæc teſtimonia panni quidam ſunt de ſolida euangelicæ lectionis plenitudine, qui ad hoc aſſumuntur, vt contegant potius ignominiam otioſitatis ac verecundiæ

[1.Cor.1.] [Rom.13.] [1.Theſſ.5.] [Eſaie 52.] [Ioan.6.] [Ioan.4.]

cundiæ nostræ, quàm vt calefaciant & exornent nos illa pretiosa veste perfectáque virtutum quam in Prouerbijs mulier illa sapiens quæ fortitudine & decore induta est vel sibi vel viro suo fecisse describitur, de qua etiam consequenter infertur: Fortitudine & decore induta est, & lætata est in diebus nouissimis. De hoc inertiæ morbo rursus idem Salomon ita commemorat: Viæ nihil operantium stratæ sunt spinis, id est illis ac similibus vitiis quæ Apostolus in superioribus de otio pullulare præfatus est. Et iterũ: In desideriis est omnis otiosus. De quibus Apostolus commemorauit dicens: Et nullius aliquid desideretis. Et ad extremum: Multa mala enim docuit otiositas. Quę euidenter Apostolus in his quæ suprà exposuimus, enumerauit dicens: Nihil operantes, sed curiosè agẽtes. Huic quoque vitio subiunxit aliud: Et operam detis vt quieti sitis. Et deinde, vt vestra negotia agatis, & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Quos etiam inordinatos ac rebelles notat, ab his studiosos quosque segregari præcipiẽs: Vt subtrahatis vos, inquit, ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.

Prouer. 31. *Prouer. 19.* *Prouer. 21.* *1. Thess. 4.* *Eccle. 33.* *2. Thess. 3.*

Quòd per Aegyptum fratres ita suis manibus operantur, vt non solum propriis necessitatibus satisfaciãt, sed etiam his qui in carceribus sunt, subministrent. CAP. XXII.

HIs itaque exemplis per Aegyptum Patres eruditi, nullo modo otiosos esse monachos ac præcipuè iuuenes sinunt, actum cordis ac profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes: & non solum à nullo quicquam ad vsum victus sui accipere patiũtur, sed etiam de laboribus suis non tantum superuenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verùm etiam per loca Libyæ, quæ sterilitate ac fame laborãt, nec non etiam per ciuitates his qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusque substantiam, de fructu manuum suarũ rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.

Raritatem monachorum & monasteriorum Occidentalium otio adscribit. CAP. XXIII.

HInc est quòd in his regionibus nulla videmus monasteria tanta fratrum celebritate fundata: quia nec operum suorum facultatibus fulciũtur, vt possint in eis iugiter perdurare; & si eis suppeditare quoquo modo valeat sufficientia victus alterius largitate, voluptas tamen otij & peruagatio cordis diutius eos in loco perseuerare non patitur. Vnde hæc est apud Aegyptum ab antiquis patribus sancita sententia, Operan-

Præclara monachorũ Aegypti sentẽtia.

Operantem monachum dæmone vno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.

De Abbate Paulo, qui singulis annis omne opus manuum suarum igne supposito concremabat. CAP. XXIIII.

DEnique Abbas Paulus probatissimus patrum, cùm in eremo vastiore consistens, quæ Porphyrio nuncupatur, palmarum fructibus & horto modico securus, haberet sufficientem alimoniæ suæ victusque substantiam, nec posset aliquid aliud vnde sustentaretur, operis exercere, eo quòd ab opidis & habitabili terra septem mãsionibus vel eò amplius deserti illius separaretur habitatio, plusque expeteretur pro mercede vecturæ quàm valere posset pretium operis desudati, collectis palmarum foliis, quotidianum pensum velut exinde sustentandus, à semetipso iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius fuisset impletum, id quod sollicita cura laborauerat, singulis annis supposito igne concremabat: intantum probans sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere: vt cùm hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis & cogitationum soliditate ac perseuerantia cellæ, vel acediæ ipsius victoria & expugnatione perficeret.

Verba Abbatis Moysi quæ dixerat mihi de remedio acediæ.

CAPVT XXV.

CVm incipiens in eremo commorari, Abbati Moysi omnium sanctorum summo dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die grauissimè fuisse confectum, nec ab ea potuisse aliàs liberari, nisi ad Abbatem Paulum protinus cucurrissem: Ille, Non te, ait, ab ea liberasti, sed magis ei te deditũ ac subditum præbuisti. Grauius enim te vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de cõflictu superatum protinus aufugisse conspexit: nisi de cætero commissa congressione non desertione cellę vel somni torpore ingruentes æstus eius ad horam euaporare malueris, sed tolerãtia potius & conflictu didiceris triumphare. Vnde experimẽto probatum est acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

De spiritu acediæ libri Decimi finis.

LIBER

LIBER XI.
DE SPIRITV CENODOXIÆ.

CAPVT I.



SEPTIMVM nobis certamen eſt contra ſpiritum cenodoxiæ (quam nos vanam ſiue inanem gloriam poſſumus appellare) multiformem, varium atque ſubtilẽ, ita vt quibuslibet perſpicaciſſimis oculis non dicam caueri, ſed peruideri deprehendique vix poſſit.

Quòd cenodoxia non ſolum in parte carnali, ſed etiam in ſpiritali monachum pulſet.

CAPVT II.

NOn ſolum enim vt cætera vitia in parte carnali, ſed etiã in ſpiritali monachum pulſat, ſubtiliore ſe nequitia ingerens menti, ita vt qui non potuerint carnalibus vitiis decipi, ſpiritalibus ſucceſſibus acriùs ſaucientur: tantoq́; eſt perniicioſior ad conflictum, quanto obſcurior ad cauendũ. Omnium namque vitiorum manifeſtior apertiorq́ue congreſſus eſt, & in vnoquoque eorum contradictione rigida confutatus incentor, inualidior factus abſcedet, victoremq́ue ſuum deiectus aduerſarius, deinceps infirmior attẽtabit. Hic verò morbus cùm pro elatione carnali pulſauerit mentem, & fuerit reſponſionis ſcuto repulſus, rurſus vt quædam multiformis nequitia priore habitu perſonaq́ue mutata ſub virtutum ſpecie victorem confodere & iugulare pertentat.

Quàm cenodoxia multiplex ſit ac multiformis.

CAPVT III.

ETenim cætera vitia ſeu perturbationes vniformes ac ſimplices eſſe dicuntur, hæc verò multiplex & multiformis ac varia vndique bellatori, & ex omni parte victori occurrens. Nam & in habitu, & in forma, in inceſſu, in voce, in opere, in vigiliis, in ieiuniis, in oratione, in remotione, in lectione, in ſcientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, militẽ Chriſti vulnerare conatur, & velut quidam pernicioſiſſimus ſcopulus tumentibus vndis obtectus, improuiſum ac miſerabile naufragium ſecundo

nauigen-

nauigantibus vento, dum non cauetur nec præuidetur, importat.

Quomodo cenodoxia monachum à dextris & à sinistris impugnet.

CAPVT IIII.

2.Cor.6. ITaque via regia volentem incedere per arma iustitiæ quæ à dextris sunt & à sinistris, oportet apostolica disciplina transire per gloriam & ignobilitatem, per infamiã & bonam famã, & tanta cautione inter tumentes tentationum fluctus, gubernante discretione & flante nobis spiritu Domini, iter dirigere virtutis, vt dextra lęuaque si paululum deflectamus, sciamus nos perniciosis mox cautibus illidendos. Ideoque per
Prouerb.4. sapientissimum Salomonẽ monemur, Ne diuertaris ad dexteram neque ad sinistram, id est, ne tibi de virtutibus blandiaris, & dextris successibus ac spiritalibus extollaris, nec deflectens ad sinistrum tramitem vitiorum, secundum Apostolum gloriam tibi ex eis in tua confusione cõquiras. Nam cui sub specie succinctæ vestis ac nitidæ cenodoxiam non potuit diabolus generare pro squalida & inculta ac viliore conatur inserere. Quẽ nõ potuit per honorẽ deijcere, humilitate supplãtat. Quẽ scientiæ & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulsatur. Si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur. Ne vanæ gloriæ contagio maculetur, orationes prolixas sub fratrum vitat celebrare cõspectu; & quòd eas latenter exerceat, nullumque habeat conscium facti, non effugit aculeos vanitatis.

Qua comparatione monstretur natura cenodoxiæ.

CAPVT V.

PVlchrè Seniores nostri naturam morbi huius in modum cepæ bulborumque describunt, quæ vno decorticata tegmine, alio rursum inueniuntur induta: totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint expoliata.

Cenodoxiam solitudinis beneficio non penitus extingui.

CAPVT VI.

IN solitudine quoq; cunctorum mortalium consortia gloriæ causa fugientem, persequi non desistit. Quantoq; amplius vniuersum quis vitauerit mundum, tanto eum acrius insectatur. Alium quòd patientissimus sit operis ac laboris, alium quòd ad obediendum promtissimus, alium quòd humilitate cęteros præponderet, conatur extollere. Alius scientiæ, alius lectionis, alius vigiliarum prolixitate tentatur. Nec aliàs quemquam hic morbus, nisi suis nititur virtutibus sauciare, in his offendicula tendens interitus, in quibus vitæ stipẽdia con-

conquiruntur. Volentibus quippe iter pietatis ac perfectionis incedere, non alibi inimici insidiantes nisi in via qua ambulant laqueos deceptionis abscondunt, secundum illam beati Dauid sententiam, In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi, vt in hac ipsa scilicet virtutum via qua gradimur tendentes ad brauium supernæ vocationis, nostris elati successibus corruamus, obligatisque pedibus animæ nostræ concidamus, cenodoxiæ laqueis cōpediti. Et ita fit vt qui aduersarij conflictu non potuimus superari, nostri triumphi sublimitate vincamur, seu certè, quod est etiam aliud deceptionis genus, vt excedentes continentiæ vel nostræ possibilitatis modum, perseuerantiam nostri cursus infirmitate corporis intercedente perdamus. Psalm. 141.

Quòd cenodoxia cùm deiecta fuerit, acrius resurgat ad pugnam.

CAPVT VII.

OMnia vitia superata marcescunt, & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur, & vel loco vel tempore minuuntur atque deferuent, seu certè à contrariis virtutibus diffidentia vel cauentur facilius vel vitantur; hoc verò deiectum acrius resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, sua morte viuacius conualescit. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent quos in certamine superarint, hoc verò suos victores acrius insectatur. Quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia, vt militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis superare non potuit.

Quòd cenodoxia nec eremo, nec ætate deferuescat.

CAPVT VIII.

ALia interdum vitia, sicut diximus, etiam locorum beneficio conquiescunt, & materia peccati vel opportunitate eius & occasione subtracta lentescere solent & minui, hoc verò cum fugiente deserta penetrat, nec loco nouit excludi, nec extrinsecus materia subtracta marcescere. Non enim aliunde quàm virtutum eius quem impetit successibus animatur. Cætera etiam vitia processu temporis, vt præfati sumus, interdum molliuntur atque euanescunt, huic longæuitas nisi fuerit industria sollerti ac prudenti discretione fundata, non solum non officit, verumetiam maiora nouit fomenta congerere vanitatis.

Quòd cenodoxia periculosior sit virtutibus mixta. CAP. IX.

POstremò cæteræ perturbationes à contrariis sibi virtutibus diffidentes, & ex aperto tanquàm die claro bellantes

& superantur faciliùs & cauentur: hæc autem virtutibus inserta & aciei permixta, velut in nocte cæca dimicans, atrociùs inopinatos decipit & incautos.

Exemplum regis Ezechiæ quemadmodum telo cenodoxiæ deiectus fuerit.

CAPVT X.

ITa namque Ezechiam regem Iudæ virum in omnibus consummatæ iustitiæ, & sanctarum scripturarum testimonio comprobatum; post innumera virtutum præconia vno elationis telo legimus fuisse deiectum, & qui internecionem centum octoginta quinque milium de exercitu Assyriorum, 4. Reg. 19. angelo sub nocte vastante, vna prece valuit impetrare, vanitatis gloriatione superatur. Cuius vt prætercam virtutum tam prolixum catalogum quem replicare perlongum est, hoc vnum dicam. Qui post interdictum terminũ vitæ mortisque diem Domini sententia præfinitum, quindecim annis vitæ metas excedere vna oratione promeruit, sole per decem gradus quos ad occasum tendens iam illustrauerat reuertente, qui lineas quas abscessu eius vmbra subsequens occuparat, suo rursum reditu fugans duplicatum diem vniuerso orbi contra fixas naturæ leges inaudito miraculo præbuit; post tanta tamque incredibilia signa, post tam immania documẽta virtutum, qualiter fuerit successibus suis elisus, audi scri- 4. Reg. 20. pturam narrantem. In diebus, inquit, illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & orauit Dominum, & exaudiuit eum, & dedit ei signum, illud scilicet quod legimus de solis datum esse reditu per Isaiam Prophetam in quarto Regnorum libro: sed non, inquit, secundum beneficia quæ acceperat retribuit ei, quia eleuatum est cor eius, & facta est contra eum ira, & contra Iudam & Ierusalem: humiliatusq; est postea eo quòd exaltatum esset cor eius, tam ipse quàm habitatores Ierusalem, & idcirco nõ venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. Quàm perniciosus, quàm grauis est elationis morbus! Tantæ iustitiæ, tantæ virtutes, tanta fides atque deuotio, quæ naturã ipsam ac totius mũdi leges immutare meruerunt, vna elatione depereunt, ita vt vniuersis virtutibus suis ac si non fuissent obliuioni traditis, irã Dñi confestim suscepisset, nisi eam resumta humilitate placasset; vt qui de tam excelso meritorum fastigio, elatione impellente, deciderat, non nisi per eosdẽ rursum humilitatis gradus ad amissum culmen ascenderet. Vis aliud quoque exemplum similis ruinæ percipere?

Exemplum regis Oziæ eiusdem morbi labe superati. CAP. XI.

OZias huius quem cõmemorauimus regis attauus, in omnibus quoque ipse scripturæ testimonio collaudatus, post

poſt ingentia virtutum ſuarum præconia, poſt innumeros triumphos quos deuotionis ac fidei ſuæ merito perpetrauit, diſce qualiter ſit vanæ gloriæ elatione deiectus. Et egreſſum eſt, inquit, nomen Oziæ propter quod auxiliaretur ei Dominus & corroboraſſet illum. Et cùm roboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum. Cernis aliud exemplũ ruinæ grauiſſimæ, & conſpicis duos viros tam iuſtos, tamq; perfectos triumphis ſuis atque victoriis fuiſſe confectos. Vnde videtis quàm pernicioſi rerum ſecundarum ſoleant eſſe ſucceſſus, ita vt qui non potuerunt aduerſis frangi, proſperis, ſi incauti fuerint, acriùs elidãtur; & qui in conflictu atque acie mortis euaſerunt diſcrimina, trophæis propriis triumphiſque ſuccumbant. 2. Paral. 26.

Diuerſa teſtimonia contra cenodoxiam. CAP. XII.

IDeo Apoſtolus monet: Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Et Dominus Phariſæos caſtigans, Quomodo, inquit, vos poteſtis credere qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? De his & beatus Dauid cum interminatione dicit: Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent. Galat. 5. Ioan. 5. Pſalm. 52.

Quibus modis cenodoxia monachum pulſet. CAP. XIII.

SOlet etiam incipientium mentes, & eorum qui minus adhuc vel virtute animi, vel ſcientia profecerunt, aut propter ſonum vocis extollere, quòd ſcilicet modulatiùs pſallant, aut quòd ſint exeſis carnibus vel corpore lautiores, aut quòd parentes diuites aut nobiles habeant, vel quòd militiam honoreſque contemſerint. Interdum etiam dignitates & opes quæ fortè nec apprehendi quidem aliquando potuiſſent, perſuadet quempiam perfacilè fuiſſe adepturum ſi perſeueraſſet in ſeculo, vana ſpe etiam de incertis inflans eum, & de his quę nunquàm poſſedit, velut qui ea contemſerit gloria vanitatis extollens.

Quemadmodum clericatus gradum ſuggerat ambiendum.

CAPVT XIIII.

NOnnunquàm verò clericatus gradum & deſideriũ preſbyterij vel diaconatus immittit. Quem ſi vel inuitus fuiſſet adeptus, tanta expleturum ſanctitate ac rigore depingit, vt cæteris quoque ſacerdotibus præbere potuerit ſanctitatis exempla: dein multos non ſolùm cõuerſationis forma, verumetiam doctrina ſua ſermoneque lucraturum. Facit etiam in ſolitudine vel in cellula commorantem, diuerſorum domos ac monaſteria mẽte atque animo circumire, & plurimorum * conuerſiones ſub incitamento imaginariæ exhortationis acquirere. Agitur itaque infelix anima tali vanitate *conuerſationes

velut profundissimo sopore delusa, vt plerumque huiusmodi cogitationum illecta dulcedine, & his oppleta simulacris, ne præsentes quidem actus vel fratres valeat contemplari, dum his quæ cogitationum peruagatione vigilãs somniauit, delectatur inhærere quasi veris.

Quomodo cenodoxia mentem inebriet. CAP. XV.

MEmini cuiusdam Senis cùm in eremo Scythi commorarer: Qui cùm ad cellam cuiusdã fratris gratia visitationis adueniens ostio approximasset, audissetque eum quiddam obmurmurãtem intrinsecus, paululum substitit, cognoscere volens quid nam de scripturis legeret, vel, sicut est moris, operãs memoriter recenseret. Cumq; piissimus explorator aure diligenter applicita curiosius auscultaret, ita eum repperit huius spiritus impugnatione pellectum, vt in ecclesia facere se crederet exhortatorium plebi sermonem. Cumque subsistens Senex audisset eum finisse tractatum, & mutato rursum officio celebrare velut diaconum catechumenis missam, tunc demum pulsauit ostium. Qui egressus occurrẽsque Seni veneratione solita, introducensque eum quàm olim venerit cogitationum suarum conscientia remordente perquirit, ne scilicet diutius stans ad ostium iniuriam pertulisset: iocularitèr Senex grateque respondit: Modò, inquiens, veni, quando tu missam catechumenis celebrabas.

Quòd aliter vitia curari non possint nisi eorum radices & causæ innotuerint.

CAPVT XVI.

HAec idcirco inserere huic opusculo necessariũ duxi, vt de impugnationum vi atque ordine vitiorum quibus miserabilis anima laceratur, non solùm ratione, sed etiam exemplis instructi, ad deuitandos laqueos & multiplices decipulas inimici cautiores esse possimus. Ita namque indifferenter hæc ab Aegyptiis patribus proferuntur in medium, vt omnium vitiorum certamina, vel illa quæ patiuntur, vel illa quæ passuri sunt iuniores, relatione sua tanquàm qui adhuc ea sustineant apud eos detegant atque denudent, quo exponentibus eis illusiones omnium passionum quicũque incipientium sunt ac feruentium spiritu, colluctationum suarum arcana cognoscant, & ea tanquàm in speculo contemplantes, & causas vitiorum quibus pulsantur, & remedia doceantur: futurorum quoque certaminum congressibus antequàm superueniãt eruditi, qualiter præcauere & occurrere eis, vel cõfligere debeant, instruantur. Vt solent peritissimi medicorum non solum mederi præsentibus morbis, verumetiam futuris peritia sagaci occurrere, eosque præceptis vel poculis saluta-

ribus præuenire; ita hi quoque verissimi animarum medici emersuras valetudines cordium spiritali collatione velut quodam cælesti antidoto prænecantes, in iuniorum mentibus nõ patiuntur adolescere, aperientes eis & causas imminentium passionum, & remedia sanitatum.

Quòd monachus mulieres & episcopos vitare debeat.

CAPVT XVII.

QVapropter hæc est antiquitùs patrum permanens nunc vsque sententia, quã proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam vitare potui, nec episcopi euadere manus, omnimodis monachum fugere debere mulieres & episcopos. Neuter enim sinit eum quem semel suæ familiaritati deuinxerit, vel quieti cellulæ vlterius operam dare, vel diuinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.

Remedia aduersus cenodoxiæ malum. CAP. XVIII.

IDeoque athleta Christi qui verum ac spiritalem agonem legitimè certare desiderat, hanc multiformẽ variamq; bestiam omnimodis superare festinet. Quam nobis ex omni parte velut multiplicem nequitiam occurrentem tali remedio poterimus euadere, vt cogitantes illud Dauidicum eloquium, Dominus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, primitùs nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratia nosmetipsos facere permittamus. Deinde ea quæ bono initio fecerimus, obseruatione simili custodire nitamur, ne omnes laborum nostrorum fructus pòst irrepens cenodoxiæ morbus euacuet. Quicquid etiam in cõuersatione fratrum minimè communis vsus recipit vel exercet, omni studio vt iactantiæ deditum declinemus, & ea quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda vitemus. His enim vel maximè indiciis cenodoxiæ lethale contagium nobis inhærere monstrabitur. Quod facillimè poterimus effugere, si consideremus non solum fructum laborum nostrorum nos penitus amissuros quoscunque cenodoxiæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos æterna supplicia velut sacrilegos soluturos, vtpote qui ad iniuriam Dei opus quod eius obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere, ab eo qui occultorum est conscius, homines Deo, & gloriam mundi gloriæ Domini prætulisse conuicti.

Psalm. 52.

De spiritu cenodoxiæ libri vndecimi finis.

DE SPIRITV SVPERBIÆ.

CAPVT I.



OCTAVVM, quod & extremũ aduersus spiritum superbiæ nobis certamen est. Qui morbus licet vltimus sit in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur extremus, origine tamen & tempore primus est sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans, & propemodum iam positos in consummatione virtutũ morsu diriore depascens.

Quòd superbiæ duo sint genera. CAP. II.

CVius duo sunt genera: Vnum hocquo diximus spiritales viros summosque pulsari; aliud quod etiam incipientes carnalesque complectitur. Et licet vtrumque superbiæ genus tam in Deum, quàm in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum, secundum ad homines propriè pertinet. Cuius originem ac remedia in posterioribus libelli huius donante Deo in quantũ possumus exequemur. Nunc de illo priore quo præfati sumus perfectos præcipuè tentari, propositum nobis est pauca disserere.

Quòd superbia omnes pariter virtutes auferat.

CAPVT III.

NVllum est igitur vitium aliud quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaq; iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, vt superbiæ malum, tanquàm generalis quidam ac pestifer morbus non vnum membrum partémue eius debilitare contentus, sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum iam fastigio collocatos grauissima ruina deiicere ac trucidare conatur. Omne namque vitium suis est terminis & fine contentum, & licet contristet alias quoque virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit, eamque specialiter opprimit & impugnat. Et vt hoc ipsum quod diximus clarius possit intelligi, gastrimargia, id est, appetitus ventris seu concupiscentia gulæ, temperantiæ rigorem corrumpit, castitatem libido contaminat, ira patientiam vastat, vt non nunquàm vni quis deditus vitio aliis virtutibus non penitus destituatur, sed illa tantũ virtute truncata quę e diuerso æmulo sibi vitio repugnante succumbit, reliquas possit

vel

vel ex parte retinere: hęc verò cùm infelicem possederit mentem, vt quidam sæuissimus tyrannus sublimissima capta arce virtutum vniuersam funditus ciuitatem diruit atque subuertit. Excelsa quondam sanctitatis mœnia vitiorũ solo coæquans atque permiscens, nullam deinceps imaginem libertatis animæ sibi subditæ superesse concedit. Quantoque ceperit ditiorem, tanto grauiore seruitutis iugo subditũ, vniuersis virtutum facultatibus crudelissima deprædatione nudabit.

Quòd ob superbiam lucifer ille de Archangelo factus est diabolus.

CAPVT IIII.

ET vt grauissimæ tyrannidis eius potentiam agnoscamus, Angelum illum qui præ nimietate splendoris ac decoris sui lucifer nuncupatus est, nullo alio quàm hoc vitio deiectum cælitus inuenimus, & ex illa beata sublimique angelorum statione telo superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum. Si igitur tantam virtutẽ & tantæ potentiæ prærogatiua decoratam vna elatio cordis potuit de cælestibus ad terrena deuoluere, qua nos obseruantia carnis fragilitate circũdatos cauere oporteat, ipsius ruinæ magnitudo demonstrat. Quemadmodũ verò huius morbi virus perniciosissimũ deuitemus, instrui poterimus, si ruinæ ipsius causas atq; originem persequamur. Nunquàm enim curari languor, nec remedia poterunt malis valetudinibus exhiberi, nisi prius inquisitione sagaci origines earum inuestigentur & causæ. Hic namque indutus diuina claritate, & inter cæteras supernas virtutes cõditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ & virtutum pulchritudinem qua ornabatur gratia creatoris, naturæ suæ potentia, non munificentiæ illius beneficio se credidit obtinere. Et ob hoc elatus tanquàm qui ad perseuerantiã puritatis huius diuino non egeret auxilio, Deo se similem iudicauit, vtpote qui nullius indigeret quemadmodũ Deus, liberi scilicet arbitrij facultate confisus, per illam credens affluenter omnia sibimet suppeditari, quæ ad consummationem virtutum vel perennitatem summæ beatitudinis pertinerent. Hæc ei sola cogitatio facta prima ruina est. Ob quã desertus à Deo quo se credidit nõ egere, instabilis repente & nutabundus effectus, & infirmitatẽ propriæ naturæ persensit, & beatitudinẽ qua Dei munere fruebatur, amisit. Et quia *Psalm. 51.*
dilexit verba præcipitationis, quibus dixerat, in cælum con *Isaiæ 14.*
scendam; & linguã dolosam, qua vel de se dixerat, ero similis *Genes. 3.* *Psalm. 51.*
altissimo, vel de Adam & Eua, eritis sicut dij; propterea Deus destruet illum in finem, euellet eum, & emigrabit de tabernaculo suo, & radicem eius de terra viuentium. Tũc ruinã eius

videntes iusti timebunt, & super eum ridebũt dicentes, quòd etiam ad hos qui se sine protectione auxilioq; Dei summum bonum perficere posse confidunt, iustissimè dirigetur: Ecce
Ibidem. homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.

Quòd fomites vitiorum omnium è superbia pullulent.

CAPVT V.

HAec est primæ ruinæ causa & origo principalis morbi. Qui rursum per illum qui fuerat à se deiectus in protoplastum serpens, infirmitates omnium vitiorum & materias germinauit. Dum enim gloriam deitatis arbitrij libertate & industria sua credidit se posse conquirere, etiam illam perdidit quam adeptus fuerat gratia conditoris.

Quòd superbiæ vitium sit in ordine colluctationis extremum, tempore tamen & origine primum sit. CAP. VI.

ITaque exemplis ac testimoniis scripturarum manifestissimè comprobatur, superbię labem cùm posterior sit in ordine conflictuum, origine tamen anteriorem esse, omniumque peccatorum & criminum esse principium: nec sicut cætera vitia solummodo contrariam sibi virtutem, id est, humilitatem tantum extinguere, verumetiam cũctarum simul interemtricem esse virtutum: nec mediocres tantum paruosque tentare, sed maximè in fortitudinis culmine consistentes. Ita enim de hoc spiritu propheta commemorat: Et esca
Habacuc 2. eius electa. Ideoque beatus Dauid licet tanta circumspectione cordis sui custodiret arcana, vt ad eum quem secreta conscientiæ suæ non latebant, audenter proclamaret, Domi-
Psalm. 130. ne non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus super me,
Psalm. 100. nisi humiliter sentiebam. Et iterum, Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam: sciens tamen quàm difficilis sit etiam perfectis ista custodia, non de sua tantum præsumit industria, sed orans Domini implorat auxilium, vt huius ini-
Psalm. 35. mici telum possit insauciatus euadere dicens: Non veniat mihi pes superbiæ, pauens ac metuens ne in illud incidat
Iacob. 4. quod dicitur de superbis, Deus superbis aduersatur: Et iterum, Immundus est apud Deũ omnis qui exaltat cor suum.

Quòd tantum sit malum superbiæ, vt ipsum Deum aduersarium habere mereatur. CAPVT VII.

QVantum est malum superbiæ, vt non angelum, nõ alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur. Notandum siquidem est, quòd nequaquàm dixerit

dixerit super his qui cæteris sunt vitiis inuoluti quòd habeat sibi Deum resistentem, id est, Deus gastrimargis, fornicariis, iracundis, seu philargyris aduersatur, sed solis superbis. Illa namque vitia vel in vnumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines videtur admitti: hæc verò propriè pertingit ad Deum, & idcirco eum specialiter digna est habere contrarium. *Iacob. 4.*

Quemadmodum Deus superbiam diaboli, virtute humilitatis extinxerit.

CAPVT VIII.

IDeoq; vniuersitatis creator & medicus Deus, causam principiumq; morborũ superbiã esse cognoscens, cõtrariis sanare cõtraria procurauit, vt ea scilicet quæ per superbiã corruerãt, per humilitatẽ resurgerent. Ille nãq; dicit: In cęlũ conscendã. Hic dicit: Humiliata est in terra anima mea. Ille dicit: Et ero similis altissimo. Hic cũ esset in forma Dei, exinaniuit semetipsum formã serui accipiẽs, humiliauitq; se factus obediens vsque ad mortem. Ille dicit: Super astra Dei exaltabo solium meum. Iste dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Ille dicit: Nescio Dominum, & Israël non dimittam. Iste dicit: Si dixero quia non noui eum, erò similis vobis mendax, sed noui eum, & mandata eius seruo. Ille dicit: Mea sunt flumina, & ego feci ea. Iste dicit: Non possum ego à meipso facere quicquam, sed pater meus in me manens ipse facit opera. Ille dicit: Mea sunt omnia regna mundi & gloria eorum, & cui voluero do ea. Iste cùm diues esset, pauper effectus est, vt eius inopia nos diuites redderemur. Ille dicit: Sicut colliguntur oua quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os & ganniret. Iste dicit: Similis factus sum pelicano solitario, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Ille dicit: Exiccaui vestigio pedum meorum omnes riuos aggerum. Hic dicit: Nunquid non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquàm duodecim milia legiones angelorum? Si principalis ruinæ causam & salutis nostræ fundamenta perspeximus à quo & qualiter vel ista iacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum deuitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus, vel illius ruina, vel huius doceamur exemplo.

Isaiæ 14. Psalm. 43. Isaiæ 14. Philipp. 2. Isaiæ 14. Matth. 11. Exod. 5. Ioann. 8. Ioann. 14. 2. Cor. 8. Isaiæ 10. Psalm. 101. Isaiæ 37. Matth. 26.

Quemadmodum nos quoque superbiam superare possimus.

CAPVT IX.

ITaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus euadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus; Non ego, sed gratia *1. Cor. 15.*

Ibidem. Dei mecum: & gratia Dei sum id quod sum: & Deum esse
Philp.2. qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona volunta-
Ioan. 15. te: dicente etiam ipso auctore salutis nostræ, Qui manet in
Psalm.126. me & ego in eo, hic fert fructũ multũ, quia sine me nihil potestis facere. Et, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilat qui custodit eam. Et, Vanũ est
Rom.9. vobis ante lucem surgere: Quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Quòd nemo possit perfectionem virtutum vel promissam beatitudinem suis tantùm viribus obtinere. CAP. X.

NVllius namque quamuis feruentis & cupiẽtis tam idonea potest voluntas esse vel cursus, vt carne spiritui repugnante circundatus, valeat tantum perfectionis præmium & palmam integritatis ac puritatis attingere, nisi fuerit diuina miseratione protectus, vt ad illud quod magnopere vult
Iacobi 1. & quò currit peruenire mereatur. Omne enim datũ bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à pa-
1.Cor.4. tre luminum. Quid enim habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Dauidis & beati latronis exemplo hoc ipsum confirmat.

CAPVT XI.

Lucæ 23. SI enim vel illum latronem ob vnam confessionem introductũ in paradisum recordemur, intelligimus eũ nõ cursus sui merito tantam beatitudinem consecutum, sed dono Dei miserentis adeptum. Vel si reminiscamur Dauid regis duo tam grauia tamque immania crimina vño pœnitudinis sermone deleta, nec hic videbimus ad indulgentiam tanti criminis obtinendam laboris æquiparasse merita, sed Dei gratiam superabundasse, qui verè pœnitudinis occasione percepta tantam peccatorum materiam sub vnius verbi plena confessione consumsit. Principium quoque discutientes voca-
Ephes.2. tionis ac salutis humanæ, qua non ex nobis nec ex operibus nostris secundum Apostolum, sed Dei sumus dono gratiaque saluati, liquidò poterimus aduertere quemadmodum perfe-
Rom.9. ctionis summa non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: qui nequaquàm laborum vel cursus nostri merito compensante, vitiorum nos facit esse victores, nec æquiparãte nostræ voluntatis industria, tam arduum integritatis culmen subiugata qua vtimur carne conscendere. Nulla siquidẽm corporis huius afflictio, nullaque cordis contritio ad capessendam veram illam interioris hominis castitatem potest esse condigna, vt tantam puritatis virtutem angelis solis ingenitam,

genitam, cæliq; vernaculam, nudo humano labore, id est, sine adiutorio Dei valeat obtinere: quia totius boni effectus ab illius profluit gratia, qui tantam perennitatem beatitudinis & immensitatem gloriæ, exiguæ voluntati breuique ac paruo cursui nostro multiplicata largitate donauit.

Quòd nullus sit labor qui possit repromissæ beatitudini comparari.

CAPVT XII.

OMnis enim longæuitas vitæ præsentis, cùm ad illam futuræ gloriæ perennitatem respexeris, euanescit: & dolores cuncti contemplatione illius immensæ beatitudinis effugantur, atque vt fumus ad nihilum extenuati liquescunt, & nusquàm vt fauilla comparent.

Traditio seniorum de consequendæ puritatis modo. CAP. XIII.

QVapropter iam tempus est, vt ipsis quibus tradunt verbis Patrum sententiam proferamus, eorum scilicet qui viam perfectionis & qualitatem eius non verborum iactantia depinxerunt, sed potius recto opere ac virtute spiritus possidentes, experimentis eam propriis & exemplis certissimis tradiderunt. Aiunt itaque non posse ad purum quempiã carnalibus vitiis emundari, nisi vniuersum laborem suum atque conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio, comprehendi non tam tradentis institutione, quàm affectu atq; virtute & experimentis propriis eruditus, agnoscat. Ad capessenda namque tam magnifica tamque præcelsa puritatis & integritatis præmia, quantuslibet ieiuniorum, vigiliarum, lectionis & solitudinis, ac remotionis labor fuerit impensus, condignus esse non poterit qui hæc industriæ suæ merito vel laboris obtineat. Nunquàm enim diuinum munus labor proprius humanáve compensabit industria, nisi desiderãti diuina fuerit miseratione concessum.

Quòd adiutorium Dei laborantibus tribuatur. CAP. XIIII.

NEc hoc dico, vt humanos conatus euacuans ab industria & laboris intentione quemquam reuocare contendam. Sed planè constantissimè non mea sed seniorum sententia definio, perfectionem quidẽ sine his omnino capi non posse, his autem solis sine gratia Dei posse eã à nemine cõsummari. Vt enim dicimus conatus humanos apprehẽdere eã per seipsos sine adiutorio Dei non posse, ita pronũciamus laborãtibus tantũ ac desudantib⁹ misericordiã Dei gratiãq; cõferri, &, vt verbis Apostoli loquar, volẽtibus & currẽtibus impartiri, secũdũ illud quod etiã in psalmo octogesimo octauo ex persona Dei cãtatur, Posui adiutoriũ in potente, & exaltaui electum

Vide annotationem secundam in calce operis.

Matth. 7. ctum de plebe mea. Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri: sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud quod quærimus fecerit inueniri. Præsto est nãque occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda. Amplius enim ille quàm nos, perfectionem salutemque nostram desiderat & expectat. Et in tantum beatus Dauid prouentum sui operis ac laboris propria tantum industria non posse nouerat obtineri, vt à Domino promereri directionem suorum operum iterata prece deposceret dicens: Et opera manuum nostrarũ dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Et rursum: Cõfirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Psalm. 89.
Psalm. 67.

A quibus perfectionis viam discere debeamus. CAP. XV.

IDeoque si ad veram consummationem virtutum volumus effectu & opere peruenire, illis debemus acquiescere magistris ac ducibus, qui hanc non vaniloqua disputatione somniantes, sed re atque experimentis apprehendentes nos quoque docere, atque ad eam dirigere similiter possunt, & viam quemadmodum perueniamus ad eam certissimo tramite demonstrare, quique ad hanc fide se potius peruenisse quàm laborum merito testabantur. Quibus etiam hoc præcipuum sui cordis acquisita puritas conferebat, vt magis magisque se deprimi peccatis agnoscerent. Tanta namque in eis delictorum compunctio per dies singulos augebatur, quanta puritas animi profecisset: traherentque iugiter intimo corde suspiria, eo quòd semetipsos sentirent nequaquàm posse delictorum næuos ac maculas deuitare, quæ eis per multiplices cogitationum minutias inurebantur. Et idcirco futuræ vitæ stipendia non operum sperare se merito, sed misericordia Domini proclamabant, nihil sibi de tãta circũspectione cordis aliorum comparatione donantes; quippe qui hanc ipsam non suæ industriæ, sed diuinæ gratiæ adscribebant; nec blandientes sibi de inferiorum ac tepidorũ negligentia, sed contemplatione potius illorum quos verè peccato carere, atque in regno cælorũ iam æterna beatitudine perfrui nouerant, humilitatem perpetuam conquirebant: atque ita consideratione hac & elationis ruinam pariter declinabant, & quò tenderent, vel quod dolerent semper inueniebant: intelligentes semetipsos ad illam puritatem cordis quam cupiunt, obsistente carnis sarcina, peruenire non posse.

Non posse nos sine misericordia & inspiratione Dei ad ipsum laborem obtinendæ perfectionis accedere. CAP. XVI.

IGitur secundum traditiones & institutiones eorum sic ad eam festinare debemus ieiuniis, vigiliis, orationibus, contritioni cordis & corporis operam dantes, ne hæc omnia morbo hoc inflante euacuemus. Non solùm namque ipsam perfectionem oportet credere nostra industria nos vel labore nostro possidere non posse, sed ne hæc ipsa quidem quæ illius exercemus obtentu, id est, labores conatusque nostros ac studia, sine diuinæ protectionis auxilio, inspirationisque eius & castigationis atque exhortationis gratia posse perficere, quam scilicet cordibus nostris vel per aliũ solet, vel per semetipsum nos visitans clementer infundere.

Testimonia diuersa quibus euidenter ostenditur nihil posse nos quod ad salutem nostram pertinet sine adiutorio Dei perficere.

CAPVT XVII.

POstremò instruat autor salutis nostræ, quid nos oporteat in singulis quibusque quę gerimus, non modò sentire, sed etiam confiteri. Nõ possum ego, inquit, à meipso facere quicquàm, pater autem in me manens ipse facit opera. Ille ex persona hominis assumpti dicit, nihil à semetipso posse se facere, & nos cinis & terra in his quæ ad nostram salutem pertinent, arbitramur nos adiutorio Domini nõ egere? Discamus itaque & nos per singula nostram simul infirmitatem, & illius adiutoria sentientes quotidie proclamare cum sanctis, Impulsus versatus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laudatio mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Et, Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea. Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Videntes etiam cor nostrum in timore Domini & patientia roborari, dicamus: Et factus est Dominus firmamentum meum, & eduxit me in latitudine. Scientiam quoque profectu operum intelligentes nobis augeri, dicamus: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas: Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Dein sentientes etiam nosmetipsos fortitudinem tolerantiæ conquisisse, & in semita virtutum facilius ac sine labore dirigi, dicamus: Deus qui præcingis me virtute, & posuisti immaculatam viã meam. Qui perficis pedes meos tanquàm cerui, & super excelsa statuens me. Qui doces manus meas

Ioan. 14. *Psalm. 117.* *Psalm. 93.* *Psalm. 17.* *Ibidem.* *Ibidem.*

meas ad prœlium. Cõſecuti etiam diſcretionem qua roborati, poſſimus aduerſarios noſtros elidere, proclamemus ad Deum: Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & nõ ſunt infirmata veſtigia mea. Et quia taliter ſum roboratus ſcientia tua atque virtute, inferam confidenter ea quæ ſequuntur, & dicam: Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Conteram illos nec poterunt ſtare, cadẽt ſubtus pedes meos. Rurſum infirmitatis noſtræ memores nec poſſe nos tam acerbos vitiorum hoſtes fragili carne circumdatos ſine illius adiutorio ſuperare, dicamus: In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Saluaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti. Sed etiam præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti omnes inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti. Sed nec armis noſtris poſſe nos vincere cogitantes, dicamus: Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mei. Effunde frameã, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Et poſuiſti vt arcum æreum brachia mea, & dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me. Quia nec patres noſtri in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Poſtremò vniuerſa beneficia eius cum gratiarum actione mẽte ſollicita perluſtrantes, ſuper his omnibus quod vel pugnauimus, vel illuminationem ſcientiæ, vel diſciplinam diſcretionis ab eo conſecuti ſumus, vel quòd ſuis nos armis inſtruxit, & virtutis cingulo communiuit, vel quòd inimicorum noſtrorum nobis præbuit dorſum, & tribuit virtutem comminuendi eos vt puluerem ante faciem venti, intimo cordis affectu clamemus ad eum: Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus & ſperabo in eum, protector meus & cornu ſalutis meæ & ſuſceptor meus, laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

Ibidem. — *Pſalm. 43.* — *Pſalm. 17.* — *Pſalm. 34.* — *Pſalm. 17.* — *Pſalm. 43.* — *Pſalm. 17.*

Quòd non ſolum in naturali condicione, ſed etiam in quotidiana diſpenſatione, Dei gratia muniamur. CAP. XVIII.

NOn ſolùm pro his ei gratias referentes, quòd vel rationabiles nos condidit, vel liberi arbitrij poteſtate donauit

nauit, vel baptiſmi largitus eſt gratiã, vel ſcientiã legis adiutoriũq; cõceſſit; ſed etiã pro his quæ erga nos quotidiana eius prouidentia cõferuntur, quòd ſcilicet ab aduerſariorum nos inſidiis liberat, quòd cooperatur nobis vt carnis vitia ſuperare poſſimus, quòd à periculis nos etiam ignorantes protegit, quòd à lapſu peccati communiuit, quòd adiuuat nos & illuminat, vt ipſum adiutorium noſtrum (quod non aliud quidam interpretari volunt quàm legem) intelligere & agnoſcere valeamus, quòd pro negligentiis delictiſque noſtris eius inſpiratione latenter compungimur, quòd dignatione eius viſitati ſaluberrimè caſtigamur, quòd ab eo nonnunquàm etiam inuiti trahimur ad ſalutem; poſtremò quia ipſum liberum arbitrium noſtrũ, quod procliuius fertur ad vitia, ad meliorem dirigit frugem, & ad virtutum viam inſtigationis ſuæ viſitatione contorquet.

Quòd hæc fides ab antiquis patribus ſit tradita de gratia Dei. CAP. XIX.

HAec eſt propriè erga Deum humilitas, hæc eſt antiquiſſimorum patrum ſincera fides, quæ penes ſucceſſores eorum * intemerata nunc vſque perdurat. Cui fidei virtutes apoſtolicæ quæ ſæpenumero per eos manifeſtatæ ſunt, non ſolum apud nos, ſed etiam apud infideles & incredulos, indubitatum teſtimonium reddunt. Qui ſimplicem piſcatorum fidem in corde ſimplici retinentes, non eam ſyllogiſmis dialecticis & Tulliana facundia, ſpiritu concepere mundano, ſed experimento vitæ ſinceræ, actuque puriſſimo, correctione quoque vitiorum, & (vt verius dixerim) in ipſa perfectionis ineſſe naturam oculatis indiciis deprehenderunt: ſine qua nec pietas in Deum, nec purgatio vitiorum, nec emendatio morum, nec virtutum conſummatio poterit apprehendi.

* vera *ſiue* mera

De eo qui propter blaſphemiã immundiſsimo ſpiritui traditus eſt. CAP. XX.

NOui quendam de fratrum numero, quem vtinam minimè ſciſſem, ſiquidem poſt hæc ordinis mei gradu ſe paſſus eſt prægrauari, qui probatiſſimo cuidã Senũ vitio carnis ſemetipſum grauiſſimo confeſſus eſt impugnari, nam cõtra vſum naturæ deſiderio patiendi magis quàm inferendi ignominiam intolerabili æſtu libidinis vrebatur: tum illum vt ſpiritalem verumque medicum, interiorem cauſam morbi huius & originem protinus peruidiſſe. Qui grauiter ſuſpirans, Nequaquàm, ait, tam nequam ſpiritui tradi te Dominus permiſiſſet, niſi aliquid blaſphemaſſes in eum. Quo ille comperto, confeſtim procidit ad pedes eius in terram, ſummaq; admiratione perculſus, tãquàm Deo cernẽs arcana ſui pectoris patefacta, confeſſus eſt in Dei ſe filiũ cogitatione

impia

impia blasphemasse. Vnde perspicuum est eum qui superbiæ spiritu possidetur, vel qui in Deum blasphemus existit, tanquàm qui irroget illi iniuriam à quo puritatis speranda sunt dona, perfectionis integritate priuari, & sanctificationem castimoniæ non mereri.

Exemplum Ioas regis Iudæ, quo ostenditur quid propter superbiam meruerit.

CAPVT XXI.

2. Paral. 24. LEgimus tale aliquid Paralipomenon libro: Ioas enim rex Iuda septem annorum ab Ipiade pontifice ascitus in regnum, atque in omnibus, quoad vixit memoratus pontifex, testimonio scripturæ laudatus est. De quo post obitum Ioiadæ audi quid scriptura commemorat, & quemadmodum elatus superbia ignominiosæ fuerit traditus passioni; Postquàm autem obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem. Qui delinitus obsequiis eorum acquieuit, & dereliquerũt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis & sculptilibus, & facta est ira magna contra Iudam & Ierusalẽ propter hoc peccatum. Et post pauca: Cumque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt regi Damascum. Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manus eorũ infinitam multitudinem, eo quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Vides quàm flagitiosis ac sordidis passionibus tradi mereatur superbia? Qui enim elatus arrogantia vt Deum se passus est adorari, traditur secundum Apostolum in passiones ignominię & in reprobũ sensum, vt patiatur ea quæ nõ conueniunt. (Rom. 1.) Et quia dicente scriptura, immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum, iste qui tumida cordis elatione inflatus est, turpissimæ confusioni traditur deludendus, vt humiliatus taliter sentiret semetipsum esse vel immunditia carnis, & conscientia impuræ passionis immundũ, quod animi sui noluerat elatione sentire, & vt carnis ignominiosa contagio patefaceret immunditiam cordis eius occultam quam superbiæ malo contraxerat, ac manifesta pollutione corporis sui probaretur impurus, qui per elationem spiritus factum se non sentiebat immundum.

Omnẽ animã superbã subdi spiritalibus nequitiis illudendã. CAP. XXII.

QVibus manifestè probatur omnem animam quæ superbiæ fuerit tumore possessa, intellectualibus Syris, id est, nequitiis

nequitiis ſpiritalibus tradi, eamq́; paſſionibus carnis inuolui, vt ſaltem vitiis humiliata terrenis, immundam ſe carnaliter pollutamque cognoſcat, quæ tepore mentis erecta immundam ſe in conſpectu Dei per elationem cordis effectam intelligere antè non potuit:quo vel ſic humiliatus quis à priſtino tepore diſcedat, & ignominia carnalium paſſionum deiectus atque confuſus, ad ſpiritalem feruorem deinceps ſemetipſum ardentius conferre feſtinet.

Quòd perfectio attingi niſi humilitatis virtute non poßit.

CAPVT XXIII.

EVidenter itaque monſtratur, non poſſe quemquam perfectionis finem ac puritatis attingere, niſi per humilitatem veram, quam primitùs fratribus reddens, Deo quoque in penetralibus cordis exhibeat, credens ſine protectione eius atque auxilio per ſingula ſibi momēta delato perfectionem quam cupit & ad quam magnopere currit, ſe penitus obtinere non poſſe.

Quos ſpiritalis ſuperbia pulſet quóſue carnalis.

CAPVT XXIIII.

HVcuſque de ſpiritali ſuperbia qua diximus perfectos quoſque pulſari, quantum tenuitas ingenij noſtri præualuit donante Deo dixiſſe ſufficiat. Quod ſuperbiæ genus non multis cognitum nec expertum eſt, quia nec plures ſtudent perfectam cordis apprehendere puritatem, vt ad hos prœliorum gradus valeant peruenire, nec præcedentium vitiorum, quorum in ſingulis libellis naturam pariter remediaque præmiſimus, procuratur vlla purgatio. Sed illos ſolummodo pulſare ſolet, qui deuictis ſuperioribus vitiis iam propemodum ſunt in virtutum culmine collocati. Quos quia lapſu carnali ſubtiliſſimus hoſtis ſuperare non quiuit, ſpiritali ruina deiicere ac ſupplātare conatur, per hanc illos vniuerſis veterum ſtipēdiorum meritis multo labore quæſitis ſpoliare contendens. Cæterùm nos qui adhuc terrenis ſumus paſſionibus inuoluti, nequaquam hoc modo tētare dignatur, ſed craſſiore, &, vt ita dixerim, carnali elatione ſupplantat. Et idcirco de hac qua maximè nos ſeu noſtræ menſuræ homines ac præcipuè iuniorum vel incipientium mentes periclitari ſolent, neceſſarium reor ſecundum promiſſionē noſtram pauca depromere.

Deſcriptio carnalis ſuperbiæ. CAP. XXV.

HAec igitur quam diximus carnalis ſuperbia, cùm tepido ac malè arrepto renunciationis principio in monachi reſederit mente, de priſtino ac ſeculari eum tumore ad

veram Christi humilitatem descendere non permittens, primùm inobedientem eum reddit & asperum, deinde mitem atque affabilem esse non patitur, æqualem quoque fratribus fieri communemque non sinit, nec secundum Dei ac Saluatoris nostri mandatum spoliari terrenis opibus nudariq; concedit: & cùm renunciatio nihil aliud sit, nisi mortificationis & crucis indicium, nec valeat aliis inchoari vel consurgere fundamentis, quàm vt se non solum actibus huius mundi spiritaliter nouerit interemtum, verumetiam corporaliter quotidie credat esse moriturum: è contrario facit eum vitam sperare longæuam, infirmitates proponit ei prolixas & multas, confusionem quoque incutit ac pudorem. Si nudus effectus, alienis & non propriis facultatibus cœperit sustentari, persuadet etiã multo esse melius victum indumentumque sibi sua potius quàm aliena substantia ministrari: secundum illud scilicet, quod quemadmodum dictum sit tali hebetudine ac tepore cordis obtusi, ne intelligere quidem aliquando potuerunt, Beatius est magis dare quam accipere. *Actor. 20.*

Quòd malè fundatus ad deteriorem statum quotidie prolabatur.

CAPVT XXVI.

TAli igitur diffidentia mentis obsessi, & à scintilla fidei qua visi fuerant in primordiis suæ conuersionis accensi diabolica infidelitate reuocati, incipiunt pecunias quas antè dispergere cœperant diligentius custodire, & eas velut qui semel profligatas vlterius reparare non possint auaritia vehementiore conseruant: seu, quod est deterius, ea quæ prius abiecerant resumẽtes; vel certè, quod est tertium ac teterrimum nequitiæ genus, quæ nec ante quidem possederant congregãtes, nihil amplius egressi è seculo quàm nomẽ acquisisse tantummodo ac vocabulum monachi comprobantur. Super hæc igitur initia malè vitioseque fundata, necesse est vt vniuersa deinceps vitiorum structura consurgat, nec quicquam superponi pessimis valeat fundamentis, nisi quod miserabilem animam ruina lugubriore prosternat.

Expositio vitiorum quæ per morbum superbiæ generantur.

CAPVT XXVII.

Depingit illorũ mores qui non sincerè neque perfectionis amore cœnobiũ ingressi sunt.

TAlibus siquidem mens passionibus obdurata, atque à detestabili tepore incipiens, necesse est vt in deterius quotidie proficiat, & reliquam quoque vitam suam deformiore fine concludat: dumque cupiditatibus pristinis oblectatur, ac secundum Apostolum sacrilega philargyria vincitur (ita eodem pronunciante de illa quæ est simulacrorum siue idolorum seruitus. Et iterum: Radix enim, inquit, omnium malorum

Coloss. 3.
1. Tim. 6.

lorum est philargyria) vt nunquam possit in corde suo humilitatem Christi simplicem verámque suscipere, cùm sibi vel de nobilitate natalium gloriatur, vel inflatur de seculi quàm corpore non mente deseruit dignitate, vel pecuniis quas ad ruinam suam retentat, extollitur; per quæ iam non monasterij iugum sustinere contentus est, non senioris vllius institui disciplina. Quisquis enim superbiæ morbo fuerit occupatus, non solùm nullam subiectionis aut obedientiæ regulam custodire dignatur, verùm ne ipsam auribus quidem suis doctrinam perfectionis admittit: tantumque concrescit in corde eius spiritalis verbi fastidiũ, vt cùm fortè talis fuerit oborta collatio, vno in loco stare nesciat eius obtutus, sed huc illucque stupidus circumferatur intuitus, aliorsum & in obliquum quàm moris est oculi defigantur. Pro suspiriis enim salutaribus, sputa de sicco gutture contrahuntur, exscreationes etiam sine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur, digiti ludunt, & in modum quiddam scribentis volitant atque depingunt: & ita huc atque illuc vniuersa membra corporis commouentur, vt dum spiritalis agitatur collatio, totum se vel scatentibus vermibus, vel acutissimis sudibus credat insidere; & quicquid simplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob suam suggillationem æstimet esse prolatum. Totoque tempore quo spiritalis vitæ examinatio ventilatur, suis suspicionibus occupatus, non quid exinde ad profectum suum capere debeat aucupatur, sed causas cur vnumquodque sit dictum, sollicita mente perquirit, vel quid eis possit obiicere tacita intra se cordis volutatione coniectat, vt nihil ex his quæ saluberrimè sunt digesta, penitus apprehendere aut in aliquo valeat emendari. Et ita fit vt non solum in nullo ei proficiat collatio spiritalis, verumetiam damnosa magis existat, efficiaturque ei causa maioris peccati: Dum enim pro conscientia sua totum contra se suspicatur esse prolatũ, vehemẽtiori cordis obstinatione obduratur, iræ quoq; stimulis acrius instigatur: deinde post hæc excelsa vox, sermo rigidus, amara & turbulenta responsio, incessus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec vnquam taciturnitatis amica, nisi cũ contra fratrem rancorem quendam in suo corde conceperit, fitque silentium eius non compunctionis nec humilitatis vllius, sed superbiæ & indignationis indicium, ita vt quid in eo detestabilius sit haud facilè discernatur, vtrum diffusa illa petulansque lætitia, an dira hæc virulentaque * taciturnitas. In illa namque sermo nõ opportunus, risus leuis ac fatuus, effrenata atque indisciplinata cordis elatio: In ista verò ira, plenũ *serietas.

 viru-

virulentumque silentium, & quod ob hoc tantum concipitur, vt aduersus fratrem rancor taciturnitate seruatus protelari diutius possit, non vt ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. Et cùm ipse tumore possessus, facilè cunctis tristitias inferat, atque ad satisfactionem læsi fratris semetipsum submittere dedignetur, etiam ab illo sibimet oblatam respuit atque contemnit. Et non solùm nulla fratris satisfactione compungitur neque mollitur, verumetiam cur ab eo sit in humilitate præuentus grauiùs indignatur. Fitque ei salutaris humilitas ac satisfactio quę finem diabolicis* tentationibus solet inferre, causa vehementioris incendij.

*intentionibus

De fratris cuiusdam superbia.

CAP. XXVIII.

AVdiui in hac dumtaxat regione (quod horret pudetque reuoluere) quendam iuniorum cùm à suo increparetur Abbate, cur humilitatem quam renuncians permodico tempore retentarat, cœpisset excedere, ac diabolica inflari superbia, summa contumacia respondisse, Numquid ob hoc memetipsum humiliaui pro tempore, vt semper subditus sim? Ad quod eius tam effrenatum scelestumque responsum ita est senior obstupefactus, omnisque eius interceptus est sermo, veluti qui ab illo ipso antiquo Lucifero verba hæc prolata, non ab homine percepisset, vt nullam vocem aduersus tantam proteruiam de ore suo prorsus emittere, nisi gemitus de corde tantummodo ac suspiria potuerit, illud solum tacitus intra semetipsum voluens, quod de Saluatore nostro dicitur, Qui cùm in forma Dei esset, humiliauit se, factus obediens, non, vt ille ait, diabolico spiritu ac tumore possessus pro tempore, sed vsque ad mortem.

Philip. 2.

Indicia quibus superbia carnalis animæ inesse cognoscitur.

CAPVT XXIX.

ET vt breuius ea quæ dicta sunt de hoc superbiæ genere perstringamus, quædam signa eius in quãtum possumus colligentes, vt his qui de perfectione sitiunt erudiri, quodammodo characteres eius de exterioris hominis motibus exprimamus, necessarium puto paucis eadem replicari, vt compendiosius agnoscamus, quibus eam discernere ac deprehendere valeamus indiciis; quo nudatæ atque in superficiem productæ passionis huius radices & oculatim deprehensæ atq; perspectæ, vel conuelli facilius valeant, vel vitari. Tunc enim poterit pestifer morbus ad integrum declinari, cùm cõtra ipsius perni-

perniciosos ęstus & impetus noxios, non sera obseruantia cùm iam dominantur assumitur, sed cùm præcedentes eius (vt ita dixerim) lineas agnoscentes, prouida eum sagacique discretione præcurrimus. De exterioris namque, sicut prædiximus, hominis motu interioris status agnoscitur. His igitur indiciis carnalis ista, quam præfati sumus, superbia declaratur: Inest primitùs in loquela eius clamor, in taciturnitate amaritudo, excelsus & effusus in lætitia risus, irrationabilis in serietate tristitia, in responsione rancor, facilitas in sermone, verba passim sine vlla cordis grauitate erumpentia. Expers patiētiæ est, caritatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerādas pusillanimis, ad obediendum difficilis, nisi in quo eam desiderium suum voluntasque præuenerit, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas voluntates suas infirma, ad succumbendum alienis durissima, semperque suas definitiones statuere contendens, ipsa verò nequaquam cedere alterius acquiescēs: & ita fit, vt etiam incapax consilij salubris effecta, in omnibus suo potius quàm Seniorū credat iudicio.

Tepefactus quis per superbiam aliis quoque præesse desiderat.

CAPVT XXX.

QVibus * descensuum gradibus is quem semel possidet deuolutus, iam ipsam disciplinam cœnobij perhorrescit, ac veluti qui fratrum consortio de perfectione retrahatur, ac de bono patientiæ atque humilitatis aliorum vitio & impedimento reuocetur, habitationem solitariæ cellæ desiderat, seu certè velut plures alios lucraturus construere monasteriū, & quos docere atque instituere debeat, congregare festinat: ex discipulo nequam, detestabilior magister effectus. Nam cùm huiuscemodi elatione cordis in perniciosissimum teporem noxiumq; corruerit, & nec verus monachus, nec secularis effectus sit, quod est deterius etiam perfectionem sibi ex hoc ipso miserabili statu & conuersatione promittit.

* decessuum *vel* discessionum

Quomodo superbiam vincere vel ad perfectionem peruenire possimus.

CAPVT XXXI.

QVamobrē si ædificij nostri fastigia perfecta volumus ac placentia Deo cōsurgere, fundamenta eius non secundū nostræ libidinis voluntatē, sed secundum districtionis euangelicæ disciplinam iacere festinemus: quę alia esse nō possunt quàm timor Dei atq; humilitas, quę de māsuetudine & cordis simplicitate descēdit. Humilitas verò nullatenus poterit absq;

Humilitas quomodo acquiratur.

nuditate conquiri: Qua peregrinante, nec obedientiæ bonū, nec patientiæ robur, nec mansuetudinis tranquillitas, nec cōsummatio caritatis vllatenus poterit apprehendi: sine quibus cor nostrum habitaculum spiritus sancti penitus esse non poterit, ita pronunciante Domino per Prophetam: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea? Siue secundum exemplaria quæ Hebraicam exprimunt veritatem: Ad quem respiciā nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem verba mea?

Isaia 66.

Quomodo depopulatrix omnium virtutum superbia per veram humilitatem possit extingui.

CAP. XXXII.

QVapropter athleta Christi, qui spiritalem agonem legitimè certans à Domino desiderat coronari, hanc quoq; ferocissimam bestiam vt deuoratricem cunctarum virtutum omnimodis festinet extinguere; certus quòd hac in suo pectore commorante non solum omnigenis vitiis carere non possit, verumetiam siquid virtutis habere videatur, huius veneno depereat. Nullo enim modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint veræ humilitatis in nostro corde fundamenta: quæ firmissimè collocata perfectionis & caritatis culmen valeant sustinere: ita scilicet, vt, quemadmodū diximus, primum fratribus nostris humilitatem veram intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo scilicet acquiescentes eos contristare vel lædere. Quod nullatenus poterimus implere, nisi abrenunciatio vera, quę in expoliatione omnium facultatum ac nuditate cōsistit, in nobis fuerit Christi amore fundata: deinde obedientiæ iugum & subiectio simplici corde ac sine vlla fuerit simulatione suscepta; ita vt præter Abbatis mandatum, nulla penitus volūtas viuat in nobis. Quod non aliter obseruari poterit, nisi ab eo qui non solum se mortuum huic mūdo, verumetiam insipientem iudicauerit ac stultum: vniuersa quæ sibi fuerint à senioribus imperata, sine vlla discussione perficiens, sacrosancta ea credens ac diuinitùs promulgata.

Remedia aduersus morbum superbiæ.

CAPVT XXXIII.

IN qua consistētibus qualitate, proculdubio status ille humilitatis verè tranquillus atque immobilis subsequetur; vt nosmetipsos inferiores omnibus iudicantes, vniuersa quæ nobis fuerint irrogata, tametsi iniuriosa sint, vel tristia, vel damno-

damnosa, tanquã à superioribus nostris illata, patiẽtissimè toleremus. Quæ quidem à nobis non solum facillimè tolerabũtur, verumetiam parua iudicabuntur ac nulla, si mẽte iugiter recolamus, vel Domini nostri vel sanctorum omnium passiones: considerantes tanto leuioribus nos iniuriis attentari, quãto longius à meritis eorum & conuersatione distamus: pariter etiam cogitantes in breui nos de hoc seculo migraturos, eorumque nos celeri vitæ huius fine mox futuros esse consortes. Peremptoria namque est hæc contemplatio, nõ solum superbię, verumetiam generaliter omnium vitiorum. Deinde post hæc hanc eandem humilitatẽ erga Deum firmissimè retentemus. Quod à nobis ita complebitur, vt nihil nosmetipsos absque illius opitulatione vel gratia, quod ad virtutũ consummationem pertinet, posse perficere cognoscamus: sed & hoc ipsum quod intelligere meruimus, eius esse muneris, in veritate credamus.

Duodecimi ac postremi Institutionum libri de Superbiæ spiritu, finis.

D. IOANNIS

CASSIANI EREMITÆ, SCRIPTORIS FACVNDISSIMI AC vetustissimi, in decem sanctorum Patrum Collationes in Scythica eremo commorantium, ad Leontium Episcopum, & fratrem Elladium.

PRAEFATIO.

DEbitum quod beatissimo Papæ Castori in eorũ voluminum præfatione promissum est; quæ de institutis cœnobiorum, & de octo principaliũ vitiorum remediis, duodecim libellis Domino adiuuante digesta sunt; *in quo tenuitas nostri suffecit ingenij; vtcunque sarcitum est. *Viderint sanè, quid super hoc vel illius vel nostri fuerit examinis æquitate perpensum, vtrum in rebus tam profundis tamque sublimibus, & quæ in vsum styli, vt arbitror, antea nõ venerunt, dignum aliquid cognitioni vestræ omniumque sanctorum fratrũ desiderio prompserimus. Nunc autem quia derelinquens nos Pontifex supradictus, migrauit ad Christum, has interim decem Collationes summorum patrum, id est Anachoretarum, qui in eremo Scythica morabantur (quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi iusserat sermone conscribi, non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas ceruices pondere prægrauaret) vobis potissimum, ô Beatissime Papa Leonti, & sancte frater Elladi, credidi consecrandas. Alter siquidem vestrum memorato viro & germanitatis affectu, & sacerdotij dignitate, &, quod his maius est, sancti studij feruore coniunctus, hæreditario fraternum debitum iure deposcit. Alter anachoretarum instituta sublimia, non vt quidam propria aggressus est præsumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem sancto spiritu suggerente, pęne antequam disceret apprehendens, non tam suis adinuentionibus, quàm illorum traditionibus maluit erudiri. In quibus mihi nunc in portu silentij constituto immẽsum pelagus aperitur, vt scilicet de instituto atque doctrina tantorum virorum, quædam tradere audeam memoriæ littera-

*inquantum
*Videritis

terarum. Tanto enim profundioris nauigationis periculis fragilis ingenij cymba iactanda est, * quantum à cœnobiis anachoresis, & ab actuali vita, quæ in congregationibus exercetur, contemplatio Dei, cui illi inæstimabiles viri semper intenti sunt, maior atq; sublimior est. Vestrũ igitur est, conatus nostros piis orationibus adiuuare, ne aut tam sancta materia imperito quidem, sed fideli sermone promenda, periclitetur in nobis: aut rursus eiusdem materiæ abyssis obruatur nostra rusticitas. Proinde ab exteriori ac visibili monachorum cultu, quem prioribus digessimus libris, ad inuisibilem interioris hominis habitum transeamus, & de canonicarum orationum modo, ad illius quam Apostolus præcipit, orationis perpetuæ iugitatem ascendat eloquium, vt quisquis iam superioris operis lectione, Iacob illius nomen intelligibilis carnalium vitiorum supplantatione promeruit, nunc etiam non tam mea quàm Patrum Instituta suscipiens, diuinæ iam puritatis intuitu ad meritum & (vt ita dixerim) dignitatem transiens Israëlis, quid in hoc quoque perfectionis culmine debeat obseruare, similiter instruatur. Obtineant itaque orationes vestræ ab eo qui dignos nos, vel visu eorum, vel discipulatu, vel consortio iudicauit, vt nobis earundem traditionum memoriam plenam, & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur; quo tam sanctè eas, tamque integrè, quàm ab ipsis accepimus explicantes, ipsos quodammodo suis Institutis incorporatos, &, quod est maius, Latino disputantes eloquio, vobis exhibere possimus. Hoc sanè volumus ante omnia, tam harum collationum, quàm superiorum voluminum premonitum esse Lectorem, vt si qua fortè in his pro status sui & propositi qualitate, siue pro vsu & conuersatione communi, vel impossibilia putauerit esse, vel dura, non ea secundum suæ facultatis modulum, sed secundum dignitatem & perfectionem loquentium metiatur: quorum prius studium atque propositum mente concipiat, * quo verè mortui huic conuersationi mundanæ nullis affectibus parentum carnalium, nullis actuum secularium nexibus * obligantur. Deinde locorum quoque in quibus commorantur, consideret qualitatem * qua in solitudine vastissima constituti, atque ab vniuersorum mortalium consortio separati, & per hoc illuminationem sensuum possidentes, contemplantur vel proloquuntur ea quæ inexpertis atque ineruditis pro condicione & mediocritate consuetudinis suæ impossibilia forsitan videbuntur. De quibus tamen si quis voluerit

*quanto

Quid inter anachoresin & cœnobiticam vitam intersit.

Argumentum librorum sequentium.

1. Thess. 5.

Lectorem admonet autor.

*qui

*obligentur.

*quia

luerit veram proferre sentẽtiam, & vtrum impleri queant desiderat experiri, festinet prius eorum propositum simili studio & conuersatione suscipere, & tunc demum ea quæ supra facultatem hominis videbantur, non solum possibilia, verumetiam suauissima deprehendet. Sed nunc iam ad Collationes eorum & Instituta properemus.

PRIMA COLLATIO
QVÆ EST ABBATIS MOYSI
de monachi intentione ac fine.

De habitatione Scythi, & proposito Abbatis Moysi.

CAPVT I.



CVM in eremo Scythi, vbi monachorum probatissimi patres, & omnium sanctorum morabatur perfectio, Abbatem Moysen, qui suauius inter illos egregios flores non solum actuali, verumetiam theorica virtute flagrabat, institutione eius fundari cupiens expetissem vnà cũ sancto Abbate Germano (cùm quo mihi ab ipso tyrocinio ac rudimentis militiæ spiritalis ita indiuiduum deinceps contubernium tam in cœnobio quàm in eremo fuit, vt cuncti ad * significandam sodalitatis ac propositi nostri parilitatem pronunciarent, vnam mentem atque animam duobus inesse corporibus) pariterque ab eodem Abbate ædificationis sermonem fusis lacrymis posceremus: (quippe cuius hunc animi rigorem manifestissimè noueramus, vt nisi fideliter desiderantibus, & cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam acquiesceret ianuam perfectionis aperire, ne scilicet, si passim vel nolentibus eam, vel tepidè sitiẽtibus exhiberet, res necessarias, & quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis & fastidiosè suscipientibus pandens, aut iactantiæ vitium, aut proditionis crimen videretur incurrere) tandem fatigatus precibus nostris, ita exorsus est.

*Margin: * ædificandã*

Margin: Quænam ad capiẽdam perfectionis doctrinam idonei sint.

De interrogatione Abbatis Moysi quærentis qui monacho scopos, vel quis sit finis.

CAPVT II.

OMnes, inquit, artes ac disciplinę scopon quendam, id est, destinationem, & telos, hoc est, finem proprium habẽt: ad quem respiciens vniuscuiusque artis industrius appetitor,

cunctos

cunctos labores & pericula dispendiaque vniuersa æquanimiter libentérque sustentat. Nam & agricola nunc torridos solis radios, nunc pruinas & glaciem non declinans, terram infatigabiliter scindit, & indomitas agri glebas frequenti vomere subigit, dum scopon seruat, vt eã cũctis sentibus expurgatam, vniuersisque graminibus absolutam in modum solubilis arenæ exercendo comminuat: finem, id est, perceptionem copiosarum frugum, & exuberantium segetum, non aliàs adepturum se esse operis ac sudoris sui ratione confidens, quo vel ipse deinceps vitam securus exigere, vel suam possit amplificare substantiam. Referta etiam frugibus horrea libẽter exhaurit, easque putribus sulcis instanti labore commendat, præsentem diminutionem futurarum messium * cõtemplatione non sentiens. Illi etiam qui negotiationum solẽt exercere commercia, non incertos pelagi timent casus, non vlla discrimina perhorrescunt, dum ad finem quæstus spe pretij prouocantur. Nec non etiam hi qui militiæ mundialis ambitione inflãmantur, dum prospiciunt honorum ac potentiæ finem, peregrinationum * exitia ac pericula non sentiunt, nec præsentibus ærumnis bellisque franguntur, dum propositum sibi dignitatis finem cupiunt obtinere. Habet ergo & nostra professio scopon proprium ac finem suum, pro quo labores cunctos non solum infatigabiliter, verumetiam gratanter impendimus, ob quem nos ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio scripturarum continuata non satiat, labor etiam incessabilis, nuditasque, & omnium rerum priuatio, horror quoque huius vastissimæ solitudinis non deterret. Ob quem vosipsi procul dubio parentum spreuistis affectum, & patrium solum ac delicias mundi tot pertransitis regionibus despexistis, vt ad nos homines rusticos & idiotas atq; in hoc eremi squalore degẽtes peruenire possetis. Propter quod respõdere, inquit, mihi, quę sit destinatio vestra vel finis, qui ad hæc omnia libentissimè sustinenda vos prouocat.

Finis consideratio in re qualibet adprime necessaria est.

*compensatione

*exilia

De responsione nostra. CAPVT III.

ET cùm persisteret nostrã elicere super hac interrogationẽ sententiam, respondimus: Regni cælorũ causa hæc cuncta tolerari.

Interrogatio Moysis super propositione prædicta. CAP. IIII.

AD quod ille: Bene, inquit, argutè de fine dixistis: * qui verò debeat scopos noster esse, id est, destinatio, cui iugiter inhærentes finem valeamus attingere, præ omnibus nosse debetis. Et cũ ignorationẽ confessi simpliciter fuissem[9], adiecit:

*quis

In omni,

Præter finem, media quoque ad finis consecutionem necessaria, quærenda sunt.

In omni, vt dixi, arte ac disciplina præcedit quidam scopos, id est, animæ destinatio, siue incessabilis mentis intentio, quam nisi quis omni studio perseuerantiaque seruauerit, nec ad finem desiderati fructus poterit peruenire. Nam, vt dixi, agricola finem habens securè copioseque viuendi in prouentu segetum fecundarum, scopon, id est, destinationē gerit, agrum suum sentibus cunctis expurgare, eumque vniuersis infructuosis vacuare graminibus, nec aliter se quieti finis opulentiam adepturum esse confidit, nisi id quod vsu obtinere desiderat, quadam prius operis ac spei suæ ratione possideat. Negotiator quoque comparandarum merciū desiderium nō deponit, per quod possit quæstuosius diuitias congregare: quia frustra concupisceret lucrum, nisi viam qua ad id tenderet, elegisset. Et qui certis quibusque dignitatibus mundi huius cupiunt honorari, cui se officio vel ordini debeāt mancipare, antè proponunt, vt per legitimum spei tramitem finē quoque valeant desideratæ dignitatis attingere. Itaque & viæ nostræ finis quidem est regnum Dei: * qui verò sit scopos, debet diligenter inquiri. Qui si nobis similiter compertus non fuerit, frustra nitendo fatigabimur, quia sine via tendentibus labor est itineris, non profectus. Ad quod obstupescentibus nobis, Senex intulit: Finis quidē nostræ professionis, vt diximus, regnum Dei seu regnum cælorum est; destinatio verò nostra, id est scopos, puritas est cordis, sine qua ad illū finem impossibile est quempiam peruenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus, velut ad certam lineam, cursum rectissimum * dirigimus: Ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem eius ilico recurrentes, rursus eam velut ad quandam normam rectissimè corrigamus: quæ semper omnes conatus nostros ad vnum hoc reuocans signum, *arguet statim si à proposita directione mens nostra vel paululum deuiauerit.

*quid

*dirigamus:

*arguit

Quòd ad scopum aliquem collimare oporteat, alio probat exemplo.

CAPVT V.

QVemadmodum hi quibus vsus est bellica tela tractādi, cùm ante regem mundi huius artis suæ cupiunt peritiā demonstrare, in paruissima quadam scutula, quæ depicta in se continet prēmia, iacula vel sagittas intorquere contēdunt, certi quòd non aliàs nisi destinationis suæ linea ad finē possint desiderati præmij peruenire: quo tum demum vtiq; potientur, cùm propositum scopon valuerint obtinere. Qui si fortè ab eorum fuerit subtractus intuitu, quantumlibet à recto tramite cassa imperitorum deerret intentio, excidisse se

tamen

tamen à disciplinatę lineæ directione non sentient, quia nullum habent certum signum quod vel peritiam directionis probet, vel arguat prauitatē: & ideo cùm inutiles in aëra vacuum iactus effuderint, in quo peccauerint, quóue decepti sint, diiudicare non possunt, quippe quos nullum accusat indicium, quantum à directione discesserint, nec quo deinceps corrigere vel reuocare debeant, lineam disciplinæ docere potest passiuus obtutus. Ita igitur & nostri propositi finis quidem, secundum Apostolum, vita æterna est, ita eodem pronunciante: Habentes quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Scopos verò est puritas cordis, quam sanctificationem non immeritò nuncupauit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi. Ac si dixisset aliis verbis: habentes quidem scopon vestrum in cordis puritate, finem verò vitam æternam. De qua destinatione alibi docens nos idem beatus Apostolus, ipsum nomen, id est, scopon significanter expressit, ita dicens: Quæ posteriora sunt obliuiscens, ad ea verò quæ priora sunt extendens me, ad destinatum persequor brauium supernę vocationis Domini. Quod euidentius in Græco ponitur, κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, secundum destinationem persequor. Tanquam si dixisset: Hac destinatione, qua illa quæ posteriora sunt, obliuiscor, id est, anterioris hominis vitia, ad finem brauij cælestis peruenire contēdo. Quicquid ergo nos ad hunc scopō, id est, puritatem cordis potest dirigere, tota virtute sectandum est; quicquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum ac noxium deuitandum. Pro hac enim vniuersa toleramus & agimus. Pro hac, parentes, patria, dignitates, diuitiæ, deliciæ mundi huius, & voluptas vniuersa contemnuntur, vt scilicet puritas cordis perpetua retineatur. Hac itaque nobis destinatione proposita, semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissimè dirigentur. Quæ si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, non solùm cunctos labores nostros vacuos pariter atque instabiles reddens, incassum eos ac sine vllo emolumento compellet effundi, sed etiam cogitationes omnes diuersas sibique contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem quò recurrat cuíue principaliter inhæreat non habentem, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accidunt, in illum statum continuò transformari qui sibi primus occurrerit.

Rom. 6.

Philip. 3.

De hīs

De his qui abrenunciantes mundo ad perfectionem sine caritate contendunt.

CAPVT VI.

HInc namque est, quòd non nullos mundi huius maximas facultates, & non solùm multa auri atque argenti talenta, verumetiam prædiorum magnificentiam cōtemnentes, post hæc vidimus pro scalpello, pro graphio, pro calamo commoueri. Qui si contemplationem cordis *mundi fixam tenerent, nūquam vtique pro paruis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abiicere maluerunt. Nam & plerumque nonnulli tanto zelo codicem seruant, vt eum ne leuiter legi quidem, vel cōtingi ab aliquo patiantur, & inde occasiones impatientię ac mortis incurrunt, vnde monentur stipendia patientiæ & caritatis acquirere. Cumque omnes diuitias suas pro Christi amore dispersérint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, & pro ipsis nonnūquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant apostolicam caritatem, ex omnibus infructuosi sterilésque redduntur. Quod in spiritu B. Apostolus pręuidens, Et si distribuero, inquit, in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Vnde liquidò comprobatur perfectionem non statim nuditate nec priuatione omnium facultatum, seu dignitatū abiectione contingi, nisi *fuerit caritas illa, cuius Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nam quid est aliud, non ęmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quęrere quæ sua sunt, non gaudere super iniquitate, non cogitare malum, & reliqua, nisi cor perfectū ac mūdissimum Deo semper offerre, & intactum à cunctis perturbationibus custodire.

*in Deum

Qui mundi facultatibus & honoribus abdicatis vilissimarum minutissimarúmque rerum amoribus implicātur, ad perfectionis culmen ascendere nequeunt.

1. Corinth. 13.

Ibidem.

*nisi præsto fuerit

De appetenda tranquillitate cordis. CAP. VII.

OMnia igitur huius gratia gerenda appetendaque sunt nobis, pro hac solitudo sectanda est, pro hac ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cęterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus: vt scilicet per illas ab vniuersis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum & conseruare possimus, & ad perfectionem caritatis istis gradibus innitendo conscendere, & non propter has obseruantias, si fortè honesta ac necessaria occupatione pręuenti, sollemnitatem nostræ districtionis non potuerimus implere, incidamus in tristitiam, vel iram, siue indignationem, ob quæ expugnanda illud quod prętermissum est, fueramus acturi. Nō enim tantum est lucrum ieiunij, quantum iræ dispendū: nec

tantus

tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur quæ sequentia sunt, id est, ieiunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio scripturarum, propter principalem scopon, id est, puritatem cordis, quod est caritas, nos conuenit exercere, & non propter illa principalē hanc perturbare virtutem: qua in nobis integra illæsaque durante, nihil oberit si aliquid eorū quæ sequentia sunt pro necessitate fuerit prætermissum. Siquidem nec proderit vniuersā fecisse, * dempta hac quam diximus principali causa, cuius obtentu sunt omnia peragenda. Ob hoc enim quis ferramenta cuiuslibet artis instituere sibimet ac preparare festinat, nō vt ea possideat otiosa, nec vt emolumenti illius fructum qui speratur ex ipsis in nuda instrumentorum possessione constituat, sed vt eorum ministerio peritiam finemq; illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis cōsistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Incassum igitur hæc exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus, intentionem sui cordis hucusque defixerit, & non ad capiendū finem propter quem hæc appetenda sunt, omne studium virtutis extēderit: habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem verò in quo omnis fructus consistit, ignorans. Quicquid igitur potest istam mentis nostræ puritatem tranquillitatémque turbare, quamuis vtile ac necessarium videatur, vt noxium deuitandum est. Hac enim norma & * errorū peruagationumq; omnium dispositiones poterimus euadere, & desideratum finem linea certæ directionis attingere.

Vniuersæ actiones & studia nostra ad animi puritatem consectandā referenda sunt.

*non adepta

* terrenarū peruagationū omnium dispersiones

De principali conatu erga diuinarum rerum contemplationem, & similitudine Mariæ & Marthæ. CAP. VIII.

HIc ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis iugiter affectāda, vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhereat, quicquid ab hac diuersum est, quamuis magnum, * secundum tamen, aut etiam infimum, seu certè noxium iudicandum est. Huius mentis vel actus figura etiam in euangelio per Martham & Mariam pulcherrimè designatur. Cùm enim Martha sancto vtique ministerio deseruiret, vtpote quæ ipsi Domino eiusque discipulis ministrabat: & Maria spiritali tantummodo intenta doctrinæ, Iesu pedibus inhæreret, quos osculans, bonæ confessionis liniebat vnguento: præfertur tamen à Domino, quòd & meliorem elegerit partem, & eam quæ ab ea non possit auferri. Nam cùm

Theoricæ virtutis elogium.

*importunum

Lucæ 10.

cùm laboraret Martha pia ſollicitudine ac diſpenſatione diſtenta, ſolam ſe videns ad tantum miniſterium non poſſe ſufficere, adiutorium ſororis à Domino poſtulabat, dicens: Non eſt tibi curæ, quia ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Vtique non ad vile opus, ſed ad laudabile eam miniſterium prouocabat. Et tamẽ quid audit à Domino? Martha Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Paucis verò opus eſt, aut etiam vno: Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Videtis ergo principale bonum in theoria ſola, id eſt, in contemplatione diuina Dominum poſuiſſe. Vnde cęteras virtutes licet neceſſarias & vtiles pronunciemus, ſecundo tamen gradu cenſendas eſſe decernimus, quia vniuerſæ huius vnius parantur obtentu. Dicẽs enim Dominus, ſollicita es, & turbaris circa plurima, paucis verò opus eſt, aut etiam vno, ſummum bonum non in actuali, quamuis laudabili, opere, & multis fructibus abundanti, ſed in * ſua contemplatione, quæ verè ſimplex & vna eſt, collocauit: paucis opus eſſe pronuncians ad perfectam beatitudinem, id eſt, illã theoriam, quæ prius in paucorum ſeruatur conſideratione ſanctorum: à quorum contemplatione conſcendens is qui adhuc in * profectu poſitus eſt, ad illud quoque quod dicitur vnum, id eſt, Dei ſolius intuitum, ipſo adiuuante perueniet: vt ſcilicet etiam ſanctorum actus ac miniſteria mirifica ſupergreſſus, ſolius Dei iam pulchritudine ſcientiaque paſcatur. Maria ergo bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et hoc diligentius intuendum eſt: Nam cùm dicit, Maria bonam partem elegit, licet taceat de Martha, & nequaquam eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem eſſe pronunciat. Rurſum cùm dicit, quæ non auferetur ab ea, oſtendit quòd ab hac ſua portio poſſit auferri; nec enim miniſterium corporale cum homine poterit iugiter permanere: Illius verò ſtudium nullo fine prorſus edocet poſſe finiri.

*sui

*prouectu

Interrogatio, quomodo virtutum functiones cum hominibus non perſeuerent. CAPVT IX.

GErmanus: Ad quod nos valde permoti, quid ergo diximus labor ieiuniorũ, lectionis inſtantia, opera miſericordiæ, iuſtitiæ, pietatis, & humanitatis auferẽtur à nobis, & nõ permanebũt cum auctoribus ſuis? Præſertim cùm ipſe Dominus retributionem regni cælorũ his operibus repromittat, dicens: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum vobis paratũ à conſtitutione mundi: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,

Matth. 25.

manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Quomodo ergo auferentur hæc, quæ introducunt factores suos in regnum cælorum?

Responsio, quòd non sit earum merces, sed actio cessatura.

CAPVT X.

MOyses: Nec ego dixi mercedem boni operis auferendam, dicente eodem Domino, Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Sed actionem dico, quam vel necessitas corporalis, vel impugnatio carnis, seu mundi huius inæqualitas administrari exigit, auferendam. Nam lectionis instantia, vel ieiuniorum afflictio ad emundationem cordis, & castigationem carnis, in præsenti tantummodo vtiliter exercentur, donec caro concupiscit aduersus spiritum: Quæ nonnumquam ab his qui labore nimio, seu ægritudine corporis, senióve defessi sunt, etiam in præsenti videmus auferri, nec ab homine posse iugiter exerceri. Quanto magis ergo hæc in futuro cessabunt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, corpusque istud quod nunc animale est, surrexerit spiritale, & cœperit caro non esse iam talis, vt aduersus spiritum concupiscat? De quibus etiam beatus Apostolus manifestè pronunciat, Corporalis, inquiens, exercitatio ad modicum vtilis est. Pietas autem, quæ sine dubio charitas intelligitur, ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Quæ ergo dicitur ad modicum esse vtilis, manifestè pronunciatur, nec per omne tempus exerceri, nec summam perfectionis per se solam laboranti posse conferre. Modicum quippe ad vtrumque referri potest, id est, vel ad breuitatẽ tẽporis, quòd scilicet homini tam in præsenti, quàm in futuro exercitatio corporalis coæterna esse nõ possit, vel certè ad paruitatem vtilitatis, quæ de carnali exercitatione conquiritur, eo quòd afflictio corporalis initia quædam profectus, non ipsam perfectionem charitatis pariat, quę promissionem habet vitæ præsentis & futuræ. Et idcirco exercitia operum prædictorum necessaria esse censemus, quia sine ipsis ad charitatis fastigia non possit ascendi. Hæc etiam quæ dicitis opera pietatis ac misericordiæ necessaria sunt in hoc tempore, dum adhuc inæqualis diuersitas dominatur, quorum ne hic quidem expectaretur operatio, nisi inopum, indigentium, infirmorumque pars maxima redundaret: quæ iniquitate hominum facta est, eorum scilicet, qui ea quæ omnibus à communi creatore concessa sunt, in suos tantùm occupant vsus, nec tamen vtenda tenuerunt. Donec ergo in hoc mundo inæqualitas

Matth. 10.

Galat. 5.

1. Corinth. 15.

1. Timoth. 4.

Actualis vitæ opera præsens necessitas requirit.

Ea quæ in humanis rebus inæqualitas cõspicitur, iniquitati hominum imputanda est.

qualitas ista grassatur, erit hæc actio necessaria & vtilis exercenti: restituens quidem bono affectui & piæ voluntati retributionem hæreditatis æternę, ipsa verò in futuro seculo parilitate regnante cessabit: cùm iam non fuerit inæqualitas propter quam debeant hæc exerceri, sed cuncti ab hac multiplici, id est, actuali operatione ad caritatem Dei, & diuinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt: cui se hi quibus cura est vel scientiæ vel mentis emundationi insistere, iam in hoc seculo constituti elegerunt omni conatu ac viribus mancipare: illi scilicet semetipsos officio adhuc in carne corruptionis positi deputantes, in quo erunt corruptione deposita, permansuri: peruenientes ad illam promissionem
Matth. 5. Domini saluatoris, qua dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

De caritatis perpetuitate. CAP. XI.

ET quid miramini, si illa officia superiùs cōprehensa transibunt, cùm sanctus Apostolus etiam sublimiora spiritus sancti charismata transitura describat: solam verò caritatem
1. Cor. 13. designet sine fine mansuram, Siue, inquiens, prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. De
Ibidem. hac autem, Charitas numquam excidet. Omnia namque do-
**distribuuntur* na pro vsu ac necessitate *tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione mox proculdubiò transitura. Caritas verò nullo intercipietur tempore: non solùm enim in præsenti mundo vtiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abiecta, efficacior multo atque excellentior permanebit, nullo vnquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhæsura.

Interrogatio de perseuerantia spiritalis theoriæ.
CAPVT XII.

GErmanus: Quis ergo potest fragili carne circumdatus ita esse huic theoriæ semper affixus, vt numquam cogitet de fratris aduentu, de visitatione infirmi, de opere manuum, vel certè de humanitate vel peregrinis vel aduenientibus exhibenda? Postremò quis non interpelletur corporis ipsius prouisione vel cura, aut quemadmodum mens vel in quo illi inuisibili & incomprehensibili Deo valeat inseparabiliter cohærere, cupimus edoceri?

Responsio de directione cordis in Deum, & de regno Dei, & diaboli.
CAPVT XIII.

MOyses: Inhærere quidem Deo iugiter, & contemplationi eius quēadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, im-

ri, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato. Verùm oportet nos scire, vbi mentis nostræ intentionem debeamus habere defixam, & ad quam destinationẽ semper animæ nostræ reuocemus intuitum: quam cùm potuerit obtinere mens gaudeat, & à qua distractam se doleat atque suspiret; totiesque se à summo bono sentiat recidisse, quoties se ab illo intuitu deprehenderit separatam: fornicationem iudicans vel momentaneum à Christi contemplatione discessum: A quo cùm deuiauerit paululum noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquẽtes, velut rectissima linea mentis aciem reuocemus. Totum namq; in animæ consistit recessu. Vnde expulso diabolo, ac nequaquã in ea iam regnantibus vitiis, consequenter regnũ Dei fundatur in nobis, dicente Euangelista, Regnum Dei non veniet cum obseruatione: neq; dicẽt, Ecce hîc, aut ecce illic est. Amen enim dico vobis, quia regnum Dei intra vos est. Intra nos verò nihil aliud esse potest quàm sciẽtia aut ignoratio veritatis, & vel vitiorum amicitia vel virtutum: per quę aut diabolo aut Christo regnũ paramus in corde. Cuius etiam regni qualitatẽ describit Apostolus dicens: Non enim regnum Dei est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. Itaque si regnum Dei intra nos est, & ipsum regnum Dei iustitia, & pax, & gaudium est, ergo qui in istis commoratur, sine dubio in regno Dei est. Et econtrariò illi qui in iniustitia, & discordia, & tristitia mortem operante versantur, in regno diaboli, & in inferno, ac morte sunt constituti. His enim indiciis vel Dei vel diaboli regnum discernitur. Et reuera si sublimi mentis intuitu consideremus statum illum in quo degunt cælestes supernæque virtutes, quæ verè in regno Dei sunt, quis status alius esse credendus est quàm perpetua iugisq; lætitia? Quid enim tam proprium veræ beatitudini tàmque conueniens, quàm tranquillitas iugis, & gaudiũ sempiternum? Et vt hoc ipsum quod dicimus, ita esse, non mea cõiectura, sed ipsius Domini auctoritate certius instruaris, audi eum qualitatem & statum regni illius apertissimè describentem: Ecce, inquit, ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, neq; ascendent super cor, sed gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum in his quæ ego creo. Et rursum: Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. Et iterum: Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Et si adhuc clarius de illa conuersatione & ciuitate sanctorum vultis agnoscere, attendite quæ ad ipsam Ierusalem voce Do-

Theoria huic vitæ non est impossibilis.

Lucæ 17.

Rom. 14.

Isa. 65.

Isa. 51.

Ibidem.

Isa.60. mini dirigantur: Et ponam, inquit, visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam, non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur, sed erit Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Et idcirco beatus Apostolus non generaliter, neque simpliciter omne gaudium regnum Dei pronunciat, sed signanter ac specialiter illud solum quod in spiritu
Rom.14. sancto est: Nouit enim esse aliud quoque vituperabile gau-
Ioan.16. dium, de quo dicitur, Mundus iste gaudebit. Et, Væ vobis qui
Lucæ 6. ridetis, quia plorabitis. Regnum sanè cęlorum tripliciter accipiendum est. Aut quo regnaturi sunt cæli, id est, sancti in aliis
Lucæ 19. subditis, secundum illud: Esto tu super quinque ciuitates, & tu super decem. Illud quoque quod dicitur ad discipulos, Se-
Matth.19. debitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Aut ipsi cæli incipiant à Christo regnari, cùm scilicet o-
1.Cor.15. mnibus ei subiectis cœperit esse omnia in omnibus Deus. Vel certè quòd in cælis sint cum Domino regnaturi.

De animæ perpetuitate. CAP. XIIII.

QVamobrem in hoc corpore cõstitutus iam nouerit vnusquisque illi se regioni, vel ministerio deputandum, cuius in hac vita semetipsum participem cultoremque præbuerit, illiusq; se etiam in illo perenni seculo consortem futurum esse non ambigat, cui nunc ministrum se sociumq; maluerit exhi-
Ioan.12. bere; secundum sententiam Domini ita dicentis, Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus
* conniuentiam erit. Nam quemadmodum Zabuli regnum per * conuenientiam suscipitur vitiorum, ita regnum Dei per exercitationem virtutum, puritate cordis ac spiritali scientia possidetur. Vbi autem regnum Dei est, ibi proculdubiò & vita habetur æterna: Et vbi regnum Zabuli est, ibi mortem atq; infernum esse non dubium est: in quo qui fuerit, nec laudare Dominum po-
Psal.113. test, secundum prophetæ sententiam dicentis, Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum, sine dubio peccati. Sed nos, inquit, qui viuimus, non vitiis scilicet, nec mundo huic, sed Deo, benedicimus Dominum ex hoc, nunc, & vsque in seculum. Non enim est in morte qui me-
Psal.6. mor sit Dei: In inferno autem peccati quis confitebitur Domino? Id est, nemo. Nullus enim, etiam si millies semetipsum vel Christianum esse profiteatur, vel monachum, cùm peccat

confite-

confitetur Domino. Nullus admittens ea quæ Dominus execratur, reminiscitur Dei, nec seruum se veraciter profitetur illius cuius pręcepta contumaci temeritate contemnit. In qua morte illam viduam, quæ est in deliciis, beatus Apostolus esse pronunciat, Vidua, inquiens, quæ in deliciis est, viuens mortua est. Sunt ergo multi qui viuentes in hoc corpore mortui sunt, & in inferno iacentes Deum laudare non possunt. Et econtrariò sunt qui cùm mortui sint corpore, Deum spiritu benedicunt atque collaudant: secundum illud, Benedicite spiritus & animæ iustorum Dominum. &, Omnis spiritus laudet Dominum. Et in Apocalypsi, Animæ occisorum non solùm laudare Deum, sed etiam interpellare dicuntur. In euangelio quoque euidentiùs Dominus ad Sadducæos, Non legistis, inquit, quod dictum est à Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium. Omnes enim ei viuunt. De quibus & Apostolus, Propter quod, inquit, nō confunditur Deus vocari Deus eorū: Parauit enim illis ciuitatem: nam quia nec *otiosi sint post separationem huius corporis, neq; nihil sentiant, etiam euangelij parabola quæ de illo paupere Lazaro, & diuite purpurato profertur, ostendit: quorum vnus beatissimā sedem, id est, sinus Abrahæ requiem promeretur, alius intolerabili ardore æterni ignis exuritur. Si autem & illud quod dicitur ad latronem, Hodie eris mecum in paradiso, voluerimus intendere, quid aliud manifestè designat, quàm perdurare in animabus non solùm pristinos intellectus, sed etiam vicissitudine eas congrua pro meritorum actuumque suorum perfrui qualitate? Hoc enim illi nequaquam Deus promisisset, si eius animam nosset post separationem carnis, vel priuandam sensu, vel in nihilum resoluendam: Non enim caro eius in paradisum, sed anima erat ingressura cum Christo. Cauenda sanè, imò toto horrore est detestanda prauissima hęreticorum illa distinctio, qui dum nō credunt Christum potuisse eodem die, quo in inferna descendit, etiam in paradiso reperiri, ita distinguunt: Amen dico tibi hodie, & interposita distinctione inferūt, mecum eris in paradiso: vt scilicet hæc promissio non statim post transitum vitæ huius impleta, sed post resurrectionis eius aduentum intelligatur implenda. Non intelligētes illud quod ante resurrectionis suæ diē protulit ad Iudæos, qui eum, vt semetipsos, credebant angustiis humanis, & carnali infirmitate cōcludi: Nemo, inquit, ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quibus manifestè probatur animas defunctorum nō solùm suis sensibus

1.Tim.5. *Daniel.3.* *Psal.150.* *Apoc.6.* *Matth.22.* *Hebr.11.* * occisæ *Lucæ 16.* *Lucæ 23.* *Inepta illorum verborū Christi, Hodie mecum eris in paradiso, ab hæreticis conficta explanatio.* *Ioan.3.*

ſibus nõ priuari, ſed ne iſtis quidem affectibus, id eſt, ſpe atq; triſtitia, gaudio ac metu carere, & ex eis quæ ſibi in illo generali examine reſeruantur, quiddam eas iam incipere prægustare: Nec ſecundum opinionem quorundam infidelium, in nihilum eas reſolui poſt huius commorationis exceſſum, ſed viuaciùs ſubſiſtere, Deiq; laudibus intentius inhærere. Et reuera vt ſequeſtratis paulisper teſtimoniis ſcripturarũ de ipſius animæ natura ſecundum mediocritatem ſenſus noſtri paucis aliqua diſputemus; nonne vltra omnis ineptiæ non dicam fatuitatem, ſed inſaniam eſt vel leuiter ſuſpicari illam pretioſiorem hominis portionem, in qua imago Dei, ſecundum beatum Apoſtolum, ac ſimilitudo conſiſtit, depoſita hac qua reconditur in præſenti ſarcina corporali, inſenſibilem fieri, quæ omnem rationis vim in ſe continens etiam mutam atque inſenſibilem materiam carnis participatione ſui facit eſſe ſenſibilem? cùm vtique conſequens ſit, & hoc rationis ipſius ordo contineat, vt exuta mens iſta carnali qua nunc hebetatur pinguedine, intellectuales virtutes ſuas in melius reparet, & puriores eas ac ſubtiliores recipiat potius quàm amittat. In tantum autem hoc quod dicimus, beatus Apoſtolus verum eſſe cognoſcit, vt etiam optet ab hac carne diſcedere, vt ſeparatione eius enixius valeat Domino copulari dicens, Deſiderium habeo diſſolui, & cum Chriſto eſſe, multo enim melius: quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: Et idcirco audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum: Propter quod etiam contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi: commorationem ſcilicet animæ, quæ in hac carne eſt, peregrinationem à Domino, atque abſentiam à Chriſto eſſe pronunciás; eiuſq; ab hac carne ſeparationem atq; diſceſſum, præſentiam eſſe ad Chriſtum tota credulitate confidens. Et euidentius iterum ſuper hoc ipſo viuaciſſimo animarum ſtatu idem Apoſtolus, Sed acceſſiſtis, inquit, ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & ad multorum milium angelorum frequentiam, & eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis, & ſpiritus iuſtorum perfectorum. De quibus ſpiritibus in alio loco, Deinde patres, inquit, carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, *non multo magis ſubiiciemur patri ſpirituum & viuemus?

*1.Cor.11. Coloſſ.3. — Philip.1. — Hebr.12. — Ibidem. * num*

De contemplatione Dei. CAP. XV.

Contemplatio verò Dei multifariè cõcipitur. Nam Deus non ſola incomprehenſibilis illius ſubſtantiæ ſuæ admiratione cognoſcitur, quod tamen adhuc in ſpe promiſſionis abſcon-

absconditum est, sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel *æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio peruidetur: quando scilicet quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit mente purissima perlustramus, cùm potentiam ipsius qua vniuersa gubernat, moderatur, ac regit, cùm immensitatem scientiæ eius, & oculum quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde miramur, cùm arenam maris, vndarúmque numerum dimensum ei cognitúmque pauidi cogitamus, cùm pluuiarum guttas, cùm seculorum horas ac dies, cùm præterita futuráve vniuersa obstupescentes scientię eius assistere cōtemplamur, cùm ineffabilem clementiam eius cōsideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusq; momentis sub ipsius cōmittuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat, cùm intuemur vocationem, qua nos nullis præcedentibus meritis gratia suæ miserationis asciuit. Cùm deniq; quot occasiones salutis tribuit *adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu, quòd ita nos nasci præcepit, vt ab ipsis cunabulis gratia nobis legisque suæ notitia traderetur, quòd ipse aduersarium vincens in nobis pro solo bonæ volūtatis assensu æterna beatitudine ac perpetuis nos præmiis munerat, cùm postremò dispensationem suæ incarnationis pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatauit. Sunt autem aliæ quoque huiusmodi contemplationes innumeræ, quę pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur. Quas profectò nullus perpetuò retentabit, in quo adhuc aliquid carnalium viuit affectuum: quia non poteris, ait Dominus, videre faciem meam; Non enim videbit me homo, & viuet, scilicet mundo huic, affectibusque terrenis. *Exod. 33.*

* æqualitatis, *vel* qualitatis

* adoptatis

Interrogatio de cogitationum mobilitate.

CAPVT XVI.

GErmanus: Quid ergo est quòd etiam nolentibus, imò verò etiam nescientibus nobis ita superfluæ cogitationes subtiliter ac latenter inhærent, vt non solùm eas expellere, verumetiam intelligere ac deprehendere difficultatis immodicæ sit? Potest ergo mens aliquando ab istis vacua reperiri, & numquam huiuscemodi illusionibus incursari?

Responsio quid possit mens super cogitationum statu, quídue non possit.

CAPVT XVII.

Vide tertiam annotationem post finē totius operis.

MOyses: Mentem quidem nō interpellari cogitationibus impossibile est: suscipere verò eas siue respuere omni

*studenti per gratiam Dei possibile est.

*studēti possibile est. Quemadmodum igitur ortus earū non omninò pendet à nobis, ita probatio vel electio cōsistit in nobis. Nec tamen ex eo quod diximus impossibile esse mentem cogitationibus nō adiri, totum vel incursui, vel illis spiritibus tribuendum est, qui eas nobis nituntur ingerere: alioquin nec liberum in homine maneret arbitriū, nec in nobis staret nostræ *correptionis industria. Sed est, inquam, nostrum magna ex parte, vt cogitationum qualitas emendetur, & vel sanctę ac spiritales in cordibus nostris, vel terrenæ carnalesque concrescant. Ideò nonnumquam frequens lectio, & iugis adhibetur meditatio scripturarum, vt exinde nobis spiritalis memoriæ præbeatur occasio. Idcirco decantatio crebra psalmorum, vt assidua nobis exinde subministretur compunctio. Idcirco vigiliarum, ac ieiuniorum, orationumq; sedulitas adhibetur, vt extenuata mens non terrena sapiat, sed cælestia cōtempletur. Quibus rursum negligentia irrepente cessantibus, necesse est vt mens vitiorum squalore concreta, in carnalem partem mox inclinetur & corruat.

*correctionis.

Comparatio aquariæ molæ & animæ. CAP. XVIII.

QVod exercitium cordis non incongruè molarum similitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit. Quæ nullatenus quidem cessare possunt ab opere suo aquarum impulsibus circumactæ: In eius verò qui præest situm est potestate, vtrúmnam triticum *molit, an hordeum loliúmve *comminuit. Illud namque est proculdubio commolendum, quod ingestum ab illo fuerit, cui operis illius cura commissa est. Ita igitur etiam mens per vitæ præsentis incursus, vndique ingruentibus tentationum torrētibus, circumacta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit: quales verò vel admittere, vel parare sibi debeat, studij ac diligentiæ suæ prouidebit industria. Si enim, vt diximus, ad sanctarum scripturarum meditationem iugiter recurramus, ac memoriam nostram ad recordationem spiritalium rerum, & desiderium perfectionis, spemq; futuræ beatitudinis erigamus, necesse est, vt ortæ cogitationes exinde spiritales, in his quæ meditati sumus, mentem faciant immorari. Sin verò desidia seu negligentia superati, vitiis & otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis & superfluis sollicitudinibus implicemur, consequenter exinde velut quædam zizaniorum species generata, operationem quoque nostro cordi noxiam ministrabit: & secundum sententiā Domini Saluatoris, vbi fuerit thesaurus operum nostrorum seu intentionis nostræ, ibi & cor nostrum necessariò permanebit.

*molat, *cōminuat.

Matth. 6.

De tribus

De tribus cogitationum nostrarum principiis.

CAPVT XIX.

ILlud sanè præ omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia, id est, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem sunt, cùm spiritus sancti illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, & in quibus vel minus acquisiuimus, vel desidiosè agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat: vel cùm reserat nobis cælestia sacramenta; & propositum nostrum ad meliores actus voluntatemq; conuertit: vt ibi cùm rex Assuerus castigatus à Domino, libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece gentis Iudææ sententiam reuocat. Vel cùm propheta commemorat, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alius quoque, Et dixit, inquit, angelus qui loquebatur in me. Vel cùm filius Dei venturum se vnà cum patre, & mansionem apud nos facturum esse promittit. Et, Non estis vos, inquit, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et vas electionis, Experimētum eius quæritis qui in me loquitur Christus? Ex diabolo verò cogitationum nascitur series, cùm subuertere nos tam vitiorum oblectatione, quàm etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate mala pro bonis fraudulenter ostentans, & transfigurans se nobis in angelum lucis. Vel cùm Euangelista refert: Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis Scarioth vt traderet Dominum. Et iterum, Post buccellam, inquit, introiuit in illum satanas. Petrus quoque ad Ananiam, Quare, ait, tentauit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto? Et illud quod in Euangelio, & multò antè per Ecclesiasten prædictum legimus, Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas. Illud quoque quod dicitur ad Deum cōtra Achab in tertio Regum libro ex persona spiritus immundi: Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Ex nobis autem oriuntur, cùm naturaliter ea quæ gerimus, vel gessimus, vel audiuimus, recordamur. De quibus beatus Dauid, Cogitaui, inquit, dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Et iterum, Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. In Euangelio quoque Dominus ad Pharisæos, Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Esther 6. Psal. 84. Zach. 1. Ioan. 14. Matth. 10. 2. Cor. 13. 2. Cor. 11. Ioan. 13. Ibidem. Actor. 5. Eccl. 10. 3. Reg. 22. Vide annotationem quartā post finem operis positam. Psal. 76. Psal. 93. Matth. 9.

Docet ex similitudine probati trapezitæ quomodo cogitationes nostræ discernendæ sint. CAP. XX.

HAnc igitur oportet tripartitam rationem nos iugiter obseruare, & vniuersas cogitationes quæ emergunt in corde nostro, sagaci discretione discutere, origines earum & causas auctoresque primitùs indagantes, vt quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare possimus, vt efficiamur secundum præceptum Domini probabiles trapezitæ. Quorum summa peritia est ac disciplina, probare quod nam sit aurum purissimum, &, vt vulgò dicitur, obrizum, quódve sit minus purgatione ignis excoctum: æreo quoque viliq́ue denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur, prudentissima discretione non falli; & non solùm numismata tyrannorum vultus exprimẽtia sapienter agnoscere, sed etiam illa quæ sunt veri quidem regis imagine, sed non legitimè figurata, peritia sagaciore discernere: Deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum sit, cẽsura trutinæ diligẽter inquirere. Quæ omnia nos quoq; debere spiritaliter obseruare euangelicus sermo sub huius nominis demonstrat exemplo. Primũ, vt quicquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod nobis dogma fuerit intromissum, vtrúmnam sit diuino illo & cælesti spiritus sancti igne purgatum, an ad Iudaicam superstitionem pertinens, seu de secularis philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum præferat pietatem, diligentissimè perscrutemur. Quod ita poterimus implere, si illud Apostolicum fecerimus, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Quo genere sunt illi quoque decepti, qui post professionem monachi, nitore sermonis, & quibusdam sunt Philosophorum dogmatibus illecti, quæ prima fronte piis quibusdam sensibus ac religioni consonis audientes velut auri fulgore fallentia, quos semel superficie illexerãt, velut numismatibus æreis falsisq́ue deceptos, perpetuò nudos ac miseros reddiderunt, vel ad seculi eos strepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores ac præsumptiones tumidas pertrahentes. Quod etiam Achan in libro Iesu Naue legimus fuisse perpessum, qui de castris Allophylorum regulam auream concupiscens atque furatus, anathemate percuti, atque æterna meruit morte damnari. Secundò sollicitè nos explorare conuenit, ne auro purissimo scripturarum, praua interpretatio coaptata, metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino Saluatori callidissimus diabolus, velut homini simplici tentauit imponere, dum ea quæ gene-

Videtur alludere ad illud Matth. 25. Oportuit te committere pecuniam meam numulariis siue trapezitis, vt legunt Græci.

1. Ioan. 4.

Sermonis elegantia & inanis philosophia monachis perniciosa.

Iosue 7.

generaliter ſunt ſuper omnium iuſtorum perſonis intelligenda, maliuola interpretatione corrumpens, ſpecialiter huic qui angelorum cuſtodia non egebat, conatur aptare, dicens, Quia angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum: Pretioſa ſcilicet eloquia ſcripturarum callida aſſumptione conuertens, & ad contrarium noxiumque ſenſum detorquens, vt imaginem tyrannici vultus ſub colore nobis auri fallentis obiiciat, ſiue cum paracaraximis nos conatur illudere quoddam ſcilicet pietatis opus admonens affectandum, quod non de legitima ſeniorum procedens moneta, ſub prætextu virtutum ducit ad vitia, vel immoderatis incompetentibusque ieiuniis ſeu vigiliis nimiis, vel orationibus inordinatis, vel incongrua lectione decipiens, ad noxium pertrahit finem. Vel cum interceſſiones ac viſitationes pias perſuadet impendere, quibus nos à ſpiritalibus monaſterij clauſtris, & ſecreto amicæ quietis excutiat, ſollicitudines etiam curaſque ſuſcipere religioſarum ac deſtitutarum ſuggerit feminarum, vt huiuſmodi laqueis monachum inextricabiliter irretitum pernicioſarum ſollicitudinum occupatione diſtendat. Vel certè cùm deſiderare ſanctum clericatus officium ſub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri ſpiritalis inſtigat, per quod nos ab humilitate propoſiti huius, ac diſtrictione diuellat. Quæ omnia cùm ſint noſtræ ſaluti profeſſionique contraria, tamen velamine quodam miſericordiæ ac religionis obtecta, facilè imperitos incautoſque decipiunt. Imitantur enim numiſmata veri regis, quia videntur ad præſens plena pietatis, ſed non ſunt à legitimis monetariis, id eſt probatis & catholicis patribus figurata; nec de cardinali ac publica collationis eorum prodeunt officina, ſed furtim fraude dæmonum fabricata, non ſine detrimento imperitis quibuſque & ignorantibus ingeruntur. Quæ quamuis vtilia ac neceſſaria videatur ad præſens, tamen ſi ſoliditatibus profeſſionis noſtræ incipiant poſt hoc eſſe contraria, & totum quodámodo corpus noſtri labefactare propoſiti, tamquam neceſſarium quidem, ſed ſcandalizans membrum, & quod dextræ manus vel pedis agere videatur officium, proiici à nobis atq; abſcindi ſalubre eſt. Satius enim eſt abſque vnius præcepti membro, id eſt operatione vel fructu, in cæteris ſanum firmumq; durare, & tamquam debilem introire in regnū Dei, quàm cum ſoliditate mādati incidere in aliquod ſcandalū, quod pernicioſa cōſuetudine ſeparatos nos à diſtrictionis regula, atq; arrepti propoſiti diſciplinā,

Pſal. 90.
Matth. 4.
Scripturam ſacram falſo velamine palliat dæmon: quod & hæretici faciunt.

Prætextu pietatis monachi è ſuis clauſtris liberari cupiunt.

Matth. 18.

inducat in tale dispendium, quod nequaquam futura detrimenta compensans, omnes præteritos fructus totumque operationis nostræ corpus gehennæ faciat ignibus concremari. De generibus istiusmodi illusionum etiam in Prouerbiis eleganter exprimitur: Sunt viæ quę videntur rectæ esse viro, nouissima autem earum veniet in profundum inferni. Et iterũ: Malignus nocet cùm se miscuerit iusto, i. diabolus decipit cũ fuerit colore sanctitatis obtectus. Odit autẽ sonũ tutelę, i. discretionis vim, quæ de Seniorũ verbis ac monitione procedit.

Prouerb. 16.

De illusione Abbatis Ioannis. CAP. XXI.

IN quo etiam Abbatem nuper Ioannem, qui Lyci commoratur, cognouimus fuisse illusum. Nam cùm exhausto corpore atque defecto, perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accedenti ei ad refectionem die postero, veniẽs Zabulus in figura Aethiopis tetri, atq; ad eius genua prouolutus, Indulge, inquit, mihi quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque ille vir tantus & in discretionis ratione perfectus, sub colore continentiæ, incongruenter exercitatæ intellexit se ob hoc calliditate diaboli circumuentum, talique distentum ieiunio, vt lassitudinem non necessariam, imò etiam spiritui nocituram, fatigato corpori superponeret, paracaraximo scilicet illusus numismate, dum in illo veri regis imaginem veneratus, parum discutit an esset legitimè figuratum. Vltima verò obseruatio huius probabilis trapezitæ, quam de inquisitione ponderis esse prædiximus, taliter à nobis implebitur, si quicquid gerendum cogitatio nostra suggesserit, omni scrupulo retractantes, atq; in nostri pectoris trutina collocantes, æquilibratione iustissima perpendamus, an plenum sit honestate communi, an timore Dei sit graue, si integrum sensu, si humana ostentatione, aut aliqua nouitatis præsumptione sit leue, si meriti eius pondus inanis cenodoxiæ non imminuerit vel *arriserit gloria. Et sic ea protinus ad publicum appendentes examen, id est, ad Prophetarum & Apostolorum actus, ac testimonia conferentes, vel tamquam integra atque perfecta, illisque compensantia suscipiamus, vel tamquam imperfecta atque damnosa, nec illorum ponderi consonantia, omni cautione refutemus.

*arroserit, *vel* abraserit

De quadripartita discretionis ratione. CAP. XXII.

ERit ergo hoc quadripartito quo diximus modo necessaria nobis ista discretio, id est, primum, vt materia nos auri veri seu fucati fallentisq; non lateat: secundò, vt has easdẽ cogitationes quæ mentiuntur opera pietatis, tamquã adulterina numismata & paracaraxima reprobemus, vtpote quæ falsam

ima-

imaginem regis nõ legitimè signata contineant: Vel illa quæ in auro pretiosissimo scripturarum, vitioso & hæretico sensu, non veri regis sed tyranni præferunt vultum, similiter discernentes refutare possimus: Siue illa quorum pondus ac pretium ærugo vanitatis arrodens exagio seniorum adæquari non sinit, vt numismata leuia atque damnosa, minusque pensantia recusemus, ne in illud incidentes quod obseruare tota virtute præcepto Domini commonemur, cunctis laborũ nostrorum stipendiis meritisque fraudemur. Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Quicquid enim contemplatione humanæ gloriæ fecerimus, in terra nos thesaurizare secundum Domini sententiam nouerimus, & consequenter illud velut humi reconditum terræque defossum, vel diuersis dæmoniis depopulandum, vel edaci cenodoxiæ ærugine consumendum, seu superbiæ tineis deuorandum, vt ad nullam recondentis vtilitatem emolumentumque proficiat. Omnes igitur cordis nostri recessus iugiter perscrutandi sunt, & ascendentium in eos vestigia indagatione sagacissima retractanda, ne qua fortè intellectualis ibidem bestia, vel leo vel draco pertransiens, perniciosa vestigia latenter impresserit, quibus accessus etiam cæteris in abdita pectoris nostri per cogitationum negligentiam præbeatur. Et ita per singulas horas atque momenta terram cordis nostri euangelico aratro, hoc est iugi Dominicæ Crucis recordatione sulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum serpẽtium exterminare latibula, atque extrudere poterimus. *Matth. 6.*

De sermone doctoris secundum audientium meritum.

CAPVT XXIII.

AD hæc obstupefactos nos intuẽs senex, & ad verba narrationis suæ inexplebili ardore succensos, pro admiratione desiderij nostri paulisper sermone suspenso, rursus addidit: Quoniam nos, ô filij, ad disputationem tam longam vestra sedulitas prouocauit, & ignis quidam collationi nostræ feruentiores sensus pro vestro desiderio subministrat, vt ex hoc etiam ipso manifestè contempler in veritate vos perfectionis sitire doctrinam, volo vobis adhuc super discretionis eximietate vel gratia quæ inter cunctas virtutes arcẽ ac primatum tenet, pauca differere, excellentiáque eius & vtilitatem non solùm quotidianis exemplis, sed etiam antiquis patrum collationibus ac sententiis approbare. Frequenter namque memini nonnullis huiusmodi sermonem cum gemitu lacrymisque poscentibus, me quoq; aliquid eis doctrinæ conferre

ferre cupientem nullatenus potuisse, & ita in me non solum sensus, verumetiam ipsum eloquium defecisse, vt non inuenirem quemadmodum eos, vel cum leui consolatione dimitterem. Quibus indiciis euidenter agnoscitur, Domini gratiã pro merito ac desiderio audientium disputantibus aspirare sermonem. Quem quia breuissimũ istud quod superest noctis spatium non occurrit explere, indulgentes illud potius quieti corporeæ, cui necesse est totũ persolui, si id quod modicum est, fuerit denegatum, plenum narrationis ordinem integro futuri diei seu noctis examini referuemus. Decet nãque discretionis optimos consultores, in hoc primum patefacere suæ mentis industriam, & vtrum sint, vel queant eius capaces esse hoc indicio ac patientia cõprobare, vt de illa, quę moderationis generatrix est, virtute tractantes, nequaquam vitium, quod ipsi contrarium est, nimietatis incurrant: vim rationis ac naturæ eius, quam verbis excolunt, effectu atque opere violantes. In hoc ergo nobis discretionis bonũ de qua quantum Dominus dederit adhuc indagare disponimus, primitus prosit, vt nos de ipsius excellentia & moderatione, quę prima eidem virtus inesse cognoscitur, disserẽtes, disputationis quoque vel temporis modum non permittat excedere. His itaque beatus Moyses collationi nostræ dans finẽ, adhuc nos auidos, ac de suo ore pendentes degustare somnum paulisper hortatus est, iisdem ipsis quibus insidebamus psiathiis admonens incubare, embrimiis pariter capiti nostro ceruicalium vice suppositis, grossioribus papyris in longos graciles que fasciculos coaptatis. Quę pedali interuallo pariter colligata nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicẽ, fratribus in synaxi considentibus præstant, nunc verò subiecta ceruicibus dormientiũ præbent capiti non nimiè durũ, sed tractabile aptumq; fulcimentũ. Ad quos monachorum vsus hæc idcirco vel maximè opportuna habẽtur & cõgrua, quòd non solũ sint aliquatenus mollia, paruoque & opere præparentur & pretio, vtpote passim papyro emergente per Nili fluminis ripas, quam cuiq; volenti in vsum assumere nemo prohibeat desecare, sed etiam quod ad remouendũ, seu cùm necesse fuerit ad mouẽdũ habilis materiæ leuisq; naturę sint. Atque ita præcepto senis tandẽ sumus ad degustationẽ somni onerosa compositi quiete, tam digestæ collationis inflammati gaudio, quàm repromissæ disputationis expectatione suspensi.

Primæ Collationis Abbatis Moysis de Monachi destinatione finis.

COLLATIO II.

ABBATIS MOYSIS DE DISCRETIONE.

Capvt I.



DEgvstato itaque matutino ſopore, cùm ortum lucis tandem nobis claruiſſe gaudentes, repromiſſam narrationem repoſcere cœpiſſemus, beatus Moyſes ita exorſus eſt. Cũ videam vos tãti deſiderij ardore flammatos, vt ne ipſum quidem paruiſſimum quietis momẽtum, quod ſpiritali collationi ſubtrahens refectioni carnis malueram deputare, ad requiem credã veſtri corporis profeciſſe, mihi quoq; hunc veſtrum conſideranti feruorem ſollicitudo maior incumbit. Neceſſe eſt enim etiam me in perſoluendo debito, tanto maiorẽ deuotionis curam gerere, quanto vos attentiùs video illud expetere, ſecundũ illam ſentẽtiam: Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ apponuntur tibi, & immitte manum tuam, ſciens quia talia oportet te præparare. Quamobrem de bono diſcretionis eiuſque virtute dicturi, in quam ſermo nocturnæ collationis ingreſſus, finem noſtræ diſputationi dedit, congruum credimus eius excellentiam patrum primò conſignare ſententiis, vt cùm patuerit, quid de illa ſenſerint, vel pronũciauerint maiores noſtri, tum prolatis tã antiquis multorũ quàm recẽtibus ruinis & caſibꝰ, qui pro eo quòd minus eã fuerant aſſecuti pernicioſo deiecti ſunt lapſu, inquantũ poſſumus vtilitates eius & commoda retractemus: quibus diſcuſſis quemadmodum excolere eam atq; expetere debeamus, conſiderantes meriti eius & gratiæ pondus efficacius inſtruamur. Eſt enim nõ mediocris quędã virtus, nec quæ humana paſſim valeat induſtria comprehẽdi, niſi diuino fuerit munere gratiaque collata. Siquidem inter nobiliſſima ſpiritus ſancti dona, hanc quoque ita legimus ab *1. Cor. 12.* Apoſtolo numerari: Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ: Alij fides in eodem ſpiritu: Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu. Et poſt pauca; Alij diſcretio ſpirituum. Deinde completo omni catalogo ſpiritalium chariſmatum, infert: Omnia autem hæc operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Videtis ergo non terrenum, nec paruum eſſe

esse discretionis munus, sed diuinæ gratiæ maximum præmium: quam nisi monachus omni intentione fuerit assecutus, & ascendentium in sese spirituum discretionem certa ratione possederit, necesse est eum velut in nocte cæca terrisque tenebris oberrantem, non solùm perniciosis foueis præruptisque incidere, sed etiam in planis ac directis frequẽter offendere.

Discretionis vtilitas ex disputatione Abbatis Antonij demonstratur.

CAPVT II.

MEmini igitur quondã in annis adhuc pueritiæ cõstitutus in partibus Thebaidis, vbi beatus Antonius morabatur, seniores ad eum perfectionis inquirẽdæ gratia conuenisse. Cumque à vespertinis horis vsque ad lucẽ fuisset protracta collatio, quæstionem hanc maximum noctis spatium consumpsisse. Nam diutissimè quærebatur, quæ nam virtus vel obseruantia monachum possit à diaboli laqueis ac deceptionib, custodire semper illæsum, vel certè recto tramite firmoque gressu ad perfectionis culmen perducere. Cumque pro captu mentis suæ vnusquisque sententiam suam proferret, & alij quidem hoc in ieiuniorum vigiliarumque studio collocarent, quòd his videlicet extenuata mens, ac puritatem cordis & corporis assecuta, Deo facilius vniretur: Alij in contemptu vniuersarum rerum, quibus mens si penitus exueretur, tanquam nullis deinceps retinentibus laqueis ad Deum expeditior perueniret: Alij ἀναχώρησιν necessariam, id est, remotionem & eremi secreta censerent: in qua commanens quis, familiarius interpellare Deum, eique possit peculiarius inhærere: Nonnulli sectanda charitatis, id est, humanitatis officia definirent, quòd his regna cælorum daturum se Dominus in euangelio velut specialius repromittat, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Cumque in hunc modum diuersis virtutibus aditum certiorem ad Deum parari posse decernerent, essetque noctis maximum tẽpus hac inquisitione consumptum, intulit demum beatus Antonius: Omnia quidem hæc quæ dixistis necessaria sunt & vtilia sitientibus Deum, atque ad eum cupientibus peruenire, sed his principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorum casus & experimenta permittunt. Nam quosdam sæpenumero acerrimè ieiuniis seu vigiliis incubantes, ac mirificè in solitudine secedentes, priuationem quoque omnium facultatum ita sectantes, vt ex ipsis ne vnius quidẽ diei victum

Matth. 25.

victum sibimet, vnumq; denarium superesse paterentur, humanitatis etiam studia tota deuotione complentes, ita vidimus repentè deceptos, vt arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare, summumque feruorem & conuersationem laudabilem detestabili fine clauserint. Quamobrē quid principaliter ducat ad Deum manifestè poterimus agnoscere, si ruinæ ac deceptionis illorum causa diligentius à nobis fuerit indagata. Illis namque cùm exuberarent prædictarum opera virtutum discretio sola deficiens vsque ad finem ea durare non siuit. Nec enim alia lapsus eorum causa deprehenditur, nisi quòd minus à senioribus instituti, nequaquā potuerunt rationē discretionis adipisci, quæ prætermittens vtramq; nimietatem, via regia docet monachum semper incedere, & nec dextera virtutum permittit extolli, id est, feruoris excessu continentiæ iustæ modum inepta præsumptione transcendere, nec oblectatum remissione deflectere ad vitia sinistra concedit, hoc est, sub prætextu gubernandi corporis contrario spiritus tepore lentescere. Hæc namque est discretio quæ oculus & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, secūdum illam sententiam Saluatoris, Lucerna corporis tui est oculus tuus: quòd si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: eo quòd * ipsas cogitationes hominis vniuersas actusque discernens, cuncta quæ gerenda sunt peruideat atque perlustret: Quæ si in homine nequam fuerit, id est, nō vero iudicio & scientia communita, seu quolibet errore ac præsumptione decepta, totum corpus nostrum faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis actusque nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum & perturbationum tenebris inuolutos. Si enim, inquit, lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt? Nulli namque dubium est, errante iudicio cordis nostri & ignorationis nocte possesso, cogitationes quoque & opera nostra quæ ex discretionis deliberatione descēdunt, maioribus peccatorū tenebris implicari.

Matth. 6.

*ipse vel ipsa

De errore Saulis & Achab, quo per discretionis imperitiam sunt decepti.

CAPVT III.

DEnique ille qui primus iudicio Dei regnum populi Israëlis emeruit, quia hunc discretionis oculum nequaquā habuit, velut toto corpore tenebrosus effectus, etiam ipse deiectus est regno: dum lucernæ huius tenebris atque errore deceptus, acceptabiliora Deo sacrificia sua, quàm erga præceptū Samuelis obedientiam credidit iudicanda; atque ex illa magis

1. Reg. 15.

parte causam offensionis incurrit, ex qua repropitiandam sibi diuinam sperauerat maiestatem. Huius, inquam, discretionis ignoratio Achab regem Israël post illum sublimissimæ victoriæ triumphum, qui ei fuerat Dei fauore concessus, credere compulit meliorem esse misericordiam suam, quàm diuini executionem seuerissimam præcepti, & quemadmodum ipsi videbatur crudelis imperij. Qua cõsideratione mollitus dum mauult cruentam victoriam clementia temperare, ob indiscretam misericordiam velut toto corpore redditus tenebrosus irreuocabili morte damnatur.

3. Reg. 20.

Damnat indiscretam misericordiam.

Quæ de bono discretionis in scripturis sanctis referantur.

CAPVT IIII.

HAec est discretio, quæ non solùm lucerna corporis, sed etiam sol ab Apostolo nuncupatur, secundum illud, Sol non occidat super iracundiam vestram. Hæc vitæ nostræ gubernatio dicitur secundum illud: Quibus non est gubernatio, cadunt vt folia. Hæc consilium rectissimè nominatur, sine quo nihil agere omnino, Scripturæ auctoritate permittimur, ita vt ne ipsum quidem spiritale vinum, quod lætificat cor hominis, sine ipsius sinamur moderatione percipere, secundũ illud: Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe. Et iterum: Sicut ciuitas muris diruta & non circumdata, sic est vir qui non cum consilio aliquid agit. Cuius priuatio quàm perniciosa sit monacho, testimonij huius exemplum ac figura declarat, dirutæ eum ac sine muris comparans ciuitati. In hac sapientia, in hac intellectus sensusque consistit, sine quibus nec interior nostra ædificari domus, nec spiritales poterunt diuitiæ congregari, secundum illud: Cum sapientia ędificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur, cum sensu implentur cellaria omnibus diuitiis pretiosis & bonis. Hæc, inquam, est solidus cibus, qui nisi à perfectis tantùm ac robustis sumi non poterit, secundum illud, Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Quæ in tantum vtilis nobis ac necessaria comprobatur, vt etiam verbo Dei eiusque virtutibus coaptetur, secundum illud: Viuus est enim Dei sermo & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Quibus manifestissimè declaratur, nullam sine discretionis gratia perfectè posse vel perfici, vel stare virtutem. Et ita tam beati Antonij quàm vniuersorum sententia defini-

Ephes. 4.

Psal. 103.

Heb. 5.

Heb. 4.

definitum eſt, diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictaſque virtutes iugiter conſeruet illæſas, cum qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione conſcendi, & ſine qua multi etiam propenſius laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, cuſtos, moderatrixque diſcretio eſt.

De morte Heronis ſenis. CAP. V.

ET vt hanc eandem definitionem antiquitùs à ſancto Antonio & cæteris patribus promulgatam, recens quoque, ſicut promiſimus, confirmet exemplum: recolite id quod nuper geſtum oculorum veſtrorum vidiſtis obtutibus, ſenem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illuſione diabolica à ſummis ad ima deiectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, ſingulari diſtrictione rigorem continentiæ tenuiſſe meminimus, & ſolitudinis ſecreta vltra omnes hic commorantes miro feruore ſectatum. Hic igitur, quo pacto, quáve ratione poſt tantos labores ab inſidiatore deluſus, grauiſſimo corruens lapſu, cunctos in hac eremo conſtitutos, luctuoſo dolore perculit? Nónne quia minus diſcretionis virtute poſſeſſa, ſuis definitionibus regi, quàm conſiliis vel collationibus fratrum, atque inſtitutis maiorum, maluit obedire? Siquidem tanto rigore immutabilem ieiunij continentiam ſemper exercuit, & ſolitudinis cellæque ita iugiter ſecreta ſectatus eſt, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuij, nec veneratio quidem diei Paſchalis aliquando potuerit obtinere. In qua fratribus cunctis pro anniuerſaria ſollemnitate in eccleſia retentatis, ſolus non potuit aggregari, ne quantulumcumque perceptione leguminis parui à ſuo videretur propoſito relaxaſſe. Qua præſumptione deceptus, angelum ſatanæ velut angelum lucis cum ſumma veneratione ſuſcipiens, eiuſque præceptis prono obediens famulatu, ſemetipſum in puteum, cuius profunditatem oculorum non attingit intuitus, præcipitem dedit, de angeli videlicet ſui ſponſione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum ſuorum nequaquam poſſe firmauerat vlli iam diſcrimini ſubiacere. Cuius rei fidem, vt experimento ſuæ ſoſpitatis euidentiſſimè comprobaret, ſupradicto ſe puteo nocte intempeſta illuſus iniecit, magnum ſcilicet virtutis ſuæ meritum probaturus, cùm inde exiſſet illæſus. De quo, ingenti fratrum labore cùm penè iam exanguis fuiſſet extractus, vitam die tertia finiturus, quod his deterius eſt, ita in deceptionis ſuæ obſtinatione permāſit, vt ei ne experimēto

Mirum exemplum.

quidem mortis suæ potuerit persuaderi, quòd fuisset dæmonũ calliditate delusus. Quamobrem pro meritis laborum tantorum & annorum numerositate qua in eremo perdurauit, hac miseratione & humilitate summa, ab his qui eius compatiebantur exitio, vix à presbytero Abbate Pafnutio potuit obtineri, vt non inter biothanatos reputatus, etiam memoria & oblatione pausantium iudicaretur indignus.

Oblationes pro defunctis fieri solitæ.

De ruina duorum fratrum, ob discretionis imperitiam.

CAPVT VI.

Aliud exemplum.

QVid dicam de illis duobus fratribus, qui habitantes vltra illam eremum Thebaidos, vbi quondam fuerat beatus Antonius cõmoratus, minus cauta discretione permoti, euntes per extentam solitudinis vastitatem, nullam escam penitùs sumere decreuerunt, nisi quam per semetipsum Dominus illis præstitisset. Cumque errantes eos per deserta & deficientes iam fame conspexissent, à longè * Mazices quidam (quæ gens cunctis penè nationibus feris immanior atque crudelior est, non enim eos ad effusionem sanguinis, vt nonnullas gentes, desiderium prædę, sed sola ferocitas mentis instigat) eisq; contra naturam feritatis suæ cum panibus occurrissent, vnus ex eis subueniente discretione velut à Domino sibi porrectos, cum gaudio & gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi diuinitùs ministrari, nec sine Deo factum, vt hi qui semper hominum cruore gauderent, deficientibus iam ac tabescentibus, vitæ substantiam largirentur: alius verò recusans cibum, velut ab homine sibi oblatum, inediæ defectione consumptus est. Quorum licet initia ex reprehensibili persuasione descenderint, vnus tamen subueniente discretione, id quod temerè incautéque conceperat, emendasse agnoscitur: alius autem in stulta præsumptione perdurans, ac penitùs discretionis ignarus, mortem quam Dominus auertere voluit, sibiipsi consciuit, nequaquam credens diuino instinctu factum, quòd immites barbari propriæ feritatis obliti, panes eis pro gladiis obtulissent.

**Matzites vel Marzites*

De alterius illusione, quam per imperitiam discretionis incurrit.

CAPVT VII.

Rursus aliud lepidum exemplum.

QVid etiam de illo commemorem (cuius nominis quia adhuc superest, nolumus facere mentionem) qui dum longo tempore dæmonem in angeli suscepit claritate, reuelationibus eius innumeris sæpè deceptus, credidit internũcium esse iustitiæ? Nam exceptis his, etiam per omnes noctes in cella eius lumen absque vllius lucernæ præbebat officio. Ad extremum iubetur ab ipso, vt Deo filium suum, qui cum eo

pariter

pariter in monasterio commanebat, offerret: vt hoc scilicet sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis in nullo inueniretur inferior. Cuius intantum est persuasione seductus, vt hoc confestim parricidium opere perfecisset, nisi eum vidēs puer cultrū extra consuetudinem acuendo præparare, & vincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringere disponebat, inquirere, præsagio sceleris futuri perterritus, aufugisset.

De lapsu & deceptione monachi Mesopotameni.

CAP. VIII.

Longum est deceptionem illius quoque monachi Mesopotameni narrando percurrere, qui in illa prouincia perpaucis imitabilem exhibens continentiam, quam per annos multos singulariter in cella retrusus exegerat, ita est ad extremum diabolicis reuelationibus somniisque delusus, vt post tantos labores atq; virtutes, quibus omnes monachos ibidem residentes excesserat, ad Iudaismum & * concisionem carnis lapsu miserabili fuerit deuolutus. Nam cùm volens eum consuetudine visionum ad credulitatem futuræ deceptionis illicere, verissima quæque multo tempore diabolus velut veritatis nuncius reuelasset, ad extremum ostendit Christianum populum vnà cum principibus religionis ac fidei nostræ, Apostolis scilicet atq; martyribus, tenebrosum ac tetrum, omniq; macie tabidum atque deformem; & contrà Iudæorum populum vnà cum Moyse, patriarchis atque prophetis summa tripudiantem lætitia, & splēdidissimo lumine coruscantem, suadens, si mallet meriti ac beatitudinis illorum particeps fieri, circumcisionem quoque suscipere festinaret. Horum itaque profectò tam lugubriter nemo fuisset illusus, si rationem discretionis huius assequi laborasset. Quamobrem inquantum perniciosum sit discretionis gratiam non habere, multorum casus & experimenta declarant.

Aliud præterea exemplum.

* circumcisionem

Interrogatio de acquirenda vera discretione.

CAP. IX.

Ad hæc Germanus: Et nouellis exēplis & definitionibus antiquorum satis abūdè perpatuit discretionem fontem quodammodo atq; radicem cunctarum esse virtutum. Quomodo ergo acquiri debeat, cupimus nobis exponi, aut quēadmodum vtrum vera & ex Deo, an falsa & diabolica sit, possit agnosci, vt secundum illam euangelicam, quam superiore tractatu disseruisti, parabolam, qua iubemur fieri probabiles trapezitæ, numismati impressam veri regis imaginem peruidētes, deprehendere valeamus, quod non sit in moneta legitima fi-

Coll. 1. cap. 20.

 ma fi-

ma figuratum, atque illud, ſicut vulgari vſus verbo heſterna collatione dixiſti, tamquam paracaraximum reprobemus, illa inſtructi peritia quam ſatis copioſè & integrè proſecutus habere ſpiritalem atque euangelicum trapezitam debere ſignaſti. Quid enim proderit virtutis eius & gratiæ merita cognouiſſe, ſi quemadmodum debeamus expetere eam, vel acquirere, neſciamus?

Reſponſio, quemadmodum poßideatur vera diſcretio.

CAP. X.

TVm Moyſes: Vera, inquit, diſcretio nō niſi vera humilitate acquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa nō ſolùm quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur ſeniorū reſeruentur examini, vt nihil quis ſuo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquieſcat, & quid bonum vel malum debeat iudicare eorum traditione cognoſcat. Quæ inſtitutio non ſolùm per veram diſcretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verumetiam cunctis fraudibus & inſidiis inimici ſeruabit illæſum. Nullatenus enim decipi poterit, quiſque ſi non ſuo iudicio, ſed maiorum viuit exemplo: nec valebit ignorationi eius callidus hoſtis illudere, qui vniuerſas cogitationes in corde naſcentes pernicioſa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine ſeniorum vel reprobat vel admittit. Ilico namque, vt patefacta fuerit, cogitatio maligna marceſcit; & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis protractus ad lucem & traductus quodammodo ac dehoneſtatus abſcedit. Tamdiu enim ſuggeſtiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Et vt virtutem ſententiæ huius efficacius colligatis: referam vobis Abbatis Serapionis factum, quod ille iunioribus inſtructionis gratia frequenter proponebat.

Seniorum examini atque iudicio vniuerſæ cogitationes animi ſubiiciendæ ſunt.

Verba Abbatis Serapionis, & de marcore patefactarum cogitationum, & de periculo propriæ confidentiæ. CAP. XI.

CVm adhuc eſſem puerulus, inquit, & cum Abbate Theone commanerem, hæc mihi fuerat inimici impugnatione conſuetudo ingeſta, vt poſtquam refeciſſem hora nona cum ſene, vnum paximacium quotidiè in ſinu meo latenter abſconderem, quod ſero illo ignorante occultè edebam. Quod furtum licet conuenientia voluptatis & inoliti ſemel deſiderij incontinentia ſine ceſſatione committerem, expleta tamen concupiſcentia fraudulenta, ad memetipſum reuertens ſuper

Non licet monacho ſine furti nomine aliquid clanculum de menſa accipere extra præſcriptum tempus comedendum.

admiſſo

admiſſo furti crimine, grauius cruciabar, quàm ſuper eſu eius fueram iucundatus. Cumque illud moleſtiſſimum opus velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum ſingulis diebus explere non ſine dolore cordis mei compelleret, nec tamen eruere me poſſem ab hac eorum ſæuiſſima tyrannide, & clandeſtinum furtum ſeni manifeſtare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam ſenis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione tranſacta, collatio ſpiritalis cœpiſſet agitari, reſpondenſque ſenex propoſitis interrogationibus eorum, de gaſtrimargiæ vitio & occultarum cogitationum dominatione diſſereret, earumque naturam & atrociſſimam vim quam haberent, donec celarentur exponeret, compunctus ego collationis huius virtute, & conſcientia redarguente perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuiſſe prolata, quòd ſeni Dominus ſecreta mei pectoris reuelaſſet, in occultos primum gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione creſcente, in apertos ſingultus lacrymaſque prorumpens, paximacium quod conſuetudine vitioſa clanculè ſubtraxeram comedendum, de ſinu furti mei conſcio ac ſuſceptore produxi, ipſumque in medium proferens, quemadmodum quotidiè latenter ederem, proſtratus in terram cum veniæ poſtulatione confeſſus ſum, & vbertim profuſis lacrymis, vt abſolutionem duriſſimæ captiuitatis à Domino depoſcerent imploraui.

Inſigne pœnitentiæ exemplum.

Tunc ſenex: Confide, ait, ô puer, abſoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente confeſſio tua. Victorem namque aduerſarium tuum hodie triumphaſti, validius eum tua confeſſione elidens, quàm ipſe fueras ab eo tua taciturnitate deiectus: quem vtique nequaquam vel tua vel alterius * reſponſione confutans, in te nunc vſque permiſeras dominari, ſecundum illam Salomonis ſententiam, quia non fit contradictio ab his qui faciunt malum citò, ideò repletum eſt cor filiorum hominum in ipſis, vt faciant mala. Et idcirco iam te poſt hanc publicationem * ſuam nequiſſimus ſpiritus iſte inquietare non poterit, nec in te latibulum ſibi teterrimus ſerpens deinceps vſurpabit, de tenebris tui cordis confeſſione ſalutari protractus ad lucem. Nec dum ſenex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accenſa de meo ſinu procedens, ita cellam repleuit odore ſulfureo, vt vehemẽtia fœtoris ipſius vix in ea reſidere nos permitteret. Reſumenſque ſenex admonitioné, Ecce, inquit, Dominus tibi veritatem ſermonũ meorũ viſibiliter approbauit, vt paſſionis incẽtorem de corde tuo cõfeſſione ſalubri fugatũ, oculis peruideres, patefactumq́;

* reprehenſione

Fructus confeſſionis peccati.

* tuam

 hoſtem

hoſtem nequaquam locum in te vlterius habiturum, aperta eius expulſione cognoſceres. Itaq; ſecundum ſententiam ſenis, ita eſt, inquit, in me confeſſionis huius virtute dominatio diabolicæ illius tyrannidis extincta atque in perpetuum conſopita, vt numquam mihi ne memoriam quidem concupiſcẽtię huius vlterius tẽtauerit inimicus ingerere, nec me poſt hęc aliquando pulſatũ furtiui illius deſiderij inſtigatione perſenſerim. Quẽ ſenſum in Eccleſiaſte quoq; pulcherrimè legimus figuratũ: Si momorderit, inquit, ſerpens non in ſibilo non eſt abundantia incantatori, taciti ſerpentis morſum pernicioſum eſſe deſignans, id eſt, ſi per confeſſionẽ ſuggeſtio ſeu cogitatio diabolica incantatori cuiquã, ſpiritali ſcilicet viro, qui carminibus ſcripturarum mederi protinus vulneri & extrahere de corde conſueuit noxia venena ſerpentis, patefacta nõ fuerint, ſuccurrere periclitanti perituróve nõ poterit. Hoc igitur modo ad ſcientiam diſcretionis veræ peruenire facillimè poterimus, vt ſeniorum veſtigia ſubſequentes, neq; agere quicquam noui, neq; diſcernere noſtro iudicio præſumamus, ſed quemadmodum nos vel traditio illorum, vel vitę probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua inſtitutione firmatus, non modò ad perfectam diſcretionis rationem quiſque perueniet, verum etiam à cũctis inſidiis inimici tutiſſimus permanebit. Nullo namq; alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis cõſiliis ſeniorum in ſuo iudicio perſuaſerit ac definitione doctrinàve confidere. Etenim cùm omnes artes ac diſciplinæ humano ingenio repertæ, & quę nihil amplius quàm vitæ huius temporariæ commodis proſunt, licet manu palpari queãt, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeant comprehendi, quàm ineptum eſt credere hanc ſolam non egere doctore quę & inuiſibilis & occulta eſt, & quæ non niſi corde puriſſimo peruidetur, cuius error non temporale damnũ, nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit, mortemque perpetuam. Habet enim nõ aduerſus viſibiles, ſed inuiſibiles atque immites hoſtes diurnum nocturnumque conflictum, nec contra vnum ſeu duos, ſed contra innumerabiles cateruas ſpiritale certamen, cuius caſus tanto pernicioſior cunctis, quanto & infeſtior inimicus, & congreſſus occultior. Et ideò ſemper ſeniorum ſumma diligentia ſunt ſectanda veſtigia, atque ad eos cuncta quæ in noſtris cordibus oriuntur ſublato cõfuſionis velamine deferẽda.

Eccl. 10.

Confeßio peccatorum neceſſaria eſt.

Nihil periculoſius eſt quàm propriis niti conſiliis.

Confeſ-

Confeßio verecundiæ ob quam confunderemur cogitationes nostras senioribus reuelare. CAP. XII.

GErmanus: Occaſionem nobis pernicioſæ verecundiæ, qua cogitationes malas ſtudeamus obtegere, ac ſalutari eas patefacere confeſſione vereamur, illa præcipuè creat cauſa, qua nouimus quendam in Syriæ partibus, vt credebatur præcipuum ſeniorum cuidam fratri cogitationes ſuas ſimplici confeſſione prodenti, poſtmodum quadam indignatione commotum eaſdem grauiter exprobraſſe. Vnde fit, vt dum eas in nobis premimus ac ſenioribus erubeſcimus publicare, curationum remedia conſequi nequeamus.

Reſponſio de confuſione calcanda & periculo non condolentis.

CAPVT XIII.

MOyſes: Sicut non ſunt omnes iuuenes pari modo vel feruentes ſpiritu, vel diſciplinis ac moribus optimis inſtituti, ita ne ſenes quidem cuncti vno modo vel perfecti poſſunt vel probatiſſimi repperiri. Diuitiæ enim ſenum non ſunt canitie capitis, ſed induſtria iuuentutis ac præteritorum laborum ſtipendiis metiendæ. Quæ enim non congregaſti, inquit, in iuuentute, quomodo inuenies in ſenectute tua? Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neq; numero annorum computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Et idcirco non omnium ſeniorum quorum capita canities tegit, quoſque vitæ longæuitas ſola commendat, nobis ſunt imitanda veſtigia vel ſectanda, ſeu traditiones ac monita ſuſcipienda; ſed eorum quos laudabiliter vitam ſuam ac probatiſſimè comperimus in iuuentute ſignaſſe, nec præſumptionibus propriis, ſed maiorum traditionibus inſtitutos. Sunt enim nonnulli quorum etiam quod eſt lugubrius maior eſt multitudo, qui in tepore ſuo quem ab adoleſcentia ſua conceperunt, atque ignauia ſeneſcentes auctoritatem ſibi non maturitate morum, ſed annorum numeroſitate conquirunt. De quibus exprobratio illa Domini propriè ſatis dirigitur per Prophetam, Et comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit, ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. Hos inquam in exemplum iunioribus, non vitæ probitas, nec vlla propoſiti huius laudabilis atque imitanda diſtrictio, ſed annoſitas ſola prouexit. Quorum canitiē callidiſſimus inimicus, ad deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos qui ad viam perfectionis, vel ſuis vel aliorum potuerunt monitis incitari, ſubuertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta ſubtilitate feſtinat, vel in teporem eos ſcilicet noxiū, vel in lethalem deſperationem

Senectus non ab annis, ſed à vitæ probitate & longa experientia cōmendatur.

Eccl.25.

Sapient.4.

Quos ſenes imitari & audire oporteat.

Oſeæ 7.

eorum doctrinis institutisque perducens. Cuius rei volens proferre vobis exempla, auctoris nomine prætermisso (ne nos quoque illius qui patefacta sibi fratris vitia publicauit, simile aliquid admittamus) rem tantum gestam quæ instructionem necessariam vobis conferre possit, paucis exponam. Cùm igitur ad senem quendam nobis optimè cognitum quidam non ignauissimorum iuuenum profectus fui & curationis gratia perrexisset, & carnalibus incentiuis ac fornicationis spiritu semetipsum inquietari simpliciter prodidisset, consolationem credens laboribus suis oratione senis & remedia inflictis vulneribus reperturum, ille amarissimis eum verbis increpans, miserabilem & indignum, nec monachi nomine censendum esse pronuncians, qui potuerit huiusmodi vitio & concupiscentia titillari, ita suis econtrariò correptionibus vulnerauit, vt eum summa desperatione deiectum mæstumque admodum ac lethali tristitia consternatum è sua dimitteret cella. Cumque ei in tali mærore depresso, nec iam de remedio passionis, sed de expletione conceptæ concupiscentiæ profunda cogitatione tractanti, Abbas Apollo seniorum probatissimus occurrisset, laboremque & oppugnationis vehementiam quæ in corde eius tacitè voluebatur de contemplatione vultus, & deiectione coniectans, causam tantæ perturbationis inquireret, atque ille molliter se compellanti seni, ne responsum quidem vllum posset referre, magis ac magis eum sentiens senex non inaniter causam tantæ tristitiæ silentio velle contegere, quam ne vultu quidem dissimulare quiuisset, intentius ab eo causas occulti doloris cœpit inquirere. Quibus ille constrictus, pergere se ad vicum confitetur, vt quia secundum sententiam illius senis monachus esse non posset, nec refrenare stimulos carnis & impugnationis remedia consequi iam valeret, vxorem duceret, ac relicto monasterio reuerteretur ad seculum. Quem senex Apollo blanda consolatione demulcēs, seseque asserens iisdem quotidiè incentiuorum stimulis atq; æstibus agitari, & idcirco non debere eum prorsus desperatione concidere, nec mirari super impugnationis ardore, qui non tam laboris studio quàm misericordia Domini & gratia vinceretur: vnius tantùm diei, ab eodem poposcit indutias, & vt reuerteretur ad suam cellulam deprecatus, ad monasterium prædicti senis tota festinatione perrexit. Cumque eidem proximasset, expansis manibus orationem cum lacrymis fundens: Conuerte, ait, Domine, qui occultarum virium & infirmitatis humanæ solus arbiter, pius ac secretus es medicus, impugnationem illius iuuenis in senem istum, vt condescen-

Gratia Dei superantur praua libidines.

descen-

descendere infirmitatibus laborantium & compati fragilitati iuniorum vel in senectute doceatur. Cumque ille hanc precem cum gemitu conclusisset, cernit Aethiopem tetrum contra illius cellulam stantem, atque aduersus eum ignita iacula dirigentem. Quibus cùm fuisset ille protinus sauciatus, & progressus è cella, huc illucque velut amens & ebrius cursitaret, atque egrediens & ingrediens, iam continere se in ea non posset, eadem via concitus pergere cœpit, qua iuuenis ille discesserat. Quem Abbas Apollo velut amentem factum quibusdam furiis agitari conspiciens, intellexit ignitum diaboli telum, quod viderat ab illo directum, in eius corde fuisse defixum, illamque in eo confusionem mentis ac perturbationem sensuum intolerandis æstibus operari: accedensque ad eum, Quò, inquit, properas, aut quænam te causæ senilis illius grauitatis oblitum, ita pueriliter inquietant, ac mobiliter cursitare compellunt? Cumque ille pro conscientiæ suæ reatu ac turpi exagitatione confusus, crederet ardorem sui pectoris deprehensum, ac retectis seni sui cordis arcanis, nullam responsionem percunctanti reddere prorsus auderet: Reuertere, inquit, ad cellam, tandemque te intellige vel ignoratum hactenus à diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidiè confligere & colluctari profectibus eorum ac studiis instigatur, qui vnum eius in te directum iaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione triuisti, non dicam respuere, sed ne sufferre quidem vel vno die quiuisti: quo te sauciari Dominus idcirco passus est, vt saltem in senecta disceres compati infirmitatibus alienis, & fragilitati condescendere iuniorum tuis exemplis atque experientia docereris: qui suscipiens iuuenem infestatione diabolica laborantem, non modò nulla consolatione fouisti, sed etiam perniciosa desperatione deiectum, inimici manibus tradidisti, quantum in te est, ab eodem lugubriter deuorandum, quem sine dubio nequaquam tam vehementi conflictu fuisset aggressus, quo te nunc vsque est appetere dedignatus, nisi futuro profectui eius inuidens inimicus illam virtutem quam animis eius inesse cernebat, anticipare ac peruertere suis ignitis iaculis festinasset: proculdubiò intelligens fortiorem cui tanta vehementia confligere operæpretium iudicauit. Disce itaque tuis exemplis, laborantibus compati, & periclitantes nequaquam perniciosa desperatione terrere, nec durissimis sermonibus asperare, sed potius leni blandaque consolatione reficere, & secundum præceptum sapien-

Infirmioribus condolere oportet, eósque in spiritu lenitatis instruere.

Prouerb. 24. ſapientiſſimi Salomonis eruere eos qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur ne parcas: noſtrique Saluatoris exemplo arundinem quaſſatam non conterere, & linum fumigans non extinguere, illamque à Domino gratiam postulare, qua ipſe quoque fiducialiter valeas opere ac veritate cantare, Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo. Nullus enim poſſet inſidias inimici ſufferre ſeu carnales æſtus naturali quodammodo igne flagrantes vel extinguere vel reprimere, niſi gratia Dei vel iuuaret fragilitatem noſtram, vel protegeret ac muniret. Et idcirco ſalutaris huius diſpēſationis ratione finita, quà vel illum iuuenem pernicioſis æſtibus Dominus liberare, vel de impugnationis vehementia & compatiendi affectu te voluit erudire, communibus eum precibus imploremus, quo flagellum iſtud quod vtilitatis gratià tibi Dominus inferre dignatus eſt, iubeat amoueri (ipſe enim dolere facit & rurſum medetur, percutit & manus eius ſanant; ipſe humiliat & exaltat, ipſe occidit & viuificat, deducit ad infernum & reducit) & ignita diaboli iacula quæ me arbitro tibi permiſit infligi, donante ſpiritus ſui rore reſtinguat. Quam tentationem licet eadem celeritate qua inferri eam Dominus paſſus eſt, ad vnam ſenis orationem rurſus abſtulerit, euidenti tamen experimento docuit, non modò non exprobrari patefacta cuiuſq; vitia debere, ſed ne leuiter quidem laborantis dolorem debere cōtemni. Et idcirco nequaquam *nos vnius ſenis ſiue paucorum vel imperitia vel leuitas ab illa ſalutari quam prædiximus via, & traditione maiorum deterreat & excludat, quorum canitie ad deceptionem iuniorum callidiſſimus abutitur inimicus; ſed abſque vllo confuſionis operimento omnia debent ſenioribus reuelari, atque ab eis vel remedia vulnerum vel exempla conuerſationis ac vitæ fiducialiter ſumi: in quibus parem opem & ſimilem experiemur effectum, ſi nihil penitus affectare noſtro iudicio ac præſumptione tentemus.

[Margin notes: Iſaiæ 42. — Iſaiæ 50. — Diuinæ gratiæ neceſſitas. — Iob 5. — 1. Reg. 2. — *vos]

De vocatione Samuelis. CAP. XIIII.

DEnique in tantum placita Deo hæc ſententia comprobatur, vt etiam in ſcripturis ſanctis hanc eandem inſtitutionem non otioſè reperiamus inſertam, ita vt puerum Samuelem iudicio * prælatum ſuo nollet per ſemetipſum diuini colloquij diſciplina Dominus erudire, ſed recurrere ſemel & iterum pateretur ad ſenem, eumque quem ad ſuum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo ſenioris doctrina vellet inſtitui, & quem ſua vocatione digniſſimum iudicarat, ſenioris mallet inſtitutione formari, vt ſcilicet

[Margin notes: *prælectū iudicio ſuo — 1. Reg. 3.]

ſcilicet & illius qui ad diuinum miniſterium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma ſubiectionis huius proponeretur exemplo.

De vocatione Pauli Apoſtoli. CAP. XV.

PAulum quoq; per ſemetipſum vocans & alloquens Chriſtus, cùm poſſet ei perfectionis viam reſerare confeſtim, dirigere ad Ananiam mauult, & ab eo iubet viam veritatis agnoſcere, dicens: Surge & ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur quid te oporteat facere. Mittit itaque & hunc ad ſeniorem, eumque illius potius doctrina quàm ſua cenſet inſtitui, ne ſcilicet quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſq; ſibimet perſuaderet, ſimili modo ſe quoque debere Dei ſolius magiſterio atque doctrina potius quàm ſeniorum inſtitutione formari. Quam præſumptionem omnimodis deteſtandam etiam ipſe Apoſtolus, non ſolùm litteris, ſed etiam opere atque exemplo docet, ob hoc ſolummodo ſe aſſerens Ieroſolymam conſcendiſſe, vt euangelium quod comitante gratia ſpiritus ſancti cum poteſtate ſignorum & prodigiorum gentibus prædicabat, cum ſuis coapoſtolis & anteceſſoribus priuata quodammodo ac domeſtica examinatione conferret: Et contuli, inquiens, cum illis euangelium quod prædico inter gentes, ne fortè in vacuum currerem aut cucurriſſem. Quis ergo tam præſumptor & cæcus ſit qui ſe audeat ſuo iudicio ac diſcretioni committere, cùm vas electionis indiguiſſe coapoſtolorum ſuorum ſe collatione teſtetur? Vnde manifeſtiſſimè comprobatur, nulli à Domino viam perfectionis oſtendi qui habens vnde valeat erudiri, doctrinam ſeniorum, vel inſtituta contempſerit, paruipendens illud eloquium quod oportet diligentiſſimè cuſtodiri: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi.

Actor. 9.

Sic noſtri temporu impij ſectarij ſpiritu ſancto ſe imbutos atque ab illo edoctos iactant.

Galat. 2.

Deuteron. 32.

De appetenda diſcretione. CAP. XVI.

OMni igitur conatu debet diſcretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæſos ab vtraque poteſt nimietate ſeruare. Vetus nàque ſententia eſt, ἀκρότητες ἰσότητες, id eſt, nimietates æqualitates ſunt. Ad vnum enim finem nimietas ieiunij & voracitas peruenit, eodemque diſpendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo ſomni grauiſſimi torpor inuoluit. Nam per exceſſum continentiæ debilitatum quemque ad illum ſtatum reuocari neceſſe eſt in quo negligens quiſque per incuriam detinetur, ita vt frequenter quos per gaſtrimargiam decipi non potuiſſe conſpeximus, per im-

Modus in re qualibet optimus.

per immoderationem ieiuniorum viderimus fuisse deiectos, atque ad eandem quam vicerant passionem infirmitatis occasione collapsos. Vigiliæ quoque & pernoctationes irrationabiles deiecerunt, quos somnus superare non potuit. Quapropter secundum Apostolum per arma iustitiæ quæ à dextris sunt & à sinistris recto moderamine transeundum est, & ita inter vtrasque nimietates discretione moderante gradiendum est, vt nec à tradito continentiæ tramite acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxia in gulæ ventrisque desideria concidamus.

2. Corinth. 6.

De immoderatis ieiuniis & vigiliis.

CAP. XVII.

ETenim memini me frequenter ita appetitum cibi penitùs respuisse, vt duobus diebus ac tribus refectione dilata, ne memoria quidem vllius edulij meam interpellauerit mentem: & rursus ab oculis meis ita somnum diaboli impugnatione subtractum, vt plures noctes ac dies paululum quid somni meis oculis à Domino precarer infundi, grauiusque me periclitatum somni cibique fastidio quàm soporis & gastrimargiæ colluctatione persensi. Itaque sicut festinandum nobis est ne appetitu corporeæ voluptatis in dissolutionem noxiam dilabamur, & ante præstitutum tempus vel cibo indulgere, vel modum eius præsumamus excedere, ita est escæ somnique refectio hora legitima etiam si horreat ingerenda. Vtrumque enim bellum aduersarij factione consurgit, & perniciosius continentia immoderata quàm saturitas remissa supplantat. Ab hac namque ad mensuram districtionis intercedente compunctione salutari conscendi potest, ab illa non potest.

Somni & refectionis hora neque anteuertenda neque prætereunda est.

Interrogatio de continentiæ vel refectionis mensura.

CAPVT XVIII.

GErmanus: Quis igitur est continentiæ modus quē æquo moderamine retinentes inter vtramque nimietatem illæsi transire possimus?

De optimo cibi quotidiani modo.

CAP. XIX.

MOyses: Super hac re inter maiores nostros frequenter nouimus habitum fuisse tractatum. Nam discutientes continentias diuersorum qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cuius æquissimum modum in duobus paximaciis statuerunt, quos paruulos panes vix libræ vnius pondus habere certissimum est.

Veterum abstinentia.

Obiectio de facilitate continentiæ quæ duobus paximaciis ſuſtinetur.

CAPVT XX.

GErmanus: Quod nos gratanter amplexi, reſpondimus hunc modum nos minimè pro continentia reputare, quippe qui integrum eum nequaquam poſſemus inſumere.

Reſponſio quomodo prædicta continentiæ lex ſeruari debeat.

CAPVT XXI.

MOyſes: Si vultis experiri vim ſtatuti huius, modum iſtum iugiter retinete: nullum extrinſecus coctionis pulmentum die Dominico vel ſabbathi, neque ſub aliqua aduenientium fratrum occaſione ſumentes: nam his refecta caro non ſolùm minore quantitate diebus reſiduis poterit ſuſtentari, verumetiam totam refectionem ſine labore differre, illorum ſcilicet ciborum quos extrinſecus ſumpſerit adiectione ſuffulta. Quod nullo modo facere nec refectionem panis differre in diem poſterum præualebit, quiſquis fuerit ſemper prædictæ menſuræ quantitate contentus. Etenim memini ſeniores noſtros (quod nos quoque retineo frequenter fuiſſe perpeſſos) cum tanto labore ac difficultate hanc parcimoniam ſuſtentaſſe, tantaque vi atque inedia prædictam cuſtodiſſe menſuram, vt inuiti quodammodo, nec ſine gemitu atq; triſtitia hunc finem ſibi refectionis imponerent.

Quinam generalis continentiæ ac refectionis modus ſit.

CAPVT XXII.

GEneralis tamen hic continentiæ modus eſt, vt ſecundum capacitatem virium vel corporis vel ætatis tantum ſibimet cibi vnuſquiſque concedat, quantum ſuſtentatio carnis, non quantum deſiderium ſaturitatis, expoſcit. In vtraque enim parte ſuſtinebit maximum detrimentum, quiſquis inæqualitatem tenens nunc ventrem ieiuniorum ariditate conſtringit, nunc eſcarum nimietate diſtendit. Vt enim mens cibi inanitate laſſata perdit orationum vigorem, dum carnis laſſitudine nimia prægrauata* condormitare compellitur, ita rurſum nimietate voracitatis oppreſſa emittere ſuas preces ad Deum puras leueſque non poterit. Sed nec caſtimoniæ quidem ipſius puritatem indiſrupta valebit iugitate ſeruare, dum ei etiam diebus illis quibus carnem acriore videtur continentia caſtigare, præterita cibi materia, quamuis ad præſens defecto ſit corpore, ignem carnalis concupiſcentiæ ſubminiſtrat.

Saturitas in refectione non eſt quærenda, ſed corporis reparatio.

* dormitare

Quemad-

Quemadmodum abundantiæ humorum genitalium castigentur.

CAPVT XXIII.

NAm quod semel per escarum abundantiam concretum fuerit in medullis, necesse est egeri atque ab ipsa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cuiuslibet humoris superflui velut noxiam sibi atque contrariam in semetipsa residere non patitur. Ideoque rationabili semper & æquali est corpus nostrum parcimonia castigandum, vt si naturali hac necessitate commorantes in carne omnimodis carere non possumus, saltem rarius nos & non amplius quàm trina vice respersos ista colluuione totius anni cursus inueniat. Quod tamen sine vllo pruritu quietus egerat sopor, non fallax imago index occultæ voluptatis eliceat. Quamobrem hæc est temperata quam diximus continentia & qualitas atque mensura quæ patrum quoque iudicio comprobatur, vt quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, in vno eodemque statu animam pariter corpusque conseruans: nec ieiunij fatigatione concidere, nec grauari mentem saturitate permittens. Tanta namque frugalitate finitur, vt interdum se post vesperam nec sentiat aut meminerit refecisse.

De labore æqualis refectionis, & de fratris Beniamin edacitate.

CAPVT XXIIII.

Inepta ieiunandi ratio.

ET in tantum hoc non sine labore perficitur, vt malint hi qui perfectionem discretionis ignorant, etiam biduo protelare ieiunia, idque quod hodie sumpturi fuerant in crastinũ reseruare, dummodo ad refectionem peruenientes desiderata satietate potiantur. Quod nuper Beniamin ciuem vestrũ pertinaciter tenuisse cognoscitis, qui ne quotidiè paximacia duo percipiens æquali castigatione continuam parcitatem iugiter retentaret, maluit biduana ieiunia semper continuare, dummodo ad refectionem veniens duplicata mensura repleret ventris ingluuiem, id est, quatuor paximacia comedens desiderata saturitate gauderet, & expletionem ventris sui biduano ieiunio quodammodo compararet. Qui obstinatione & pertinacia mẽtis suæ definitionibus potius propriis quàm seniorum traditionibus acquiescẽs, quali fine suum propositum terminarit, proculdubio meministis. Siquidem relicta eremo, rursus ad inanem philosophiam mundi huius ac vanitatem seculi deuolutus, prædictam sententiam seniorum sui casus signet exemplo, ruinaque sua cunctos doceat, neminem suis definitionibus, vel proprio iudicio confidentem, perfectionis culmen aliquando posse conscendere, sed nec diaboli quidem perniciosas illusiones euadere.

Inter-

Interrogatio quomodo vna semper eademq́; mensura seruetur.

CAPVT XXV.

GErmanus: Quomodo igitur à nobis hic modus indiruptè valebit custodiri? Nam nonnunquã hora nona soluta iã statione ieiunij, superuenientibus fratribus necesse est eorum obtentu, aut adiici aliquid ad statutam solitamq́; mensuram, aut certè humanitatem quam iubemur omnibus exhibere, penitus *abdicari. *euitari.

Responsio de non excedendo refectionis modo.

CAPVT XXVI.

MOses: Vtraque vno modo ac sollicitudine pari conuenit obseruari. Nam & mensuram cibi causa continentiæ ac puritatis cum omni scrupulo custodire debemus, & humanitatem atque adorationem aduenientibus fratribus caritatis obtentu similiter exhibere, quia satis absurdũ est, vt fratri imo Christo mensam offerens non cum eo cibum pariter sumas, aut ab eius refectione te facias alienum. Itaque in neutra parte reprehensibiles inueniemur, si hæc à nobis consuetudo teneatur, vt hora nona de duobus paximaciis quę nobis canonica mensura iure debentur, vno paximacio prælibato, aliud huius expectationis gratia in vesperam reseruemus: quem, si superuenerit quispiam fratrum, cum ipso pariter insumamus, nihil consuetudini solitæ amplius adiungentes, & hac dispensatione nequaquam fratris nos contristabit aduentus, qui nobis debet esse gratissimus. Siquidem ita humanitatis exhibemus obsequia, vt nihil à rigore continentiæ relaxemus. Si verò nullus aduenerit, hunc quoque velut de canonico modo debitũ nobis liberè præsumemus: qua parcitate nec stomachus vespere poterit aggrauari; quippe hora nona vno paximacio iam præmisso: quod plerumq; his qui districtiorem abstinentiam se tenere credentes, totam refectionem ad vesperam differunt, euenire consueuit. Nam recens escæ perceptio tam in vespertinis quàm in nocturnis orationibus tenuẽ leuemque sensum nõ sinit inueniri. Ideoque commodum satis & vtile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens monachus non solum in nocturnis vigiliis leuis ac vacuus, verumetiam in ipsis vespertinis sollemnitatibus digesto iam cibo inuenitur aptissimus. Talibus nos beatus Moses geminæ institutionis epulis saginauit: non solum discretionis gratiam atque virtutem præsenti eruditione verborũ, sed etiam abrenunciãdi rationem, & destinationem, finemque propositi anteacta disputatione demonstrans: vt quod antè feruore tantum spiritus ac zelo

Hospitalitas fratribus exhibenda est.

Dei clausis quodammodo oculis sectabamur, luce clarius aperiret: faceretque sentire quantum à puritate cordis & discretionis linea fuissemus per id temporis euagati: quippe cùm etiam omnium visibilium in hoc seculo artium disciplina absque destinationis ratione subsistere, ac sine contemplatione certi finis attingi omnino non possit.

In re qualibet scopum & finem aliquem spectare oportet.

Finis secundæ Collationis.

COLLATIO III.

QVÆ EST ABBATIS PAFNVTII DE TRIBVS ABRENVNCIATIONIBVS.

CAPVT I.



IN illo choro sanctorum qui velut astra purissima in nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum Pafnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantem. Hic namque presbyter cōgregationis nostræ, id est, illius quæ in eremo Scythi morabatur, fuit, in qua ita vsque ad extremā durauit ætatem, vt nunquàm è cella quam iunior cœperat habitare, quæque ab ecclesia milibus quinque distabat, saltem ad viciniora migrauerit: nec fessus annis tāti itineris spatio, die sabbati vel Dominico venturus ad ecclesiam vexaretur, sed nec vacuus quidem reuerti exinde contentus, vas aquæ quam per totam erat hebdomadam sumpturus ceruicibus suis supponens reportabat ad cellam. Cūque nonagenariam excessisset ætatem, nunquàm passus est eam iuniorum sibi labore deferri. Hic itaque ab adolescentia sua cœnobiorum scholis tanto ardore se tradidit, vt in eis paruo tempore commoratus tam subiectionis bono quàm vniuersarum virtutum scientia pariter ditaretur. Humilitatis namque & obedientiæ disciplina, omnes suas mortificans voluntates, & per hanc extinctis vniuersis vitiis, cunctisque virtutibus consummatis quas monasteriorum instituta vel antiquissimorum patrum doctrina fundauit, sublimioris profectus ardore succensus, eremi festinauit secreta penetrare, vt Domino cui inter fratrum turbas positus sitiebat inseparabiliter inhærere, nullo deinceps humano consortio retrahente facilius vniretur. Vbi rursum tanto feruore etiam ipsorum anachoretarum virtutes superans, deside-

Pafnutii Abbatis encomiū.

desiderio & intentione iugis ac diuinæ illius theoriæ, cunctorũ deuitabat aspectus, vastiora & inaccessibilia solitudinis penetrans loca, multoque in eis tempore delitescens, vt ab ipsis quoque anachoretis difficulter ac rarissimè deprehensus, angelorum quotidiano consortio delectari ac perfrui crederetur, atque ei merito virtutis huius ab ipsis inditum fuerit Bubali cognomentum.

De sermone eiusdem senis, ac responsione nostra. CAP. II.

HVius igitur magisterio institui cupientes cogitationum etiam stimulis agitati, ad cellam eius iam die aduesperascente peruenimus. Qui habito aliquantisper silentio cùm propositum nostrum prædicare cœpisset, quòd scilicet patriã relinquentes, tot prouinciis pro amore Domini perlustratis egestatem ac vastitatem eremi tolerare & imitari rigorem conuersationis illorum tantopere niteremur, quem vix ipsi qui in eadem necessitate atque inopia nati educatique sunt, sustinerent: respondimus nos ob id ad eius doctrinam ac magisterium tetendisse, vt imbui aliquatenus institutionibus ac perfectione tanti viri possemus, quam innumeris documentis inesse eidem senseramus: non, vt illius, quæ tamen in nobis non essent, laudibus grauaremur, aut in elatione animi, qua in nostris quoque cellulis nonnunquàm suggestione titillabamur inimici, ipsius quoque sermonibus inflaremur. Quamobrem illa nobis potius precabamur infundi, quibus compungi vel humiliari, non quibus nobismetipsis blandiri extollique possemus.

Propositio Abbatis Pafnutij de tribus vocationum generibus, & de tribus abrenunciationibus. CAP. III.

TVm beatus Pafnutius: Tres, inquit, vocationum sunt ordines, tres quoque renunciationes monacho in quocunque vocationis ordine constituto necessarias nouerimus. Et primũ quidem causam quare tres esse vocationum ordines diximus, oportet nos diligenter inquirere, vt cùm agnouerimus nos ad Dei cultum primo gradu vocationis ascitos, secundũ eius sublimitatem conuersationis quoque nostræ congruentiam temperemus. Nihil enim proderit sublimiter inchoasse, si similé principiis nõ exhibuerimus & finem. Quòd si etiam vltimo ordine nos à conuersatione seculi extractos fuisse cognoscimus, quanto minus probabili ad religionem principio videmur inniti, tanto acrius nosmetipsos ad meliorẽ finem spiritali feruore incitare curemus. Secundã quoque causam trinæ abrenunciationis omnimodis nosse nos conuenit, quia nullo modo perfectionem poterimus attingere,

ſi eam vel ignorauerimus, vel ſcientes non contenderimus opere conſummare.

Expoſitio trium vocationum. CAP. IIII.

VT igitur tres hi vocationum modi ſpeciali diſtinctione pandantur: Primus ex Deo eſt, ſecundus per hominem, tertius ex neceſſitate. Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum nonnunquàm etiam dormientes nos ad deſiderium æternæ vitæ ac ſalutis exſuſcitat, deumque ſequi & eius inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur, vt in ſcripturis ſanctis Abraham voce Dominica, de genitali ſolo & totius cognationis affectibus, patriſque domo legimus euocatum, dicente Domino, Exi de
Geneſ. 12. terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quo etiam modo beatum Antonium accitum eſſe cognouimus, qui occaſionē ſuæ conuerſionis à ſola diuinitate percepit. Ingreſſus namque eccleſiam, ibique audiens in Euangelio Do-
Lucæ 14. minum prædicantem, qui non odit patrem, & matrem, & filios, & vxorem, & agros, inſuper & animam ſuam, non poteſt
Matth. 19. meus eſſe diſcipulus: &, ſi vis perfectus eſſe, vade & vēde quę habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me: Præceptum hoc Domini velut ſpecialiter ad ſe directum cum ſumma cordis compunctione ſuſcepit, confeſtimque renuncians cunctis, ſecutus eſt Chriſtum, nulla exhortatione neque doctrina hominum prouocatus. Secundus vocationis modus eſt, quem fieri per hominem diximus, cùm vel exemplis quorundam ſanctorum vel monitis inſtigati ad deſiderium ſalutis accendimur. Quo nos quoq; per gratiam Domini retinemus aſcitos, qui prædicti viri monitis ac virtutibus incitati, huic nos ſtudio profeſſioniq; tradidimus, quo ordine etiam in ſcripturis ſanctis per Moſen filios Iſraël de
Exod. 14. afflictione Aegypti legimus liberatos. Tertius verò vocationis modus eſt, qui ex neceſſitate deſcendit, cùm diuitiis mūdi huius vel voluptatibus obligati, ingruentibus repentè tentationibus quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſſione bonorum ac proſcriptione percutiunt, vel charorū morte compungunt, ad Dominum quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltem inuiti properare compellimur. Cuius vocationis neceſſitatem in ſcripturis quoque ſæpiſſimè reperimus, cùm filios Iſraël ob merita peccatorum ſuorum legimus à Domino traditos hoſtibus ſuis, ob quorū dominationem crudelitatemque ſæuiſſimam, rurſus conuerſos ad Dominum proclamaſſe, & miſit eis, inquit, Dominus ſal-
Iudic. 3. uatorem Aoth filium Gera, filium Iemini, qui vtraque manu vte-

nu vtebatur pro dextera. Et rursum, Clamauerunt, inquit, ad Dominum qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel filium Chenez fratrem Caleph iuniorem. Et de talibus in Psalmo dicitur: Cùm occideret eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & recordati sunt, quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Rursumque: Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. *Ibidem.* *Psalm.77.* *Psalm.106.*

Quòd & desidioso vocatio prima non prosit, & strenuo postrema nō obsit.

CAPVT V.

EX his itaque tribus modis licet priores duo melioribus inniti principiis videantur, nonnunquàm tamen inuenimus etiam de tertio gradu, qui infimus videtur ac tepidus, perfectos viros ac spiritu feruentissimos extitisse, illisque cōsimiles, qui optimo principio aggressi Domini famulatum, reliquam quoque vitam laudabili feruore spiritus exegerūt, & iterum de illo superiori gradu plurimos tepefactos ad vituperabilem finem sæpissime recidisse: ac * perinde sicut illis nihil obfuit quòd non suo viderentur arbitrio, sed necessitatis compulsione conuersi, quippe quibus hanc ipsam occasionem qua compungerentur Domini benignitas procurauit, ita etiam istis omnino nihil profuit sublimiora conuersionis habuisse principia, quia non studuerunt reliquam vitam fine congruo terminare. Nec enim Abbati Mosi, qui habitauit in loco istius eremi qui Calamus nuncupatur, quicquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritū, quòd metu mortis quæ ei propter homicidij crimen intentabatur impulsus ad monasterium decucurrit, quia ita necessitatem conuersionis arripuit, vt eam in voluntatem prompta animi virtute conuertens ad perfectionis fastigia summa peruenerit, sicut etiam econtrario plurimis quos nominatim memorare non debeo, nihil profuit Domini seruitutem meliore arripuisse principio, qui deinceps cordis ignauia ac duritia subsequente, in teporem noxium, ac in profundū mortis barathrum conciderūt. Quam rem in apostolorum quoque vocatione videmus euidenter expressam. Quid enim profuit Iudæ apostolatus sublimissimum gradum eodem ordine quo Petrus cæterique apostoli asciti sunt, voluntariè suscepisse, qui vocationis suæ præclara principia cupiditatis ac philargyriæ pestifero fine consummans, vsque ad traditionem Domini crudelissimus parricida prorupit? Aut quid obfuit Paulo quòd repentè cæcatus ad viam salutis velut inuitus videtur attractus, qui post- *Matth. 26.* *Actor.9.*

* proinde

ea Dominum tanto animi feruore sectatus initium necessitatis voluntaria deuotione consummans, gloriosam tantis virtutibus vitam incõparabili fine conclusit. Totum ergo in fine consistit, in quo potest quis & optimæ conuersionis initiis dedicatus inferior per negligentiam reperiri, & necessitate attractus ad nomen monachi profitendum effici per timorem Dei diligentiamque perfectus.

Expositio trium abrenunciationum. CAP. VI.

NVnc de abrenunciationibus differendum est, quas tres esse & patrũ traditio, & scripturarum sanctarum demõstrat autoritas, quasq; vnum quemq; nostrum omni studio oportet implere. Prima est qua corporaliter vniuersas diuitias mundi, facultatesque contemnimus: Secunda qua mores ac vitia affectusque pristinos animi carnisque respuimus: Tertia qua mentem nostram de præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes, futura tantummodo contemplamur, & ea quæ sunt inuisibilia concupiscimus. Quæ tria, vt simul perficiantur etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cùm
Genes. 12. dicit ad eum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Primum dixit de terra tua, id est, de facultatibus mundi huius, opibusque terrenis; secundò de cognatione tua, id est, de conuersatione & moribus vitiisque prioribus quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia velut affinitate quadam & consanguinitate cognata sunt; tertiò de domo patris tui, id est, omni memoria mundi huius quę oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id est, siue de illo quem deserere, siue de eo quem debemus expetere, ita per
Psalm. 44. Dauid ex persona Dei canitur: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Nam qui dicit, audi filia, pater vtique est, & illum cuius domum vel populum monet obliuioni dari, patrem nihilominus suæ filiæ fuisse testatur. Quod ita fit cùm mortificati cum Christo ab elementis huius mundi contemplamur secundum Apostolum, iam non ea quæ videntur, sed quæ non
2. Cor. 4. videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Et exeuntes corde de hac temporali ac visibili domo, in illam domum in qua iugiter sumus permãsuri, nostros oculos mentemque dirigimus. Quod tunc im-
Philipp. 3. plebimus, cũ in carne ambulantes nõ secundum carnẽ militare Domino cœperimus, illã beati Apostoli sententiã opere ac virtute clamantes, Noster autem municipatus in cælis est. His tribus abrenunciationibus propriè tres libri Salomonis aptantur. Nam prouerbia primæ abrenunciationi conueniunt,

Tribus abrenunciationibus tres libri Salomonis respondent.

niunt, quibus concupiscentia carnalium rerum, ac terrena vitia resecantur. Secundæ abrenunciationi Ecclesiastes, vbi vniuersa quæ aguntur sub sole vanitas pronunciantur. Tertiæ Canticũ canticorũ, in quo mens visibilia cuncta trãscendens verbo Dei iam cælestiũ rerum contemplatione coniungitur.

Quẽadmodũ singularũ renunciationũ sit apprehendẽda perfectio. CAP. VII.

QVapropter non multum proderit primam nos abrenunciationem cũ summa deuotione fidei suscepisse, si secũdam non eodem studio, atque eodem impleuerimus ardore. Et ita cùm etiam hanc fuerimus adepti, ad illam quoque tertiam peruenire poterimus qua de domo prioris nostri parentis egressi (quem ab exordio natiuitatis nostræ secundum veterem hominem ac pristinam conuersationem, quando eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, patrem nobis fuisse meminimus) omnem mentis intuitum ad cęlestia deflectimus. De quo etiam patre ad Ierusalem, quæ verũ patrem Deum contẽpserat, dicitur: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethęa. Et in euangelio, Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Quem cùm dimiserimus de visibilibus ad inuisibilia transmigrantes, cum apostolo dicere poterimus, Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd habitationem habeamus ex Deo, domum non manufactam æternam in cælis. Et illud quod paulo antè commemorauimus: Noster autem municipatus in cælis est: Vnde & saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Et illud beati Dauid: Quia incola ego sum in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei, vt secundũ Domini vocẽ tales efficiamur, quales illi de quibus hæc Dominus ad patrẽ in euangelio loquebatur: De mundo hoc non sunt, sicut & ego non sum de hoc mundo. Et rursùm ad ipsos apostolos: Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat vtique diligeret; sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de hoc mundo, propterea odit vos mundus. Huius ergo renunciationis tertiæ veram perfectionem tunc merebimur obtinere, quando mens nostra nullo carneæ pinguedinis hebetata contagio, sed peritissimis elimationibus expolita ab omni affectu & qualitate terrena per indesinentem diuinarum meditationem scripturarum, spiritalesque theorias, ad illa quæ inuisibilia sunt eò vsque transierit, vt circumdatam se fragilitate carnis ac situ corporis supernis & incorporeis intenta non sentiat, atque in huiusmodi rapiatur excessus, vt non

Ephes. 2.
Ezech. 16.
Ioann. 8.
2. Cor. 5.
Philipp. 3.
Psal. 38, & 118.
Ioann. 17.
Ioann. 15.
Perfectæ renunciationis modus.

solùm nullas voces auditu corporali recipiat, nec intuendis prætereuntium hominum imaginibus occupetur, sed ne astantes quidem arborum moles, & ingẽtes materias obiectas oculis carni; aspiciat. Cuius rei fidem atque virtutem nemo nisi is capiet solus qui hæc quæ dicuntur experientia magistrante perceperit: cuius videlicet ita Dominus oculos cordis de vniuersis præsentibus auocarit, vt ea non tanquàm transitura, sed iam quasi nõ existentia reputans, & velut inanem fumum in nihilum resoluta conspiciat, ambulansque vt Enoch cum Deo, ac de humana conuersatione moribusque translatus, non inueniatur in præsentis seculi vanitate. Quod
Genes. 5. in illo etiam corporaliter factum, lectio Geneseos ita commemorat: Ambulauitque Enoch cũ Deo, & non inueniebatur,
Hebr. 11. quia transtulit eum Deus. Apostolus quoque ait: Fide Enoch translatus est, vt non videret mortem. De qua morte Domi-
Ioan. 11. nus in Euangelio, Qui viuit, inquit, & credit in me, non morietur in æternum. Quapropter festinare debemus si perfectionem veram desideramus attingere, vt quemadmodum corpore parentes, patriam, diuitias mundi, voluptatesq; despeximus, ita etiam corde hæc omnia relinquẽtes, nulla rursus ad ea quę dimisimus concupiscentia reuertamur (sicut illi qui educti per Mosen, cùm vtique corpore non redissent, corde tamen reuersi dicuntur in Aegyptum, relicto scilicet Deo, qui eos eduxerat cum tanta virtute signorum, idola Ae-
Exod. 32. gypti quæ contempserant venerantes, sicut scriptura commemorat: Et reuersi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos qui præcedant nos) Ne cum illis etiam pariter condemnemur, qui in eremo commorantes, post escam mannæ cælestis desiderauerunt vitiorum fœtidos, ac sordidę vilitatis cibos; nosque cum eis similiter murmura-
Exod. 16. re videamur, Bene nobis erat in Aegypto, vbi sedebamus
Numer. 11. super ollas carnium & comedebamus cepas & allia, & cucumeres & pepones. Quæ figura licet in illo præcesserit populo, tamen nunc quoque eam quotidie in nostro ordine ac professione videmus impleri. Omnis enim quicũque post renũ-
Quinam sint illi qui in Aegyptum reuertuntur. ciationem mundi huius ad antiqua reuertitur studia, & ad pristina desideria reuocatur, hæc eadem cum illis opere ac mente proclamat dicens: Bene mihi erat in Aegypto. Quorum vereor ne tanta inuenienda sit multitudo, quantas tunc sub Mose præuaricantium turbas legimus extitisse. Nam
Numer. 14. cùm sexcenta millia armatorum de Aegypto dinumerentur egressa, ex his non sunt amplius quàm duo tantum terram promissionis ingressi. Vnde festinandum nobis est, vt à pau-

cis ac rarissimis sumamus exẽpla virtutum, quia secundum illam quam diximus figuram, in Euangelio quoque multi vocati, pauci autem dicuntur electi. Nihil ergo nobis proderit abrenunciatio corporalis, & localis quodámodo ex Aegypto transmigratio, si renunciationem cordis quæ sublimior & vtilior est, non valuerimus similiter obtinere. De illa enim quam diximus abrenunciatione corporali, ita pronunciauit Apostolus: Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, vt ardeam, caritatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest. Quod beatus apostolus nũquàm dixisset, nisi quia futurum in spiritu præuidebat, vt aliqui facultatibus vniuersis in pauperum alimenta dispersis, ad perfectionem Euangelicam & caritatis arduum culmen peruenire non possent; quia scilicet pristina vitia morumque incontinentiam vel superbia, vel impatientia dominante in suis cordibus retinentes, nequaquàm se ab illis expurgare curarent, & ob id ad caritatem Dei, quæ nunquàm cadit, minimè peruenirent. Qui vtique inferiores effecti hoc secundo renunciationis gradu, multo minus illum tertium, qui proculdubio est sublimior, apprehendunt. Diligentiùs tamen etiam hoc mente perpendite, quòd non simpliciter dixerit, si distribuero facultates meas, videretur enim de illo fortè dixisse qui necdum Euangelicum implens mandatum adhuc omnia sibi ex eis, sicut nonnulli tepidorum faciunt, aliquid reseruasset, sed si distribuero, inquit, omnes facultates meas in cibos pauperum, id est, etiam si perfectè abrenũciauero diuitiis istis terrenis. Huic quoque renunciationi aliud maius adiunxit, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, caritatem verò non habuero, nihil sum. Ac si aliis verbis dixisset: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, secundum Euangelicum illud mandatũ, quo dicitur, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me, ita scilicet abrenuncians, vt ex his nihil penitus mihi reseruem, & huic erogationi martyrium & exustionem meæ carnis adiunxero, ita vt corpus meum tradam pro Christo, & tamen vel impatiens, vel iracundus, vel inuidus, vel superbus sim, vel aliorum inflammer iniuriis, vel quæram quæ mea sunt, vel ea quæ mala sunt cogitem, vel vniuersa quæ mihi possunt inferri, non patienter libenterque sustineam, nihil mihi proderit exterioris hominis abrenunciatio atque combustio, interiore adhuc vitiis pristinis inuoluto, eo quòd simplicem substantiam mundi huius primæ conuersionis feruore con-

Matth. 20 & 22.

Cordis renunciatio cũ primis necessaria est.

1. Cor. 13.

Non plenè renunciat qui sibi de facultatibus aliquid reseruat.

Matth. 19.

temnens quæ nec bona esse nec mala, sed media definitur, vitiosi cordis noxias facultates similiter abiicere non curarim, nec attingere Dominicam caritatem, quæ patiens, quæ
1. Cor. 13. benigna est, quæ non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum; quæ omnia suffert, omnia sustinet; postremò quæ sectatorẽ suum nũquàm cadere sinit supplantatione peccati.

De propriis diuitiis in quibus constat animæ pulchritudo vel fœditas.

CAPVT VIII.

FEstinare igitur debemus omni instantia, vt interior quoque noster homo vitiorum suorum diuitias quas in anteriore conuersatione contraxit, vniuersas abiiciat atque dispergat, quæ corpori atque animæ iugiter cohærentes propriè nostræ sunt, ac nisi adhuc in hoc corpore constitutis nobis, abiectæ fuerint & abscisæ, etiam post excessum nos non desinent comitari: vt enim virtutes vel ipsa caritas quæ earum fons est in hoc seculo conquisita, post finem quoque huius vitæ pulchrum ac splendidum amatorem suum reddit, ita vitia obfuscatam quodammodo mentem coloribus tetris, ad illam perennem commorationem infectamque transmittũt. Pulchritudo enim vel fœditas animæ virtutum seu vitiorum gignitur qualitate. Ex quibus quidam attractus color, aut ita splendidam eam reddit ac pulchram, vt à prophe-
Psalm. 44. ta mereatur audire: Et concupiscet rex decorem tuum. Aut certè atram, fœtidã, atque deformem, ita vt ipsum fœtorem
Psalm. 37. propriæ fœditatis ipsa confiteatur & dicat: Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Ipse
Ierem. 8. quoque Dominus ad eam, Quare, inquit, nõ est obducta cicatrix filiæ populi mei? Et idcirco hæ sunt propriæ nostræ diuitiæ, quæ cum anima iugiter commorantur, quas nobis nullus regum, nullus hostium nec conferre poterit nec au-
Animi diuitiæ quales. ferre. Hæ sunt propriæ diuitiæ nostræ quas ne ipsa quidem mors valebit ab anima separare, quibus vel renunciantes ad perfectionem possumus peruenire, vel illigati æterna morte multari.

De tripartito genere diuitiarum. CAP. IX.

TRipartito enim modo in scripturis sanctis intelliguntur diuitiæ, sunt malæ, bonæ, mediæ. Malæ quidem sunt de
Psalm. 33. quibus dicitur, Diuites eguerunt & esurierunt. Et, Væ vobis
Lucæ 6. diuites, quia recepistis consolationem vestram. Quas etiam diuitias abiecisse * summa perfectio est. Ad quarum distinctionem sunt pauperes illi qui in Euangelio Domini voce
Matth. 5. laudantur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum

* summa perfectio nõ est.

gnum cælorum. Et in psalmo: Iste pauper clamauit, & Domi- *Psalm. 33.*
nus exaudiuit eum. Et iterum: Pauper & inops laudabit no- *Psalm. 73.*
men tuum. Sunt etiam bonæ quas acquisisse magnæ virtutis
ac meriti est, quas vir iustus possidens collaudatur, dicente *Psalm. 111.*
Dauid: Generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ
in domo eius, & iustitia eius manet in seculũ seculi. Et iterũ: *Prouerb. 13.*
Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. De quibus diuitiis
in Apocalypsi dicitur illi qui eas non habens vituperabiliter *Apoc. 3.*
pauper & nudus est. Incipiã te, inquit, euomere ex ore meo,
quia dicis, quòd diues sum & locuples, & nullius egeo, & ne-
scis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nu-
dus, suadeo tibi à me emere aurum ignitum probatũ, vt locu-
ples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confu-
sio nuditatis tuæ. Sunt quoque mediæ, id est, quæ possunt
vel bonæ esse vel malæ. Ad vtramq; enim partem pro arbi-
trio vel qualitate vtentiũ transferuntur, de quibus beatus A- *1. Timoth. 6.*
postolus, diuitibus, ait, mundi huius præcipe nõ sublime sape-
re, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo qui præstat
nobis abunde omnia ad fruendũ, bene facere, facilè tribuere,
communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in
futurum, vt apprehendant veram vitam. Quas iterum diues *Lucæ 16.*
ille in Euangelio retinens ac nequaquàm indigentibus sub-
ministrans, de cuius micis saturari pauper Lazarus ante fores
eius expositus cupiebat, intolerandis gehennæ ignibus, & æ-
terno deputatur ardori.

Non posse quenquam primo tantum renunciationis gradu esse perfectum.

CAPVT X.

HAs igitur visibiles mundi diuitias relinquentes, non no- *Quasnam di-*
stras, sed alienas abiicimus facultates, quamuis eas glo- *uitias propriè*
riemur vel nostro labore quæsitas, vel parentum ad nos hæ- *nostras appel-*
reditate transmissas. Nihil enim, vt dixi, nostrum est, nisi hoc *lare debeamus.*
tantum quod corde possessum, atque animæ nostræ cohærēs,
à nemine potest prorsus auferri. De illis autem visibilibus
diuitiis ad eos qui illas tãquàm proprias retentantes cõmuni-
care indigentibus nolunt, increpans loquitur Christus: Si in
alienis fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? *Lucæ 16.*
Euidenter igitur has diuitias alienas esse, non solùm quoti-
diana experientia docet, verumetiam sententia Domini ipsa
appellatione significauit. De visibilibus verò pessimisq; diui-
tiis loquitur Petrus ad Dominum: Ecce nos reliquimus om- *Matth. 19.*
nia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Qui vtique
nihil amplius quàm vilissima cõscissaque retia dimisisse no-
scuntur. Quæ omnia nisi in hac abrenunciatione vitiorũ, quæ
verè

verè magna & summa est, fuerint intellecta, nec pretiosum aliquid inueniemus apostolos reliquisse, nec Dominum habuisse, propter quod illis tantã beatitudinis gloriã largiretur, vt ab eodem mererentur audire, In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Si igitur hi qui perfectè terrenas istas ac visibiles abdicant facultates, certis ex causis ad illam apostolicam caritatem peruenire nõ possunt, nec illum sublimiorẽ paucorumq; admodum renunciationis gradũ tertiũ expedito vigore cõscendere queũt, quid illi de semetipsis iudicare debebunt qui nec primã quidem, quæ perfacilis est, perfectè arripientes, atque antiquas pecuniarum suarũ sordes cum infidelitate pristina retentantes, nudo tantũ sibimet autumant monachorũ vocabulo gloriandũ? Ergo prima quã diximus abrenunciatio rerũ alienarũ est, ideoq; per se solam, perfectionẽ renuncianti cõferre non sufficit, nisi peruenerit ad secundã, quæ verè abrenunciatio rerũ nostrarum est, quã adepti expulsione omniũ vitiorũ, tertiæ quoque abrenunciationis fastigia conscendemus: per quam non solũ omnia quæ in hoc mundo geruntur vel particulatim ab hominibus possidentur, verumetiã ipsam cunctorũ elementorũ plenitudinẽ, quæ putatur esse magnifica, tanquàm vanitati subiectã, & mox transituram transcẽdẽtes animo ac mẽte despiciemus, intuentes dumtaxat secũdũ Apostolũ nõ ea quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim vidẽtur, tẽporalia sunt; quæ autẽ non videntur, æterna: vt ita demũ illud supremũ mereamur audire quod dicitur ad Abrahã, & veni in terrã quã tibi mõstrauero. Per quod euidẽter ostenditur, quòd nisi quis tres superiores illas abrenunciationes omni mentis ardore impleuerit, ad quartũ hoc peruenire nõ possit, quod remunerationis ac præmij vice taliter renũcianti tribuitur, id est, vt terrã repromissionis mereatur intrare, nequaquàm sibi iam vitiorũ spinas ac tribulos germinantẽ, quæ post expulsionẽ passionum cunctarũ puritate cordis in hoc corpore possidetur, quam non virtus vel industria laborantis mõstrabit ei, sed ipse Dominus ostensurum se esse promittit: & veni, inquiens, in terrã quam tibi monstrauero. Per quod manifestè probatur & initiũ nostræ salutis Domini vocatione fieri dicentis, exi de terra tua, & consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cùm dicit, & veni in terrã quam tibi mõstrauero, id est, non quã tu ex temetipso nosse, vel industria tua poteris reperire, sed quã ego tibi non solùi gnoranti, sed etiam non inquirenti monstra-

Ibidem.

Solo monachi nomine plerique gloriãtur.

2. Cor. 4. Gen. 12.

Et initium & consummatio nostræ salutis Deo adscribi debent.

monstrauero. Ex quo manifestè colligitur, quòd quemadmodũ inspiratione Domini prouocati, ad viã salutis accurrimus, ita etiam magisterio ipsius & illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis peruenimus.

Interrogatio de libero arbitrio hominis & gratia Dei.

CAPVT XI.

GErmanus: In quo ergo liberum cõsistit arbitrium, nostræ quoque quòd laudabiles sumus reputatur industriæ, si Deus in nobis omnia quæ ad nostram perfectionem pertinent & incipit & consummat?

Responsio de dispensatione diuinæ gratiæ manente arbitrij libertate.

CAPVT XII.

PAfnutius: Hoc vos rectè mouisset, si in omni opere vel disciplina principium tantùm esset ac finis, & non etiam quædam medietas interesset. Itaque sicut occasionem salutis diuersis modis Deũ cognoscimus operari, ita nostrũ est occasionibus à diuinitate cõcessis, vel enixius vel remissius famulari. Nam sicut Dei fuit vocantis oblatio, exi de terra tua, ita Abrahæ fuit exeuntis obedientia: & quemadmodum illud quod dicitur, & veni in terram, obtemperantis fuit opus, ita illud quod additur, quam tibi monstrauero, iubentis Dei vel promittentis est gratia. Certos tamen nos esse cõuenit, quòd omnem virtutem indefessis conatibus exercẽtes, nequaquàm diligentia vel studio nostro perfectionem possimus attingere; nec sufficiat humana sedulitas laborum merito ad tam sublimia beatitudinis præmia peruenire, nisi ea Domino nobis cooperante, & cor nostrum ad id quod expedit dirigente fuerimus adepti: ideoque debemus cum Dauid orantes momentis singulis dicere, Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, vt nostrum arbitrium quod procliuius vel ignoratione boni, vel oblectatione passionum fertur ad vitia, ille inuisibilis rector mentis humanæ, ad virtutum potius studia contorquere dignetur. Quod vno versiculo per prophetam manifestissimè legimus decantari, Impulsus versatus sum, vt caderem; in quo liberi arbitrij infirmitas designatur: & Dominus suscepit me; rursum adiutorium Domini iunctum eidem semper ostenditur, quo iam ne penitus libero collabamur arbitrio, cùm titubasse nos viderit, porrectione quodammodo manuum suarum sustentat atque confirmat. Et iterum: Si dicebam, motus est pes meus, lubrica scilicet arbitrij facultate, misericordia tua Domine adiuuabat me, iterum mobilitati suæ Dei coniungit auxilium;

Vide annotationem quintam post finem operis
Genes. 12.
Psalm. 16.
Psalm. 39.
Psalm. 117.
Psalm. 93.

lium; quia ne moueretur pes fidei suæ, non industriæ propriæ
Ibidem. fuisse, sed misericordiæ Domini cõfitetur. Et iterum: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, qui libero vtiq; mihi nascebantur arbitrio, consolationes tuæ lætificauerunt animã meam, per tuam scilicet inspirationem venientes in cor meum, & reserantes contemplationem futurorum bonorum, quæ pro tuo nomine laborantibus præparasti, non solum abstulerunt omnem anxietatem cordis mei,
Ibidem. verumetiam summam lætitiam contulerunt. Et rursum: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea: liberi vtique arbitrij prauitate se in inferno habitaturum fuisse testatur, nisi Domini fuisset adiutorio ac protectione saluatus. A Domino enim, non à libero arbi-
Psalm. 36. trio, gressus hominis dirigentur. Et cùm ceciderit iustus, libero dumtaxat arbitrio, non collidetur. Quapropter? quia Dominus supponit manum suam. Hoc est apertissimè dicere: Nullus iustorum sibi sufficit ad obtinendam iustitiam, nisi per momenta singula titubanti ei & corruenti fulcimẽta manus suæ supposuerit diuina clementia, ne prostratus intereat penitus cùm fuerit liberi arbitrij infirmitate collapsus.

Quòd directio viæ nostræ ex Deo sit.

CAPVT XIII.

NEc sanè vnquàm viri sancti directionem viæ, qua gradiebãtur, ad profectum virtutum cõsummationemque tendentes, industria se propria obtinuisse testati sunt: sed eam
Psalm. 24. potius à Domino precabantur dicentes: Dirige me in veritate tua, & dirige in conspectu tuo viam meam. &, Notam fac
Psam. 5. mihi viam in qua ambulem. Alius autẽ non solum fide, sed etiam experimento, & quodammodo ipsa rerum natura, hoc
Psalm. 142. ipsum se deprehendisse proclamat: Cognoui Domine quia
Ierem. 10. nõ est in homine via eius, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos. Et ipse Dominus ad Israëlẽ: Et dirigã eum ego,
Osea 14. inquit, vt abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus est.

Quòd scientia legis magisterio & illuminatione Domini conferatur.

CAPVT XIIII.

LEgis quoque ipsius scientiam non lectionis industria, sed
Psalm. 24. magisterio & illuminatione Dei quotidie desiderant adi-
Psalm. 118. pisci, dicentes ad eum: Vias tuas Domine demonstra mihi,
Psalm. 146. & semitas tuas edoce me, & reuela oculos meos, & conside-
Psalm. 93. rabo mirabilia de lege tua, & doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Et iterum: Qui doces hominem scientiam.

Quòd

Quòd intellectus quo mandata Dei possimus agnoscere, & bonæ voluntatis effectus à Domino donetur. CAP. XV.

IPsum etiam intellectum beatus Dauid quo mandata Dei possit agnoscere, quæ vtique in libro legis nouerat esse perscripta, à Domino postulat promereri, dicens: Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Qui *Psalm.118.* vtique & intellectum semel sibi per naturam præstitum possidebat, notitiam quoque mandatorum Dei quę descripta tenebantur in lege, vtique habebat in promptu, & tamen vt hāc plenius apprehendat Dominū deprecatur, sciens nequaquàm sibimet sufficere posse id quod per naturam condicionis insertum est, nisi quotidiana Domini illuminatione ad intelligendam spiritaliter legem ac mandata eius apertiùs agnoscenda, sensus ipsius ab eodem fuerit illustratus, ipso etiam vase electionis hoc quod dicimus clarius prædicante, Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona vo- *Philipp.2.* luntate. Et rursum, Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus intellectum. Quid potuit apertius dici, quàm vt & bonā voluntatē nostram, & operis consummationē à Domino in nobis pronūciaret impleri? Et iterū: Quia vobis dona- *Philipp.1.* tū est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Hic quoq; & initium conuersionis ac fidei nostræ, & passionum tolerantiam donari nobis à Domino declarauit. Quod intelligens Dauid quoque similiter orat sibi hoc ipsum Domini miseratione concedi dicens: Confirma *Psalm.67.* Deus hoc quod operatus es in nobis, ostendens non sufficere sibi salutis principia dono Dei gratiaque collata, nisi fuerint eadem miseratione ipsius & quotidiana opitulatione perfecta. Non enim liberum arbitrium, sed Dominus soluit *Psalm.145.* compeditos. Non nostra virtus, sed Dominus erigit elisos. Non lectionis industria, sed Dominus illuminat cæcos, quod Græcè dicitur, κύριος σοφοῖ τυφλοὺς, id est, Dominus sapientes facit cæcos. Non nostra cautio, sed Dominus custodit aduenas. Non nostra fortitudo, sed Dominus alleuat siue sustulcit omnes qui corruunt. Hæc autem dicimus non vt studium nostrum vel laborem atq; industriam quasi inaniter & superfluè impendendo vacuemus, sed vt nouerimus nos sine auxilio Dei, nec adniti posse, nec efficaces nostros esse conatus ad capessendum tam immane præmium puritatis, nisi nobis adiutorio Domini ac misericordia fuerit cōtributum. Equus *Prouerb.21.* enim paratur in diem belli, à Domino autem est adiutorium, quia non est in fortitudine potens vir: &, mendax equus ad salutem, vt qui gloriatur, in Dño glorietur. Oportet igitur nos *1.Reg.2.* semper

ſemper cum beato Dauid canere, Fortitudo mea & laudatio
Pſalm.32. mea, non liberum arbitrium, ſed Dominus, & factus eſt mihi
in ſalutem. Quod doctor quoque gentium non ignorãs ido-
Pſalm.117. neum ſe factum miniſterio noui teſtamenti, non ſuo merito
nec ſudore, ſed Dei miſeratione proclamat: nõ quòd ſimus,
2. Cor. 3. inquit, idonei cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſuf-
2. Cor. 10. ficientia noſtra ex Deo eſt. quod minus Latinè, ſed expreſſius
dici poteſt, idoneitas noſtra ex Deo eſt. Denique ſequitur,
Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.

Quòd ipſa fides à Domino concedatur.

CAPVT XVI.

IN tantum autem vniuerſa quæ ad ſalutem pertinent A-
poſtoli ſibimet à Domino largita ſenſerunt, vt ipſam quo-
Lucæ 17. que fidem præſtari ſibi à Domino poſtularent dicentes, Do-
mine auge nobis fidem. Plenitudinem eius non libero arbi-
trio præſumentes, ſed Dei ſibi credentes munere conferen-
dam. Denique docet nos idem auctor ſalutis humanæ quàm
ipſa fides noſtra lubrica ſit & infirma, & nequaquàm ſibi ſuf-
ficiens, niſi fuerit auxilio Domini roborata, dicens ad Petrũ:
Lucæ 22. Simon Simon, ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret vos tan-
quam triticum, ſed ego rogaui patrem meum ne deficeret
fides tua. Quod alius in ſemetipſo ſentiens fieri, & quodam-
modo fidem ſuam infidelitatis fluctib. ad pernicioſi naufra-
gij videns ſcopulos perurgeri, ad eundem Dominum auxiliũ
Marci 9. fidei ſuæ poſtulans dicit, Domine adiuua infidelitatem meã.
In tantum itaque ſenſerunt euangelici & Apoſtolici viri vni-
uerſa quæ bona ſunt, auxilio Domini conſummari, & ne ip-
ſam quidem fidem ſuam confeſſi ſunt illæſam ſe poſſe ſuis
viribus vel arbitrij libertate ſeruare, vt hanc vel adiuuari in ſe
vel donari ſibi à Domino poſtularent. Quę ſi in Petro ne de-
ficeret Domini egebat auxilio, quis erit tam præſumptor &
cæcus, qui ſe ad huius cuſtodiam quotidiano Domini cre-
dat adiutorio non egere? præſertim cùm ipſe Dominus in
Ioann. 15. Euangelio hoc ipſum euidẽter expreſſerit dicens? Sicut pal-
mes non poteſt fructum facere à ſemetipſo niſi in vite man-
Ibidem. ſerit, ita & vos niſi in me manſeritis? Et iterum: Quia ſine
me nihil poteſtis facere. Quàm ſit igitur ineptum ac ſacrile-
gum quicquam de bonis actibus noſtræ induſtriæ & nõ Dei
gratiæ vel adiutorio deputare, manifeſtè probatur Dominica
ca proteſtante ſententia, ſine ſua inſpiratione vel cooperatio-
Iacobi 1. ne ſpiritales fructus exhibere neminem poſſe. Omne enim
datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt,
deſcen-

descendens à patre luminum. Zacharias quoque, quia siquid bonum, ipsius est; & siquid optimum, ab ipso. Et ideo constanter beatus Apostolus: Quid enim habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *Zachar. 9.* *1. Cor. 4.*

Quòd moderatio & tolerantia tentationum nobis à Domino tribuatur.

CAPVT XVII.

SVmmam quoque tolerantiæ, qua tentationes illatas sustinere possimus, non tam in nostra virtute quàm in Dei misericordia & moderatione consistere, beatus Apostolus ita pronunciat: Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt sustinere possitis. Deum quoque aptare siue cõfirmare animos nostros ad omne opus bonum, & operari in nobis ea quæ sibi sunt placita, idem Apostolus docet: Deus autem pacis qui eduxit de tenebris pastorem magnum ouium in sanguine testamenti ęterni Iesum Christum, aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placet coram se. Quod etiam Thessalonicensibus vt eueniat ita precatur dicens: Ipse autem Dominus Iesus Christus & Deus pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono. *1. Cor. 10.* *Hebr. 13.* *2. Thess. 2.*

Quòd perpetuitas timoris Domini nobis à Domino conferatur.

CAPVT XVIII.

IPsum denique timorem Dei quo firmiter eum tenere possimus, à Domino nobis infundi, Hieremias propheta ex persona Dei manifestè testatur ita dicens: Et dabo eis cor vnum, & animam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & bene sit eis, & filiis eorum post eos, & feriam eis pactũ sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corda eorum, vt non recedant à me. Ezechiel quoque: Et dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in pręceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. *Ierem. 32.* *Ezech. 11, & 36.*

Quòd initium voluntatis bonæ & consummatio eius à Domino sit.

CAPVT XIX.

QVibus manifestissimè perdocemur & initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante concedi, cùm aut per se, aut per exhortationem cuiuslibet hominis, aut per ne-

cessitatem nos ad salutis attrahit viam, & perfectionem virtutum ab eodem similiter condonari, nostrum verò hoc esse, vt exhortationem auxiliumq; Dei vel remissius vel enixius
*per exequamur, & * pro hoc nos vel remunerationem vel supplicia dignissima promereri, quòd eius dispensationi ac prouidentiæ erga nos benignissima dignatione collatæ, vel neglexímus vel studuimus nostræ obedientiæ deuotione congruere. Quod euidenter in Deuteronomio aperteque describi-
Deuter.7. tur: Cùm, inquit, introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Ethæum, & Gergesæum & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum, Euæum & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri & robustiores te, tradideritque eas tibi, percuties eas vsque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis coniugia. Quòd igitur introducuntur in terram repromissionis, quòd delentur gentes multæ coram eis, quòd traduntur in manus eorum nationes maioris numeri, & robustiores quàm populus Israel, Dei esse gratiam, scriptura pronunciat. Vtrum autem percutiat eas Israël vsque ad internecionem, an reseruet eas & parcat, & vtrum ineat cum eis fœdus, & vtrum non societ cum eis coniugia, an societ, ipsorum esse testatur? Quo testimonio manifestè discernitur, quid liberò arbitrio, quídue dispensationi vel quotidiano adiutorio Domini debeamus ascribere, & quòd diuinæ sit gratiæ præstare nobis occasiones salutis, & prouentus secundos, atque victoriam: nostrum verò esse, vt concessa Dei beneficia vel intentius, vel segnius exequamur. Quam rationem etiam in illorum cæcorum curatione satis euidenter videmus expressam. Quòd enim transiit ante eos Iesus, diuinæ prouidentiæ & dignationis est gratia.
Matt.20. Quòd vociferantur & dicunt, miserere nostri Domine fili Dauid, fidei ipsorum & credulitatis est opus. Quòd visum recipiunt oculorum, diuinæ miserationis est munus. Quòd autem etiam post perceptionem cuiuslibet muneris tam gratia Dei quàm ratio liberi arbitrij perseueret, leprosorum quo-
Lucæ 17. que decem qui pariter curati sunt, declarat exemplum. Ex quibus dum vnus per arbitrij sui bonum gratiarum restituit actionem, Dominus nouem inquirens, vnumque collaudans, sollicitudinem adiutorij sui etiam circa immemores beneficiorum suorum iugem retinere se monstrat. Hoc ipsum enim visitationis suæ donum est, quòd vel suscipit & approbat gratum, vel requirit ac reprehendit ingratos.

Quòd

Quòd nihil in hoc mundo sine Deo geratur.

CAPVT XX.

CRedere tamen inconcussa fide nos conuenit, nihil sine Deo prorsus in hoc mundo geri. Aut enim voluntate eius aut permissu agi vniuersa fatendum est, vt scilicet hæc quæ bona sunt, voluntate Dei perfici auxilioque credantur: quæ autem contraria sunt permissu, cùm pro nequitiis ac duritia cordis nostri deserens nos diuina protectio, diabolum nobis vel ignominiosas corporis passiones patitur dominari. Quod etiam Apostoli vocibus euidentissimè perdocemur, dicentis: Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Et iterum: Quia non * crediderunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Ipse quoque Dominus per prophetam ait: Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi. Propter quod dimisi eos, inquit, secundum adinuentiones cordis eorum, ambulabunt in adinuentionibus suis.

Rom. 1. *Ibidem.* * probauerunt *Psalm. 80.*

Obiectio super liberi arbitrij potestate.

CAPVT XXI.

GErmanus: Hoc testimonium apertissimè liberum demonstrat arbitrium, quo dicitur: Si populus meus audisset me; &, non audiuit populus meus vocē meam. Cùm enim dicit, si audisset, ostendit in potestate illius fuisse vel acquiescendi vel non acquiescendi iudicium. Quomodo igitur non in nobis nostra salus est collocanda, cùm vel audiendi vel non audiendi ipse nobis concesserit facultatem?

Ibidem.

Responsio, quòd liberum arbitrium nostrum adiutorio Domini semper indigeat.

CAPVT XXII.

PAsnutius: Acutè quidem considerastis hoc quod dicitur, Si audisset me; sed nequaquam quis sit qui ad audientem vel non audientem loquatur, attenditis: Nec illud quod sequitur: pro nihilo vtique inimicos eius humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Nemo igitur hæc quę protulimus, vt nihil geri sine Domino probaremus, praua interpretatione detorquens ad defensionem liberi arbitrij ita conetur assumere, vt ab homine gratiam Dei prouisionemque quotidianam tentet auferre per hoc quod dicitur, & non audiuit populus meus vocem meam: & iterum, si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, &c. sed respiciat quòd sicut liberi arbitrij facultas populi inobedientia comprobatur, ita quotidiana circa eum prouisio Dei clamantis quodammodo & monentis ostenditur.

Cùm enim dicit, ſi populus meus audiſſet me, priorem vtique ſe locutum eis euidenter oſtendit, quod fieri à Domino nō ſolum per legem ſcriptam litteris, verùm etiam quotidianis monitis ſolet, ſecundum illud quod per Iſaiam dicitur, Tota die expandi manus ad populum non credentem mihi, ſed contradicentem. Vtrumque ergo poteſt hoc teſtimonio comprobari quod dicitur: Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo vtique inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Nam ſicut liberum arbitrium per inobedientiam populi demonſtratur, ita diſpenſatio Dei & auxilium eius verſiculi ipſius initio declaratur ac fine, cùm ſe & priorem locutum fuiſſe teſtatur, & poſtea inimicos eius humiliaturū, ſi ab eodem fuiſſet auditus. Nos enim per hæc quæ protulimus, nō liberum arbitrium hominis volumus ſubmouere, ſed huic adiutorium & gratiam Dei per ſingulos dies ac momenta neceſſariam comprobare. His nos ſermonibus eruditos Abbas Paſnutius è ſua cella non tam alacres quàm compunctos corde ante medium noctis emiſit, hoc nobis præcipuum ſua collatione conferens, vt cùm per abrenūciationis primæ conſummationem, quàm toto virtutis niſu ſtudebamus implere, attingenda nobis perfectionis culmina crederemus: inciperemus agnoſcere necdum nos cœpiſſe monachorum faſtigia ſomniare: quippe qui de ſecunda abrenunciatione patrum in cœnobiis eruditi, tertiam in qua omnis perfectio continetur, quæque illas inferiores duas multis modis præcedit, ne auditu quidem nos antea percepiſſe noſſemus.

Iſaia 65.

Collationis Abbatis Paſnutij de tribus abrenunciationibus finis.

COLLA-

COLLATIO IIII.
ABBATIS DANIELIS
DE CONCVPISCENTIA CARNIS ET SPIRITVS.

Capvt I.

INter cæteros Christianæ philosophiæ viros, Abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere his qui in eremo Scythi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatũ, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ à beato Pafnutio solitudinis eiusdem presbytero, & quidem cùm multis iunior esset ætate, ad diaconij est prælatus officium. Intantum enim beatus Pafnutius virtutibus ipsius ad gaudebat, vt quem vitę meritis sibi & gratia parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret; siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansque sibimet successorem dignissimum prouidere, superstes eum presbyterij honore prouexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil vnquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit, sed semper abbate Pafnutio spiritales hostias offerente, hic velut diaconus in prioris ministerij permansit officio. In quo tamen beatum Pafnutium cùm talis vir esset ac tantus, vt in multis etiam præscientiæ gratiam possideret, hęc spes substitutionis & electio frustrata est. Nam non multo post tempore hunc quem sibi parauerat successorem, præmisit ad Deum. *Sacerdotis officium.*

Quærit vnde oriatur repentina commutatio mentium ab ineffabili lætitia in mæstissimam animi deiectionem. Cap. II.

HIc igitur beatus Daniel, inquirentibus nobis, cur interdum residentes in cellula tanta alacritate cordis, cum ineffabili quodam gaudio & exuberantia sacratissimorum sensuum repleremur, vt eam non dicam sermo subsequi, sed ne ipse quidem sensus occurreret, oratio quoque pura ac prompta, & mens plena spiritalibus fructibus preces suas efficaces ac leues etiam per soporem supplicans ad Deum peruenire sentiret: ac rursum nullis existẽtibus causis tãta subitò anxietate repleremur, & irrationabili quodã mærore premeremur, vt non solum nosmetipsos huiusmodi sensibus arescere

ſentiremus, verumetiam horreret cella, ſorderet lectio, ipſa quoque inſtabilis ac nutabūda & quodam modo ebria emitteretur oratio, ita vt ingemiſcentibus & conantibus nobis, ad directionem priſtinam reduci mens noſtra non poſſit, quantoque intentius ad Dei reduceretur intuitum, tanto vehementius ad diſcurſus inſtabiles lubrico raperetur exceſſu, & ita omni ſpiritali fructu redderetur effeta, vt nec deſiderio regni cælorum, nec metu gehennæ propoſito ab hoc lethali quodam ſomno valeret ſuſcitari, ita reſpondit.

Reſponſio ſuper propoſita quæſtione. CAP. III.

TRipartita nobis à maioribus ſuper hac, quam dicitis, ſterilitate mentis tradita ratio eſt. Aut enim de negligentia noſtra, aut de impugnatione diaboli, aut de diſpēſatione Domini ac probatione, deſcendit. Et de negligentia quidem, cū noſtro vitio * tēpore præcedēte incircumſpectè noſmetipſos (* tempore) & remiſſius exhibentes, & per ignauiam & deſidiam noxiis cogitationibus paſti, terram cordis noſtri ſpinas & tribulos facimus germinare, quibus in ea pullulantibus conſequenter efficimur ſteriles: atque ab omni reddimur ſpiritali fructu & contemplatione ieiuni. De impugnatione verò diaboli, cùm etiam bonis nonnunquam ſtudiis dediti, callida ſubtilitate mentem noſtram aduerſario penetrante, vel ignorātes ab optimis intentionibus abſtrahimur, vel inuiti.

Quòd diſpenſationis ac probationis Dei duplex cauſa ſit.

CAPVT IIII.

DIſpenſationis autem vel probationis Domini duplex cauſa eſt. Prima, vt paulisper ab ipſo derelicti, & mentis noſtræ humiliter intuentes infirmitatem, & nequaquam ſuper præcedente puritate cordis quæ nobis illius eſt viſitatione donata, nullatenus extollamur, probanteſq; nos ab eodem derelictos, gemitibus noſtris & induſtria, illum lætitiæ ac puritatis ſtatum recuperare non poſſe intelligamus, & præteritā cordis alacritatem non noſtro ſtudio, ſed illius dignatione nobis fuiſſe collatam, & præſentem de ipſius rurſum gratia & illuminatione eſſe poſcendam. Secunda verò probationis eſt cauſa, vt perſeuerantia noſtra vel mentis conſtantia & deſiderium comprobetur, quaque intentione cordis & orationum inſtantia, deſerentem nos viſitationem ſancti ſpiritus requiramus, manifeſtetur in nobis; ac pariter agnoſcentes quanto labore amiſſum iſtud ſpiritale gaudiū & puritatis lætitia conquiratur, ſollicitius inuentam cuſtodire, ac tenere intentius ſtudeamus. Quodammodo enim negligentius cuſtodiri ſolet, quicquid creditur facilè poſſe reparari.

Quòd

Quòd studium & industria nostra nihil sine adiutorio Dei præualeat.

CAPVT V.

PEr quæ euidẽter probatur, gratiam Dei ac misericordiam semper operari in nobis ea quæ bona sunt. Qua deserente, nihil valere studium laborantis, & quantumlibet animi nitentis industriam sine ipsius iterum adiutorio statum pristinum recuperare non posse, illudque iugiter in nobis impleri, non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei. Quę gratia nonnunquã econtrario negligentes ac resolutos inspiratione hac qua dicitis sancta, & abundantia spiritaliũ cogitationũ visitare non renuit, sed inspirat indignos, exuscitat dormiẽtes, & illuminat obsessos ignorantię cæcitate, clementerq; nos arguit atque castigat, infundens se cordibus nostris, vt vel sic de inertiæ somno compunctione ipsius instigati consurgere prouocemur. Denique frequenter etiam odoribus vltra omnem suauitatem compositionis humanæ, in his ipsis subitò visitationibus adimplemur, ita vt mens hac oblectatione resoluta in quendam spiritus rapiatur excessum, seque commorari obliuiscatur in carne. *Rom. 9.*

Quòd vtile nobis sit interdum à Domino derelinqui.

CAPVT VI.

IN tantum verò illum quem diximus abscessum, & vt ita loquar, desertionem Dei, beatus Dauid vtilem esse cognouit, vt nequaquam maluerit orare ne à Deo penitus in nullo relinqueretur, hoc enim sciebat incongruum esse vel sibi vel humanæ naturæ ad quamlibet peruenienti perfectionem, sed temperari eam potius deprecatus sit, dicens: Non me derelinquas vsquequaque. Ac si diceret aliis verbis: Scio quòd derelinquere soleas vtiliter tuos sanctos, vt eos probes. Aliter enim ab aduersario tentari non possunt, nisi à te paulisper fuerint derelicti, & ideo non rogo, vt nunquam me derelinquas; quia non expedit mihi, vt non vel meam infirmitatem sentiens dicam: Bonũ mihi quia humiliasti me, vel exercitium non habeam prœliandi, quod sine dubio habere non potero, si mihi semper & indisruptè cohæserit protectio diuina. Suffultum namque me tua defensione tentare diabolus non audebit, illud obiiciens & exprobrans, vel mihi vel tibi, quod aduersus athletas tuos solet calumniosa voce proferre, Nunquid gratis Iob colit Deum? nónne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamq; substantiam eius per circuitum? sed magis peto ne me vsquequaque deseras, quod Græcè dicitur μέχρι πρὸς ἀγαντεῖον, id est, vsque ad nimietatem. Quantũ enim mihi vtile est si me paululũ subrelinquas, vt desiderij mei *Psalm. 118.* *Ibidem.* *Iob 1.*

constantia cõprobetur, tantũ noxiũ est si pro meritis ac delictis meis nimiũ me deseri patiaris: quia nulla virtus humana si diutius in tentatione tuo deseratur auxilio, sua poterit constãtia perdurare, & non protinus aduersarij vel potentia vel factione succumbere, nisi tu ipse qui es humanarum virium conscius ac luctaminum moderator, non permiseris tentari nos super id quod possumus, sed feceris cum tentatione etiam exitum, vt sustinere possimus. Tale quid & in Iudicum libro super exterminatione gentium spiritalium quæ aduersantur Israëli, mysticè legimus designatum. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem, & haberent consuetudinem cum hostibus prœliandi. Et iterum post pauca: Dimisitque eos Deus, vt in ipsis experiretur Israëlem, vtrũ audirent mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysis, an non. Quam vtique pugnam non inuidens Deus quieti Israëlis, nec malè eidem consulens, sed sciens esse vtilissimã, reseruauit, vt dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere, & ob id semper in eius meditatione & inuocatione persistens, nec inertia solueretur, nec bellandi vsum & exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos superare non potuerunt aduersa, securitas & prosperitas deiecerunt.

1. Cor. 10.

Iudic. 3.

De vtilitate eius pugnæ quam Apostolus ponit in colluctatione carnis & spiritus. CAPVT VII.

HAnc pugnam vtiliter nostris quoq; membris insertam, etiam in Apostolo ita legimus: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inuicem aduersantur sibi, vt non quæcunque vultis illa faciatis. Habes & hic pugnam inuisceratam quodammodo corpori nostro, dispensatione Domini procurante. Quicquid enim generaliter & sine alicuius exceptione omnibus inest, quid aliud iudicari potest, nisi ipsi humanæ substantiæ post ruinam primi hominis velut naturaliter attributum, & quod vniuersis congenitum concretumque deprehenditur, quomodo non credendum sit arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis insertum? Causam verò huius belli, id est, carnis & spiritus, hanc esse describit: vt non, inquit, quæcunque vultis illa faciatis. Ergo id quod procurauit Deus, vt non posset à nobis impleri, id est, vt non quæcũque volumus faciamus, quid aliud si impleatur credi potest esse quàm noxium? Et est quodammodo vtilis hæc pugna dispensatione Dei nobis inserta, & ad meliorem nos statum prouocans atque compellens,

Lege sextam Annotationem post finem totius operis.
Galat. 5.

Ibidem.

pellens, qua ſublata proculdubio pax econtrario pernicioſa ſuccedet.

Interrogatio quid ſit quòd in capitulo Apoſtoli poſt aduerſantes ſibi concupiſcentias carnis & ſpiritus, tertia adiiciatur voluntas?

CAPVT VIII.

GErmanus: Licet nobis quidam intellectus in ea prælucere videatur, tamen quia nec dum poſſumus Apoſtoli ſententiam ad liquidum peruidere, volumus hæc nobis apertius explanari. Tres enim res hic indicari videntur. Prima carnis aduerſus ſpiritum pugna. Secunda ſpiritus aduerſus carnem concupiſcentia. Tertia voluntas noſtra, quæ velut media ponitur, de qua dicitur, vt non quæcunque vultis illa faciatis. Super qua re licet, vt dixi, ſuſpiciones quaſdã ex his quæ poſita ſunt intelligentiæ, colligamus, volumus tamen quia ſe huius collationis occaſio obtulit, aliquid nobis lucidius diſputari. *Ibidem.*

Reſponſio de intellectu rectè interrogantis.

CAPVT IX.

DAniel: Diſcernere diuiſiones & lineas quæſtionũ portio intellectus eſt, & maxima pars intelligentiæ ſcire quid neſcias. Propter quod dicitur: Inſipienti interroganti ſapientia reputabitur. quia licet is qui interrogat, vim propoſitæ quæſtionis ignoret, tamen quia prudenter inquirit, & intelligit quod non intelligat, hoc ipſum illi reputatur ad ſapientiam, eo quòd quid neſciret prudenter agnouerit. Secundum diuiſionem itaque veſtram tres hoc loco res ab Apoſtolo nominari videntur, concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, quarũ aduerſus ſe inuicem pugna, hanc videtur habere cauſam atque rationem, vt ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus. Quarta igitur ſupereſt cauſa quam minimè vidiſtis vos, vt illud ſcilicet quod nolumus faciamus. Nunc ergo opus eſt nobis, vt prius duarum concupiſcentiarũ vim, id eſt, carnis & ſpiritus agnoſcamus, & ita demum quæ voluntas ſit noſtra, quæ inter vtranque poſita eſt, diſcutere valeamus; deinde quid poſſit voluntatis noſtræ non eſſe, ſimiliter diſcernamus. *Prouerb. 17.*

Quòd vocabulum carnis non in vna ſignificatione ponatur.

CAPVT X.

VOcabulum carnis in ſcripturis ſanctis multifariè legimus nominari. Nam nonnunquam ſignificat hominem integrum, id eſt, qui ex corpore conſtat & anima: vt ibi, Et verbum caro factum eſt: & videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri. Nonnunquàm homines peccatores atque carnales: vt *Ioann. 1.* *Iſaiæ 40. & Lucæ 3.*

 ibi, Non

Genes.6. ibi, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, eo quòd ſint caro. Interdum pro ipſis peccatis ponitur, vt ibi: *Rom.8.* Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Et iterum: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Denique ſequitur: *1.Cor.15.* Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Nonnunquam pro cognatione & propinquitate, vt ibi: Ecce nos os tuum & *2.Reg.5.* caro tua ſumus. Et Apoſtolus: Si quomodo in æmulationem *Rom.11.* inducam carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Quærendum ergo nobis eſt, ſecũdum quam ſignificationem ex his quatuor carnem hic debeamus accipere. Manifeſtum namque eſt ſecundum illud quod poſitum eſt, Et verbum caro factum eſt; vel illud, Et videbit omnis caro ſalutare Dei, penitus ſtare non poſſe, ſed neque ſecundum illud quod dicitur, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, eo quòd ſunt caro: quia non ſicut ibi abruptè de homine pecca- *Galat.5.* tore, ita & hic ponitur caro, cùm dicitur: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Neque enim de rebus ſubſtantialibus loquitur, ſed de actualibus, quæ in vno eodemque homine vel pariter, vel ſigillatim cum quadam temporis viciſſitudine & mutatione luctantur.

Quid in hoc loco caro ab Apoſtolo nominetur, & quid ſit cõcupiſcentia carnis.

CAPVT XI.

QVamobrem in hoc loco carnem non hominem, id eſt, hominis ſubſtantiam, ſed voluntatem carnis & deſideria debemus peſſima accipere, ſicut nec ſpiritum quidem aliquam rem ſubſtantialem, ſed animæ deſideria bona & ſpiritalia deſignari. Quem ſenſum idem beatus Apoſtolus ſuperius euidenter expreſſit, ita dicens: Dico autem: Spiritu *Ibidem.* ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritũ, ſpiritus verò aduerſus carnem. Hæc autẽ inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæcunq; vultis illa faciatis. Quæ cùm vtraque deſideria, id eſt, carnis & ſpiritus in vno eodemq; ſint homine, inteſtinum quotidie intra nos geritur bellum, dum concupiſcentia carnis quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præſentem requiem pertinent, deliciis gaudet. Quibus econtra concupiſcentia ſpiritus aduerſata, ita deſiderat tota ſpiritalibus ſtudiis inhærere, vt etiam neceſſarios carnis vſus optet excludere, ſic illis iugiter occupari cupiens, vt nullam penitus fragilitati eius curam cupiat *Carnis & ſpiritus pugna qualis ſit.* impartiri. Caro luxuriis ac libidine delectatur, ſpiritus ne ipſis quidem naturalibus deſideriis acquieſcit. Illa concupiſcit ſatiari ſomno, repleri cibo: Hic vigiliis & ieiuniis ita ſaginatur, vt ne ad ipſum quidem neceſſarium vitæ vſum ſomnum

cibumque velit admittere. Illa cupit exuberare copiis vniuersis; hic ne ipsius quidē exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lauacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari: Hic squalore sordium & inaccessibilis eremi vastitate congaudet, cunctorumque mortalium præsentiam perhorrescit. Honoribus illa & laudibus hominum confouetur: Hic irrogatis sibi persecutionibus iniuriisque lætatur.

Quæ sit voluntas nostra, quæ inter cōcupiscentiam carnis & spiritus ponitur.

CAPVT XII.

INter has igitur vtrasque concupiscentias, animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit, sic quærens à passionibus carnalibus temperari, vt nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri, absque castigatione carnis castimoniam cupiens corporis obtinere, sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis spiritalibus virtutibus exuberare, absque vllius exasperatione conuicij patientiæ gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum seculi ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire, districtionem veritatis sine cuiuspiam vel tenui offensione proferre. Postremò sic vult futura consequi bona, vt præsentia non amittat. Quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram faceret peruenire, sed in tepore quodam teterrimo collocaret, talesq; faceret, quales illi sunt qui in Apocalypsi increpatione Domini castigantur: Scio opera tua, quia neque calidus es, neque frigidus; vtinam frigidus esses aut calidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo: nisi hunc tepidissimum statum altrinsecus hæc insurgentia bella disruperint. Nam cùm famulantes huic voluntati nostræ ad hanc remissionem voluerimus nosmetipsos paululum relaxare, confestim aculei carnis insurgunt, suisque nos vitiis & passionibus saucientes, nequaquam in illa qua delectamur puritatis qualitate stare permittunt, atque ad illam quam horremus frigidam voluptatem, plenamq; sentibus pertrahunt viam. Rursus si spiritus feruore succensi, opera carnis volentes extinguere, sine vllo respectu fragilitatis humanæ, totos nosmetipsos tentauerimus ad immoderata virtutū studia cordis elatione cōferre, interpellans imbecillitas carnis ab illa reprehēsibili nimietate spirit⁹ reuocat ac retardat; & ita fit, vt vtraq; cōcupiscētia tali collucta-

Virtus per ardua debet acquiri.

Apoc. 3.

colluctatione alterna sibimet repugnante, animæ voluntas quæ nec totam se carnalibus desideriis dedere, nec virtutum vult laboribus desudare, quodãmodo iusto moderamine tẽperetur, dum hæc inter vtraq; cõtentio, illam perniciosiorem excludens animæ voluntatem, vt quandam æquitatis libram in statera nostri corporis collocat, quę spiritus carnisque confinia iusto discernit examine, nec à dextris mentem spiritus ardore succẽsam, nec à læua carnem vitiorum aculeis præpõderare permittit. Dum hæc pugna quotidianis diebus vtiliter exagitatur in nobis, ad illud quartum quod nolumus salubriter venire compellimur, vt puritatem cordis non otio nec securitate, sed iugi sudore & contritione spiritus acquiramus, castitatemque carnis districtis ieiuniis, fame, siti ac vigilantia retineamus: directionem etiam cordis, lectione, vigiliis, oratione continua, & solitudinis squalore capiamus; patientiam tribulationum exercitiis retentemus, cum blasphemiis & opprobriorum saturitate nostro seruiamus autori; veritatem cum inuidia mundi istius & inimicitiis si necesse fuerit, exequamur: & tali colluctatione in nostro corpore militante, protractis nobis ab hac ignaua securitate, atque ad istum quem volumus laborem ac virtutum studia prouocatis, æquitas optimè media retineatur, & tepidum nostræ voluntatis arbitriũ, hinc spiritus feruor, illinc carnis gelidissimus rigor moderatissimo calore contemperent, ac neque ad effrenata vitia mentem pertrahi concupiscentia spiritus sinat, nec rursum ad virtutum irrationabiles appetitus, fragilitas carnis spiritum patiatur extolli, ne vel inde omnigenum pullulent fomites vitiorum, vel hinc elatio morbi principalis emergens telo nos superbiæ grauiore confodiat, sed pugnæ horum iusta æquilibratio succedens sanam & moderatam inter vtramque virtutem reseruet viam, itinere regio docens militem Christi semper incedere: atque ita fit, vt cũ pro tẽpore huius quam diximus ignauissimæ voluntatis propensius mens ad desideria carnis fuerit deuoluta, spiritus concupiscentia refrenetur, nequaquam eo vitiis acquiescente terrenis: Rursumque si immoderato feruore per excessum cordis ad impossibilia fuerit spiritus noster & inconsiderata pręreptus, infirmitate carnis ad iustum retrahatur examen, & transcendens voluntatis nostræ tepidissimum statum commodissima temperie planoque tramite cum sudoris industria viam perfectionis incedat. Simile quid etiam in illius turris extructione legimus à Domino dispensatum in libro Geneseos, vbi
Genes. 11. linguarum oborta repentè confusio sacrilegos ausus hominum

num nefandosque compescuit. Permansisset enim etiam ibi aduersus Deum, imò aduersus eos qui diuinam eius attentare cœperant maiestatem, consensus noxius, nisi eos dispensatione Dei repugnans inter se diuersitas linguæ per dissonantiam vocis in meliorem statum proficere compulisset, & quos ad excidium sui animauerat perniciosa consensio, ad salutem reuocasset bona vtilisque discordia, incipientes scilicet humanam fragilitatem intercedente diuisione sentire, quam per noxiam conspirationem elati antea nesciebant.

De vtilitate cunctationis, quæ ex colluctatione oritur carnis & spiritus.

CAPVT XIII.

INtantum verò vtilis nobis ex huius pugnæ diuersitate cunctatio nascitur, & salutaris ex hac concertatione dilatio, vt resistente soliditate corporea, dum ab eorum effectu quæ nequiter mente concipimus, retrahimur, nonnunquam in meliorem statum, seu pœnitudine subsequente, seu emendatione quadam quæ solet procrastinatione operis & recogitatione interueniente descendere, corrigamur. Denique hos quos intelligimus ad voluntatum suarum desideria perficiẽda, nullo carnis obstaculo retardari, dæmones scilicet ac spiritales nequitias, & quidem cùm sint de eminentiore angelorum ordine deuoluti, detestabiliores esse hominibus contemplamur, eo quòd possibilitate eorum desideriis adiacente, id quod nequiter semel conceperint, irreuocabili malo perficere non morentur: quia sicut est animus eorum velox ad excogitandum, sic ad perficiendum pernix & absoluta substantia; & dum suppeditat eis prona facilitas ea quæ voluerint peragendi, conceptum malum nulla intercedens deliberatio salutaris emendat.

De inemendabili malitia spiritalium nequitiarum.

CAPVT XIIII.

SPiritalis namque substantia nec vlla carnis soliditate deuicta, vt excusationem exortæ in se prauæ non recipit voluntatis, ita veniam malignitatis excludit, quia nulla quemadmodum nos ad peccandum impugnatione carnis extrinsecus lacessita est, sed vitio solius malæ voluntatis accensa, & ob hoc sine venia peccatum, & languor sine remedio est. Sicut enim nulla sollicitáte terrena materia* corruit, ita nec indulgẽtiam quidẽ aut locũ pœnitudinis obtinere potest. Quibus ex rebus euidenter colligitur, quòd non solũ noxia nõ sit hæc quæ contra se inuicẽ suscitatur in nobis carnis spiritusq; contentio, verum etiam multam nobis conferat vtilitatem.

Cur dæmonum peccata nullam mereantur veniam.

*corrumpitur,

Quid

Quid nobis prosit carnis aduersus spiritum concupiscentia.

CAPVT XV.

PRimo quòd desidias ac negligentias nostras statim arguit, & vt quidam diligentissimus pædagogus à districtionis & disciplinæ linea nunquam nos deuiare concedens, si paululum quid securitas nostra mensuram congruæ seueritatis excesserit, flagellis incentiuorum stimulat confestim & increpat, atque ad competentem reuocat parcitatem. Secundo quòd pro castimoniæ ac puritatis integritate, cum Dei gratia concedente, ita nos longo tempore à genitali pollutione viderimus immunes, vt ne ipsa quidem simplici commotione carnis vlterius nos inquietandos esse credamus, & per hoc velut qui non gestemus corruptelam carnis in secretis conscientiæ nostræ fuerimus elati, suo nos rursum quamuis quieto ac simplici visitatis fluxu humiliat ac retundit, nosq; homines esse stimulis suis admonet. Quodammodo enim cùm in cæteris generibus vitiorum & quidem grauioribus magisque noxiis indifferentiùs soleamus incurrere, nec tam facilè in eorum compungamur admissu, in hoc peculiarius humiliatur conscientia nostra, perque hanc illusionem neglectarum quoque passionum recordatione mordetur, euidenter intelligens immundam se factam naturalibus incentiuis, quæ cùm esset immundior spiritalibus vitiis ignorabat, & recurrens protinus ad emendationem anterioris ignauiæ commonetur, nec super successibus præteritæ puritatis debere confidere, quam se perspicit pusillum quid declinantem à Domino, perdidisse, nec posse huius purificationis donum nisi per solius Dei gratiam possideri, docentibus nos quodammodo ipsius rei experimentis, vt si integritatem cordis perpetuò consequi delectamur, humilitatis studeamus virtutem iugiter obtinere.

De incentiuis carnis, quibus nisi humiliaremur, grauius rueremus.

CAPVT XVI.

Solam animi elationem omnium virtutũ merita eneruare, dæmonum exemplo confirmat.

HVius igitur puritatis elationem perniciosiorem futuram cunctis sceleribus atque flagitiis, & ob hanc nihil nos emolumenti consecuturos pro qualibet castitatis integritate, testantur illæ virtutes quarum superiùs fecimus mentionem, quæ cùm nullas huiusmodi titillationes carnis habuisse credantur, ob solam cordis elationem perpetua ruina de sublimi cælestique statione deiectæ sunt. Essemus itaque penitus absque remedio tepidi, vtpote non habentes indicem negligentiæ nostræ, vel in corpore nostro aut in conscientiis

propriis

propriis insidentem, nec studeremus ad perfectionis vnquam peruenire feruorem, sed nec frugalitatis quidē districtionem vel continentiæ teneremus, nisi nos hæc titillatio carnis increscens humiliaret atque retunderet, & aduersus spiritalium quoque vitiorum purgationem sollicitos redderet & intentos.

De eunuchorum tepore. CAP. XVII.

DEnique in his qui spadones sunt corpore, idcirco hunc animi teporem plerūque inesse deprehendimus, quia velut soluti ab hac necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere, & hac securitate resoluti, nunquam perfectionem cordis, sed nec spiritalium quidem vitiorum purgationem vel quærere in veritate vel possidere festinant. Qui status à carnali qualitate descendens, efficitur animalis, qui est proculdubio deterior gradus: ipse est enim qui de frigido ad tepidum transiens detestabilior Domini voce signatur. *Apoc. 3.*

Interrogatio quid intersit inter carnalem & animalem.

CAPVT XVIII.

GErmanus: De vtilitate colluctationis quæ inter carnem & spiritum suscitatur, quantum videtur nobis euidenter expressum est, ita vt eam ipsis quodammodo manibus nostris palpabilem factam esse credamus. Et idcirco hanc quoque rationem nobis similiter cupimus aperiri, quid intersit inter carnalem & animalem virum, vel quemadmodum animalis carnali possit esse deterior.

De triplici animarum statu. CAP. XIX.

DAniel: Secundum definitionem scripturæ tres sunt animarum status. Primus carnalis, secundus animalis, tertius spiritalis. Quos in Apostolo ita legimus designari. Nam de carnali dicitur: Lac vobis potum dedi non escam, nec dum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales. Et iterum: Vbi enim est inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis? De animali quoque taliter commemoratur: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi. De spiritali verò: Spiritalis autem examinat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Et iterum: Vos qui spiritales estis, instruite eos qui eiusmodi sunt in spiritu lenitatis. Itaque festinandum est nobis, vt cùm renunciantes desierimus esse carnales, id est, à secularium cœperimus conuersatione seiungi, & ab illa manifesta carnis pollutione cessare, spiritalem statū protinus apprehendere tota virtute nitamur, ne fortè blandientes nobis quòd videmur secundū exteriorē hominē huic renunciasse mūdo, vel car-

1. Cor. 3. *Ibidem.* *1. Cor. 2.* *Ibidem.* *Galat. 6.*

vel carnalium fornicationum deseruisse contagia, tanquàm qui summam perfectionis per hoc apprehenderimus, remissiores deinceps erga emundationem cæterarum passionum lentioresq; reddamur, & inter vtraque detenti gradum spiritalis profectus assequi nequeamus, existimantes ad perfectionem nobis abunde sufficere, quòd exteriore homine videamur de conuersatione mundi huius ac voluptatibus segregati, vel quòd immunes simus à corruptela & cõmixtione carnali, & ita inuenti in illo tepido statu, qui deterrimus iudicatur, euomendos nos ex ore Domini secundũ eius sententiam nouerimus, ita dicentis: Vtinam calidus esses aut frigidus; nũc autem tepidus es, & incipiam te euomere ex ore meo. Nec immeritò eos Dominus quos iam in visceribus receperat caritatis, noxiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronunciat; qui cùm salutarem quodammodo ei potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis qui nunquàm ori Dominico illati sunt, cibis, quanto id quod nausea compellente proiicimus, odibilius detestamur. Quicquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, & salutifera suauitate percipitur: quod autem semel vitio perniciosi teporis abiectum est, non dicam labiis admouere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore nõ possumus. Rectissimè ergo pronunciatur esse deterior, quia facilius ad salutarem conuersationem ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est, secularis vel gentilis accedit, quàm is qui professus monachũ, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritalis feruoris igne discessit. Ille namque corporalibus saltem vitiis humiliatus, atque immundum se sentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis ac perfectionis culmen, quandoque compunctus, accurrit, & horrescens illum in quo est infidelitatis gelidissimum statum, spiritus ardore succensus, ad perfectionem facilius conuolabit. Nam qui semel, vt diximus, tepido exorsus initio monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate ac feruore quo debuit iter huius professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodam modo resolutus, nec ex se vlteriùs perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Dicit enim in corde suo secundum illam Domini sententiam, quia diues sum & locuples, & nullius egeo. Cui illud quoque quod subsequitur consequenter aptabitur, tu autem es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus:

Perfectionis studium nunquam deponendum est.

Apoc. 3.

Torpor atque tepiditas animi monachis valde perniciosa.

Ibidem.

nudus: in eo factus etiã feculari deterior, quòd nec miferum fe nec cæcum ac nudum aut emendatione dignum, vel egere monitis alicuius aut inftitutione cognofcit, & ob hoc nec exhortationem quidem vllam verbi falutaris admittit, non intelligens ipfo monachi fe nomine prægrauari ac deprimi opinione cunctorum, qua dum creditur ab omnibus fanctus, & velut Dei famulus colitur, neceffe eft vt in futuro vehementiori iudicio pœnæque fubdatur. Poftremò quid diutius immoramur in his quæ nobis experimento fatis comperta funt ac probata? Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id eft, de fecularibus ac paganis, ad fpiritalem perueniffe feruorem, de tepidis atq; animalibus omnino nõ vidimus. Quos etiam per prophetam ita legimus Dominum deteftari, vt fpiritalibus viris atque doctoribus præcipiatur, vt ab eis monendis docendisque difcedant, & nequaquam velut in fterili atque infructuofa terra noxiisque fentibus occupata, femen verbi falutaris expendant, fed vt contemnentes eam, nouam potius excolant terram, id eft, erga paganos ac feculares omnem doctrinæ culturam ac verbi transferant falutaris inftantiam, quod ita legitur: Hæc dicit Dominus viro Iuda & habitatoribus Hierufalem: Nouate vobis nouale, & nolite ferere fuper fpinas. *Ierem. 4.*

Sola monachi appellatione gloriari, nimis ineptum eft.

De malè abrenunciantibus. CAP. XX.

DEnique, quod pudet dicere, ita plerofque abrenunciaffe confpicimus, vt nihil amplius immutaffe de anterioribus vitiis ac moribus comprobentur, nifi ordinem tantummodo atque habitum fecularem. Nam & acquirere pecunias geftiunt, quas nec antè poffederunt, vel certè quas habuerant retinere non definunt, aut quod eft lugubrius etiam amplificare defiderant, fub hoc prætextu quòd vel famulos fuos femper exinde vel fratres alere fe debere iuftum effe contendunt, vel certè fub obtentu congregandorum fratrum cupiditate & inftituendi monafterij fimulatione cœtus referuant, quem velut Abbates inftituere fe poffe præfumunt. Qui fi in veritate viam perfectionis inquirerent, hoc potius tota virtute perficere niterentur, vt fcilicet exuti non folum pecuniis, fed etiam affectionib. priftinis & diftentionib. vniuerfis, femetipfos fingulares ac nudos ita fub feniorum imperio collocarent, vt curam non modò aliorum nullam, fed ne fui quidem gererent. Econtrario autem euenit, vt dum fratrib. præeffe feftinant, nunquam fenioribus ipfi fubiiciantur, & à fuperbia inchoantes dum alios inftituere cupiũt, nec

Pecuniarum vfus & cupiditas monaftica profeffioni contraria eft.

Affectati imperij pernicies.

Q difcere

discere ipsi nec agere ea quæ sunt Deo agenda mereantur. Quibus necesse est, vt secundum Saluatoris sententiam cæci duces cæcorum effecti, pariter in foueam cadant. Cuius superbiæ licet vnum sit genus, duplex tamen eius est species: Vna quæ * serietatem grauitatemque iugiter emetitur: Alia quę effrenata libertate in cachinnos fatuos risusque dissoluitur. Et illa quidem taciturnitate congaudet, hæc verò dedignatur silentio coartari, nec confunditur passim proloqui, etiā res incongruas & ineptas, dum erubescit vel inferior cæteris vel indoctior iudicari. Alia ob elationem, clericatus ambit officium, altera despicit, vtpote iudicans illud aut dignitati pristinæ, aut vitæ, ac natalium suorum meritis incongruum vel indignum. Quarum quæ deterior pronuncianda sit, vniuscuiusque discutiat ac perpendat examen. Vnum sanè atque idem inobediētiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium senioris violare mandatum, tamque dispēdiosum est pro somno quàm pro vigilantia monasterij statuta conuellere. Tantum denique est Abbatis transire præceptum vt legas, quantum si contēnas vt dormias: nec alius superbiæ fomes est pro ieiunio fratrē quàm pro refectione contemnere, nisi quòd perniciosiora & à remediis longinquiora sunt vitia quæ sub specie virtutum & imagine spiritalium rerum videntur emergere, quàm illa quæ ex aperto pro carnali * voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expositi ac manifesti * languores, & arguuntur cominus & sanantur; illa verò dum prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quosque periculosius faciunt ac desperatius ægrotare.

Matth. 15.

*seueritatē, serenitatē *vel* veritatem

*voluntate

*languoris

De his qui contemptis magnis, occupantur in paruis.

CAPVT XXI.

IAm illud ridiculum qualiter exprimatur, quòd nonnullos post illum primæ renunciationis ardorem, quo vel res familiares vel opes plurimas ac militiam seculi relinquētes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his quæ penitus abscindi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamuis parua viliaque sint, esse deuinctos, vt horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. Quibus profectò nō magni proderit maiores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum ob quos illæ contemnendę sunt in res paruas atque exiguas trāstulerunt. Nam vitium cupiditatis & auaritiæ quod erga species

Quanta cura proprietatis vitium extirpandum sit.

cies pretiosas exercere nõ possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse sed commutasse se probant pristinã passionem. Nam nimia deuincti diligentia erga curam psiathij, sportellæ, sacelli, codicis, mattæ, aliarumque similium rerum, quamuis vilissimarum, eadem tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta æmulatione custodiunt atque defendunt, vt pro ipsis aduersus fratrem commoueri eos, &, quod est turpius etiam, litigare non pudeat. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis pristinæ laborantes, hæc eadem quæ vsus corporis possidere monachum vel necessitas cogit, secundum numerum mensuramque communem non sunt habere contenti, in hoc quoque sui cordis auaritiam designãtes, cùm vel ea quibus vti necesse est propensius student habere quàm cæteri, vel excedentes diligentiæ modum peculiarius ea attentiusque custodiunt, & ab aliorum contrectatione defendũt, quæ vniuersis fratribus debent esse communia. Quasi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur innoxia; & cùm pro reb⁹ quidem magnis irasci non liceat, pro vilioribus verò hoc ipsum fecisse sine culpa sit; & non idcirco pretiosiores abiecerimus materias, vt facilius disceremus viliora contemnere. Quid enim differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quòd in eo reprehensibilior iudicandus est, quòd qui maxima spreuerit, minimis obligetur. Ideoque perfectionem cordis abrenunciatio ista non obtinet; quia cũ censum habeat pauperis, non abiicit diuitis voluntatem.

Collationis Abbatis Danielis de concupiscentia carnis & spiritus finis.

COLLATIO V. SERAPIONIS DE OCTO PRINCIPALIBVS VITIIS.

CAPVT I.



N illo cœtu antiquissimorum senum fuit vir nomine Serapion, adprimè gratia discretionis ornatus, cuius collationem operæ pretiũ reor litteris tradere. Ambientibus enim nobis vt de impugnatione vitiorum aliqua disputaret, quibus origines eorum & causæ manifestius panderētur, ita exorsus est.

Narratio Abbatis Serapionis de octo principalibus vitiis. CAP. II.

OCto sunt principalia vitia, quæ humanum infestant genus, id est, Primum gastrimargia, quod sonat, ventris ingluuies. Secũdum fornicatio. Tertium philargyria, id est, auaritia siue amor pecuniæ. Quartũ ira. Quintum tristitia. Sextum acedia, id est, anxietas siue tædium cordis. Septimũ cenodoxia, id est, iactantia seu vana gloria. Octauũ superbia.

De duobus vitiorum generibus, & efficientia eorum quadripartita.

CAPVT III.

HOrum igitur vitiorum genera sunt duo. Aut enim naturalia sunt, vt gastrimargia: aut extra naturã, vt philargyria. Efficientia verò quadripartita est. Quædã enim sine actione carnali consummari non possunt, vt est gastrimargia & fornicatio; quædam verò etiã sine vlla corporis actione complentur, vt est superbia & cenodoxia: nonnulla commotionis suæ causas extrinsecus accipiunt, vt est philargyria & ira: alia verò intestinis motibus excitantur, vt est acedia atque tristitia.

Recapitulatio de gastrimargiæ & fornicationis passione, & curatione earum. CAP. IIII.

ET vt hæc eadem non solùm disputatione quantum possumus breui, sed etiam scripturarum testimoniis manifestiora reddamus; gastrimargia & fornicatio cùm naturaliter nobis insederint, nonnunquam etiam sine vllo animę incitamẽto solius instigatione ac pruritu carnis oriuntur, materia tamen vt consummentur egent extrinsecus, & ita in effectum corporali actione perueniunt. Vnusquisque enim tẽ- *Iacob. 1.*

tatur

tatur à propria concupiſcẽtia; deinde concupiſcẽtia cũ fuerit cõcepta, parit peccatũ: Peccatũ verò cũ fuerit conſummatũ, generat mortẽ. Nã nec primus Adã per gaſtrimargiã decipi potuit, niſi eſcæ materiã habens in promptu abuſus ea fuiſſet illicitè: nec ſecundus ſine cuiuſdã materiæ * illicitatione tentatur, cùm dicitur ei, Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Fornicatio quoque quòd non niſi per corpus perficiatur, omnibus patet, ita de hoc ſpiritu dicente Deo ad beatum Iob, Et virtus eius in lumbis eius, & poteſtas eius ſuper vmbilicum ventris. Ideoque hæc ſpecialiter duo quæ miniſterio carnis explentur, extra illam ſpiritalem animæ curam egent peculiarius etiam continentia corporali. Siquidem ad retundendos horum ſtimulos non ſufficit ſola mentis intentio (vt nonnumquam ſolet aduerſus iram ſeu triſtitiam cæteraſque fieri paſſiones, quas etiam ſine vlla carnis afflictione ſola nouit expugnare mentis induſtria) niſi etiam caſtigatio corporalis acceſſerit, quæ ieiuniis, vigiliis & operis contritione perficitur; hiſque fuerit remotio localis adiuncta, quia ſicut amborum vitio, id eſt, animæ & corporis generantur, ita ſuperari niſi vtriuſque labore non poterunt. Et licet beatus Apoſtolus omnia vitia generaliter pronunciauerit eſſe carnalia, ſiquidẽ inimicitias & iras atque hæreſes inter cętera carnis opera numerauerit, nos tamen ad illorum curationes atq; naturas diligentius colligendas, duplici ea diuiſione diſtinguimus. Nam ex his quædam dicimus eſſe carnalia, quædam verò ſpiritalia: Et illa quidem carnalia, quæ ſpecialiter ad fomitem & ad ſenſum pertinẽt carnis: quibus illa ita delectatur ac paſcitur, vt etiam quietas incitet mentes, inuitaſque eas nonnunquã pertrahat ad ſuæ voluntatis aſſenſum. De quibus beatus Apoſtolus quibuſdam ait, Et nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Spiritalia verò dicimus quæ inſtinctu animæ ſolius orta, nõ ſolùm nihil voluptatis conferunt carni, ſed etiam grauiſſimis eam languoribus afficientia, miſerrimę iocunditatis paſtu animam tantum nutriunt ægrotantem. Et idcirco hæc quidẽ ſimplici cordis indigent medicina: quæ autem carnalia ſunt, non niſi duplici, quemadmodum diximus, ad ſanitatem curatione perueniunt. Vnde puritati ſtudẽtibus plurimum cõfert, vt harum carnalium paſſionum ipſas materias ſibi primitus ſubtrahãt, quibus poteſt vel occaſio vel recordatio earundem paſſionum ægrotãti adhuc animæ generari. Neceſſe eſt enim vt morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam

Geneſ. 3.

*illectatione

Matth. 4.

Iob 40.

Aduerſus gaſtrimargiam & fornicationẽ maiore ſtudio reluctãdum eſt, quã contra cætera vitia.

Galat. 5.

Quæ vitia carnalia ſint, quæ ſpiritalia.

Epheſ. 2.

corpori ne concupiſcentia in effectum tētet prorumpere, neceſſariò effigies & materia illiciens ſubtrahenda eſt; & animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio ſcripturarum, & ſollicitudo peruigil ac remotio ſolitudinis vtiliter apponenda. In cæteris autem vitiis humana conſortia nihil obſunt, quinimo etiam plurimum conferunt his qui carere eis in veritate deſiderant, quia frequentia hominum magis arguūtur; & dum laceſſita crebrius manifeſtātur, celeri medicina perueniunt ad ſalutem.

Quomodo Dominus noſter ſolus abſque peccato tentatus ſit.

CAPVT V.

Hebr. 4. IDeoq; Dominus noſter Ieſus Chriſtus cùm Apoſtoli pronuncietur ſententia tētatus fuiſſe per omnia ſecundum ſimilitudinem noſtram, dicitur tamen abſque peccato, id eſt, abſque huius paſſionis contagio, nequaquam ſcilicet aculeos concupiſcentiæ carnalis expertus, quibus nos neceſſe eſt etiā ignorantes inuitoſque compungi; quippe cui nulla inerat ſimilitudo ſeminationis vel conceptionis humanæ, ita rationē
Luca 1. conceptus eius archangelo nunciante, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

De ratione tentationis, qua à Diabolo tentatus eſt Dominus.

CAPVT VI.

IN illis enim paſſionibus etiam ipſe tentari debuit, incorruptam imaginem Dei ac ſimilitudinem poſſidens, in quibus & Adam tentatus eſt, cùm adhuc in illa inuiolata Dei imagine perduraret, hoc eſt, gaſtrimargia, cenodoxia, ſuperbia, non in quibus poſt præuaricationem mandati, imagine Dei ac ſimilitudine violata, ſuo iam vitio deuolutus inuolui-
Genesis 3. tur. Gaſtrimargia namque eſt qua interdicti ligni præſumit
Ibidem. edulium: Cenodoxia, qua dicitur, aperientur oculi veſtri: Superbia, qua dicitur, eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malū. In his ergo tribus vitiis etiam Dominum ſaluatorem legimus
Matth. 4. fuiſſe tentatum. Gaſtrimargia, cùm dicitur ei à diabolo: Dic vt lapides iſti panes fiant. Cenodoxia; Si filius Dei es, mitte te deorſum. Superbia, cùm oſtendens illi omnia regna mundi & eorum gloriam, dicit: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadēs adoraueris me: vt iiſdem quibus ille tentationum lineis eſt appetitus, nos quoque quemadmodùm tentatorem vincere deberemus, ſuo doceret exemplo. Ideoq; & ille Adam dicitur, & iſte Adam. Ille primus ad ruinam & mortem; hic primus ad
1. Cor. 15. reſurrectionem & vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur, per iſtum omne genus hominū liberatur. Ille

de rudi atq; intacta fingitur terra; hic de Maria virgine procreatur. Huius ergo vt suscipere eum tentationes oportuit, ita excedere necessarium non fuit. Nec enim qui gastrimargiam vicerat, poterat fornicatione tentari, quæ ex illius abundantia ac radice procedit, qua ne ille quidem primus Adam fuisset elisus, nisi ante generatricē eius passionem, deceptus illecebris diaboli, recepisset. Et ob hoc filius Dei non absolutè in carne peccati venisse dicitur, sed in similitudine carnis peccati: quia cùm esset in eo vera caro, manducans scilicet, & bibens, & dormiens, clauorum quoq; confixionem in veritate suscipiens, peccatum eius quod preuaricationem cōtraxit, verum non habuit, sed imaginarium. Non enim ignitos aculeos concupiscentiæ carnalis expertus est, qui etiam nolentibus nobis natura iam administrante consurgunt, sed huius quandam similitudinem, naturā participando suscepit. Nam cùm omnia quæ officij nostri sunt in veritate compleret, & vniuersas infirmitates gestaret humanas, consequenter huic quoq; passioni putatus est subiacere, vt per has infirmitates etiam condicionem huius quoque vitij atque peccati videretur in sua carne portare. Denique in his eum tantummodo vitiis diabolus tentat, in quibus & illum primum deceperat, coniiciens hunc quoque velut hominem similiter in cæteris illudendum, si eum in illis quibus priorem deiecerat, sensisset elisum. Verùm ei secundum iam morbum qui de radice principalis vitij pullularat, primo certamine confutatus inferre non potuit. Videbat enim nullatenus eum initialem causam ęgritudinis huius suscepisse, eratque superfluum * sperari ab eo fructum peccati, cuius eum semina vel radices nullo modo recepisse cernebat. Licet secundum Lucam, qui postremam tentationem illam ponit, qua dicitur, Si filius Dei es, mitte te deorsum, hæc superbiæ passio possit intelligi, ita vt illa superior quam Matthæus tertiam ponit, in qua iuxta prædictum Lucam euangelistam omnia ei regna mundi in puncto temporis ostendens diabolus repromittit, accipiatur passio philargyriæ, quòd scilicet post gastrimargiæ victoriam fornicatione eum tentare non præualens ad philargyriam transierit, quam radicem malorum omnium nouerat, in qua iterum superatus, nullum ei vitium ex his quæ sequebantur iam ausus ingerere (quippe quæ nouerat de eius radice ac fomite pullulare) ad extremam superbiæ transierit passionem, qua nouerat etiam perfectos quosque deuictis omnibus vitiis posse pulsari, qua etiam vel seipsum cùm esset lucifer, vel complures alios

Rom. 8.
Galat. 4.
*sperare
Luc. 4.
Superbiæ vitiū etiā perfectissimos quosque inuadit.

absque incitamento præcedentium passionum de cælestibus meminerat corruisse. Iuxta hunc ergo quẽ prædiximus ordinem, qui ab euangelista Luca describitur, etiam ipsa illa illicitatio & figura tentationum quibus vel illum primum vel
Genes. 3. istum secundũ Adam callidissimus aggreditur inimicus, ele-
Matth. 4. gantissimè congruit. Illi namque dicit, aperientur oculi vestri: huic ostendit omnia regna mundi & gloriam eorum. Ibi dicit, eritis sicut dij; hic, si filius Dei es.

De consummatione cenodoxiæ & superbiæ sine ministerio corporali.

CAPVT VII.

ET vt de efficientiis cęterarum quoque passionum quarum narrationem intercidere nos expositio gastrimargiæ vel Dominicæ tentationis necessariò compulit, eodem quo proposueramus ordine differamus: cenodoxia atque superbia etiam sine vllo consummari solent ministerio corporali. In quo enim eget actione carnali, quæ pro cohibitione & cõcupiscentia voluntate sola conquirendæ laudis & humanæ gloriæ consequendæ abundè ruinam generant animæ captiuatæ? Aut quem effectum habuit corporalẽ prædicti luciferi illius antiqua superbia, nisi quòd eam tantummodo animo &
Isa. 14. cogitatione concepit, ita propheta commemorante: Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, super astra Dei ponam solium meum, ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo? Qui sicut huius superbiæ neminem habuit incentorem, ita ei cõsummationẽ criminis ruinæq; perpetuæ, cogitatio sola perfecit: & quidem cùm affectatæ tyrannidis nulla fuerint opera subsecuta.

De philargyria, quòd extra naturam sit; & quid intersit inter ipsam & naturalia vitia CAP. VIII.

PHilargyria & ira licet non sint vnius naturæ, nam prior extra naturam est, sequens verò originale videtur in nobis seminariũ possidere, simili tamẽ oriuntur modo, extrinsecus siquidem causas cõmotionis plerumque cõcipiunt. Etenim frequẽter hi qui adhuc infirmiores sunt, vel irritatione, vel instinctu quorundam, in hæc se corruisse vitia conquerũtur, ac præcipitatos se vel ad iracundiã, vel ad philargyriam aliorũ prouocatione, causantur. Quòd extra naturã sit philargyria, hinc liquidò peruidetur, quia nec originale probatur in nobis habere principiũ, nec de materia cõcipitur quæ pertingit ad animę vel carnis participationem, vitæq; substantiã.
Cuiusmodi monachos philargyriæ morbus corripiat. Nihil enim ad vsum vel necessitatem naturæ cõmunis præter escam quotidianã ac potum certum est peruenire: reliquæ verò vniuersæ materię quantolibet studio atq; amore seruentur,

tur,alienæ tamen ab humana indigentia etiam vſu vitæ ipſius approbantur, ideoque hoc velut extra naturam exiſtens non niſi tepidos ac malè fundatos monachos pulſat. Quæ autem naturalia ſunt, etiam probatiſſimos monachorum, & quidem in ſolitudine commorantes, attentare non deſinunt. Et in tantum hoc veriſſimum comprobatur, vt etiam gentes nõnullas ab hac paſſione, id eſt phylargyria, liberas omnimodis agnoſcamus, quia nequaquàm vitij huius ægritudinẽ vſu & conſuetudine receperunt. Illum quoque priorem mundũ qui ante diluuium fuit, diutiſſime concupiſcentiæ huius rabiem credimus ignoraſſe. Quæ etiam in vno quoque noſtrũ rectè abrenunciante ſine vllo labore probatur extingui, cùm ſcilicet vniuerſis quis facultatibus abiectis, ita expetierit cœnobij diſciplinã, vt ex eis ne vnum quidẽ denarium ſibimet ſupereſſe patiatur. Cuius rei teſtes multa hominum millia poſſumus inuenire, qui cùm ſub momento breuiſſimo diſperſis omnibus ſubſtantiis ſuis in tantum hanc eradicauerunt paſſionem, vt ne tenuiter quidem ab ea pulſentur vlterius: At nihilominus omni tempore contra gaſtrimargiam pugnantes, niſi ingenti circumſpectione cordis & abſtinentia corporis dimicauerint, ſecuri eſſe non poſſunt.

Ante diluuiũ ignota fuit philargyria.

Quòd triſtitia & acedia nulla prouocatione extrinſecus generentur ſicut alia vitia. CAPVT IX.

TRiſtitia & acedia nulla, quemadmodum ſuprà diximus, accedente extrinſecus prouocatione generari ſolent. Nã ſolitarios quoſque & in eremo conſtitutos, nulliq́ue humano commixtos conſortio, frequenter atque amariſſimè vexare noſcuntur: quod eſſe veriſſimum quiſque cùm fuerit in ſolitudine commoratus, & pugnas hominis interioris expertus, ipſis experimentis perfacilè comprobabit.

De ſex vitiorum concordia, & duorum ab eis diſſidentium cognatione.

CAPVT X.

HAec igitur octo vitia licet diuerſos ortus ac diſſimiles efficientias habeant, ſex tamen priora, id eſt gaſtrimargia, fornicatio, philargyria, ira, triſtitia, acedia, quadam inter ſe cognatione, &, vt ita dixerim, concatenatione connexa ſunt, ita vt prioris exuberantia * ſequenti efficiatur exordium. Nam de abundantia gaſtrimargiæ fornicationẽ, de fornicatione philargyriam, de philargyria iram, de ira triſtitiam, de triſtitia acediam neceſſe eſt pullulare; ideoque ſimili contra hæc modo atq; eadẽ ratione pugnandũ eſt, & à præcedẽtib⁹ ſemper aduerſus ſequẽtes oportet nos inire certamina. Faciliùs enim cuiuslibet arboris noxia latitudo ac

*ſequentis

proceritas exarescit, si antea radices eius quibus innititur, vel nudatæ fuerint vel succisæ. Et infestantes humores aquarum continuo siccabuntur, cùm generator earum fons ac profluentes venæ sollerti industria fuerint obturatæ. Quamobrem vt acedia vincatur, antè tristitia superanda est; vt tristitia propellatur, ira prius est extrudenda; vt extinguatur ira, philargyria calcanda est; vt euellatur philargyria, fornicatio compescenda est; vt fornicatio subruatur, gastrimargiæ vitium est castigandum. Residua verò duo, id est, cenodoxia, & superbia, sibi quidem similiter illa qua de superioribus vitiis diximus ratione iunguntur, ita vt incrementum prioris ortus efficiatur alterius. Cenodoxiæ enim exuberantia superbiæ fomitē parit. Sed ab illis sex prioribus vitiis penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur. Siquidem non solùm nullam ex illis occasionē suæ generationis accipiūt, sed etiam contrario modo atque ordine suscitātur. Nam illis euulsis hęc vehementius fructificant, & illorum morte viuacius pullulant atque succrescūt. Vnde etiam diuerso modo ab his duobus vitiis impugnamur. In vnumquodque enim illorum sex vitiorum tunc incidimus, cùm à præcedentibus eorum fuerimus elisi: in hæc verò duo victores & vel maximè post triumphos periclitamur incurrere. Omnia igitur vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur. Et hac ratione vt superbia possit excludi, cenodoxia est præfocanda. Et ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescēt, & extinctione præcedentium, residuæ passiones absque labore marcescent. Et licet hæc quæ prædiximus octo vitia illa quam commemorauimus ratione inuicem sibi connexa atq; permixta sint, specialius tamen in quatuor coniugationes & copulas diuiduntur: gastrimargiæ namque fornicatio peculiari consortio fœderatur, philargyriæ ira, tristitiæ acedia, cenodoxiæ superbia familiariter coniungitur.

Cenodoxiæ & superbiæ vitia cæteris virtutibus insidiantur.

De origine & qualitate vniuscuiusque vitij. CAP. XI.

ET vt sigillatim nunc de vniuscuiusque vitij generibus disputemus. Gastrimargiæ genera sunt tria. Primum, quod ad refectionem perurget monachum ante horam statutam ac legitimam festinare. Secundum, quod expletione ventris & quarumlibet escarum voracitate lætatur. Tertium, quod accuratiores ac delicatissimos desiderat cibos. Quę tria non leui dispendio monachum feriunt, nisi ab omnibus istis pari studio atque obseruantia semetipsum expedire contenderit. Nam quemadmodum absolutio ieiunij ante horam cano-

Gastrimargiæ tria sunt genera, aduersus quæ monachos diligenter luctari debere ostendit.

canonicam nullatenus præsumenda est, ita & ventris ingluuies & escarum sumptuosa atque exquisita præparatio similiter amputanda. Ex his enim tribus causis diuersæ ac pessimæ valetudines animæ procreantur. Nam de prima monasterij odium gignitur, atque exinde horror, & intolerantia eiusdem concrescit habitaculi, quam sine dubio mox discessio aut fuga velocissima subsequetur. De secũda igniti luxuriæ & libidinis aculei suscitantur. Tertia etiam inextricabiles philargyriæ laqueos nectit ceruicibus captiuorum, nec aliquando monachum sinit perfecta Christi nuditate fundari. Cuius nobis passionis inesse vestigia, isto quoque deprehendimus indicio, cùm fortè ad refectionem detenti ab aliquo fratrum, contenti non sumus eo sapore cibos sumere, quo ab exhibente conditi sunt, sed quiddam superfundi eis vel adiici importuna atque effrenata poscimus libertate. Quod fieri penitus non oportet, tribus de causis. Primò quia mens monachi semper debet in omni tolerantiæ ac parcitatis exercitatione versari, & secundum Apostolum, discere in quibus est sufficiens esse: nullatenus enim poterit, vel occulta vel maiora corporis desideria refrenare, quisquis degustatione modicæ insuauitatis offensus, ne ad momentum quidem delicias gutturis sui valuerit castigare. Secundò, quòd nonnunquàm euenit vt ad horam desit illa species quæ postulatur à nobis, & verecundiam necessitati vel frugalitati suscipientis incutimus, publicantes scilicet paupertatem eius quam soli Deo cognitam esse maluerat. Tertiò, quòd interdum solet sapor ille quem nos adiici poscimus, aliis displicere, & inuenimur iniuriam multis, dum nostræ gulæ ac desiderio satisfacere cupimus, irrogare; propter quod omnimodis hæc in nobis est castiganda libertas. Fornicationis genera sunt tria. Primum, quod per commixtionem sexus vtriusque perficitur. Secundum, quod absq; femineo tactu, pro quo Onan patriarchæ Iudæ filius à Domino percussus legitur, quod in scripturis sanctis immunditia nuncupatur, super quo Apostolus: Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego; quòd si se non continẽt, nubant, melius est enim nubere quàm vri. Tertium, quod animo ac mente concipitur. De quo Dominus in euangelio, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo extinguenda pronuncians, Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, &c. Et iterum de duobus

Philipp. 4.
Genes. 38.
1. Cor. 7.
Tria fornicationis genera.
Matth. 5.
Coloss. 3.

Ephes. 5. duobus ad Ephesios: Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis. Et iterum: Illud autem scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Quæ tria vt à nobis pari obseruatione caueantur, similis nos eorum à regno Christi atque vna deterret exclusio. Philargyriæ genera sunt tria. Primum, quod renunciantes diuitiis ac facultatibus suis spoliari non sinit. Secundũ, quod ea quę à nobis dispersa sunt vel indigentibus distributa, resumere nos maiori cupiditate persuadet. Tertium, quod ea quæ ne antea quidem possedimus, desiderari acquiríue compellit. Iræ genera sunt tria. Vnum, quod exardescit intrinsecus, quod Græcè θυμὸς dicitur. Aliud, quod in verbum & opus effectũque prorumpit, quod ὀργὴ nuncupatur, de quibus & Apostolus, Nunc autem deponite, inquit, & vos omnem iram & indignationem. Tertium, quod non vt illa feruenter ad horam digeritur, sed per dies & tempora reseruatur, quod μῆνις dicitur. Quæ omnia æquali sunt à nobis horrore damnãda. Tristitiæ genera sunt duo. Vnum, quod vel iracundia desinente, vel de illato damno ac desiderio præpedito cassatoque generatur. Aliud, quod de irrationabili mentis anxietate seu desperatione descendit. Acediæ genera sunt duo. Vnum, quod ad somnum pręcipitat æstuantes: aliud, quod cellam deserere ac fugere cohortatur. Cenodoxia licet multiformis ac multiplex sit, & in diuersas species diuidatur, genera tamen eius sunt duo. Primum, quo pro carnalibus ac manifestis extollimur rebus: secundum, quo pro spiritalibus & occultis desiderio vanæ laudis inflammamur.

Ibidem.

Philargyriæ tria genera.

Iræ totidem genera.

Colos. 3.

Tristitiæ duo genera.

Acediæ duo genera.

Cenodoxiæ genera duo.

In quo sit vtilis cenodoxia. CAP. XII.

VNa re tamen cenodoxia vtiliter ab incipientibus assumitur, ab his dumtaxat qui adhuc vitiis carnalibus instigantur, vt verbi gratia, si illo tempore quo fornicationis spiritu perurgentur, mẽte conceperint vel sacerdotalis officij dignitatem, vel opinionem cunctorum qua sancti & immaculati esse creduntur, & ita immundos concupiscentiæ stimulos quasi turpes atque indignos, vel existimationi suæ, vel illi ordini iudicantes, hac saltem contemplatione declinent, minore malo id quod maius est retundentes. Satius enim est cenodoxiæ vitio quemcunq; pulsari, quàm incidere in fornicationis ardorẽ, vnde reparari aut non valeat, aut vix valeat post ruinã. Quẽ sensum ex persona Dei vnus prophetarũ eleganter expressit dicens: Propter me longè faciã furorẽ meum, & laude mea infrenabo te ne intereas: id est, vt dũ

Esa. 48.

ceno-

cenodoxiæ laudibus comprehenderis, nequaquam ad inferni profunda proruas, & irreuocabiliter mortalium peccatorum consummatione mergaris. Nec mirum tantam passioni huic inesse virtutem, vt irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrenare, cùm sit multorum experimentis sæpissimè comprobatum, quòd ita eum quem semel veneni sui peste corruperit, infatigabilem reddat, vt faciat ab eo ne biduana quidem ieiunia vel triduana sentiri. Quod etiam nonnullos in hac eremo frequenter nouimus fuisse confessos, se in cœnobiis Syriæ constitutos quinis diebus refectionem cibi sine labore tolerasse, nunc autem tanta se fame etiam ab hora tertia perurgeri, vt vsque nonam vix queât differre ieiunia quotidiana. Super qua re pulchrè Abbas Macharius cuidam percunctanti cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem sæpe contemnens non sensisset esuriem? respondit: Quia nullus hic est ieiunij tui testis qui te suis laudibus nutriat atque sustentet; ibi autem te digitus hominum & cenodoxiæ refectio saginabat. Huius autem rei figura quà diximus superueniente cenodoxia vitium fornicationis excludi, pulchrè satis in Regum libro ac signanter exprimitur, vbi populum Israëlem à Nechao rege Aegypti captiuatum ascendens Nabuchodonosor rex Assyriorum de finibus Aegypti ad suam transtulit regionem, scilicet non vt eos libertati pristinæ & genitali restitueret regioni, sed ad suas abduceret terras, lõgius asportandos quàm fuerant in terra Aegypti captiuati. Quæ figura in hoc quoque competenter aptabitur: licet enim tolerabilius sit cenodoxiæ quàm fornicationis vitio deseruire, difficiliùs tamen à cenodoxiæ dominatione disceditur. Quodammodo enim longiore itineris spatio captiuus abductus laboriosius ad genitale solum & libertatem patriam reuertetur; meritoque ad eum increpatio illa prophetica dirigitur; Quare inueteratus es in terra aliena? Rectè siquidem inueteratus dicitur in terra aliena, quisquis à terrenis vitiis nõ nouatur. Superbię genera sunt duo. Primũ carnale: Secũdum spiritale, quod etiam perniciosius est. Illos namque specialius impugnat quos in quibusdam virtutibus profecisse repererit.

4. Reg. 23. & 24.

Baruch 3.

Superbiæ duo genera.

De varia oppugnatione omnium vitiorum.

CAPVT XIII.

HAec igitur octo vitia cùm omne hominum genus pulsent, non tamen vno modo impetunt cunctos. In alio namque spiritus fornicationis locum obtinet principalem; in

alio superequitat furor, in alio cenodoxia vendicat tyrannidem, in alio arcem superbia tenet. Et cùm constet omnes ab omnibus impugnari, diuerso tamen modo & ordine singuli laboramus.

De instituendo aduersum vitia certamine secundum ipsorum infestationem. CAP. XIIII.

QVamobrem ita nobis aduersus hæc arripienda sunt prœlia, vt vnusquisque vitium quo maximè infestatur explorans, aduersus illud arripiat principale certamen, omnẽ curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem obseruationemque defigens, aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momẽtis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum ad Deum fletus fundens, & impugnationis suæ extinctionem ab illo specialiter ac iugiter poscens. Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse, cùm tamen vt valeat emundari, necesse sit eum die noctuque in omni cura & sollicitudine permanere. Cumque se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & exploret quam sibi inter reliquas perspexerit diriorem, atque aduersus eam specialius omnia spiritus arma commoueat, & ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit facilemque victoriam; quia & mens triumphorum processu reddetur fortior, & * infirmorum pugna succedens promptiorem ei prouentum faciet prœliorum, vt fieri solet ab his qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi bestiis, præmiorũ contemplatione consueuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi inquam feras quascunque fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas, quæ minus terribiles minusque vehemẽtes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitiis semper robustioribus superatis, atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque vllo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum quòd principaliter quis contra vnum dimicans vitium, & velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquã fiet. Impossibile namque est eum qui pro cordis sui emundatione sollicitus erga impugnationẽ vitij cuiuslibet intentionem suæ

*infirmiorũ

suæ mentis armauerit, aduersus cætera quoque vitia generalem quendam horrorē & custodiā similē non habere. Quo enim modo vel de illa qua absolui desiderat passione merebitur obtinere victoriā, qui se indignum purgationis præmio, aliorum facit contagio vitiorum. Sed cùm principalis cordis nostri intentio, velut specialem sibi pugnam aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit attētius, peculiari sollicitudine ac studio supplicans, vt eam diligentius obseruare, & per hæc celerem mereatur obtinere victoriam. Hunc namq; nos ordinem prœliorū exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere, etiam legislator his docet verbis: Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Nō poteris delere eas pariter, ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficiet illos donec penitus deleantur. *Deuter.7.*

Nihil nos posse aduersum vitia sine auxilio Dei, nec debere nos in eorum extolli victoria. CAP. XV.

SEd neque debere nos in eorum extolli victoria similiter admonet. Ne postquam comederis, inquit, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta & ouium greges, auri & argenti cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis, & ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili. Salomō quoque in Prouerbiis: Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem eius noli extolli, ne videat Dominus & non placeat ei, & auertat iram suam ab eo: id est, ne perspiciens elationem cordis tui ab eius impugnatione discedat, & incipias derelictus ab eo rursus illa quam per Dei gratiam antè superaueras, passione vexari. Non enim orasset Propheta dicens, Ne tradas Domine bestiis animam confitentem tibi, nisi scisset propter inflationem cordis quosdam vt humilientur, eisdem rursum vitiis quæ vicerant, tradi. Quamobrem certos nos esse conuenit, tam ipsis rerum experimentis quàm innumeris scripturę testimoniis eruditos, nostris nos viribus, nisi Dei solius auxilio fulciamur, tantos hostes superare non posse, & ad ipsum quotidie summam victoriæ nostræ referre debere. Ita super hoc quoque per Moysen Domino commonente: Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo, Propter iustitiā meā introduxit me

Deuter.6. *Prouerb.24.* *Psal.73.* *Deuter.9.*

me Dominus,vt terram hanc poſſiderem,cùm propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neque enim propter iuſtitias tuas & æquitatem cordis tui tu ingredieris,vt poſſideas terras earum, ſed quia illæ egerunt impietatem, te introeunte deletæ ſunt. Rogo quid apertius potuit dici contra pernicioſam opinionem præſumptionemque noſtram, qua totum quod agimus,vel libero arbitrio,vel noſtrę volumus induſtrię deputare? Ne dicas, inquit, in corde tuo, cùm deleuerit eas Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, propter iuſtitiã meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem. Nónne his qui oculos animę reſeratos & aures habent ad audiẽdum, euidenter expreſſit: Cùm tibi proſperè vitiorum carnalium bella ſucceſſerint, & videris te de ipſorum cœno & conuerſatione mundi iſtius liberatum, non tuæ id virtuti nec ſapientiæ, prouentu pugnæ atque victoriæ inflatus, adſcribas, credẽs te propter labores & ſtudium tuum,& arbitrij libertatem, de ſpiritalibus nequitiis vel carnalibus vitiis obtinuiſſe victoriam? Quibus proculdubio in nullo penitùs præualere potuiſſes,niſi te Domini communiſſet ac protexiſſet auxilium.

De ſignificatione ſeptem gentium quarum Iſraël accepit terras, & quare alibi ſeptem & alibi multæ gentes eſſe dicantur.

CAPVT XVI.

1. Cor. 10.

HAc ſunt ſeptem gentes quarum terras egreſſis ex Aegypto filiis Iſraël daturum ſe Dominus repromittit. Quæ omnia ſecundum Apoſtolum cùm in figura contigerint illis, ad noſtram commonitionem ſcripta debemus accipere. Ita enim dicitur: Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam poſſeſſurus ingredieris,& deleuerit gentes multas corã te, Hethæum & Gergezæum & Amorrhæũ & Chananæum & Pherezæum & Euæum & Iebuſæum,ſeptem gẽtes multo maioris numeri quàm tu es, & robuſtiores te, tradideritque eas Dominus tibi, percuties eas vſque ad internecionem. Quòd verò multo maioris numeri eſſe dicuntur,hęc eſt ratio,quia plura ſunt vitia quàm virtutes. Et ideo in catalogo quidem dinumerantur ſeptem nationes,in expugnatione verò earum ſine numeri adſcriptione ponuntur. Ita enim dicitur, Et deleuerit gentes multas coram te. Numeroſior enim eſt quàm Iſraël, carnalium paſſionum populus qui de hoc ſeptenario fomite vitiorum ac radice procedit. Exinde enim pullulant homicidia, contentiones,hæreſes, furta, falſa teſtimonia,blaſphemiæ,comeſſationes,ebrietates, detractiones, ludicra,turpiloquiũ,mendacia,periuria,ſtultiloquia,ſcurrilitas, inquietudo, rapacitas, amaritudo, clamor, indignatio,

Deuter. 7.

Plures ſunt vitiorum quàm virtutum differentiæ.

con-

contemptus, murmuratio, tentatio, desperatio, multaque alia quæ commemorare perlongum est. Quæ cùm à nobis leuia iudicẽtur, quid de illis Apostolus senserit, vel quam super his sentẽtiam tulerit, audiamus. Neque murmuraueritis, inquit, *1. Cor. 10.*
sicut quidam illorum murmurauerunt, & ab exterminatore perierunt. Et de tentatione: Neque tentemus Christum, sicut *Ibidem.*
quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. De detractione: Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Et de de- *Eccli. 28.*
speratione: Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudi- *Ephes. 4.*
citię, in operationem omnis erroris, in immunditiam. Quòd verò clamor, sicut ira & indignatio & blasphemia condemnetur, eiusdem Apostoli vocibus manifestissimè perdocemur ita præcipientis: Omnis amaritudo & ira & indignatio, & cla- *Ibidem.*
mor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia; aliaq; complura his similia. Quæ cùm sint multo maioris numeri quàm virtutes, deuictis tamen illis octo principalibus vitiis, ex quorũ natura eas certũ est emanare, omnes protinus conquiescũt, ac perpetua pariter cum his internecione delentur. De gastrimargia nãq; nascũtur comessationes, ebrietates. De fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra, ac stultiloquia. De philargyria, mendaciũ, fraudatio, furta, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violẽtia, inhumanitas ac rapacitas. De ira, homicidiũ, clamor & indignatio. De tristitia, rãcor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De acedia, otiositas somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mẽtis & corporis, verbositas, curiositas. De cenodoxia, cõtentiones, hæreses, iactantia, ac præsumptio nouitatũ. De superbia, contemptus, inuidia, inobediẽtia, blasphemia, murmuratio, detractio. Quòd autẽ hæ pestes etiam robustiores sint, manifestè naturæ ipsius impugnatione sentimus. Fortior enim militat in membris nostris oblectatio carnalium passionum vel vitiorum quàm studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis & corporis acquiruntur. Si autẽ & illas innumerabiles hostium cateruas spiritalibus oculis contempleris, quas beatus Apostolus enumerat dicens, Non est no- *Ephes. 6.*
bis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus; & illud quod de viro iusto in nonagesimo dicitur psalmo, Ca- *Psalm. 90.*
dent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, liquidò peruidebis, quòd multo maioris sint numeri & validiores quàm nos, carnales scilicet atque terreni; quippe cùm illis spiritalis atque aëria concessa substantia sit.

Interrogatio de comparatione septem gentium & octo vitiorum.

CAPVT XVII.

GErmanus: Quomodo igitur octo sunt vitia quæ nos impugnant, cùm per Moysen septem dinumeratæ sint gentes quæ aduersantur populo Israël, vel quemadmodum terras vitiorum commodum nobis est possidere?

Responsio quomodo secundum octo vitia octo gentium numerus impleatur.

CAPVT XVIII.

SErapion: Octo esse principalia vitia quæ impugnant monachum, cunctorum absoluta sententia est. Quæ figuraliter sub gentium vocabulo nominata, idcirco nunc omnia nō ponuntur, eo quòd egressis iam de Aegypto, & liberatis ab vna gente validissima, id est, Aegyptiorum, Moyses vel per
Deuter. 7. ipsum Domin⁹ in Deuteronomio loquebatur. Quę figura in nobis quoque rectissimè stare deprehenditur, qui de seculi laqueis expediti, gastrimargiæ, id est, ventris vel gulæ vitio caruisse cognoscimur. Et habemus iam contra has residuas septem gentes simili ratione conflictum, prima scilicet quæ jam deuicta est minimè computata. Cuius etiam terra in possessionem Israëli non datur, sed vt deserat eam perpetuò, & egrediatur ab ea, Domini præceptione sancitur. Et idcirco ita sunt moderanda ieiunia, vt non necesse sit per immoderationem continentiæ, quæ defectione carnis vel infirmitate contracta est, reuerti rursus ad Aegyptiorum terram, id est, pristinam gulæ & carnis concupiscentiam, quam cùm mundo huic abrenunciaremus, abiecimus. Quod figuraliter
Numer. 11. illi perpessi sunt, qui egressi in solitudinem virtutum, rursus desiderauerūt ollas carnium super quas sedebāt in Aegypto.

Cur vnica Aegypti gens deseri, septem verò iubentur extingui.

CAPVT XIX.

QVòd autem illa gens in qua nati sunt filij Israël, non penitus extingui, sed tantūmodo deseri eius terra præcipitur, hæ verò septem vsque ad internecionem iubentur extingui, hæc ratio est: quòd quantolibet ardore spiritus succensi eremum virtutum fuerimus ingressi, vicinitate ac magisterio gastrimargiæ, & quodammodo quotidiano eius commercio nequaquàm carere poterimus. Semper enim in
*viget nobis edulij & escarum vt ingenitus ac naturalis * viuet affectus, licet amputare superfluos eius appetitus ac desideria festinemus: quæ sicut per omnia deleri non possunt, ita de-
Rom. 13. bent quadam declinatione vitari. De hac enim dicitur, Et

carnis curam ne feceritis in desideriis. Dum huius ergo curæ quam præcipimur non per omnia abscindere, sed absque desideriis exhibere retinemus affectum, euidenter Aegyptiã nationem non extinguimus, sed ab ipsa quadam discretione separamur, non de superfluis seu lautioribus epulis cogitantes, sed secundum Apostolum, victu quotidiano indumentoque contenti. Quod ita figuraliter etiam in lege mandatur: Non abominaberis Aegyptium, quia fuisti incola in terra eius. Necessarius enim victus corpori, non sine vel ipsius pernicie vel animæ scelere denegatur. Illarum verò septem perturbationum velut omnimodis noxiarum, de recessibus animæ nostræ penitùs exterminandi sunt motus. De his enim ita dicitur: Omnis amaritudo, ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis cum omni malitia. Et iterum, Fornicatio autem & omnis immunditia & auaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas. Possumus ergo horum quæ naturæ superinducta sunt radices abscindere viciorum, vsum verò gastrimargiæ nequaquam valebimus amputare. Non enim possumus quantumlibet profecerimus, id non esse quod nascimur. Quod ita esse tam nostra qui sumus exigui, quàm omnium perfectorum vita & conuersatione monstratur: qui cùm reliquarum passionum reciderint stimulos, atque eremum toto mentis feruore & corporis expetant nuditate, nihilóminus quotidiani victus prouidentia & annui panis præparatione nequeunt liberari.

1.Timoth. 6. *Deuter. 23.* *Ephes. 4.* *Ephes. 5.*

De natura gastrimargiæ ad similitudinem aquilæ comparandæ.

CAPVT XX.

HVius passionis figura, quã necesse est quamuis spiritalem summumque monachum coartari, propriè satis aquilæ similitudine designatur. Quæ cùm excelsissimo volatu vltra nubium fuerit altitudinem sublimata, seseque ab oculis cunctorum mortalium, ac à facie terræ totius absconderit, rursus ad vallium ima submitti, & ad terrena descendere, ac morticinis cadaueribus implicari ventris necessitate cõpellitur. Quibus manifestissimè comprobatur indiciis gastrimargiæ spiritum nequaquàm posse vt cætera vitia resecari, vel per omnia similiter extingui, sed acúleos eius ac superfluos appetitus virtute animi retundi tantùm atq; cohiberi.

De perseuerantia gastrimargiæ aduersus Philosophos disputata.

CAPVT XXI.

NAm huius vitij naturam quidam senum cum philosophis disputans qui eum pro simplicitate Christiana velut rusticum crederet fatigandum, sub hoc problematis figurans colore elegãter expressit. Multis, inquit, creditoribus pater meus me dereliquit obnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni conuentionis eorum molestia liberatus sum, vni satisfacere quotidie soluendo non possum. Cumque illi ignorantes vim propositæ quæstionis absolutionem eius precariò postularent, Multis, ait, vitiis fui naturali condicione constrictus, sed inspirante Domino desiderium libertatis, cunctis illis tanquàm molestissimis creditoribus renuncians huic mundo, & omnem substantiam quæ mihi successione patris obuenerat à me pariter abiiciens satisfeci, atque ab eis sum omnimodis absolutus, gastrimargiæ verò stimulis nullo modo carere præualui. Nec enim quamuis eam in paruum modum vilissimamque redegerim quantitatem, vim quotidianæ compulsionis euado, sed necesse est me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam solutionem iugi functione dependere, atque inexplebile indictionibus eius inferre vectigal. Tum illi hunc quem velut idiotam ac rusticum antè despexerant, pronunciauerunt primas philosophiæ partes, id est, Ethicam disciplinam, apprimè comprehendisse; mirati admodum potuisse eum naturaliter assequi, quod nulla ei secularis eruditio contulisset, cùm ipsi sudore multo longaque doctrina ita hæc attingere nequiuissent. Hæc specialiter de gastrimargia dixisse sufficiat. Nunc reuertamur ad disputationem quam de generali vitiorũ * cognitione cœperamus exponere.

Ethica prima est ac præcipua Philosophiæ portio.

*cognatione

Cur Abrahæ prædixerit Deus decem gentes expugnandas à populo Israël.

CAPVT XXII.

Genes. 15.

CVm ad Abraham Dominus de futuris loqueretur quod vos minimè requisistis, non septem gentes legitur dinumerasse sed decẽ, quarum terra semini eius danda promittitur. Qui numerus adiecta idolatria atque blasphemia euidẽter impletur, quibus ante notitiam Dei & gratiam baptismi vel impia gentiliũ vel blasphema Iudæorũ multitudo subiecta est, donec in intellectuali Aegypto commoratur. Si autẽ abrenuncians quis & egressus exinde per Dei gratiam deuicta pariter gastrimargia ad eremum peruenerit spiritalem, de impugnatione trium gentium liberatus, contra septem tantùm quæ per Moysen dinumerantur bella suscipiet.

Quomodo

Quomodo vtile nobis sit vitiorum terras possidere.

CAPVT XXIII.

QVod verò istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur: Habet vnumquodque vitium in corde nostro propriam stationem, quam sibi vendicans in animæ nostræ recessu exterminat Israëlem, id est, contemplationem rerum summarum atque sanctarum, eisque semper aduersari non desinit. Non enim possunt virtutes cum vitiis pariter commorari. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Sed cùm ab Israëlis populo, id est, virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retinebat, deinceps castitas obtinebit: quem furor ceperat, patiẽtia vendicabit: quem tristitia mortem operans occupauerat, salutaris & plena gaudio tristitia possidebit: quem acedia vastabat, incipiet excolere fortitudo: quem superbia conculcabat, humilitas honestabit: & ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est, affectus, virtutes contrariæ possidebunt. Quæ filij Israël, id est, animæ videntis Deum, non immeritò nuncupãtur; qui cùm vniuersas cordis expulerint passiones, nõ tam alienas possessiones peruasisse, quàm proprias recuperasse credendi sunt. 2. Cor. 6.

Quòd terræ de quibus expulsi sunt populi Chananæorũ, semini Sem fuerint deputatæ.

CAPVT XXIIII.

ETenim quantum docet vetus traditio, has easdem terras Chananæorum in quas introducuntur filij Israël, filij Sem fuerant quondam in orbis diuisione sortiti, quas deinceps per vim atque potentiam posteritas Cham peruasionis iniquitate possedit. In quo & Dei iudicium rectissimum comprobatur, qui & illos de locis alienis quæ malè occupauerant expulit, & istis antiquam patrum possessionem, quæ prosapiæ eorum in diuisione orbis fuerat deputata, restituit. Quæ figura in nobis quoque stare certissima ratione cognoscitur. Nam voluntas Domini, possessionem cordis nostri non vitiis, sed virtutibus naturaliter deputauit. Quæ post præuaricationem Adæ insolescentibus vitiis, id est, populis Chananeis, à propria regione depulsæ, cùm ei rursum per Dei gratiam diligentia nostra ac labore fuerint restitutæ, non tam alienas occupasse terras, quàm proprias credendæ sunt recepisse.

Testimonia diuersa super significatione octo vitiorum.

CAPVT XXV.

Lucæ 11. DE his octo vitiis & in Euangelio ita significatur: Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit alios septem nequiores se spiritus, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Ecce vt ibi septem gentes legimus excepta Aegyptiorum, de qua egressi fuerant filij Israël, ita & hic septem reuerti spiritus dicuntur immundi, excepto eo qui ab homine prius narratur
Prouerb. 26. egressus. De hoc septenario fomite vitiorum Salomon quoque in Prouerbiis ita describit: Si te rogauerit inimicus tuus voce magna, ne consenseris ei, septem enim nequitiæ sunt in anima eius: id est, si superatus gastrimargiæ spiritus cœperit tibi sua humiliatione blandiri, rogans quodammodo vt aliquid relaxans à cœpto feruore impertias ei, quod continentię modum & mensuram iustæ districtionis excedat, ne resoluaris eius subiectione, nec arridente impugnationis securitate, qua videris paulisper à carnalibus incentiuis factus quietior, ad pristinam remissionem vel præteritas gulæ concupiscētias
Lucæ 11. reuertaris. Per hoc enim dicit spiritus ille quem viceras: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et procedentes ex eo confestim septem spiritus vitiorum erunt tibi acriores quàm illa passio quæ in primordiis fuerat superata, qui te mox ad deteriora pertrahent genera peccatorum.

Quòd deuicta passione gulæ impendendus sit labor ad virtutes cæteras obtinendas.

CAP. XXVI.

QVapropter ieiuniis & continentiæ incumbentibus nobis, festinandum est vt gulæ passione superata, protinus animam nostram vacuam esse à necessariis virtutibus non sinamus, sed eis vniuersos recessus cordis nostri studiosius occupemus, ne reuersus concupiscentiæ spiritus, inanes nos ab ipsis vacantesque reperiat, & non sibi iam soli aditum parare contentus introducat secum in animam nostram septenarium hunc fomitem vitiorum, & faciat nostra nouissima peiora prioribus. Turpior enim erit post hæc & immūdior anima, ac supplicio grauiore plectetur, quæ se renūciasse huic seculo gloriatur, dominantibus sibi octo vitiis, quā fuerat quondam in seculo constituta, cùm nec disciplinam monachi fuisset professa nec nomen. Nam nequiores hi septem spiritus illo priore qui egressus fuerat, idcirco dicuntur, quia

quia desiderium gulæ, id est gastrimargia per sese non esset noxia, nisi intromitteret grauiores alias passiones, id est, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, siue superbiæ, quæ per semet noxia animæ ac peremptoria esse non dubium est. Et idcirco perfectionis puritatem nunquàm poterit obtinere, quisquis eam de hac sola continentia, id est, ieiunio corporali sperauerit acquirendam, nisi nouerit ob id se hanc * exercere debere, vt humiliata carne ieiuniis, facilius possit aduersus alia vitia inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluuie. *exhibere

Quòd non idem ordo prœliorum sit qui ponitur in Catalogo vitiorum.

CAPVT XXVII.

SCiendum tamen non eundem esse in omnibus ordinem prœliorũ, quia, sicut diximus, nõ vno modo impugnamur omnes, & oportet vnumquemque nostrum secundum qualitatem belli quo principaliter infestatur, concertationum luctamen arripere, ita vt alium necesse sit aduersus vitiũ quod tertium ponitur, primum exercere conflictum, alium contra quartum seu quintum, & ita prout ipsa vitia in nóbis obtinent principatum, vtque impugnationis exigit modus, nos quoque oportet ordinem instituere prœliorum: secundum quem prouentus quoque victoriæ triumphique succedens, faciet nos ad puritatem cordis & perfectionis plenitudinem peruenire. Hucusque Abbas Serapion de natura octo principalium vitiorum nobis disserens, latentium in corde nostro passionum genera, quarum causas atque affinitates, cùm ab ipsis quotidie vastaremur, nec cognoscere penitus antea, nec discernere poteramus, ita lucidè reserauit, vt eas quodammodo ante oculos positas, intueri nobis velut in speculo videremur.

Collationis Abbatis Serapionis de octo principalibus vitiis, finis.

COLLATIO VI.

THEODORI ABBATIS DE NECE SANCTORVM.

CAPVT I.

Amos I.

N Palęstinæ partibus iuxta Tecuæ vicum qui Amos prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est vsque ad Arabiam ac mare mortuum, quò ingressa deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum amplissima extensione porrecti. In hac summæ vitæ ac sanctitatis monachi diutissimè commorantes, repentè sunt à discurrentibus Saracenorũ latrunculis interempti. Quorum corpora licet sciremus tam à Pontificibus regionis illius quàm ab vniuersa plebe Arabũ tanta veneratione præerepta, & inter reliquias martyrum condita, vt innumeri populi è duobus opidis concurrentes grauissimum sibi certamen indixerint, & vsque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se deuotione decertant qui nam iustiùs eorum sepulturam ac reliquias possideret, aliis scilicet de vicinia cõmorationis ipsorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus: nos tamen vel nostra vel quorundam non mediocriter ex hac parte scandalizãtium fratrum offensione permoti, inquirentesque cur tanti meriti ac tantarum virtutum viri ita sint à latrunculis interfecti, tantumq; Dominus passus fuerit erga suos famulos facinus perpetrari, vt viros cunctis mirabiles in manus traderet impiorum? mæsti ad sanctũ Theodorũ singularem in conuersatione actuali perreximus virum. Hic namq; morabatur in Cellis, qui locus inter Nitriam ac Scythiam situs, & à monasteriis quidẽ Nitriæ quinque millibus distans, octoginta millium solitudine ab eremo Scythi, in qua commorabamur, interueniente discernitur. Cui cùm de prædictorũ virorum nece querimoniam fudissemus, admirãtes tantam Dei patientiam, quòd viros scilicet illius meriti taliter perimi permisisset, vt qui alios quoque suæ sanctitatis põdere de huiusmodi liberare tentatione debuerint, ne se ipsos quidem præripuerint de manibus impiorum, aut cur Deus admitti in seruos suos tantum facinus concessisset?

[S]anct[or]arum [reli]quiarum pia [v]eneratio.

Responsio

Responsio Abbatis Theodori ad propositam quæstionem.

CAPVT II.

BEatus Theodorus respondit: Hæc quæstio solet animos permouere eorum qui parum fidei vel scientiæ possidentes, merita sanctorum vel præmia quæ non in præsenti redduntur, sed reposita sunt in futurum, arbitrantur in huius temporalis vitæ breuitate restitui. Cæterum nos qui non sumus in hac vita tantum sperantes in Christo, ne secundum Apostolum miserabiliores simus omnibus hominibus, quia scilicet in hoc mundo nihil promissionum recipientes, etiam in futuro eas pro hac incredulitate perdimus, opinionibus eorum non debemus errare: ne ignorata veræ definitionis sententia titubantes ac trepidi, tentationibus moueamur, cùm eisdem nos quoque traditos viderimus, vel iniustitiam scilicet vel incuriam humanarum rerum Deo, quod dictu quoque nefas est, adscribentes, quia sanctos viros recteque viuentes in tentatione non protegat, nec bonis ea quæ bona sunt, nec mala malis retribuat in præsenti, & cum illis damnari mereamur, quos Sophonias Propheta castigans, Qui dicunt, inquit, in cordibus suis, nō faciet Dominus bene, sed neque faciet malè: Vel certè cū illis inueniamur, qui huiusmodi querimoniis Deum blasphemare dicuntur: omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placēt; aut certè, vbi est Deus iustitiæ? Illam quoque blasphemiam quæ in subsequentibus describitur similiter adiungentes: Vanus est qui seruit Deo, aut quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidē ditati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum & salui facti sunt. Quamobrem vt hanc ignorationem, quæ prauissimi huius erroris radix & causa est possimus euadere, primum nosse debemus, quid verè sit bonum, quid malum, & ita demum super his non falsam vulgi, sed veram scripturarum definitionem tenentes, minimè infidelium hominum decipiemur errore.

Cur Deus sanctos subinde affligi, atque interimi permittat.

1. Cor. 15.

Sophon. 1.

Malach. 2.

Malach. 3.

De tribus quæ in hoc mundo sunt, id est bonis & malis & mediis.

CAPVT III.

TRia sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, id est, bonum, malum, medium. Debemus itaque nosse quid propriè bonum, quid malum, quídue sit medium, vt nostra fides vera scientia communita in cunctis tentationibus inconcussa perduret.

Sola virtus per se, ac propriè bona est & solum peccatũ malum.

duret. Nihil igitur in rebus dumtaxat humanis principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad diuina perducens illi immutabili bono facit iugiter inhærere. Et econtrario nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod à bono Deo nos separans, malo facit diabolo copulari. Media sunt quæ in vtramque partem pro affectu & arbitrio vtentis deriuari possunt, vtputa diuitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuriæ, & cætera his similia, quæ pro qualitate & affectu vtentis, vel ad bonam possunt partem proficere, vel ad malam. Nam & diuitiæ proficiunt frequenter ad bonum, secundum Apostolum, qui diuitibus huius mundi præcipit vt facilè tribuant, communicent indigentibus, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt per has apprehendant veram vitam. Et secundum Euangelium bonæ sunt illis qui faciunt sibi amicos de iniquo mammóna. Quæ rursum retorquentur ad malũ, cùm ad recondendum tantummodo vel ad luxuriam congerũtur, & non ad vsus indigentium dispensantur. Potestas quoque & honor, corporisque robur ac sanitas, quàm sint media & vtrobique conuenientia, etiam ex hoc facilè comprobatur, quòd multi sanctorum in veteri testamento potiti his omnibus & in summis diuitiis & culmine dignitatum ac fortitudine corporis constituti, Deo quoque acceptissimi fuisse noscuntur. Et ediuerso qui his malè vsi sunt, & ea ad ministeriũ suæ nequitiæ detorserunt, non immeritò vel puniti sunt vel extincti, quod frequenter Regnorum libri indicant factum. De ipsa etiam morte ac vita quia mediæ sint, vel S. Ioannis vel Iudæ natiuitas protestatur. Vnius namque in tantum sibimet vita profuit, vt aliis quoque gaudium ortus eius cõtulisse dicatur, secundum illud, Et multi super eius natiuitate gaudebunt. De alterius verò dicitur vita: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. De morte etiam Ioannis omniumque sanctorum dicitur, Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. De Iudæ autẽ ac similium, Mors peccatorum pessima. Infirmitas etiam carnis interdum quàm sit commoda, Lazari illius pauperis vlcerosi beatitudo demõstrat. Cuiùs cùm nulla alia virtutum merita scriptura commemoret, pro hoc solo quòd egestatem & infirmitatem corporis patientissimè tolerauit, sinus Abrahæ possidere beatissima sorte promeruit. Egestas quoque ac persecutiones & iniuriæ, quæ mala esse totius vulgi opinione censentur, quàm sint vtiles ac necessariæ, etiam ex hoc liquidò comprobatur, quòd

1. Timoth. 6. Bonus diuitiarum vsus.

Lucæ 16. Malus earundem vsus.

Lucæ 1. Matth. 26. Psalm. 115. Psalm. 33. Lucæ 16.

Vlcerosi Lazari patientia maximi meriti fuit.

quòd sancti viri non solùm eas nunquàm vitare voluerunt, verumetiam virtute summa, vel appetentes, vel fortiter tolerantes amici Dei effecti, æternæ vitæ sunt stipendia consecuti, beato Apostolo concinente, Propter quod placeo mihi in 2.Cor. 12. infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum, quia virtus in infirmitate perficitur. Et idcirco illi qui summis huius seculi diuitiis & honoribus ac potestatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuisse credendi sunt, quod in solis esse virtutibus definitur, sed medium quiddam: quia sicut iustis rectè ac necessariè vtentibus vtilia hæc esse reperiuntur & commoda (occasionem namq; operis boni fructusque in illius vitæ æternitate parturiunt) ita illis qui malè opibus abutũtur inutiles sunt atque incommodæ, & occasionem peccati mortisque concinnant.

Quòd malum nulli inuito ab alio poßit inferri.

CAP. IIII.

HAs itaque diuisiones fixas atque immobiles retinentes scientesque nihil esse bonum nisi virtutem solam, quæ ex timore Dei ac dilectione descendit, nec malum quicquam esse nisi peccatum solum & separationem à Deo, diligenter nunc discutiamus, vtrum Deus vnquàm sanctis suis, aut per se, aut per alium quempiam inferri permiserit malum: quod sine dubio nusquàm omnino reperies. Nec enim potuit aliquãdo cuiquam nolenti ac resistenti malum peccati alter inferre, nisi illi soli qui illud in sese cordis ignauia & corrupta voluntate suscepit. Denique cùm beato Iob diabolus adhibi- Iob 1. tis vniuersis nequitiæ suæ machinis malum hoc peccati voluisset inferre, ac non solùm cunctis eum facultatibus spoliasset, verumetiam post illum de morte septem filiorum tam atrocem tamque insperatum orbitatis dolorem, vulnere eum pessimo à capitis vertice vsque ad plantam pedum, & intolerandis cruciatibus onerasset, nequaquàm ei peccati maculã quiuit infligere: Qui in cunctis immobilis perseuerans, nullum blasphemiæ accommodauit assensum.

Obiectio quemadmodum ipse Deus dicatur creare mala.

CAPVT V.

GErmanus: Frequenter legimus in scripturis sanctis Deũ creasse mala, vel hominibus intulisse, vt est illud: Quo- Isa. 45. niam absque me non est Deus, ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creãs mala. Et iterum: Si est malitia in ciuitate quam Dominus Amos 3. non fecit?

Responsio

Responsio super interrogatione proposita.

CAPVT VI.

THeodorus: Nonnunquàm solet scriptura diuina abusiuè mala pro afflictionibus ponere, non quia per naturam propriè mala sint, sed secundum hoc quòd ab his sentiantur mala quibus vtiliter inferuntur. Hominibus etenim disputans diuina censura, necesse est vt humanis verbis & affectibus eloquatur. Etenim sectio vel vstio salutaris, quæ illis qui vlcerum contagione putrefacti sunt piè infertur à medico, mala à tolerantibus creditur, nec equo calcar, nec emendatio suauis est delinquenti. Omnes etiam disciplinæ his qui erudiuntur, amaræ sentiuntur ad præsens, sicut Apostolus dicit: *Hebræ. 12.* Omnis autem disciplina in præsenti non videtur esse gaudij sed mæroris, postea autem fructum pacatissimum his qui *Ibidem, & Prouerb. 3.* per se exercitati sunt reddet iustitiæ. Et, Quē diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim est filius quem non corripit pater? Itaque mala nonnūquàm poni pro afflictionibus solent, secundum illud, *Ierem. 26. Ioëlis 2.* Et pœnituit Deum super malitiam quam locutus est vt faceret eis, & non fecit. Et iterum: Quia tu Domine misericors & miserator: patiens & multum misericors & pœnitens in malitiis, id est, super tribulationibus & ærumnis quæ nobis pro peccatorum nostrorum meritis inferre compelleris. Quas sciens vtiles esse nonnullis, ita alius Propheta vtique non inuidens saluti eorum, sed consulens imprecatur. *Ierem. 11.* Adde illis mala Domine, adde mala gloriosis terræ. Et ipse Dominus, Ecce, inquit, inducam super eos mala, id est dolores, ac vastitates, quibus in præsenti salubriter castigati ad me, quem in rebus prosperis contempserunt, reuerti tandem ac festinare cogantur. Ideoque hæc principalia esse mala non possumus definire, multis enim ad bonum proficiunt, & causas æternorum pariunt gaudiorum. Et idcirco vt ad quæstionem propositam recurramus, vniuersa quæ putantur mala nobis ab inimicis vel à quibuscunque aliis irrogari, non sunt credenda mala esse, sed media. Non enim talia inuenientur qualia putat esse ille qui intulit animo furibundo, sed qualia senserit ille qui sustinet. Ideoque cùm illata fuerit mors viro sancto, non ei malum illatum esse credendum est, sed medium quiddam. Quod cùm peccatori malum sit, iusto requies & absolutio fit malorū. *Coloss. 3.* Mors enim viro iusto requies, cuius vita abscondita est. Et ideo nec vir iustus ex hac aliquid perpetitur detrimenti qui nihil pertulit noui, sed id quod ei accessurum fuerat necessitate naturæ, inimici nequitia non sine pręmio

mio vitæ perennis excepit, ac debitum mortis humanæ, quod inexcusabili lege reddendum est, cum fructu vberrimo passionis, ac magnæ remunerationis mercede persoluit.

Interrogatio an reus sit qui iusto intulit mortem, cùm iustus habeat de morte mercedem?

CAPVT VII.

GErmanus: Ergo si interemptus iustus non solum nihil mali perpessus est, sed etiam mercedem passionis assequitur, quomodo in reatum vocabitur, qui non nocuit mortem inferendo, sed profuit?

Responsio ad præcedentem interrogationem.

CAPVT VIII.

THeodorus: Nos de proprietate boni maliq́ue, vel eius quod diximus esse medium disputamus, non de affectu eorum qui ista committunt. Nec enim quis impius vel iniquus idcirco impunitus erit, quia malitia sua iusto nocere nō potuit. Tolerantia enim & virtus iusti non illi qui mortem vel supplicia intulit, sed illi proficit ad mercedem qui illata sibi patienter excepit. Ideoq́ue & hic meritò punietur pro crudelitatis sæuitia qua malum voluit inferre, & ille nihilominus nihil mali perpessus est, quia virtute animi sui patienter tentationes doloresq́ue sustētans, ea quę malo proposito illata sunt, ad profectum melioris status, & æternæ vitæ fecit beatitudinem pertinere.

Exemplum beati Iob à diabolo tentati, & Domini à Iuda traditi: & quòd iusto tam prospera quàm aduersa proficiant ad salutem.

CAPVT IX.

NEque enim patientia Iob mercedem diabolo qui eum illustriorem suis tentationibus reddidit, sed illi ipsi qui eas viriliter pertulit, acquisiuit; nec Iudas æterni supplicij immunitate donabitur, quia proditio eius ad salutem generis profecit humani. Non enim prouentus considerandus est operis, sed operantis affectus. Quapropter hæc debet in nobis definitio immobiliter custodiri, quòd nulli malum ab alio possit inferri, nisi qui illud ignauia sui cordis ac pusillanimitate contraxerit, hanc eandem sententiam beato Apostolo vno versiculo confirmante: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. Dicens enim, omnia cooperantur ad bonum, vniuersa non solùm quæ prospera, verum etiam quæ putantur aduersa, pariter comprehendit. Per quæ & in alio loco idem Apostolus se transisse describit, cùm dicit: Per arma iustitiæ quæ à dextris sunt & à sinistris, id est, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bo-

Nemo læditur nisi à seipso. Roman. 8.

2. Cor. 6.

& bonam famã, vt seductores & veraces, vt tristes, semper autem gaudentes, vt egentes, multos autem locupletantes, &c. Omnia ergo quæ prospera reputantur, & dextræ dicuntur partis, quæ sanctus Apostolus gloriæ & bonæ famæ vocabulo designauit, illa etiam quæ existimantur aduersa, quæ per ignobilitatem & infamiam euidenter expressit, quæque à sinistris esse describit, efficiuntur viro perfecto arma iustitiæ, si illata sibi magnanimiter sustentauerit, quòd videlicet per hæc dimicans, & istis ipsis quibus impugnari putatur, tanquam armis vtendo, eisque velut arcu & gladio scutoque validissimo contra illos qui hæc ingerunt communitus, profectum suæ patientiæ ac virtutis acquirat, gloriosissimum constantiæ triumphum ex ipsis quæ lethaliter inferuntur capiẽs hostiũ telis, nec prosperis dumtaxat elatus, nec deiectus aduersis, sed itinere plano ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitia superueniente quasi in dextram motus, nec ingruentibus aduersis tristitiaq; dominante velut ad læuam rursus impulsus. Pax enim multa
Psalm. 118. diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum. De il-
Eccli. 27. lis verò qui per singulos incurrentes casus pro eorum qualitate ac varietate mutantur, ita dicitur: Stultus autem sicut luna mutatur. Vt enim de perfectis ac sapientibus dicitur, diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum, ita de infirmis pronunciatur ac stultis, Omnia aduersa viro insipienti; nec enim prosperis rebus proficit, nec emendatur aduersis. Eiusdem namque virtutis est tristia fortiter tolerare, cuius etiam secunda moderari, & eum qui in vno eorum superatur, neutrum sufferre certissimum est. Facilius tamẽ quis elidi potest prosperis quàm aduersis. Hæc enim interdũ etiam inuitos retinent atque humiliant, & compunctione saluberrima vel minus peccare faciunt, vel emendant: illa verò mollibus mentem ac perniciosis extollentia blandimentis, securos felicitatis suæ prouentu ruina maiore prosternunt.

Vehementius prospera quã aduersa nocẽt.

De virtute viri perfecti, qui ambidexter figuraliter nuncupatur.

CAPVT X.

ISti sunt ergo qui figuraliter in scripturis sanctis ἀμφοτεροδέξιοι, id est, ambidextri nuncupantur, vt ille Aoth in li-
Iudic. 3. bro Iudicum fuisse describitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Quam virtutem ita poterimus nos quoque intellectualiter possidere, si ea quæ prospera sunt dexteraque censentur, & ea quæ aduersa sunt ac sinistra dicuntur, bono rectoque vsu ad partẽ fecerimus dexteram pertinere, vt quæ-

cumque

cumque fuerint illata, fiant nobis secundum Apostolum arma iustitiæ. Duabus namque partibus & (vt ita dixerim) manibus interiorem hominem nostrum subsistere peruidemus: nec quisquam sanctorum carere hac sinistra quam dicimus, potest, sed in hoc virtus perfecta discernitur, si vtramque in dexteram bene vtendo cõuertat. Et vt manifestius hoc quod dicimus possit intelligi, habet vir sanctus dexteram, successus videlicet spiritales, in qua tunc consistit, quando feruens spiritu, desideriis & concupiscentiis omnibus dominatur, quando ab omni diabolica impugnatione securus absque vllo labore ac difficultate vitia carnis vel respuit vel abscindit, cùm sublimatus à terra vniuersa præsentia atque terrena velut inanem fumum vmbramque vacuam contemplatur, & vt mox transitura contẽnit, cùm futura per excessum mentis, nõ solùm ardentissimè concupiscit, verumetiam clarius intuetur, cùm efficacius spiritalibus pascitur theóriis, cùm lucidius sibi reserata cõspicit cælestia sacramenta, cùm orationes purius atque alacrius emittit ad Dominum, cùm ita spiritus ardore succẽsus ad ea quæ inuisibilia sunt & æterna, tota animi alacritate transmigrat, vt nequaquam se iam credat in carne consistere. Habet similiter & sinistram, cùm tentationũ turbinibus implicatur, cùm ad desideria carnis incentiuorum æstibus inflammatur, cùm ad iracundiæ furorem perturbationum igne succenditur, cùm superbiæ seu cenodoxiæ elatione pulsatur, cùm tristitia mortem operante deprimitur, cùm machinis acediæ & impugnatione concutitur, cumque omni spiritali feruore subtracto, quodam tepore atque irrationabili mærore torpescit, vt non solùm cogitationibus rectis ac feruentibus deseratur, sed etiam psalmus, oratio, lectio, remotio cellæ simul horreant, & intolerabili quodam tetroque fastidio vniuersa sordeant instrumenta virtutum, quibus cùm pulsatur monachus, sinistris partibus se cognoscat vrgeri. Quisquis igitur in illis quæ dextræ partis esse prædiximus, minimè fuerit subintrante gloria vanitatis elatus, & in istis quæ sinistræ partis sunt, viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit, ac potius de contrariis arma quædam patientiæ ad exercitium virtutis assumpserit, vtraque manu vtetur pro dextra, & in vtroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu quàm de dextro palmam victoriæ consequetur. Qualem beatum Iob legimus meruisse, qui vtique per dexteram coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac diues incedens quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino offerebat,

2. Cor. 6.

Dextera spiritalis.

Sinistra spiritalis.

Elogium patriarchæ Iob.

Iob 1.

subiectos offerebat, non tam sibi eos quàm Deo susceptos, ac familiares cupiens exhibere, quando ianua eius omni aduenienti patebat, quando erat pes claudorum, & oculus cæcorum, quando de velleribus ouium eius humeri calefiebant infirmorum, quando erat orphanorum pater & vir viduarũ, quando nec in corde quidem suo super inimici sui ruina gauisus est. Idemque rursus per sinistram partem sublimiore virtute de aduersitatibus triumphabat, cùm septem filiis vno orbatus momento, non vt pater acerbo luctu conficiebatur, sed vt verus Dei famulus super creatoris sui voluntate gaudebat: cùm ex locuplete pauperrimus, nudus ex diuite, ex valido tabidus, ex inclyto & glorioso ignobilis atque despectus, incorruptam animi fortitudinem retentabat: cùm denique omni substantia atque opibus destitutus sterquilinij erat factus habitator, & velut quidam corporis sui seuerissimus carnifex testa radebat saniem profluentem, atque ex omni parte membrorum glebas vermium mersis in profunda vulnerum digitis detrahebat. In quibus cunctis in nullam desperando prolapsus est blasphemiã, nec aduersus creatorem suum in aliquo murmurauit, quinimo nequaquam tãta tentationũ mole atque acerbitate conterritus, ipsum quoque quod ex omni pristina facultate suo corpori superfuerat indumentũ, quodque solum quia ipso vestiebatur, à diaboli potuerat vastatione saluari, rescindens atque abiiciens adiecit super illam quam * durissimus prædo intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quæ sola de prioris gloriæ * reliquiis intacta remanserat, vexatori suo proiecit abscissam, & amputans etiam id quod sęuiens reliquerat inimicus, illa cælesti aduersus eum voce tripudiat & insultat: Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustinebimus? Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, quomodo Domino placuit sic factum est: sit nomen Domini benedictum. Ambidextrũ meritò dixerim & Ioseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo; in aduersis castus, Domino fidelis, carceris mitissimus vinctus, iniuriarũ immemor, beneficus inimicis, inuidis, & quantum in ipsis fuit interfectoribus fratribus non solùm pius, sed etiam munificus inuenitur. Hi ergo eorumque consimiles rectè ambidextri nuncupantur, vtraque enim manu vtuntur pro dextra, & inter hæc quæ Apostolus dinumerat, transeuntes pariter dicunt: Per arma iustitiæ quæ à dextris sunt & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, &c. De qua dextra

[Margin notes: *subiectos (line 1); Ibidem. (beside "est. Idemque rursus"); *dirissimus bonis (beside "quam * durissimus" / "Comam quoque"); Iob 2. (beside "aduersus eum voce"); Laus Iosephi. (beside "meritò dixerim & Ioseph"); 2. Corint. 6. (beside "quæ Apostolus dinumerat")]

dextra vel ſiniſtra ita Salomon ex perſona ſponſæ loquitur in Cantico cãticorum: Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Quas licet vtraſque vtiles eſſe ſignificet, tamen illam ſub capite ſuo ponit, quia ſubiacere debent aduerſæ partes principali cordis. Ad hoc ſiquidem tantùm vtiles ſunt, vt pro tempore nos exerceant & erudiant ad ſalutem, ac perfectos ad patientiam reddant, dexteram verò ad confouendam ſe ac perpetuò conſeruandã ſalutari amplexu ſponſi ſibimet cohærere, atque inſolubiliter ei optat innecti. Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præſentium copia vel inopia non mutarit, & nec illa nos ad voluptates noxiæ remiſſionis impulerit, nec iſta ad deſperationem attraxerit, & querelam, ſed ſimiliter Deo gratias in vtroque referentes parem fructum de ſecundis aduerſiſque capiemus, qualem ſe ille verus ambidexter doctor gentium fuiſſe teſtatur, dicens, Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abũdare, & penuriam pati, omnia poſſum in eo qui me confortat.

Cantic. 2.

Philip. 4.

De duplici genere tentationum, quæ triplici modo inferuntur.

CAPVT XI.

Ergo licet dixerimus bipartitam eſſe tentationem, id eſt in rebus vel proſperis vel aduerſis, ſciendum eſt tamen omnes homines triplici ratione tentari. Plerumque ob probationem, nonnumquam ob emendationem, interdum ob merita delictorum. Et ob probationẽ quidem, vt beatum Abraham, vt Iob, multoſque ſanctorum tribulationes innumeras legimus pertuliſſe: vel illud quod in Deuter. dicitur ad populum per Moyſen, Et recordaberis cuncti itineris illius, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius an non. Et illud quod in pſalmo dicitur, Probaui te apud aquam contradictionis. Ad Iob quoque: An putas me tibi aliter locutum, quàm vt appareres iuſtus? Ob emendationem verò, cùm iuſtos ſuos pro paruis quibuſdam leuibuſq; peccatis, ſeu pro elatione ſuæ puritatis humilians diuerſis tentationibus tradit: vt omnem ſordem cogitationum, & vt verbis prophetæ dicam, ſcoriam quam in occultis eorum peruidet eſſe concretam excoquens in præſenti, velut aurum purum futuro tranſmittat examini, nihil in eis reſidere permittens quod ſcrutãs, poſt hęc iudicij ignis pœnali cruciatu expurgaturus inueniat, ſecundum illud, Multæ tribulationes iuſtorum: &, Fili, noli

Deut. 8.

Pſal. 80.

Iſa. 1.

Ignis expurgatorius.

Pſal. 33.

Heb. 12.

negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo increparis: quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit: quis enim est filius quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini & non filij estis: & in Apoc.

Apoc.3. Ego quos amo, arguo & castigo. Ad quos etiam sub figura Ierusalem ex persona Dei ita per Ieremiam sermo dirigitur: Faciam enim consummationem in omnibus gentibus in quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius. Pro qua salutari *emẽdatione orat Dauid, dicens: Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum. Isaias quoque vtilitatẽ huius tentationis intelligens, corripe, inquit, me Domine, verumtamen in iudicio & non in furore tuo. Et iterum: Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus & consolatus es me. Pro merito autem peccatorum plaga tentationis infertur: vt vbi plagas populo Israëli immissurum se Dominus comminatur, dicens: Dẽtes bestiarum immittam in eos, cum furore trahẽtium super terram, & frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis. In psalmis quoque: Multa flagella peccatorum. Et in euangelio, Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. Inuenimus sanè & quartam rationem, qua ob manifestandam solummodo gloriam & opera Dei inferri quibusdam aliquas passiones scripturarum auctoritate cognoscimus, secundum illud euangelij, Neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius, sed vt manifestentur opera Dei in ipso. Et iterum, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per ipsam. Sunt autem & alia vltionũ genera quibus nonnulli qui malitiæ supergressi sunt cumulum percutiuntur ad presens, vt Dathan & Abiron & sicut Chore legimus fuisse damnatos, & vel maximè illos de quibus Apostolus dicit, Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum, quod etiam cæteris pœnis grauius iudicandum est. De ipsis namque psalmista: In laboribus, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Non enim merẽtur saluari visitatione Domini, nec temporalibus plagis consequi medicinam: qui desperantes semetipsos tradiderũt impudicitiæ, in operationem omnis erroris in immũditiam, quique obduratione cordis, & vsu ac frequentia delinquendi purgationem breuissimi huius æui & vltionem vitæ præsentis excedũt. Quibus etiam per prophetã sermo diuinus exprobrat, Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomã & Gomorrham,

Marginalia: *Ierem.30.* — *emundatione — *Psal.25.* — *Ierem.10.* — *Isa.12.* — *Deut.32.* — *Psal.31.* — *Ioan.5.* — *Deum subinde ad solam nominis sui gloriam illustrandam pœnas hominibus immittere.* — *Ioan.9.* — *Ioan.11.* — *Num.16.* — *Rom.1.* — *Psal.72.* — *Amos 4.*

morrhā, & facti estis sicut torris raptus de incēdio,& nec sic rediſtis ad me, dicit Dominus. Et Ieremias: Interfeci & perdidi populum meum,& tamen à viis suis non sunt reuersi. Et iterū, Percussisti eos & non doluerunt, attriuisti eos & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas super petram, noluerunt reuerti. Erga quorum curationem omnem temporis istius medicinam videns propheta incassum fuisse consumptam, desperans quodam modo iam de eorum salute proclamat: Defecit sufflatorium in igne: frustra cōflauit conflator, malitiæ enim vestræ non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Hanc salutarem ignis purgationem circa eos qui prędurati sunt sceleribus suis, inaniter se Dominus adhibuisse sub persona Ierusalem concreta profunda rubigine peccatorum ita cōqueritur: Pone, inquiens, ollam æneam super prunas vacuam vt incalescat,& liquefiat æs eius,& compleatur in medio eius inquinamentum eius, multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui,& non es mūdata à sordibus tuis. Quamobrem vt peritissimus medicus expēsis omnibus salutaribus curis, nec vllum iam remedij genus quod infirmitati eorum possit aptari Dominus superesse conspiciens, quodammodo iniquitatum magnitudine superatur, ac discedere ab illa clementi sua castigatione compellitur, itaque ei denunciat, dicens, Iam non irascar tibi,& zelus meus recessit à te. De aliis verò quorum non prędurauit cor frequentia peccatorum, nec illa seuerissima,&(vt ita dixerim) *caustica ignis indigēt medicina, sed eruditio salutaris verbi sufficit ad salutem, dicitur: Emendabo eos in auditu tribulationis suæ. Non ignoramus alias quoq; animaduersionū siue vltionū causas quę inferuntur his qui grauissimè deliquerūt, nō ad expiāda eorum crimina, nec ad abolēda merita peccatorū, sed ad emendationē metūq; viuentiū, quæ euidēter in Ieroboam filiū Nabath, Baasa quoq; filiū Achia, & Achab atq; Iezabel, illata cognoscimus, ita pronunciāte diuina censura: Ecce, ego inducā super te malū,& demetā posteriora tua, & interficiā de Achab mingētem ad parietē,& clausum & nouissimū in Israël, & dabo domum tuā sicut domū Ieroboā filij Nabath,& sicut domū Baasa filij Achia, quia egisti vt me ad iracundiam prouocares,& peccare fecisti Israël, canes etiā comedent Iezabel in agro Iezrahel: si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedēt eum canes; si autē mortuus fuerit in agro, comedēt eum volucres cæli. Et illud quod pro ingenti comminatione denunciatur, Non inferetur

Ierem. 15.
Ierem. 5.
Ierem. 6.
Ezech. 24.
Ezech. 16.
*castigatione
3. Reg. 21.
3. Reg. 13.

cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum: non quòd vel illius tam profana commenta qui vitulos aureos ad perpetuam præuaricationem plebis impiamque à Domino separationem primus instituit, vel illorum tam innumera tamque nefaria sacrilegiorum crimina hæc excoquere breuis ac momentanea pœna sufficeret, sed vt cæteris quoque qui futura vel negligentes vel penitùs non credentes, consideratione tantummodo præsentium frangebantur, terror istarum quas metuebant vltionum, incuteretur exemplo, nec apud illam summi nominis maiestatem esse humanarum rerum & quotidianæ dispensationis incuriam documento huius seueritatis agnoscerent, ac retributorem Deum cunctorum actuum per hæc quæ grauissimè formidabant manifestiùs peruiderent. Inuenimus sanè etiam pro leuioribus culpis nonnullos eandem mortis ad præsens excepisse sententiam, qua sunt & illi puniti quos prædiximus extitisse sacrilegæ præuaricationis auctores, vt factum est in illo qui Sabbato ligna collegerat:
Numer. 15. vel in Anania & Sapphira, qui parum quiddam de substantia
Actor. 5. sua infidelitatis errore seruauerant: non quòd æqualia fuerint pondera peccatorum, sed quia reperti nouæ transgressionis præsumptores debuerũt præbere cæteris quemadmodum peccati, ita etiam pœnæ ac terroris exemplum, vt quisquis eadem deinceps affectare tentasset, nosset sibi secundum eandem formam qua illi damnati sunt, etiam si in præsenti supplicium differatur, in futuri iudicij examinatione reddẽdum. Et quia videmur excessum quendam dum genera tentationum vel vltionum percurrere volumus, à proposita narratione fecisse, qua dicebamus virum perfectum in vtraque tentatione manere semper immobilem, ad eandem nunc iterum reuertamur.

Quomodo vir iustus non ceræ, sed adamantino signatorio debeat esse consimilis. CAPVT XII.

ITaque mens viri iusti non debet esse similis ceræ vel alterius cuiusquam materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens pro eius forma atque imagine figuratur, quamque in se tamdiu retinet, donec alio rursus superimpresso signaculo reformetur, atque ita fiet, vt numquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum quæ imprimũtur semper conuertatur ac transeat, quin potius debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatẽ sui status signet atque transformet, ipsa verò insigniri nullis incursibus possit.

Inter-

Interrogatio, si possit mens in vna atque eadem qualitate iugiter durare.

CAPVT XIII.

GErmanus: Potest ne mens nostra vnum statum iugiter retinere, & in eadem semper qualitate persistere?

Responsio ad interrogantis propositionem.

CAP. XIIII.

THeodorus: Necesse est, vt secundum Apostolum aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat ad ea quæ in ante sunt se semper extendens, aut si neglexerit, consequens est, vt retro redeat atque in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo mens poterit in vna atque eadem qualitate durare, velut si quis contra aquas fluminis violenti nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum aut virtute brachiorum torrentis aluei impetum desecantem ad superiora conscendere, aut remissis manibus ad præceps prono amne reuocari. Quapropter istud erit euidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse, nec dubitemus retrorsum nos omnimodis reuocatos, qua die non senserimus ad superiora progressos: quia, vt dixi, nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens, ita virtutum apicem possidebit quisquis ille sanctorum vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adiici illis semper aut minui, nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni, secundum illud quod in libro beati Iob legitur, Quid est homo, vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius. Solum namque Deum immutabilem confitemur, quem tantummodo sancti illius prophetæ ita compellat oratio, Tu autem idem ipse es. Et ipse de se, Ego sum, inquit, Deus & non mutor, quia scilicet ipse sit solus naturaliter semper bonus, semper plenus, semperque perfectus, cui nihil nec adiici possit aliquando, nec minui. Ideoque debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extēdere, ipsisque nos iugiter exercitiis occupare, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur. Vt enim diximus, in vno mens eodemque statu manere non præualet; id est, vt nec augmenta virtutum capiat, nec detrimenta sustineat. Non acquisisse enim eius minuisse est, quia desinens proficiendi appetitus non aberit à periculo recedendi.

2. Cor. 4.

Non progredi in via Domini, regredi est.

Iob 15.

Psal. 101.

Malach. 3.

Quod detrimentum sit discedere è cella.

CAPVT XV.

IDeoq; iugis cellæ commoratio retentanda est. Toties enim etiam reuersus quis velut nouus in ea, & incipiens habitator titubabit atque turbabitur, quoties ab eadem fuerit euagatus. Illam namque quàm in cella residens acquisierat animi intentionem, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit ac dolore, & per hoc reductus retro non de amisso cogitabit profectu quem superadiicere potuit, si è cella non fuisset * excursus, sed gaudebit potius si illum statum de quo recidit, semetipsum senserit recepisse. Nam sicut amissum ac præteritum tempus vlterius reuocari non potest, ita ne illa quidem quæ perierunt possunt emolumenta restitui. Quantumlibet enim post hæc animi intentio fuerit operata, instantis diei profectus & præsentis temporis quæstus est, non lucri semel perditi recuperatio.

* excussus,

De mutabilitate supernarum cælestiumq; virtutum.

CAPVT XVI.

MVtabilitati autem etiam supernas potestates, vt diximus, subiacere, declarant illi qui de eorum numero corruptæ voluntatis vitio corruerunt. Vnde neque illi immutabilis naturæ esse putádi sunt, qui in illa qua creati sunt beatitudine perseuerant, eo quòd in contrariam partem non fuerint similiter deprauati. Aliud namque est immutabilis naturæ esse, aliud virtutis industria boniqúe custodia per immutabilis Dei gratiam non mutari. Quicquid enim per diligentiam vel acquiritur vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire. Ideoque dicitur, Ne beatifices hominem ante exitum suum, quòd videlicet adhuc in colluctationum quisque (vt ita dixerim) *schemate constitutus, quamuis vincere soleat, ac frequentes palmas victoriæ consequatur, non potest tamen à metu ac suspicione incerti prouentus esse securus. Et idcirco Deus solus immutabilis vel bonus dicitur, qui bonitatem non industriæ studio, sed naturaliter possidens, non potest aliud quid esse quàm bonus. Nulla igitur virtus potest immobiliter ab homine possideri, sed vt parata iugiter teneatur, necesse est eam semper illa qua acquisita est, sedulitate atque industria custodiri, & quod magis verum est, iuuantis gratiæ beneficio custodiri.

Eccl. 11.

* caumate

Quòd

Quòd nemo ruina subitanea collabatur.

CAPVT XVII.

LApsus verò quispiam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis increscentibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit *ruina, & ante ruinam mala cogitatio, quemadmodum domus numquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidiis primum paruissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapsis vbertim post hæc influit pluuiarum imbriumque tempestas. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus. Quod animæ spiritaliter euenire idem Salomon aliis verbis ita designat: Stillicidia, inquiens, eiiciũt hominem in die hiemali de domo sua. Eleganter ergo mentis incuriam domati comparauit tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si velut parua ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbre largissimo vitiorum; per quem in die hiemali, id est, in tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circũspecta diligentia se retinens, velut in domo propriæ possessionis requieuerat. His itaque compertis infinitam spiritalis cibi percepimus voluptatem, ita vt ex hac collatione maiore animi gaudio repleremur, quàm ante tristitia super nece sanctorum fueramus affecti. Non solùm enim de quibus hæsitabamus edocti sumus, verum etiam illa quæ pro tenuitate sensus nostri inquirere non noueramus, sub illius quæstionis interrogatione cognouimus.

Prouerb. 16. — *incuria,

Eccl. 10.

Prouerb. 27.

Collationis Abbatis Theodori finis.

COLLATIO VII. QVÆ EST PRIMA SERENI ABBATIS de animæ mobilitate, & ſpiritalibus nequitiis.

CAPVT I.



VMMAE ſanctitatis & continentiæ virum nominisq; ſui ſpeculum Abbatem Serenum quem ſingulari ſumus veneratione præ cæteris admirati, ſtudioſorum mentibus inſinuare cupiẽtes, aliàs arbitramur deſiderium noſtrum nos explere non poſſe, quàm ſi collationes eius noſtris libellis tentauerimus inſerere. Cui ſupra omnes virtutes quæ non ſolùm in eius actu vel moribus, ſed etiam in ipſo vultu per Dei gratiam refulgebant, ita eſt peculiari beneficio donum caſtitatis infuſum, vt etiam ſe, ne ipſis quidem naturalibus incentiuis inquietari, vel in ſopore ſentiret. Ad quam tamen carnis præcipuam puritatem quemadmodum gratia Dei adminiculante peruenerit, quoniam ſupra condicionem naturæ videtur eſſe humanæ, neceſſarium reor primitùs explicare.

Caſtitatis donum in Sereno Abbate.

Interrogatio prædicti ſenis ſuper ſtatu cogitationum noſtrarum.

CAPVT II.

HIc igitur pro interna cordis atque animæ caſtitate nocturnis diurniſque precibus, ieiuniis quoque ac vigiliis infatigabiliter inſiſtens, cùm vidiſſet orationum ſuarum obtinuiſſe ſe vota, cunctoſque æſtus in corde ſuo concupiſcentiæ carnalis extinctos, velut ſuauiſſimo guſtu puritatis accenſus, in maiorem ſitim; zelo caſtitatis exarſit, & intentioribus cœpit ieiuniis atque obſecrationibus incubare, vt mortificatio paſſionis huius quæ interiori homini ſuo, dono Dei fuerat attributa, ad exterioris hominis etiam puritatem eatenus perueniret, vt ne ipſo quidem vel illo ſimplici ac naturali motu, qui etiam in paruulis atque lactentibus excitatur, vlterius pulſaretur, adepti ſcilicet muneris experimento quod ſe nouerat non laborum merito, ſed Dei gratia conſecutum, ardentius

animatus ad hoc quoque similiter obtinēdum, credens multò faciliùs hos stimulos carnis radicitùs Deum posse conuellere, quos etiam humanæ artis industria nonnumquam solet quibusdam poculis vel medicamentis seu ferri sectione detrahere; quandoquidem illam spiritus puritatem quę sublimior est, quamque impossibile est humano labore vel studio comprehendi, suo munere contulisset. Cumque petitioni cœptæ supplicatione iugi ac lacrymis indefessus insisteret, adueniens ad eum angelus in visione nocturna eiusque velut aperiens vterum, quandam ignitam carnis strumam de eius visceribus auellens ac proiiciens, suisque omnia, vt fuerant locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiua carnis tuæ abscissa sunt, & obtinuisse te noueris hodierna die perpetuam corporis puritatem quam fideliter poposcisti. Hæc de gratia Dei quæ memorato viro peculiariter attributa est, breuiter dixisse sufficiat. Cæterùm de illis virtutibus quas cum reliquis summis viris communiter possidebat, aliquid commemorari superfluum puto, ne specialis super nomine huius ista narratio aliis demere videatur id quod de isto singulariter prędicatum fuerit. Hunc igitur summo desiderio collationis eius atque institutionis accēsi, diebus quadragesimæ videre curauimus. Qui cùm à nobis de qualitate cogitationum nostrarum & interioris hominis statu tranquillissima compellatione quæsisset, vel quid nobis ad eius puritatem tanti temporis eremi habitatio contulisset, his eum querimoniis adorsi sumus. *Quadragesimæ obseruatio.*

Responsio nostra super animæ mobilitate. CAP. III.

SVpputatio temporum ac solitudinis habitatio, cuius contemplatione coniicis interioris hominis perfectionem nos consequi debuisse, hoc solummodo contulit nobis, vt disceremus quid esse nequeamus, non tamen fecit esse quod esse contendimus: nec enim aut desideratæ puritatis fixam stabilitatem, aut robur aliquod firmitatis nos ac scientiæ nouimus assecutos, sed tantummodo confusionis ac pudoris augmenta. Etenim cùm omnium disciplinarum meditatio ad hoc quotidianis studiis exerceatur atque perficiatur, vt à * tepidis rudimentis ad peritiam certam stabilemque perueniens, incipiat nosse quæ primitùs vel ambiguè nouerat vel penitùs ignorabat, & firmo (vt ita dixerim) gradu in illius disciplinæ qualitate procedens, perfectè in ea ac sine vlla iam difficultate versetur: econtrariò me in huius puritatis studio laborantem id solummodo profecisse reperio, vt sciam quid esse non possim: ex quo nihil mihi aliud sentio quàm luctum tanta cordis contritione conferri, vt numquam scilicet desit mate- * trepidis

ria lacrymarum, nec tamen esse desinam quod esse non debeo. Et idcirco quid profuit didicisse quod summum est, si cognitum nequeat apprehendi? Nam cùm directionem cordis ad destinatam contemplationem pertendere senserimus, insensibiliter mens inde reuoluta ad priores euagationes impetu vehementiori prolabitur, & ita quotidianis distentionibus occupata, innumeris captiuitatib⁹ incessanter abducitur, vt propemodum iam desperetur à nobis desiderata correctio, & superflua hæc obseruantia videatur. Siquidem per momẽta singula lubricis discursibus animus euagatur: Cumque ad timorem Dei, vel contemplationem reducitur spiritalem, priusquam firmetur in ea, rursus fugacius euanescit. Cumq; eum velut expergefacti deprehenderimus ab intentione proposita deuiasse, atque ad illam theoriam vnde discesserat reducentes, voluerimus tenacissima cordis intentione velut quibusdam vinculis obligare, in ipso conatu nostro ocyus quàm anguilla de recessibus mentis elabitur. Ob quam rem quotidianis huiusmodi obseruationibus æstuantes, nec tamen ex ipsis aliquod nostro cordi stabilitatis robur accessisse cernẽtes, ad hanc opinionem fracti desperatione transducimur, vt non nostro iam, sed naturæ vitio has animæ peruagationes humano generi inesse credamus.

Disputatio senis de statu animæ ac virtute eius.

CAPVT IIII.

SErenus: Periculosæ præsumptionis est, nec dum rebus rectè discussis, nec certa ratione collecta, de natura cuiuslibet rei proponere, definire, ac de fragilitatis suæ consideratione capere coniecturam, nec de statu & qualitate ipsius disciplinæ, vel de aliorum experientia proferre sentẽtiam. Nec enim si quis ignarus natandi, sciens pondus corporis sui ferre aquarum liquorem non posse, experimento suæ voluerit imperitiæ definire, neminem penitus posse liquidis elementis solida carne circumdatum sustineri, idcirco vera eius opinio iudicanda est, quam secundum experientiam suam visus est protulisse, cùm hoc non solùm non esse impossibile, sed etiam perfacilè ab aliis fieri, ratione certissima & oculorum fide non dubia comprobetur. Νοῦς itaque, id est, mens, ἀεὶ κινητὸς καὶ πολὺ κινητὸς, id est, semper mobilis & multum mobilis definitur. Quod etiam in Sapientia, quæ dicitur Salomonis, scriptum est, γήϊνον (*Sapient. 9.*) σκῆνος βαρύνει νοῦν πολὺ φροντίζοντα, id est, Terrenum habitaculũ aggrauat mentem multa cogitantem. Hæc igitur pro condi- (*Iugis & indefessa mentis occupatio.*) cione naturæ numquam potest otiosa consistere, sed necesse est eam nisi prouisum habuerit vbi suos exerceat motus, & in

quibus

quibus iugiter occupetur, propria mobilitate diſcurrere, &
per omnia volitare, donec longo exercitio, vſuque aſſuefacta
diuturno, quod vos incaſſum dicitis laborare, experiatur &
diſcat quas memoriæ ſuæ materias debeat præparare, erga
quas circumagat indefeſſos volatus & immorando robur ac-
quirat, & ita præualeat aduerſas inimici ſuggeſtiones, quibus
diſtrahebatur, extrudere, atque in illo quem deſiderat, ſtatu &
qualitate durare. Non ergo hanc euagationem cordis noſtri
vel naturæ humanæ, vel Deo creatori eius debemus adſcribe-
re. Vera eſt enim ſcripturæ ſentẽtia, quia Dominus hominem *Lege ſeptimam*
fecit rectum, & ipſi quæſierunt cogitationes malas. A nobis *annotationem*
ergo earum qualitas pẽdet, quia cogitatio bona, inquit, ſcien- *poſt finem ope-*
tibus eam appropinquat, vir autem prudens inueniet eam. *ris poſitam.*
Quicquid autem, vt inueniri poſſit noſtræ prudentiæ indu- *Eccl. 7.*
ſtriæque ſubiectum eſt, ſi non fuerit inuentum, ſine dubio
noſtræ deſidiæ vel imprudentiæ, non naturæ vitio reputan-
dum eſt. Cui ſenſui pſalmiſta quoque congruit, dicens: Beatus *Pſal. 83.*
vir cuius eſt auxilium abs te Domine, aſcẽſiones in corde ſuo
diſpoſuit. Videtis ergo in noſtra ditione conſiſtere, vt ſiue
aſcenſus, id eſt, pertingentes ad Deum cogitationes, ſiue de-
ſcenſus, ad terrena ſcilicet & carnalia corruẽtes in noſtris cor-
dibus diſponamus. Quæ ſi non in noſtra poteſtate conſiſte-
rent, nec Phariſæos Dominus increpaſſet, Quid cogitatis ma- *Matth. 9.*
la in cordibus veſtris? Nec per prophetam præcepiſſet, dicens: *Iſa. 1.*
Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Et
vſquequo morabũtur in te cogitationes noxiæ? Nec in die iu- *Ierem. 4.*
dicij earum qualitas, quemadmodum operum exigeretur à
nobis, ita per Iſaiam Domino comminante, Ecce ego, inquit, *Iſa. 66.*
venio vt congregem opera & cogitationes eorum, cum omni-
bus gentibus & linguis. Sed nec condemnari quidem earum
teſtimonio vel defendi in illo terribili atque metuendo exa-
mine, ſecundum beati Apoſtoli ſentẽtiam mereremur ita di-
cẽtis, Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut etiam *Rom. 2.*
defendentibus in die qua iudicabit Deus occulta hominum,
ſecundum euangelium meum.

De perfectione animæ ad ſimilitudinem euangelici Centurionis aſſumpta.

CAPVT V.

HVius ergo perfectæ mẽtis figura per illum euangelicum *Matth. 8.*
Centurionem pulcherrimè deſignatur, cuius virtus atq;
conſtantia, qua non quibuſlibet ingruentibus cogitationibus
abducebatur, ſed pro ſuo iudicio vel admittebat bonas, vel
contrarias abſque vlla difficultate pellebat, hac tropica ſigni-
ficatione deſcripta eſt. Nam & ego homo ſum ſub pote-
ſtate

ſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Si igitur nos quoque viriliter aduerſus perturbationes & vitia dimicantes potuerimus ea ditioni noſtræ, diſcretioniq́ue ſubijcere, ac militantes in carne noſtra extinguere paſſiones, vel inſtabilem cogitationum noſtrarum cohortem rationis imperio ſubiugare, ac Dominicæ crucis ſalutari vexillo diriſſimas aduerſariarum poteſtatum turbas à terminis noſtri pectoris propulſare, pro tantorum meritis triumphorum, ad ſpiritalis huius centurionis ordinem prouehemur, quem in Exodo quoque per Moyſen myſticè legimus deſignatum: Conſtitue tibi chiliarchas & centuriones, & quinquagenarios & decanos. Et ita nos quoque dignitatis huius apice ſublimati, habebimus hanc imperandi poteſtatem atque virtutem, qua non quibus nolumus cogitationibus abducamur, ſed his quibus ſpiritaliter delectamur immorari vel inhærere poſſimus, malis quidem ſuggeſtionibus imperantes, abite, & abibunt: bonis verò dicemus, venite, & venient. Seruo quoque noſtro, id eſt, corpori, ea quæ caſtitatis vel continentiæ ſunt ſimiliter iniungemus, & ſine vlla contradictione deſeruiet, non iam ſuſcitans nobis aduerſos concupiſcentiæ ſtimulos, ſed omnem exhibens ſpiritui famulatum. Huius Centurionis qualia arma ſint, vel ad quæ prœliorum exercitia præparentur, audi beatum Apoſtolum prædicantem. Arma, inquit, militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo. Dixit qualia ſint, id eſt, non carnalia nec infirma, ſed ſpiritalia & potentia Deo. Deinde ad quos ſint *exercenda, conflictus conſequenter inſinuat. Ad deſtructionem munitionum cogitationes purgantes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & captiuantes omnem intellectũ in obedientiam Chriſti & præparati vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit primum veſtra obedientia. Quæ quidem quia ſigillatim percurrere ſicut neceſſarium, ita etiam alterius temporis eſt. Armorum tantummodo volo vobis genera, proprietatesq́ue patefacere, quibus nos quoq;, ſi volumus bella Domini prœliari, & inter centuriones euangelicos militare, accincti iugiter debemus incedere. Sumite, inquit, ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Ergo fides eſt ſcutum quæ excipiens ardentiſſima libidinum tela, metu futuri iudicij & cæleſtis regni credulitate mortificat. Et loricam, inquit, caritatis. Ipſa nempe eſt quæ vitalia pectoris noſtri circumdans atq; communiens, lethalibus perturbationum obiecta vulneribus contrarios retundit ictus, nec ad interiorem

Exod. 18.

2. Cor. 10.

*exerenda,

Ephes. 6.

rem hominem nostrum iacula diaboli penetrare permittit.
Omnia enim suffert, omnia patitur, omnia sustinet. Et ga- 1.Cor.13.
leam spem salutis. Galea, capitis est munimen. Quia ergo ca-
put nostrum est Christus, debemus istud semper spe futuro-
rum bonorum velut inexpugnabili galea in cunctis tentatio-
nibus ac persecutionibus communire, & principaliter fidem
eius illæsam atque integram custodire. Aliis enim membris
truncatum quempiam licet debilem, possibile tamen est vt-
cumque superesse. Sine capite verò nemini vel breuis vitæ
spatium*prorogatur. Et gladium spiritus quod est verbũ Dei. *prærogatur.
Penetrabilius namque est omni gladio ancipiti, & pertingens Ephes.6.
vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & Hebr.4.
medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cor-
dis, diuidens scilicet & abscindens quicquid in nobis carnale
terrenúmve repererit. Quibus armis quisquis fuerit commu-
nitus, ab hostium semper telis ac depopulatione defensus non
vt captiuus, ac subditus ad hostilem cogitationum terram cõ-
strictus deprædantium vinculis abducitur, nec audiet per pro-
phetam, Quare inueteratus es in terra aliena? sed quasi trium- Baruch 3.
phator ac victor in illa qua voluerit cogitationum regione cõ-
sistet. Vis etiam ipsum robur ac fortitudinem centurionis hu-
ius quibus hæc arma, quæ prædiximus, nõ carnalia, sed poten-
tia Deo gestat, agnoscere? Audi ipsum regem viros fortes ad
spiritalem militiam congregantem, quo eos *delectos signet * delectu
ac probet. Infirmus, inquit, dicat: quia fortis sum ego: & qui Ioël 3.
patiens est, sit pugnator. Videtis ergo bella Domini prœliari
nisi patientes infirmosque non posse: Illa proculdubio infir-
mitate qua fundatus ille noster euangelicus centurio cum fi-
ducia loquebatur, Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Et 2.Cor.12.
iterum, Virtus autem in infirmitate perficitur. De qua infir- Ibidem.
mitate vnus prophetarum, Et erit, inquit, qui infirmatur in Zach. 12.
vobis sicut domus Dauid. Patiẽs etiam hæc bella prœliabitur. Heb.10.
Nempe illa patientia de qua dicitur, Patiẽtia vobis necessaria
est, vt voluntatem Dei facientes, recipiatis remunerationem.

De perseuerantia erga cogitationum custodiam. CAP. VI.

DEbere tamen ac posse nos Deo cohærere, & experientia
propria deprehendimus, si mortificatas voluptates ac de-
sideria mundi huius habeamus abscissa; & illorum auctoritate
docebimur, qui Domino colloquentes fiducialiter dicunt, Ad- Psal.62.
hæsit anima mea post te. Et, Adhæsi testimoniis tuis Domine. Psal. 118.
Et, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Et, Qui adhæret Psal.72.
Domino, vnus spiritus est. Non ergo debemus his euagatio- 1.Cor.6.
nibus animæ fatigati ab hoc studio relaxari. Qui enim colit Prou.28.

terram

terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Nec ab intentione huius obseruantię perniciosa desperatione frangamur, quia in omni sollicito inest amplius. Nam qui * suauis & sine dolore est, in egestate erit. Et iterum: Vir in doloribus laborat sibi, & vim facit perditioni suæ. Nec non etiam regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nulla namque virtus sine labore perficitur, nec vlli possibile est ad istam quam cupitis stabilitatem mentis sine ingenti contritione cordis conscendere. Homo enim ad laborem nascitur. Qui vt in virum perfectum possit occurrere in mensuram ætatis plenitudinis Christi, maiori cum intentione necesse est semper esse peruigilem, iugique sollicitudine desudare. Ad cuius tamen mẽsuræ plenitudinem nemo perueniet aliàs in futurum, nisi qui præmeditatus & imbutus ea fuerit in præsenti, eamque adhuc in hoc seculo positus prælibauerit, Christique membrum pretiosissimum designatus, arrham compaginis illius per quam corpori eius valeat copulari in hac carne possederit, vnum dumtaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solùm actus suos, verumetiam cogitationes semper intendens, vt illud quod in futurũ dicitur de beata cõuersatione sanctorũ, iam subarrhatum teneat in præsenti, id est, sit ei Deus omnia in omnibus.

* sanus
Ibidem.
Matth. 11.
Iob 5.
Ephes. 4.
Quem scopum laboribus ac studiis præfixum esse oporteat.
1. *Cor.* 15.

Interrogatio de mobilitate animæ & impugnatione nequitiarum cælestium.

CAPVT VII.

GErmanus: Posset forsitan hæc volubilitas mentis aliquatenus coërceri, si eam non tantus aduersariorum numerus circumuallans ad ea quæ non vult, imò quò illam quoque suæ naturæ mobilitas rapit, indesinenter impelleret. Quam cùm tam innumerabiles, tam potentes, tamque terribiles circumagant inimici, resisti illis ab hac præsertim fragili carne impossibile crederemus, nisi ad hanc opinionem vestris sententiis velut cælestibus animaremur oraculis.

Responsio super adiutorio Dei & liberi arbitrij potestate.

CAP. VIII.

SErenus: Aduersarios nobis quidem iugiter insidiari, quicumque interioris hominis experti sunt pugnas, dubitare non possunt. Sed ita dicimus hos nostris profectibus aduersari, vt eos tantummodo incentores malorum, non etiam impulsores esse credamus. Cæterùm nullus hominum posset omnino vitare peccatum quodcumque illi in cordibus nostris * inurere voluissent, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita & ad compellendum facultas violenta suppeteret. Quamobrem sicut in illis est instigationis copia, ita & in nobis vir-

* ingerere
Quære annotationem octauam post finẽ totius operis.

bis virtus respuendi, siue acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam & impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adiutoria Dei econtrario conferamus, de quo dicitur, Maior est enim qui in nobis est, quã qui in hoc mundo. Cuius auxilia multo vehementiore militant virtute pro nobis, quàm aduersum nos eorum multitudo confligit. Nam bonarum rerum non tantùm suggestor, sed etiam fautor atque impulsor est Deus: ita vt nonnumquam nos etiam inuitos, & ignorantes attrahat ad salutem. Constat ergo neminem posse à diabolo decipi, nisi illum qui præbere illi maluerit suæ voluntatis assensum. Quod Ecclesiastes his verbis euidenter expressit: Quia enim non fit contradictio ab his qui faciũt malum citò, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciant malum. Ergo manifestum est hinc vnumquemque delinquere, quòd ingruentibus cogitationibus prauis non confestim repulsam contradictionis obiiciat. Nam resistite ei, inquit, & fugiet à vobis. *Iacob.4.*

Interrogatio super animæ ac dæmonum coniunctione. CAP. IX.

GErmanus: Quod istud quæso est animæ cum istis spiritibus nequam tam indiscretum permixtumq; consortiũ, quo sic eidem non dicam iungi, sed vniri possint, & alloqui eam insensibiliter, & inseri, atque inspirare illi quæcumque voluerint, & ad ea quæ placuerint eam valeãt instigare, eiusq; cogitationes ac motus videant atque perlustrent, tantaque inter ipsos ac mentem vnitas fiat, vt sine Dei gratia quid ex illorum incitamento, quid ex nostra voluntate procedat, discerni pæne non possit?

Responsio in quem modum spiritus immundi humanis mentibus copulentur.

CAPVT X.

SErenus: Non mirum est posse spiritum spiritui insensibiliter coniugari, & occultam suadendi vim ad ea quæ libita fuerint exercere. Est enim inter eos sicut inter homines quædam substantiæ similitudo atque cognatio. Siquidem definitio quæ de natura animæ assumitur, non incongruè etiam illorum substantiæ similitudini coaptatur. Altrinsecus verò eos sibi inseri vel vniri, ita vt capax alter alterius esse possit, omnimodis impossibile est. Hoc namque solummodo deitati quę sola incorporea simplexq; natura est, rectissimè tribuitur.

Obiectio vtrum possint spiritus immundi eorum quos suppleuerint animabus inseri vel vniri. CAP. XI.

GErmanus: Huic rationi satis arbitramur esse contrarium illud quod videmus in arrepticiis fieri, cùm afflati spiritibus immundis loquuntur, & agunt ea quę nesciũt. Quomodo ergo

ergo animas illorum ſpiritibus illis non credamus vniri, quorum videmus illas velut organum factas, & derelicto naturali ſtatu ad illorum motus affectusque tranſire, ita vt iam non ſuas, ſed illorum voces & geſtus voluntatesque depromant.

Reſponſio quemadmodum energumenis immundi ſpiritus dominentur.

CAPVT XII.

SErenus: Prædictæ definitioni noſtræ non eſt contrarium, id quod dicitis in energumenis fieri, cùm ſpiritibus immũdis arrepti loquuntur, vel agunt ea quæ nolunt, vel ea quæ ignorant proferre coguntur. Non enim vno modo iſtam eos infuſionem ſpirituum ſuſtinere certiſſimum eſt. Quidam enim ſic afflantur, vt nequaquam ea quæ gerunt vel loquuntur intelligant, quidam verò norunt & poſtea recordantur. Quod fieri per infuſionem ſpiritus immundi non ita putandum eſt, vt in animæ ipſius penetrans ſubſtantiam, & velut vnitus ei, & quodammodo indutus ea, ſermones ac verba per os patientis emittat. Nullo namq; modo iſtud ab eis fieri poſſe credendum eſt. Nec enim per aliquam animæ diminutionẽ, ſed per corporis debilitatem hoc euenire manifeſta ratione deprehenditur, cùm ſcilicet in illis membris in quibus vigor animæ continetur, immundus ſpiritus inſidens, eiſq; importabile atq; immenſum pondus imponens, obſcuritate teterrima intellectuales eius obruit & intercipit ſenſus. Quod nonnumquam etiam vini febriſq; vitio ſeu nimij frigoris aliiſq; valetudinibus extrinſecus ſuperuenientibus videmus accidere. Quod ne beato Iob diabolus, qui carnis eius acceperat poteſtatem, moliretur inferre, præcepto Domini prohibetur, dicentis, Ecce trado eum in manus tuas, tantùm animam eius cuſtodi, id eſt, tantummodo eum amentem ne facias, debilitato animæ domicilio, & intellectu inuaſo, aut rationis organo, per quam eum tibi reſiſtere neceſſe eſt, fauciato: neq; obruas intellectum ac ſapientiam reſiſtentis, principale ſcilicet cordis eius tuo pondere præfocans. *Iob 2.*

Quod ſpiritus ſpiritui penetrabilis eſſe non poſſit, ſed incorporeo ſoli Deo.

CAPVT XIII.

NEc enim ſi craſſæ huic ſolidæque materiæ, id eſt, carni ſpiritus admiſcetur, quod fieri facillimè poteſt, idcirco & animæ, quæ itidem ſpiritus eſt, ita vniri poſſe creditur, vt eam quoque ſimiliter ſuæ naturæ reddat capacem. Quod ſoli eſt poſſibile Trinitati, quæ ſic vniuerſæ intellectualis naturæ efficitur penetratrix, vt non ſolùm circumplecti eam atq; ambire, ſed etiam illabi ei, & velut incorporea corpori poſſit infundi. Licet enim pronunciemus nonnullas eſſe ſpiritales naturas,

turas, vt sunt angeli, archangeli, cæteræq; virtutes, ipsa quoq; anima nostra, vel certè aër iste subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistunt, licet multo tenuius quàm nos. Nam sunt corpora, secundum Apostoli sententiam ita dicentis, Et corpora cælestia, & corpora terrestria. Et iterum, Seminatur corpus animale, exurgit corpus spiritale. Quibus manifestè colligitur nihil esse incorporeum, nisi solum Deũ, & idcirco ipsi tantummodo posse penetrabiles omnes spiritales atque intellectuales esse substantias, eo quòd solus, totus & vbique, & in omnibus sit, ita vt & cogitationes hominum & internos motus atque abdita mentis vniuersa inspiciat atque perlustret. De ipso siquidem solo pronunciauit beatus Apostolus dicens: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & acutior super omnem gladium ancipitem, & pertingens vsque ad diuisionem animę & spiritus, compagum quoque ac medullarum, ac discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Et beatus Dauid inquit, Qui fingit sigillatim corda eorum. Et iterum: Ipse enim nouit occulta cordis. Iob quoque, Qui solus nosti corda filiorum hominum.

Lege annotationem nonam in calce totius operis positam. *1. Cor. 15.* *Ibidem.* *Hebr. 4.* *Psal. 32.* *Psal. 43.*

Obiectio qua dæmones credi debent cogitationes hominum peruidere.

CAPVT XIIII.

GErmanus: Hac ratione qua dicis, ne cogitationes quidem nostras intueri isti spiritus possunt. Quod existimare valde putamus absurdum, dicente scriptura, Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te. Et iterum, Cùm diabolus misisset in cor Simonis Iscariotis, vt traderet Dominũ. Quomodo ergo credi potest non patere eis cogitationes nostras, quarum seminarium pro parte maxima ipsis immittentibus atque instigantibus sentimus oboriri?

Eccl. 10. *Ioan. 13.*

Responsio quid possint dæmones in cogitationibus hominum, quídve non possint.

CAPVT XV.

SErenus: Nulli dubium est, quòd possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est, ex nostris dispositionibus aut verbis & studiis in quæ propensiùs conspexerint nos inclinari. Cæterùm illas quę necdum de internis animæ prodierunt, adire omninò non possunt. Ipsas quoque cogitationes quas ingerunt, vtrum susceptæ vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est, per illum interiorem motum in medullis, vt ita dixerim, latitantem, sed ex motibus atque indiciis exterioris hominis deprehendunt,

Dæmones non nisi externis indiciis sensa animi nostri cognoscunt.

vtputa cùm suggesserint gastrimargiam, si viderint monachũ ad fenestram aut ad solem oculum curiosius erexisse, vel de hora sollicitiùs inquisisse, cognoscunt desiderium gulæ fuisse susceptum. Si fornicationem ingerentes senserint eum patienter telum libidinis suscepisse, seu viderint carne commotum, aut certè non vt oportuit aduersus suggestionis immundæ suspirasse lasciuiam, intelligunt in penetralibus animæ libidinis iaculum fuisse defixum. Si incitamenta tristitiæ, si iræ, si furoris admouerint, vtrumnam cordi insederint gestu corporis & sensibili commotione dinoscunt, cùm scilicet eum vel infremuisse tacitum, vel cum quadam indignatione suspirasse, si vultum considerauerint quodam pallore aut rubore mutasse, & ita subtiliter quisnam cui sit vitio deditus deprehendunt. Illo namque vnumquemque nostrum delectari certa ratione cognoscunt, ad cuius instigationem mox quodam nutu vel motu corporis consensum conuenientiamque ab eo præstitam fuisse peruiderint. Quæ ab illis aëreis virtutibus ita deprehendi non mirum est, cùm hoc à prudentibus quoq; viris sæpissimè fieri videamus, vt scilicet interioris hominis statum de figura & vultu seu qualitate exterioris agnoscant. Quanto ergo certius hæc ab his poterunt deprehendi, quos vtique, vt spiritalis naturæ, multo subtiliores ac sagaciores hominibus esse non dubium est.

Similitudo qua spiritus immundi cogitationes hominum doceantur agnoscere.

CAPVT XVI.

QVemadmodum enim nonnulli latrones in his domibus quas furtim aggredi cupiunt, occultas hominum solent explorare substantias, qui per tetras noctis tenebras * cautè spargentes manu minutias arenarum, reconditas opes quas visu peruidere non possunt, tinnitu quodam vel strepitu ad arenarum lapsum respondente deprehendunt, ac sic ad certissimam rei vel metalli cuiusque notitiam quadam elicitæ vocis proditione perueniunt: ita hi quoque vt thesaurum nostri cordis explorent, velut arenas quasdam suggestiones nobis noxias inspargentes: cùm secundum earum qualitatem affectum corporeum viderint emersisse, velut quodam de intimis conclauibus prodeunte tinnitu, quid sit reconditum in abditis interioris hominis recognoscunt.

* cauta

Quòd non singuli quique dæmones vniuersas hominibus ingerant passiones.

CAPVT XVII.

HOc tamen nosse debemus, non omnes dæmones vniuersas hominibus inurere passiones, sed vnicuique vitio

certos

certos spiritus incubare: & alios quidem immunditiis ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ furoriq; peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia superbiaque mulceri: & vnumquemque illud vitium humanis cordibus quo ipse gaudet inserere, sed nec cunctos pariter suas ingerere prauitates, sed vicissim prout temporis, vel loci, vel suscipientis opportunitas prouocauerit.

Interrogatio, an inter dæmones impugnationis ordo ac vicissitudinis disciplina seruetur. CAP. XVIII.

GErmanus: Ergo credendum est inter eos ordinatam, & (vt ita dixerim) disciplinatā esse nequitiam, vt quidam vicissitudinis ab eis ordo seruetur ac rationabilis geratur impugnationis incursio, cùm constet nec modum nec rationem nisi inter bonos atque honestos posse subsistere, secundum illam scripturæ sententiam: Quære sapientiam apud malos, & non inuenies, & inimici nostri insensati. Illud etiam: Non est sapientia, non est fortitudo, nec est consilium apud impios.

Responsio, in quem modum concio dæmonum super vicissitudinis impugnatione subsistat. CAP. XIX.

SErenus: Non esse inter malos perpetuam in omnibus consensionem, nec posse perfectam stare concordiam etiam in illis ipsis vitiis quibus communiter oblectantur, certa definitio est. Numquam enim poterit, quemadmodum dixistis, in rebus indisciplinatis disciplina modusque seruari. In nonnullis tamen, vbi scilicet vel operationis communio, vel necessitas exigit, seu cuiusdam lucri inuitat consortium, necesse est eos temporalem commodare consensum. Quod esse in hac militia nequitiæ spiritalis manifestissimè peruidemus, vt non solùm tempora inter se vicissitudinesque custodiant, sed etiam locis quibusdam specialiter inhærere, eaque iugiter obsidere nôscantur. Nam quia necesse sit eos immutatis tentationibus certisque vitiis atque temporibus exercere impugnationes suas, hinc liquido comprobamus, quia nullus potest simul cenodoxiæ vanitate deludi, & concupiscentia fornicationis exuri: nec potest tumida inflari elatione superbiæ spiritalis, & carnalis gastrimargiæ pariter humilitate submitti. Nec potest quis cachinnis fatuis risuque dissolui, & iracundię sub eodem tempore stimulis incitari, seu certè edacis tristitiæ mærore suppleri, sed necesse est vnumquemque spiritum ita sigillatim impugnationem mentis arripere, vt cùm aut victus abscesserit, alij eam spiritui cedat acriùs impugnandam, aut certè si victor extiterit, alteri nihilominus tradat similiter illudendam.

De eo quòd non sint vnius fortitudinis contrariæ potestates, nec tentandi facultas in eorum sit arbitrio collocata. CAP. XX.

ILlud etiam nequaquam ignorare debemus non esse omnes eiusdem ferocitatis & desiderij, sed ne vnius quidem fortitudinis atque nequitiæ, & incipientibus quidem atque infirmis non nisi infirmiores spiritus in certamine comparari, & his nequitiis spiritalibus superatis gradatim semper aduersus athletam Christi robustior pugna succedet. Pro comparatione siquidem virium ac profectus humani etiam difficultas colluctationis augetur. Nullo enim modo quilibet sanctorum sufficeret talium tantorumque hostium sufferre nequitiam, vel insidiis eorum posset occurrere, sed nec crudelitatem quidem ac sæuitiam sustinere, si non certamini nostro clementissimus arbiter atque agonotheta præsidens Christus, & exæquaret colluctantium vires, & immoderatos eorum repelleret ac refrenaret incursus, faceretque cum tentatione & exitum vt sustinere possimus.

De eo quòd dæmones cum hominibus non sine suo labore confligant.

CAPVT XXI.

HAnc autem colluctationem illos non sine suo credimus labore conficere. Habent namque etiam ipsi in suo cõflictu quandam anxietatem & tristitiam, & maximè cùm fuerint validioribus æmulis, id est, viris sanctis perfectisque congressi. Alioquin iam non cõflictus nec colluctatio, sed simplex tantùm, vt ita dixerim, secura illis esset hominum attributa
Ephes. 6. deceptio. Et quomodo staret illud Apostoli quod dicit, Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et
1. Cor. 9. illud: Sic pugno non quasi aërem verberans. Et iterum, Bonũ
2. Tim. 4. agonem certaui. Vbi enim agon dicitur, & certamen & pugna seu colluctatio, necesse est vt & vtrimque sudor & labor & sollicitudo subeatur, & æqualiter illos vel super deiectione maneat dolor atque confusio, vel de victoria gaudium consequatur. Vbi verò alio cum sudore luctante, alius cum otio ac securitate confligit, & ad deiiciendum æmulum sola pro viribus vtitur voluntate, non pugna dicenda est, nec colluctatio, neque certamen, sed iniqua quædam & irrationabilis oppugnationis oppressio. Sed planè laborant & ipsi non minus impugnantes humanum genus, & desudant vt præualeant de vnoquoque illam quam cupiunt obtinere victoriam, & retorquetur in eos illa confusio quæ nos manebat si ab ipsis
Psal. 139. fuissemus elisi, secundum illud: Caput circuitus eorum, labor labio-

labiorum ipſorum operiet eos. Et, Conuertetur dolor eius in caput eius. Et iterum: Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſum, ſcilicet quem ſuper hominum deceptione molitur. Dolent igitur etiam ipſi non minus, & quemadmodum nos elidunt ipſi quoque ſimiliter eliduntur, nec victi ſine confuſione diſcedunt. Quas eorum ruinas atque conflictus, ille qui ſanos interioris hominis oculos poſſidebat, quotidiè cernẽs videnſque eos ſupergaudere ruinis & caſibus ſingulorum, ac timens ne de ſe quoque eueniret eis iſta lætitia, Dominum deprecatur, Illumina, inquiens, oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero. Et, Deus meus ne ſupergaudeat mihi, ne dicant in cordibus ſuis, euge euge animæ noſtræ; nec dicant, deuorabimus eum: & frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Domine quando reſpicies: inſidiatur enim in abſcondito, vt leo in cubili ſuo, inſidiatur vt rapiat pauperem. Et, Quærit à Deo eſcam ſibi. Qui rurſum cunctis conatibus expenſis, cùm deceptionem noſtrã non potuerint obtinere, ſuper caſſato labore ſuo, neceſſe eſt vt confundantur & erubeſcant qui quærunt animas noſtras, vt auferant eas, induantur confuſione & pudore qui cogitant nobis mala. Ieremias quoque, Confundantur, inquit, illi & nõ confundar ego, paueant illi & non paueam ego, induc ſuper eos iram furoris tui, & duplici contritione contere eos. Nulli etenim dubium eſt, cùm à nobis fuerint ſuperati, contritione eos duplici conterendos. Primùm quòd hominibus expetentibus ſanctitatem, illi eam poſſidentes amiſerint, cauſaque extiterint perditionis humanæ. Deinde quòd ſpiritales ſubſtantiæ fuerint à carnalibus terreniſque deuictæ. Has igitur ruinas hoſtium ſuaſque victorias intuens vnuſquiſque ſanctorum cum exultatione proclamat: Perſequar inimicos meos & comprehendam eos, & non conuertar donec deficiant; confringam eos nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos. Cõtra quos etiã orans idem propheta, Iudica, inquit, Domine nocentes me; expugna impugnantes me; apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Quos cùm ſubditis & extinctis vniuerſis paſſionibus vicerimus, merebimur illam benedictionis vocẽ conſequenter audire, Exaltetur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui peribunt. Hæc igitur omnia & his ſimilia ſacris inſerta voluminibus legentes ſiue canentes, niſi con-

Pſal. 7.
Pſal. 34.
Pſal. 12.
Pſal. 34.
Pſal. 9.
Pſal. 103.
Ierem. 17.
Pſal. 17.
Pſal. 34.
Mich. 5.

tra istas nequitias spiritales quæ nobis insidiantur diebus ac noctibus acceperimus fuisse conscripta, non modò ex eis ædificationem vllam lenitatis ac patientiæ consequemur, sed etiã dirum quendam atque contrarium euangelicæ perfectioni concipiemus affectum. Non solùm enim docebimur nõ orare pro inimicis nostris, nec diligere eos, sed etiam detestari illos implacabili odio prouocabimur, & maledicere eis, atque orationem aduersus eos indesinenter effundere. Quæ tali spiritu prolocutos fuisse viros sanctos & amicos Dei intelligere perquam scelestum est ac profanum, quibus ante aduentum Christi idcirco non est lex posita, eo quòd transcendentes mandata eius euangelicis parere præceptis, & Apostolicæ perfectioni studere, prçuenientes dispensationem temporis, maluerunt.

Prophetarum imprecationes & odia contra inimicos directa rectiùs de dæmonibus quàm de hominibus intelliguntur.

De eo quòd non sit potestas nocendi in arbitrio dæmonum collocata.

CAPVT XXII.

NOn habere autem eos potestatem quẽquam hominum lædendi, exemplum beati Iob manifesta ratione demõstrat, vbi non amplius eum tentare audet inimicus quàm diuina ei dispensatione conceditur, & confessio eorundem spirituum euangelicis monumentis inserta testatur dicentium, Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui multo magis credendi sunt in nullum hominum qui ad imaginem Dei creati sunt introire pro arbitrio suo posse, cùm in animalia immunda ac muta ingrediendi absque Dei permissu non habuerint potestatem. Cæterùm nemo posset, non dicam iuuenum quos videmus in hac eremo constantissimè commorari, sed nec perfectorum quidem tantis taliumque hostium agminibus circumseptus in eremo singularis habitare, si in ipsis esset pro voluntate sua nocendi vel attentandi facultas atque libertas. Quod euidentiùs etiam Domini ac saluatoris nostri confirmat sententia, quam pro humilitate hominis assumpti protulit ad Pilatum, ita dicens, Non haberes in me vllam potestatem, nisi datum tibi fuisset desuper.

Iob 2. *Matth. 8.* *Ioan. 19.*

De imminuta dæmonum potestate. CAP. XXIII.

SAtis tamen nobis & experientia nostra & seniorum relatione compertum est, non eandem vim habere nunc dæmones quàm anteriore tempore inter anachoretarum duntaxat principia: in quibus adhuc raritas monachorum in eremo commanebat. Tanta namque erat eorum feritas, vt vix pauci & ad modum stabiles atque ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobiis in quibus commorabantur octo vel decem, ita eorum atrocitas grassa-

grassabatur, & frequentes ac visibiles sentiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes, psalmis & orationibus seu lectionibus inhærebant. Cumque illos ad soporem naturæ necessitas inuitaret, expergefactis aliis ad eorum qui dormituri erant custodiam similiter excubiæ tradebantur. Vnde dubitari non potest vnum è duobus, hanc nunc securitatem vel cõfidentiam non solùm nobis qui videmur pro experientia senectutis aliquatenus roborati, sed etiam iunioribus ætate cõferri: Aut enim virtute crucis etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab impugnatione pristina reddit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos probatissimos Christi milites sæuiebant, hac scilicet nos fraudulentia inuisibilium tentationum dirius elidentes. In tantum enim teporem videmus corruisse nonnullos, vt necesse sit eos etiam remissioribus monitis adpalpari modò: ne desertis cellulis suis ad perniciosiores inquietudines reuoluantur: & circumeuntes ac vagi crassioribus (vt ita dixerim) vitiis implicentur, magnusque fructus ab eis obtineri credatur, si solummodo se etiam cum qualibet ignauia valeant in solitudine continere, ac pro ingenti remedio soleat eis à senioribus dici, sedete in cellulis vestris, & quantum libitum fuerit manducate atque bibite & dormite, dummodo in eis iugiter perduretis. *Crucis Dominicæ vis & energia contra dæmones.*

Qua ratione dæmones sibi in eorum corpora quos arrepturi sunt aditum parent. CAP. XXIIII.

CONstat ergo immundos spiritus non aliter posse in illos quorum obtenturi sunt corpora penetrare, nisi prius eorum mentes cogitationesque possederint. Quos cum timore ac memoria Dei vel spiritali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præsidio ac munitione diuina, post facilè vincendos audẽter inuadunt, domicilium deinceps in eis velut in possessione sibi tradita præsumentes.

De eo quòd miserabiliores sunt hi qui vitiis quàm qui ab ipsis dæmonibus possidentur. CAP. XXV.

LIcet multo illis grauius constet vehementiusque vexari hos qui cùm corporaliter ab ipsis suppleri minimè videantur, animo tamen perniciosius possidentur, eorum scilicet vitiis vel voluptatibus inuoluti: Secũdum Apostoli namque sententiam, à quo quisque superatur, eius seruus efficitur. Nisi quòd in hoc isti desperatius ægrotant, quòd cùm sint eorum 2.Pet.2.

mancipia: nec impugnari se ab illis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt. Cæterùm corporaliter traditos satanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos nouimus pro leuissimis quibusque delictis: cùm in illis ne tenuissimum quidem næuum aut maculam in illo iudicij die patitur inuenire diuina clementia, omnem cordis eorum scoriam, secundum prophetæ, imò Dei sententiam, excoquens in præsenti: vt eos tamquam aurum vel argentum ignitum ad illam perpetuitatem, nulla indigentes pœnali purgatione, transmittat. Et excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum, & post hoc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.

Isaiæ 1.

Et iterum: Sicut probatur argentum & aurum in camino, ita eligit corda Dominus. Et iterum: Aurum & argentum probat ignis, vir autem probatur in fornace humiliationis. Et illud quoque, Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.

Prouer. 17. Eccl. 2. Hebr. 12.

De nece prophetæ seducti, & infirmitate Abbatis Pauli, quam pro sua emendatione promeruit. CAP. XXVI.

3. Reg. 13.

QVod in illo propheta atque homine Dei, in tertio Regum libro manifestè videmus impletum, qui pro culpa vnius inobedientiæ, quam tamen non de industria nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumuentione contraxit, confestim à leone conteritur, ita de eo scriptura narrante: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum iuxta verbum Domini quod locutus est. In quo facto & solutionem delicti præsentis atque erroris incauti & iustitiæ merita, pro quibus prophetam suum Dominus temporaliter tradidit vexatori, parcitas ipsa & continentia prædatoris ostendit, quia nihil penitùs audet voracissima bestia de tradito sibi cadauere degustare. Cuius rei nostris quoque temporibus satis euidens contigit & aperta probatio in Abbate Paulo & Moyse qui habitauit locum huius solitudinis, qui Calamus nuncupatur. Nam prior commoratus est in eremo quæ adiacet Panephisi ciuitati: quam solitudinem olim factam aquæ salsissimæ inundatione cognouimus. Quæ quotiens flauerit spiritus aquilonis, de stagnis impulsa ac superfusa adiacentibus terris, ita omnem illius superficiem regionis contegit, vt antiquos ibidem vicos qui olim hac ipsa de causa omni sunt habitatore deserti, faciat velut insulas apparere. Hic igitur Abbas Paulus in tantam cordis puritatem quietæ solitudinis silentioque profecerat, vt non dicam vultũ femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri. Nam cùm eidem pergenti ad cuiusdam

ſenioris cellam vnà cum Abbate Archebio eiuſdem ſolitudinis accola, caſu mulier obuiaſſet, offenſus occurſu eius, tanta fuga ad ſuum rurſus monaſterium (prætermiſſo quod arripuerat piæ viſitationis officio) recurrit, quanta nullus à facie leonis vel immaniſſimi draconis aufugeret, ita vt ne memorati quidem Abbatis Archebij reuocatis eum clamore ac precibus flecteretur, vt ad requirendum ſenem quemadmodum propoſuerant cœpto itinere pertenderent. Quod licet zelo caſtitatis & puritatis ardore ſit factum, tamen quia non ſecundum ſcientiam præſumptum eſt, ſed obſeruantia diſciplinæ iuſtæque diſcretionis exceſſus eſt modus. (Non enim ſolam familiaritatem quæ verè eſt noxia feminarum, ſed ipſam quoque figuram ſexus illius credidit execrandam) tali confeſtim correptione percuſſus eſt, vt eius vniuerſum corpus paraliſeos valetudine ſolueretur, nullumq; in eo membrū penitùs explere ſuum præualeret officiū. Siquidem non ſolùm pedes ac manus, ſed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipſæque aures ita auditus proprij amiſerunt ſenſum, vt in eo nihil amplius ex homine, quàm immobilis tantùm atque inſenſibilis figura remaneret. Eò autem redactus eſt, vt infirmitati eius nullo modo virorum diligentia deſeruire ſufficeret, niſi ſola ei muliebris ſedulitas miniſtraſſet. Nam delato ad cœnobium ſanctarum virginum cibus ac potus, quem ne nutu quidem petere poterat, femineo ingerebatur obſequio, explendiſque omnibus naturæ neceſſitatibus, eadem illi diligentia per annos fermè quatuor, id eſt, vſque ad vitæ ſuæ terminum ſeruiebat. Qui cùm tanta eſſet omnium membrorum debilitate cōſtrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum ac ſenſibilem retentarent, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt cùm de oleo quod cadauere ſuo potius quàm corpore contigiſſet, vngerentur infirmi, confeſtim cunctis valetudinibus curarentur, ita vt ſuper hac eius valetudine etiam ipſis infidelibus euidenter aperteque clareſceret, & debilitatem membrorum omnium diſpenſatione atque amore Domini contributam, & ſanitatum gratiam pro teſtimonio puritatis ac manifeſtatione meritorum ei ſpiritus ſancti virtute præſtari.

Abbatis Pauli continentia.

Miracula edita per Abbatis Pauli cadauer.

De tentatione Abbatis Moyſi. CAP. XXVII.

SEcundus verò, quem diximus, in hac eremo commoratum cùm ipſe quoque ſingularis & incomparabilis vir eſſet ob reprehenſionem vnius ſermonis quem contra Abbatem Macharium diſputans paulo durius protulit quadam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus dæmoni, vt

humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius atque auctore remedij demonstrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione submisso dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

Quòd sperni non debeant hi qui spiritibus traduntur immundis.

CAPVT XXVIII.

EX quo manifestè perpenditur, non debere eos abominari vel despici quos videmus diuersis tẽtationibus siue istis nequitiæ spiritibus tradi, quia duo hæc credere immobiliter nos oportet, primo quòd sine Dei permissu nullus ab eis omnino tentetur: secundo quòd omnia quæ à Deo nobis inferũtur, siue tristia ad præsens seu læta videantur, velut à piissimo patre clementissimoque medico pro nostris vtilitatibus irrogentur, & idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, vt discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliã transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti satanę in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. 1. Cor. 5.

Obiectio cur hi qui spiritibus vexantur immundis, à communione Dominica separantur.

CAP. XXIX.

Vide annotationem decimã in fine operis. Matth. 7.

GErmanus: Et quomodo non solùm eos despici ab hominibus vel horreri, sed etiam à communione Dominica in nostris prouinciis perpetuò videmus abstinere, secundum illam euangelij sententiam, Nolite sanctum dare canibus: neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, cùm de illis quemadmodum dicis ità credendum sit, quòd eis purgationis vel vtilitatis obtentu, huius tentationis humiliatio tribuatur?

Responsio super proposita quæstione.

CAP. XXX.

SErenus: Si habuerimus hanc sententiam imo fidem quam superiùs comprehendi, vt & omnia per Dominum fieri, & pro vtilitate animarum dispensari vniuersa credamus, non solùm nequaquam despiciemus eos, sed etiam pro eis tamquam pro membris nostris incessanter orabimus, eisque totis visceribus ac pleno compatiemur affectu, cùm enim patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, scientes nos absq; 1. Cor. 12.
illis vtpotè membris nostris omnimodis cõsummari non posse, quemadmodum legimus ne anteriores quidem nostros fisse, ne nobis repromissionis summam cõsequi potuisse, ita de illis
Hebr. 11. Apostolo pronunciante: Et hi omnes testimonio fidei comprobati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis melius aliquid

aliquid prouidente, ne sine nobis consummarentur. Communionem verò eis sacrosanctam à senioribus nostris numquam meminimus interdictam, quin imò si possibile esset etiam quotidiè eis impartiri eam debere cēsebant. Nec enim secundum Euangelij sententiam, quam incongruè huic sensui coaptatis, Nolite sanctū dare canibus, ad dæmonis escam sacrosancta communio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis animæque peruenire credenda est: Quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius insidet spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namq; modo curatum & Abbatem Andrónicum nuper aspeximus, aliosque quamplures. Magis namq; ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cælesti medicina viderit segregatum; tantoque dirius ac frequentius attentabit, quanto eum ab spiritali remedio longius senserit abdicatum.

Communionis sacræ fructus amplissimus.

Quòd miseri sint hi qui subdi temporalibus istis tentationibus non merentur. CAP. XXXI.

CAeterum illi sunt verè miseri ac miserabiles iudicandi, qui cùm se vniuersis criminibus flagitiisque contaminent, non solùm nullum visibiliter in eis signum diabolicæ suppletionis ostenditur; sed nec aliqua quidem operibus eorum condigna tentatio, nec vllum flagellum correptionis infertur. Non enim merentur celerem temporis istius expeditamque medicinam, quorum duritia & impœnitens cor pœnam vitæ præsentis excedens, thesaurizat sibi ipsi iram & indignationem in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, in quo vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Cōtra quos propheta velut anxius pro afflictione sanctorum videns eos ęrumnis variis ac tentationibus subiacere, & econtra peccatores non solùm absq; vllo humiliationis flagello cursum mundi istius pertransire, sed etiam affluentia diuitiarum ac summa rerum omnium prosperitate gaudere, intolerabili zelo ac spiritus sui feruore succensus exclamat: Mei autem pæne moti sunt pedes, paulominus effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore hominum nō sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; scilicet in futuro cum dæmonibus puniendi, qui in præsenti non meruerunt in sorte ac disciplina filiorū cū hominibus flagellari. Ieremias quoq; cū Deo super hac impiorū prosperitate disceptans, licet nequaquā dubitare se de

Impij homines temporali castigatione sunt indigni.

Rom. 2.

Isaiæ 66.

Psal. 72.

Ierem. 12.

ſe de iuſtitia Domini profiteatur dicens, Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: Cauſas tamen huius tantæ inæqualitatis inquirens ſubiungit, & dicit, Verum tamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt, plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum: Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Quorum ruinam deflente Domino per prophetam, & ad eorũ curationem medicos atq; doctores ſollicitè dirigente, & quodammodo eos ad planctum ſimilem prouocante ac dicente, Subitò cecidit Babylon, contrita eſt, vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur. reſpondent deſperantes angeli, quibus ſalutis humanæ cura commiſſa eſt, vel certè propheta ex perſona Apoſtolorum ſeu ſpiritalium virorum atque doctorum videntium duritiam mentis eorum & impœnitens cor: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes. De iſtorum igitur deſperato languore ex perſonâ Dei loquitur Iſaias ad Ieruſalem: A planta pedis vſque ad verticem non eſt in ea ſanitas, vulnus & liuor & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

Ierem. 51.

Ibidem.

Iſaiæ 1.

De diuerſitate ſtudiorum ac voluntatum quæ in aëreis poteſtatibus exercentur. CAP. XXXII.

TOt autem eſſe in immundis ſpiritibus quot in hominibus ſtudia non dubiè comprobatur. Nam nonnullos eorum quos etiam Faunos vulgus appellat, ita ſeductores & ioculatores eſſe manifeſtum eſt, vt certa quæque loca ſeu vias iugiter obſidentes, nequaquam tormentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur, ſed de riſu tantummodo & illuſione contenti fatigare eos potius ſtudeant quàm nocere, quoſdam ſolummodo innocuis incubationibus hominum pernoctare, alios ita eſſe furori ac truculentię deditos, vt non ſint contenti illorum tantummodo corpora quos ſuppleuerint atroci dilaceratione vexare, ſed etiam irruere ſuper eminus tranſeuntes atque afficere illos ſæuiſſima cæde feſtinẽt; quales illi in Euangelio deſcribuntur, ob quorum metum per viam illam tranſire iam nullus audebat, quos eorumque conſimiles bellis quoque & ſanguinis effuſione pro inſatiabili ferocitate gaudere non dubium eſt. Alios ita eorum corda quos ceperant, inani quodam tumore videmus infeciſſe, quos etiã Bacuceos vulgus appellat, vt ſemetipſos vltra proceritatem cor-

Vide vndecimam annotationem in fine operis.

Matth. 8.

corporis erigētes, nunc quidem se in quosdam fastus gestusq́; sustollerent, nunc velut accliues ad quendam se tranquillitatis & affabilitatis statum communes blandosque submitterent, seseque velut illustres & circumspectabiles omnibus æstimātes, nunc quidem adorare se potestates sublimiores corporis inflexione monstrarent, nūc verò ab aliis se crederent adorari, & omnes motus quibus vera officia aut superbè aut humiliter peraguntur, explerent. Alios reperimus non solùm studere mendaciis, sed etiam blasphemias hominibus inspirare. Cuius rei etiam nos testes sumus. qui audiuimus aperrissimè dæmonem confitentem, per Arrium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Quod etiam in quarto Regum libro vnum ex iisdem ipsis manifestè legimus prædicantem: Egrediar, inquit, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. De quibus Apostolus arguēs illos qui ab ipsis decipiuntur ita infert: Attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mēdacium. Esse autem & alia dæmonum genera, id est, mutorum atque surdorum, Euangelia testantur. Incentores etiam libidinum atque luxuriæ quosdam spiritus esse propheta commemorat, Spiritus, inquiens, fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Nocturnos quoque siue diurnos ac meridianos dæmones similiter scripturarū auctoritas docet. De quorum diuersitate perlongum est, si volumus omnia scripturarum volumina perscrutantes sigillatim percurrere, qui per prophetam onocentauri, qui pilosi, qui sirenæ, qui lamiæ, qui vlulæ, qui struthiones, qui ericij designantur, qui aspis, qui basiliscus in psalmo, qui leo, qui draco, quíve scorpius in Euangelio nūcupetur, qui princeps mundi huius, qui rectores tenebrarum harum, quíve spiritalia nequitiæ ab Apostolo nominentur. Quæ vocabula non casu nec fortuitò indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum quæ apud nos vel minus noxiæ vel magis perniciosæ sunt, illorum ferocitates rabiesque distingui, & ex similitudine nequitiæ virulentæ seu principatus, quem istis inter cæteras feras siue serpentes quędam excellentia malitiæ suæ confert, illos quoque eorum vocabulis nuncupari; vt scilicet alius quidem ob vehementiam furoris & rabiem ferocitatis suæ, leonis appellationem, alius basilisci ob illud mortiferum virus quod priusquam sentiatur interimit, alius verò ob teporem malitiæ suæ onocentauri, aut ericij nomen, struthionísve sortitus sit.

3. Reg. 22. & 2. Par. 18.
1. Timoth. 4.
Luca 11.
Marci 9.
Ozea 4.
Psal. 90.
Isaiæ 34.
Psal. 90.
Luca 10.
Ioan. 14.
Ephes. 6.

Interrogatio, vnde differentia nequitiarum cælestium tanta processerit.

CAPVT XXXIII.

GErmanus: Non quidem ambigimus illos quoque ordines quos Apostolus enumerat ad istos referri, quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus: Volumus tamen nosse vnde sit hæc tanta inter eos differētia, vel quemadmodum tanti nequitiæ extiterint gradus. An ad hoc creati sint, vt hos ordines malitiæ sortirentur, & quodammodo huic nequitiæ militarent?

Ephes. 6.

Dilatio super absolutione propositæ quæstionis.

CAPVT XXXIIII.

SErenus: Quamquam propositiones vestræ totum tempus nocturnæ quietis ita nostris furentur obtutibus, vt appropinquantis auroræ nequaquam viciniam sentiamus, & vsq; ad ortum solis insatiabiliter collationis huius verba contexere prouocemur, tamen quoniam absolutio propositæ quæstionis cùm cœperit indagari, in quoddam amplissimum ac profundissimum nos educet pelagus quæstionum, quod præsentis horæ breuitas non sinit transmeari, commodius reor vt eam futuræ noctis indagini reseruemus, quo & mihi sub huius quæstionis occasione de vestro propensiori colloquio lætitia spiritalis ac fructus vberior conferatur, & propositarum quæstionum sinus prębente nobis spiritu sancto prosperos flatus liberius penetrare possimus. Quamobrem soporis modicum degustantes discutiamus obrepentem oculis nostris, vicina iam luce, torporem, ac deinceps pariter ad ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei sollemnitas commonet, reuersi post synaxin, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.

Dominicis diebus ecclesiam cumprimis frequentandam esse.

Collationis primæ Abbatis Sereni de animæ mobilitate, & spiritalibus nequitiis, finis.

COL-

COLLATIO VIII.

QVÆ EST SECVNDA ABBATIS SERENI

de principatibus seu potestatibus.

CAPVT I.



ONSVMMATIS quæ diei sollemnitas exigebat, & ecclesiæ congregatione dimissa, reuersi ad cellam senis, refecti primũ lautissimè sumus. Nam pro muria quæ superiecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, & olei quiddam solito propensiùs superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc vnusquisque quotidiè refecturus instillat, non vt eius ex hoc gutturis quandam percipiat suauitatem, quippe cuius tantus est modus, vt vix ipsius gutturis fauciumq; meatus non dicam linire, sed pertransire sufficiat, sed vt hoc vsu iactantiam cordis quæ pro abstinentia districtiore blandè solet ac latenter irrepere, & stimulos elationis obtundat: quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloque hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit. Deinde apposuit* salem frictum, oliuas ternas, quibus post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantùm sumpsimus grana, mixaria bina, caricas singulas, hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. Qua refectione transacta, repromissam quæstionis absolutionem cùm reposcere cœpissemus, Proferte, inquit senex, interrogationem vestram cuius in hanc horam distuleramus indaginem. *sale frictas

Secunda propositio de diuersitate nequitiarum cælestium.

CAPVT II.

TVm Germanus: Vnde quæsumus tanta varietas aduersariarum potestatũ contra hominem ac diuersitas ista processit quas B. Apostolus ita dinumerat: Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ, contra spiri- *Ephes. 6.*

Rom.8. ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Et iterum: Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vnde ergo tantæ malitiæ æmula nobis emerſit aduerſitas? An ad hoc poteſtates iſtas à Domino conditas eſſe credendum eſt, vt his contra hominem gradibus atque ordinibus militarent?

Reſponſio de multiplici eſca ſcripturarum ſanctarum. CAP. III.

SErenus: Diuinarum ſcripturarum auctoritas, de his in quibus nos voluit erudire, quædam etiam his qui acumine ingenij carent tam lucidè euidenterque effata eſt, vt non ſolùm nulla occultioris ſenſus obſcurentur ſeu velentur vmbra, ſed ne vllo quidem patrocinio interpretationis indigeant, & in ſuperficie vocis ac litteræ ſuos intellectus, ac ſententias præferant. Quædam verò ita cõtecta, & quibuſdam obſcurata myſteriis ſunt, vt in eorum diſcuſſione & intellectu immenſum nobis exercitij campum ac ſollicitudinis reſeruarent. Quam rem multas ob cauſas Deum diſpenſaſſe manifeſtum eſt. Primum ne ſacramenta diuina nullum habentia ſpiritalis intellectus velamen obductum, cunctis hominibus, id eſt, tam fidelibus quàm profanis, æquali ſcientia & notitia panderentur, & per hoc inter inertes ac ſtudioſos nulla eſſet virtutis prudentiæq; diſtantia: tum vt etiam inter ipſos domeſticos fidei, dum intellectuum ſpatia coram eis immenſa tenduntur, in eis & deſidioſorum argueretur ignauia, & ſtudioſorum alacritas atque induſtria probaretur. Ideoque ſatis propriè ſcriptura diuina agro opimo ac fertili comparatur, qui cùm multa gignat ac proferat quæ ad hominum victum ſine aliqua ignis coctione proficiant, quædã niſi prius flammę calore mitigata atq; mollita omnẽ aſperitatem ſuæ depoſuerint cruditatis, vel incongrua vſibus humanis vel noxia ſentiẽtur. Nonnulla verò ita in vtrumq; modũ vſui apta noſcũtur, vt nec incocta ſua cruditate diſpliceant vel offendãt, & tamen ignis calore decocta ſalubriora reddãtur. Plura quoq; ad eſcã tantummodo irrationabilium iumentorũ & animalium, vel ferarum ac volucrum proferuntur cibis hominum minimè profutura, quę etiã in ſua aſperitate manentia abſq; vlla ignis confectione vitalem iumentis cõferunt ſaturitatẽ. Quam rationẽ ſatis euidẽter aſpicimus in hoc vberrimo ſpiritalium ſcripturarum paradiſo contineri, in quo ita quædam ſignificatione litteræ plana ac luculenta reſplendent, vt cùm ſublimiore interpretatione non egeãt, ſimplici tãtùm litteræ ſono abũdè paſcant ac nutriãt audiẽtes, vt eſt illud: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus

Deus vnus eſt. Et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto *Deuter.6.*
corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota virtute tua. Quædam autẽ ſi allegorica explanatione extenuata non fuerint, & ſpiritalis ignis examinatione mollita, nullo modo ad ſalutarem interioris hominis cibũ ſine corruptionis clade peruenient, magisque ex eorum perceptione læſio quàm vtilitas aliqua ſubſequetur, vt eſt illud: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Et, Qui non habet gladiũ, vendat tunicam ſuam & emat ſibi gladium. Et, Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, nõ eſt me dignus. Quod quidam diſtrictiſſimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſq; iugiter humeris circũferentes, nõ ædificationẽ, ſed riſum cunctis videntibus intulerunt. Nonnulla verò ad vtranque perceptionem, id eſt, tam hiſtoricam quàm allegoricam ita commodè ac neceſſariè capiuntur, vt vtraque explanatio vitales animæ ſuccos ſubminiſtret, vt eſt illud, Si quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et, Cùm perſequuntur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Et, Si vis perfectus eſſe, vade vẽde omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Producit ſanè & fœnum iumentis, quibus pabulis omnes ſcripturarum repleti ſunt campi, ſimplicem ſcilicet puramque narrationem hiſtoricæ lectionis, qua ſimpliciores quique ac minus capaces perfectę & integræ rationis, de quibus dicitur, Homines & iumẽta ſaluabis Domine, ſecundum ſtatus ac menſuræ ſuæ condicionem, ad opus tantum & laborem actualis vitæ vegetiores robuſtioresque reddantur.

Ibidem. *Luca 12.* *Luca 22.* *Matth.10.* *Matth.5.* *Matth. 10.* *Matth.19.* *Pſalm.35.*

De gemina ſententia ſuper intellectu ſcripturarum ſanctarum.

CAPVT IIII.

QVamobrem de his quę aperta explanatione prolata ſunt, nos quoque conſtanter poſſumus definire, audenterque noſtrã proferre ſententiã. Ea verò quæ meditationi & exercitio noſtro reſeruãs obtecta ſanctis ſcripturis ſpiritus diuinus inſeruit, quibuſdã ea volens indiciis & opinionibus colligi, ita pedetentim debent cauteque conferri, vt ſit eorum aſſertio ſeu confirmatio in diſputantis vel ſuſcipientis arbitrio collocata. Nonnunquàm enim cùm ſuper vna re diuerſa promatur ſententia, poteſt vtraque rationabilis iudicari, & ſine detrimento fidei vel fixè vel mediè ſuſcipi, id eſt, vt eis nec plena credulitas, nec abſoluta refutatio deputetur: priorique ſequens opinio derogare non debeat, cùm neutra earum fidei inueniatur obſiſtere, quale eſt illud, quòd Helias venerit in *Matth.11.*

Ioanne, & iterum sit ante aduentum Christi venturus, & de abominatione desolationis, quòd steterit in loco sancto per illud simulacrum Iouis quod Hierosolymis in templo positum legimus, & iterum stare habeat in ecclesia per aduentũ Antichristi, illaque omnia quæ in Euangelio sequuntur, quæ & impleta ante captiuitatem Hierosolymorum, & in fine mundi istius intelliguntur implenda, è quibus neutra opinio impugnat aliam, nec sequentem prior intellectus euacuat.

Danielis 9.

Matt. 24.

Quòd proposita quæstio inter illa quæ media tenenda sunt debeat accipi.

CAPVT V.

ET idcirco proposita à vobis quæstio licet non satis videatur nec frequenter inter homines ventilata, nec apud plurimos pateat, & ex hoc ipso apud aliquos ea quæ proferemus forsitan videantur ambigua, ita debemus nostram temperare sententiam, quoniam fidei trinitatis nihil præiudicãt, vt inter illa habeantur quæ mediè sunt tenenda, quanquàm non tali opinione qualis suspicionibus tantum & coniecturis colligi solet, sed manifestis scripturarum testimoniis omnia comprobentur.

Quòd nihil à Deo malum creatum sit.

CAPVT VI.

Genes. 1.

ABsit ergo, vt Deum quicquam creasse cõfiteamur quod substantialiter malum sit, dicente scriptura, Omnia quæ fecit Deus, bona sunt valde. Si enim à Deo tales isti creati sunt, vel ad hoc facti, vt hos malitiæ gradus teneant, ac semper deceptionibus & ruinis hominum vacent, contra prædictæ scripturæ sententiam infamabimus Deum velut creatorem atque inuentorem malorum, quòd scilicet pessimas voluntates ac naturas ipse condiderit, ad hoc eas creans, vt semper in nequitia perseuerantes nunquã transire possint in bonæ voluntatis affectum. Hanc igitur rationem diuersitatis huius, traditione patrum de sanctarum scripturarum fonte percepimus.

De initio principatuum seu potestatum. CAP. VII.

Vide duodecimam annotationem in fine operis.

ANte conditionem huius visibilis creaturæ spiritales cælestesque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quòd scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Nec enim existimare debemus creationis & opificij sui principia ab huius mundi constitutione Deum primitùs inchoasse, quasi in illis anterioribus atque innumeris seculis, ab omni prouidentia & dispensatione diuina fuerit otiosus, ac

tanquam

tanquā nō habens in quos bonitatis suæ exerceret beneficia, solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur, quòd de illa immensa ac sine principio & incomprehensibili maiestate satis humile est incongruumq́ue sentire, ipso Domino de illis potestatibus hæc dicente: Quando facta sunt simul sidera, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. Qui ergo intersunt creationi siderum, ante istud principium in quo factum dicitur cælum & terra, creati fuisse manifestissimè comprobantur, quippe qui pro istis omnibus visibilibus creaturis quas videbant ex nihilo processisse, creatorem magna voce referuntur & admiratione laudasse. Ante istud ergo temporale principiū quod à Mose ponitur, quodq́ue mundi huius secundum historicum, imò Iudaicum sensum signat ætatem, saluo scilicet nostro sensu quo nos interpretamur omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia creauerit pater, secundum illud, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: *Ioann.1.* ante istud inquam geneseos temporale principium, omnes illas potestates cælestesq; virtutes Deum creasse non dubium est. Quas Apostolus per ordinem dinumerans ita describit: Quia in Christo creata *Coloss.1.* sunt omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt, visibilia & inuisibilia, siue angeli, siue archangeli, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.

De lapsu diaboli & angelorum. CAP. VIII.

DE istorum itaque numero nōnullos principes fuisse collapsos lamentatio Ezechielis siue Isaiæ manifestissimè docet, in quibus principem Tyri, aut illum Luciferum qui mane oriebatur, flebili planctu ab eis cognoscimus lamentari. Et de illo quidem ita Dominus ad Ezechiel: Fili hominis, *Ezech.28.* leua plāctum super principem Tyri, & dices ei: Hęc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimētum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & beryllus, Sapphirus, & carbunculus, & smaragdus. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens in medio lapidum ignitorum. Eleuatum est

cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam à decore tuo, in terram proieci te, ante faciem regum dedi te: vt cernerent te in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Isaias
Isaiæ 14. quoque de alio: Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & ero
non solos similis altissimo. Quos tamen nonnullos ex illo beatissimæ stationis apice ruisse scriptura commemorat, dicens, tertiam partem stellarum draconem illum secum pariter pertraxisse.
Judas in epistola Canonica. Vnus quoque Apostolorum euidentius dicit: Angelos qui nō seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt domicilium suum, in iudicium magni diei vinculis æternis sub cali-
Psalm. 81. gine seruauit. Illud etiam quod ad nos dicitur, Vos autē sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis, quid aliud quàm multos principes cecidisse significat? Quibus indiciis ratio diuersitatis huius ita colligitur, has differentias ordinum quas instar sanctarum cælestiumque virtutum aduersæ potestates habere dicuntur, vel ex illius anterioris ordinis gradu in quo vnaquæque creata fuerat, nunc etiam retentare, vel de cælestibus deuolutas ad similitudinem illarum virtutum quæ ibidem perseuerant, pro nequitiæ suæ merito in qua vnaquæque in malum creuit, hos inter se gradus & ordinum vocabula in parte contraria vendicasse.

Obiectio, quòd ruina diaboli à deceptione Euæ principium sumpserit.

CAP. IX.

GErmanus: Nos hactenus credebamus causam initiumq; ruinæ seu præuaricationis diabolicæ, qua de angelica statione deiectus est, inuidiam specialiter extitisse, quando Adam & Euam liuida calliditate decepit.

Responsio de initio lapsus diaboli. CAP. X.

SErenus: Non esse istud initium præuaricationis illius seu deiectionis, Geneseos lectio manifestat, quæ ante illorum deceptionem serpentini nominis eum nota credidit inurendum, ita dicens: Serpens autem erat sapientior, siue, vt He-
Genes. 3. braici exprimunt libri, callidior cunctis bestiis terræ quas fecit Dominus Deus. Intelligitis ergo quòd ante illam circumuentionem primi hominis, de Angelica discesserat sanctitate; ita vt non solùm nominis huius insigniri mereretur infamia, sed etiam in nequitiæ tergiuersatione cæteris pręferretur bestiis terræ. Nō enim tali vocabulo scriptura bonum angelum designasset,

designasset, nec de his qui in illa beatitudine perseuerant diceret, Serpens autem erat sapientior omnibus bestiis terræ. Nam hoc cognomen non solùm Gabrieli siue Michaeli nullo modo posset aptari, sed ne bono quidem cuiquam homini conueniret. Apertissimè itaque & serpentis vocabulum & comparatio bestiarum non sonat Angeli dignitatem, sed præuaricatoris infamiam. Denique liuoris ac seductionis materia, qua vt hominem deciperet instigatus est, de anterioris ruinæ extitit causa, quòd scilicet de limo terræ nuperrimè figuratum ad illam eum gloriam cerneret euocandum, vnde cùm esset vnus de principibus se meminerat corruisse. Et idcirco priorem eius lapsum quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per inuidiam subsecuta est quæ inueniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem, ita vt etiam cuiusdam colloquij atque consilij cum homine posset habere consortium, sentētia Domini vtiliter in ima deiectus est, vt non iam sicut antè sublime aliquid intuens excelsus incederet, sed vt solo cohærens reperet, & humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis & operibus pasceretur, occultū deinceps publicans inimicum, ac ponens inter ipsum & hominem vtiles inimicitias salutaremque discordiam; vt dum cauetur tanquā hostis noxius, amicitiis fraudulētis vlterius homini nocere nō posset.

Vide tertiamdecimam annotationem post finem operis.

De eius qui decipit siue decipitur, pœna.

CAPVT XI.

IN quo tamen & illud nos præcipuè debet instruere, vt à malis consiliis declinemus: quòd licet deceptionis auctor congrua pœna & condemnatione plectatur, ne ille quidem qui seducitur supplicio careat, licet aliquantulo leuiore quàm ille qui auctor deceptionis extiterit. Quod hic expressum plenissimè cernimus: Adam namque qui seductus est, immo (vt Apostoli verbis eloquar) qui seductus non est, sed seductę acquiescens, in exitialem videtur accessisse consensum, sudore vultus ac labore tantummodo, condemnatur, qui tamen illi non per suam, sed per terræ maledictionem sterilitatemq; decernitur. Mulier verò quæ huius rei persuasor extitit, multiplicationem gemituum ac dolorum atque tristitiæ promeretur, perpetuo pariter iugo subiectionis addicta. Serpens autem qui primus incentor huius offensæ est, perenni maledictione multatur. Quamobrem summa sollicitudine & circumspectione cauendum est à consiliis prauis; quia sicut auctorem puniunt, ita deceptum nec peccato faciunt carere, nec pœna.

1. Timoth. 2.

Consilia praua diligenter euitanda esse.

De cõstipatione dæmonũ & inquietudine quam in hoc aëre semper exercent.
CAPVT XII.

TAnta verò spirituum densitate constipatus est aër iste qui inter cælum terramque diffunditur, in quo nõ quieti nec otiosi peruolitant, vt satis vtiliter humanis aspectibus eos prouidentia diuina absconderit atque subtraxerit. Aut enim terrore concursus eorum vel horrore vultuum in quos se pro voluntate sua cùm libitum fuerit transformant atque conuertunt, intolerabili formidine homines consternarentur atque deficerent, nequaquam valentes hæc carnalibus oculis intueri, aut certè nequiores quotidie redderentur, exemplis eorum iugibus & imitatione vitiati: & per hoc inter homines & immundas atque aëreas potestates fieret noxia quędam familiaritas atque perniciosa coniunctio, quia hæc flagitia quæ nunc inter homines admittuntur, vel parietum septis, vel locorum interuallo, & quadam verecundiæ confusione celantur; quæ si aperta visione iugiter conspicerẽt, ad maiorem furoris incitarentur insaniam, nullo scilicet interueniente temporis puncto: quo ab istis sceleribus eas cernerent desinentes; quippe quas nulla lassitudo carnalis seu occupatio familiaris rei, ac sollicitudo quotidiani victus, quemadmodũ nos, à cœptis intentionibus etiam inuitissimos nonnunquam cessare compellunt.

Quòd impugnationem quam erga homines impendunt angeli, etiam aduersum se commoueant. CAP. XIII.

HAs namque impugnationes quibus homines impetunt, etiam contra se inuicem ipsos affectare certissimum est. Nam discordias atque conflictus super nonnullis gentibus pro quadam sibi nequitiæ vernacula familiaritate susceptis, indefesso certamine similiter exercere non desinunt. Quod etiam in visione Danielis prophetæ manifestissimè legimus figuratum, angelo Gabriele ita narrante: Noli timere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Princeps autẽ regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meũ, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. Veni autem vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus. Quem principem regni Persarum aduersariam potestatem esse quæ fauebat genti Persarum, inimicam populo Dei, minimè dubitandum est, quique ad impediendam vtilitatem quam videbat per absolutionem quæstionis pro qua propheta Dominum

Daniel.10.

num exorauerat, ab archangelo miniſtrandam, lubens ſemet-
ipſum, ne ocyus ad Danielem ſalutaris Angeli conſolatio
perueniret, Deique populũ, cui Gabriel archangelus præerat,
confortaret, obiecit. Qui tamen ait, ne tunc quidem ob impu-
gnationis illius vehementiam ſe ad eum peruenire potuiſſe,
niſi in adiutorium ſibi Michaël archangelus aduenisſet, &
occurrens principi regni Perſarum, ſeſeque conflictui eius
interſerens & opponens, cumque ab ipſius impugnatione
defendens, ad inſtructionem prophetæ poſt viceſimum & v-
num diem peruenire feciſſet. Et poſt pauca: Et ait, inquit an- *Ibidem.*
gelus: Nunquid ſcis quare venerim ad te? Et nunc reuertar,
vt prœlier aduerſus principem Perſarum. Cùm enim ego e-
grederer, apparuit princeps Græcorum veniens: Veruntа-
men annunciabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura verita-
tis. Et nemo eſt adiutor meus in his omnibus niſi Michaël
princeps veſter. Et iterum: In tempore illo cõſurget Michaël *Dan.12.*
princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui. Legimus ergo
Græcorum quoque principem ſimiliter alium nũcupari, qui
vtique fauens genti ſibi ſubditæ, tam populo Iſraëli, quàm
nationi Perſarum videbatur aduerſari. Ex quo liquidò perui-
detur, quòd diſcordias gentium & conflictus atque ſimulta-
tes quas inter ſe, iſtis inſtigantibus, gerunt, etiam contra ſe
aduerſæ exerceant poteſtates, & illarum vel gaudeant victo-
ria, vel diminutione crucientur, & ob hoc non poſſint illæ in-
ter ſe eſſe concordes, dum vnuſquiſque pro his quibus præeſt
contra alterius gentis præſulem inquieta ſemper æmulatione
contendit.

*Vnde factum ſit vt poteſtatum ſeu principatuum nomina ſpiritales nequi-
tiæ ſortiantur.* CAP. XIIII.

NOs ergo præter illas quas ſuperius expoſuimus opinio-
nes, etiam idcirco dici principatus vel poteſtates eui-
denti poſſumus ratione colligere, quòd ſcilicet vel diuerſis
gentibus dominentur ac præſint, vel certè quòd in inferio-
res ſpiritus atque dæmonia (de quibus etiam Euangelia, *Luc.8.*
legiones eſſe propria ipſorum confeſſione teſtantur) ſuos
exerceant principatus. Non enim dominationes dici poſ-
ſunt, niſi habeant in quos dominationis ſuæ ditionem exer-
ceant: nec poteſtates aut principatus vocari queunt, niſi fue-
rint ſuper quos ſibi vendicent principatus. Quod etiam in
euangelio deſignari blaſphemantibus Phariſæis manife-
ſtiſſimè reperimus, In Beelzebub principe dæmoniorum *Math.12.*
hic eiicit dæmones. Nam & rectores tenebrarum legimus *Epheſ.6.*
appellari, & alium mundi huius principem nuncupari. *Ioann.14.*

Quos tamen gradus beatus Apostolus in futurum, cùm omnia Christo fuerint subiecta, asserit euacuandos: cùm tradiderit, inquiens, regnum Deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum, potestatem, & dominationem: quod vtique non aliter fiet, nisi fuerint de ipsorum ditione sublati, supra quos in hoc seculo potestates seu dominationes vel principatus administrare noscuntur.

1. Cor. 15.

Quòd non sine causa sanctis cælestibusq; virtutibus Angelorum siue Archangelorum nomina sint indita. CAP. XV.

Nam quia bonæ parti eadem ordinum vocabula non sine ratione causáue sint indita, & officiorum vel meritorum seu dignitatum sint nomina, nulli dubium est. Etenim de officio nunciandi, Angelos, id est, nuncios appellari manifestum est, & Archangelos eo quòd ipsis Angelis præsint, nominis ipsius proprietas docet. Dominationes etiam ab eo quòd quibusdam dominētur: Principatus quoq; quòd habeant quorū sint principes. Et sedes, quòd ita scilicet Deo cohæreant, & domesticæ sint ei ac familiares, vt in ipsis velut in quadam sede diuina maiestas peculiarius requiescat, & quodammodo in eis firmius reclinetur.

De subiectione dæmonum quam suis principatibus præbent.

CAPVT XVI.

Regi autem immundos spiritus à nequioribus potestatibus eisque subditos esse, præter illa scripturarum testimonia quæ in euangeliis quoque calumniantibus Pharisæis Domini legimus responsione descripta, Si ego in Beelzebub principe dæmoniorum eiicio dæmones: etiam perspicuæ visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cùm vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascente iam die antrum quoddam reperiens, ibidem substitit, vespertinam volens in eo synaxim celebrare. Vbi dum psalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis excessit. Cumque finita sollemnitate refecturus lassum corpus paululum resedisset, repentè cœpit cateruas dæmonum vndique confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita cōstipatione atque ordine, longissimo procedentes, aliæ præibant principem suum, aliæ sequebantur. Qui tandem aliquando & magnitudine procerior cunctis, & aspectu terribilior, aduenit: ac posito solio cùm in tribunali quodam sublimissimo consedisset, vniuscuiusque actus diligenti cœpit examinatione discutere, illosque qui nec dum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes ignauosque à conspectu suo cum nota & iniuria iubebat expelli, spatia tempo-

Matth. 12.

Exemplo suam illustrat sententiam, ac docet inferiores dæmones principibus subditos esse.

temporis tanti, & opus inaniter expensum cum fremitu furoris exprobrans. Illos verò qui se nunciabant consignatos sibimet decepisse, summis laudibus cum exultatione ac fauore cunctorũ, vt fortissimos bellatores ad exemplum cunctorũ gloriosissimos corã omnibus emittebat. In quorum numero cùm quidam nequissimus spiritus, vtpote quendam triumphum sublimissimum delaturus, lætior aduenisset, nomen monachi optimè cogniti designauit, asserens se post quindecim annos, quibus eum iugiter obsedisset, tandem aliquando præualuisse, vt eum eadem ipsa nocte ruina fornicationis elideret: nam cum quadam sacra puella nõ solum impulisse vt stupri crimẽ incurreret, sed etiam persuasisse vt eam sibi iure coniugij retentaret. Super cuius relatione cùm immane cũctorũ gaudiũ fuisset exortũ, summis à principe tenebrarũ laudib. eleuatus, magnisq; præconiis coronatus, abscessit. Aurora itaq; superueniente, cùm omnis hæc ab oculis euanuisset dæmonũ multitudo, dubitans frater de assertione spiritus immũdi, magisq; id ratus, quòd insolita cõsuetudinis suæ fallacia sibi voluisset illudere, & innocenti fratri inurere crimen incesti, memor euangelicæ sententiæ, quòd in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius; Pelusium petiit, vbi illum quem spiritus immundus asseruit esse deiectum, nouerat commorari. Erat siquidem illi etiam notissimus frater. Quem cùm requisisset, repperit quòd eadẽ nocte qua teterrimus ille dæmon ruinã eius suæ cohorti vel principi nunciauerat, monasterio pristino derelicto, vicum petisset, & cum designata puella fuisset lapsu miserabili deuolutus. *Ioann. 8.*

Quòd singulis hominibus duo semper Angeli adhæreant.

CAPVT XVII.

NAm quòd vnicuique nostrum duo cohæreant Angeli, id est, bonus & malus, scriptura testatur. De bonis quidem Saluator: Ne contemnatis, inquiens, vnum ex pusillis istis; dico enim vobis, quòd angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est. Illud quoque: Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Nec non etiam quod in actibus Apostolorum de Petro dicitur: quia angelus eius est. De vtrisque verò liber Pastoris plenissimè docet. Si autem consideremus & illum qui beatum Iob expetiit, apertissimè instruemur illum fuisse qui semper insidiatus ei, nunquam eum ad peccatum potuerit incitare, & idcirco potestatem à Domino poposcisse, velut qui non virtute illius, sed Domini defensione, qui illum semper

Vide quartamdecimam annotationem post finem operis. *Matth. 18.* *Psalm. 33.* *Actor. 12.* *Liber Pastoris.*

Psalm. 108. protexerat, vinceretur. De Iuda quoque dicitur, & diabolus stet à dextris eius.

Differentiam nequitiæ quæ malis spiritibus inest, duorum philosophorum testimonio confirmat. CAP. XVIII.

DE differentiis sanè dæmonum etiam per illos duos philosophos, qui quondã magicis artibus vel inertiã eorum, vel fortitudinem seuamq; nequitiam fuerant frequenter experti, multum cognitionis accepimus. Hi namque despicientes beatũ Antonium velut imperitum ac sine literis virum; volentesque eum (si nihil amplius lædere potuissent) saltem de cella sua magicis præstigiis & circumuentione dæmonum perturbare: spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu liuoris adducti, eo quòd maximæ hominum turbæ ad eum velut famulum Dei quotidie cõuenirent. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo frontique signaculum crucis, nunc verò orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atque ad eos qui illos direxerant absque vllo reuerterentur effectu: & alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, itidemque ipsis incassum suarum nequitiarum expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus aduersus militem Christi victorem iterum destinati, nihil penitus præualerent: eò profecerunt tales tantæque eorum insidiæ tanta magica arte quæsitæ, vt per hæc euidentissimè comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem, quibus illæ tam seuę tamque potentes vmbræ, quas æstimabant solem lunamque, si ad eas directæ fuissent, obducere potuisse, hunc non solum nihil lædere, sed ne ad punctum quidem de monasterio suo valuerint perturbare.

Aduersus dæmonum machinamenta crucis signaculo vel orationibus armari debemus.

Quòd dæmones nihil aduersus homines præualeant, nisi obsederint eorum prius mentes. CAP. XIX.

CVmq; pro hac admiratione confestim venientes ad Abbatẽ Antonium impugnationum suarũ magnitudinem, & causas atq; insidias patefecissẽt liuoris occulti, Christianos se fieri protinus poposcerunt. Requisito autẽ ab illis proditæ impugnationis die, asseruit se amarissimis cogitationum stimulis tunc fuisse pulsatum. Quo experimento sententiam nostram quam hesterno die in collatione protulimus, probauit ac definiuit beatus Antonius, nullatenus dęmones posse mentem cuiusquam vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus irruendi, nisi eam primo destituerint omnibus cogitationibus sanctis, ac spiritali contemplatione

templatione vacuam nudamq; reddiderint. Sciendum tamen duobus modis spiritus immundos hominibus obedire. Aut enim sanctitati fidelium diuina gratia ac virtute subduntur, aut sacrificiis impiorũ seu quibusdã carminibus deliniti, velut familiaribus adulantur. Qua opinione Pharisæi quoq; decepti, arbitrati sunt etiam Dominum Saluatorem hac arte dæmoniis imperasse, dicentes, In Beelzebub principe dæmoniorum hic eiicit dæmones: secundum illam scilicet consuetudinem qua norant suos magos vel maleficos per inuocationem nominis illius ac ritum sacrificiorum quo eum delectari & gaudere cognoscunt, velut domesticos eius, habere etiam in dæmones ei subditos potestatem. *Dæmones bifariã hominibus subiiciuntur.* *Matth. 12.*

Interrogatio de apostatis angelis, qui in Genesi cum filiabus hominum concubuisse dicuntur. CAPVT XX.

GErmanus: Quia Geneseos lectio paulò antè in medium De dispensatione prolata est, quæ nos opportunè cõmonuit, vt id quod semper discere cupiebamus, nunc possimus cõgruè sciscitari, quid etiam de illis apostatis angelis sentiendum sit, optamus agnoscere, qui se cum filiabus hominum miscuisse dicuntur, vtrum hoc possit spiritali naturæ secundum litteram conuenire. Illud quoque Euangelij testimonium, quod de diabolo paulò antè dixisti: Quia mendax est, & pater eius; similiter desideramus audire, qui nam eius pater intelligendus sit? *Genes. 6.* *Ioann. 8.*

Solutio propositæ quæstionis. CAP. XXI.

SErenus: Duas quæstiones non mediocres pariter proposuistis, de quibus quantum possum eodem quo proposuistis ordine respondebo. Nullo modo credendum est spiritales naturas coire cum feminis carnaliter posse. Quòd si aliquãdo hoc secundum litteram fieri potuisset, quomodo nunc quoque idipsum vel non rarò contingeret, & absque semine vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonum cerneremus? cùm præsertim constet eos libidinum sordibus admodum delectari, quas proculdubio per semetipsos exercere plus quàm per homines mallent, si illud vllo modo potuisset impleri: Ecclesiaste quoque idipsum pronunciante: Quid est quod fuit? idipsum quod est: & quid est quod factum est? idipsum quod fiet: & non est omne recens sub sole quod loquatur & dicat: ecce hoc nouum est, non fuit in seculis quæ fuerunt ante nos. Sed ita quæstio propositionis huius absoluitur. Post necem Abel iusti, ne à fratricida & impio omne hominum genus exordium sumeret, *Lege quintãdecimam annotationẽ post finem operis.* *Ecclef. 1.*

ſumeret, in locum fratris extincti naſcitur Seth, qui non ſolum poſteritati, ſed etiam fraternæ iuſtitiæ pietatiq́ue ſuccederet. Cuius progenies ſecuta patris iuſtitiam, à ſocietate & coniunctione cognationis illius quæ ex Cain ſacrilego deſcendebat, ſemper diuiſa permanſit, ſicut etiam genealogiæ deſcriptio manifeſtè declarat, ita dicens: Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan autẽ genuit Malaleel, Malaleel autem genuit Iareth, Iareth autem genuit Enoch, Enoch autem genuit Mathuſalem, Mathuſalem genuit Lamech, Lamech genuit Noë. Item genealogia Cain, ita diuiſa deſcribitur: Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irath, Irath genuit Mauiael, Mauiael genuit Mathuſalem, Mathuſalem genuit Lamech, Lamech genuit Iubal. Itaque illa generatio quæ de Seth iuſti propagine deſcendebat, ſuæ lineæ iugiter & agnationi permixta, in patris atque attaui ſanctitate longa ætate durauit, nequaquam ſcilicet ſacrilegiis ac malitia nequiſſimæ prolis infecta, quæ in ſemet impietatis germen velut * attaui traditione retinebat inſertum. Donec ergo perſeuerauit inter illos generationis eorũ iſta diſcretio, ſemen illud Seth, vtpote de optima radice procedens, pro merito ſanctitatis angeli Dei, ſiue, vt diuerſa exemplaria continent, filij Dei vocati ſunt: & econtrario illi propter impietatem vel ſuam vel patrum ſuorum & opera terrena, filij hominum nuncupantur. Cùm eſſet ergo inter ipſos vſque ad illud tempus hæc vtilis bonaq́ue diuiſio, videntes poſt hæc filij Seth, qui filij Dei erant, filias eorum qui de Cain progeniẽ naſcebantur, deſiderio pulchritudinis earum accenſi, acceperunt ſibimet de ipſis vxores, quæ viris ſuis infundentes nequitias patrum ſuorum, ab illa eos ingenita ſanctitate ac ſimplicitate paterna protinus corruperunt. Ad quos ſatis congruè directum eſt illud eloquium: Ego dixi, dij eſtis & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Quique ab illa vera Phyſicæ philoſophiæ diſciplina tradita ſibi à maioribus exciderũt, quam primus homo ille, qui vniuerſarũ naturarũ inſtitutionẽ e veſtigio ſubſecutus eſt, potuit euidenter attingere, ſuiſq́ue poſteris certa ratione tranſmittere. Quippe qui mundi ipſius infantiam adhuc teneram, & quodammodo palpitantem rudemq́ue conſpexerat, & in quem tanta fuit non ſolum ſapiẽtiæ plenitudo, ſed etiam gratia prophetiæ, diuina illa inſufflatione transfuſa, vt vniuerſis animantibus nomina rudis adhuc mundi huius habitator imponeret, ac non ſolùm omnigenum beſtiarum atque ſerpentium furores viruſq́ue diſcerne-

Geneſ. 5. Geneſ. 4. * auita vel antiqua Pſalm. 81. Geneſ. 2.

cerneret, sed etiam virtutes herbarum ;arborum quoque lapidumque naturas ac temporum necdum expertorum vicissitudines partiretur. ita vt potuerit efficaciter dicere, Dominus dedit mihi eorum quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, annorum cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, & vim spirituũ, & cogitationes hominum, differentias arborum & virtutes radicum, & quæ sunt abscondita & in promptu cognoui. Hanc ergo scientiam omnium naturarum per successiones generationum semen Seth paterna traditione suscipiens, donec diuisum à sacrilega propagine perdurauit, quemadmodum sanctè perceperat, ita etiam vel ad Dei cultum vel ad vtilitatem vitæ communis exercuit. Cùm verò fuisset impiæ generationi permixtum, ad res profanas ac noxias quæ piè didicerat, instinctu quoque dæmonũ deriuauit, curiosasque ex ea maleficiorum artes atque præstigia ac magicas superstitiones audacter instituit, docẽs posteros suos, vt sacro illo cultu diuini nominis derelicto, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur & colerent. Hæc igitur quam diximus curiosarum rerum notitia quomodo in diluuio non perierit, ac superuenientibus seculis innotuerit, licet hoc minimè absolutio propositæ quæstionis exposcat, tamen quia nos occasio huius expositionis admonuit, perstringendum breuiter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferũt, Cham filius Noë, qui superstitionibus istis & sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in qua erat vnà cum patre iusto ac sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes ac profana commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum inundatione corrumpi non possent, & durissimis lapidibus insculpsit. Quæ, diluuio peracto, eadem qua cælauerat curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuę nequitię seminarium transmisit in posteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi, qua credunt angelos vel maleficia vel diuersas artes hominibus tradidisse, in veritate cõpleta est. De illis ergo, quemadmodum diximus, filiis Seth & filiabus Cain, nequiores filij procreati sunt, qui fuerunt robustissimi venatores, violentissimi ac truculentissimi viri, qui pro enormitate corporum vel crudelitatis ac malitię, Gigantes nuncupati sunt. Hi namque finitimos populari, ac rapinas inter homines exercere primi cœperunt, præda potius

exigentes

Sap. 7.

Maleficiorum artes à Cham filio Noe laminis metallorũ & columnis ante diluuium inscripta.

Genes. 6.

exigentes vitam suam, quàm sudore operis sui ac labore contenti: & quorum vsque adeò scelera supercreuerant, vt nisi inundatione diluuij abàs mundus expiari non posset. Ita ergo filiis Seth libidinis instigatione transgressis illud mandatum quod ab exordio mundi huius naturali instinctu diutissimè fuerat custoditum, necesse fuit per litteram legis postea
Deuter.7. reparari: Filiam tuam non dabis filio eius vxorem, nec de filiabus eorum accipies filio tuo, quia seducent corda vestra, vt discedatis à Deo vestro & sequamini deos earum, ac seruiatis eis.

Obiectio quemadmodum generi Seth cum filiabus Cain profana commistio ante interdictum legis potuerit imputari. CAP. XXII.

GErmanus: Meritò potuisset illis ex hac præsumptione coniugij, crimen transgressionis adscribi, si data fuisset illis ista præceptio. At cum seiunctionis istius obseruantia necdum aliqua fuisset constitutione præfixa, quemadmodum illis permistio generis ad noxam debuit imputari, quæ nullo fuerat interdicta mandato? Lex enim nō præterita solet crimina, sed futura damnare.

Responsio quòd naturali lege ab initio homines iudicio seu pœnæ fuerunt obnoxij. CAP. XXIII.

SErenus: Deus hominem creans omnem naturaliter ei sciētiam legis inseruit, quæ si fuisset ab homine secundum propositum Domini, vt cœperat, custodita, non vtique necessarium fuisset aliam dari, quę per litteram postea promulgata est. Erat enim superfluum extrinsecus offerri remedium, quod adhuc intrinsecus vigebat insertū. Sed quia hęc, vt diximus, penitus corrupta iam fuerat libertate vsuque peccandi, velut huius exactor & executor ac vindex, &, vt ipsis scripturę verbis eloquar, adiutrix apposita est Mosaicæ legis seuera districtio, vt vel metu pœnæ præsentis non penitus bonum scientiæ naturalis extinguerent, secundum prophetæ sententiam dicentis, legem dedit in adiutorium, quæ etiam se-
Galat.3. cundum Apostolum pædagogus velut paruulis data fuisse describitur, erudiens scilicet eos atque custodiens, ne ab illa disciplina in qua naturaliter fuerant instituti, quadā obliuione discederent. Nam quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa: hinc manifestè probatur, quòd mandata legis absque litteræ lectione ante legem, imò ante diluuium omnes sanctos obseruasse cognoscimus. Quemadmodum enim scire potuit Abel nec dum lege mādante, quòd
Genes.4. offerre Deo de primitiuis ouium suarum, & de adipe ipsarum sacrificium debuisset, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset

fuisset edoctus? Quemadmodum Noë quod mundum vel quod immundū esset animal discreuisset nondum hæc legali distinguente mandato, nisi scientia naturali fuisset instructus? Vnde Enoch didicit ambulare cum Deo, nullam legis illuminationem ab aliquo cōsecutus? Vbi Sem & Iaphet legerant, turpitudinem patris tui non reuelabis; vt incedentes retrorsum, pātris verenda velarēt? Vnde monitus Abraham spoliis hostium quæ sibi offerebantur, ne retributionem laboris sui consequeretur, abstinuit? vel decimas sacerdoti Melchisedec quæ Mosaica lege præcipiuntur, exsoluit? Vnde idem ipse Abraham, vnde Lot, transeuntibus ac peregrinis humanitatis iura & ablutionem pedum, nec dum euangelico coruscante mandato suppliciter obtulerunt? Vnde Iob tantam deuotionem fidei, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, humanitatis scientiam consecutus est, quantam nunc ne ab illis quidem qui euangelia memoriter tenent videmus impleri? Quem sanctorum legimus ante legem vllum legis violasse mandatum? Quis illorum nō custodiuit, Audi Israël, Dominus Deus tuus* Dominus vnus est? Quis non impleuit illorum, non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem eorum quæ in cælo sunt, siue quæ in terra, vel eorum quæ sunt in aquis sub terra? Quis eorum non obseruauit, honora patrem tuum & matrem tuam: vel illa quæ in decalogo subsequuntur, non occides, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, non concupisces vxorem proximi tui, aliaque his multo maiora, quibus non solum legis, sed etiam euangelij præuenere mandata?

Genes.7. *Genes.5.* *Genes.9.* *Leuit.18.* *Genes.14.* *Genes.18.* *Deuter.6.* * Deus *Exod.20.*

Quòd iustè puniti sunt hi qui ante diluuium peccauerunt.

CAPVT XXIIII.

ITa ergo intelligimus ab initio Deum omnia creasse perfecta, nec fuisse quod ordinationi eius principali velut improuidæ & imperfectæ necesse esset adiungi, vel quod ei addi post hæc oporteret, si in illo statu ac dispositione qua ab ipso creata sunt vniuersa mansissent. Et idcirco in eos qui ante legem imò ante diluuium peccauerunt, iusto iudicio Deum animaduertisse probabimus, quia transgressi naturalem legē, sine vlla meruerunt excusatione puniri. Nec in illorum incidemus blasphemias calumniamque, qui ignorātes hāc rationem derogant Deo veteris testamenti, ac detrahentes nostræ fidei subsannantesq; respondent: Quid ergo placuit Deo nostro, vt post tot annorum millia legem voluerit promulgare, tanta secula passus sine legē transire? Quòd si postea melius

Quæ causa fuerit promulganda legis.

melius aliquid adinuenit, apparet eum in primordio mundi inferiora vel deteriora sapuisse, & post hæc velut experimẽtis edoctum, cœpisse rectiora prospicere, ac principales ordinationes suas in melius emendare. Quod immensæ * præscientiæ Dei penitus conuenire non poterit, nec sine ingenti blasphemia hæc de ipso ab hæretica insania proferuntur, dicente Ecclesiaste: Cognoui quoniã omnia quæ fecit Deus ab initio ipsa erunt in æternum. Super illa non est quod addatur, & ab illis non est quod auferatur. Et idcirco iustis non est lex posita, iniustis autem & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis. Illi namque habentes naturalis atque insitę legis sanam atque integram disciplinam, nequaquam lege hac extrinsecus adhibita litterisque descripta, quæque in adiutorium illi naturali data est indigebant. Ex quibus apertissima ratione colligitur, nec legẽ istam præscriptam litteris ab initio dari debuisse, erat enim hoc superfluum fieri stante adhuc naturali lege nec ad integrũ violata; nec euangelicam perfectionem tradi ante legis potuisse custodiam. Non enim poterant audire, Qui te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: qui contenti non erant talionis æqualitate iniurias proprias vlcisci, sed lethales calces ac telorum vulnera pro alapa leuissima rependebant, & pro vno dente, percutientium animas expetebant. Sed nec dici poterat illis, Diligite inimicos vestros, in quibus magnus fructus & vtilitas ducebatur, vt amicos suos diligerent, declinarent verò ab inimicis, & solo ab eis odio desinerent, nec opprimere illos & interficere festinarent.

* sapientiæ

1. Timoth. 1.

Matth. 5.

Ibidem

De diabolo quod dicitur in euangelio quomodo intelligendum sit, quia mendax est, & pater eius. CAP. XXV.

Illud verò quod vos de diabolo mouerat, quia mendax est, & pater eius, quòd videlicet tam ipse quàm pater suus mendax pronunciari videatur à Domino, satis absurdum est hoc vel leuiter opinari. Vt enim paulo antè diximus, spiritus spiritum non generat, sicut nec animam quidem potest anima procreare, licet concretionem carnis non dubitemus humano semine coalescere; ita de vtraque substantia, id est, carnis & animæ, quæ cui adscribatur autori, Apostolo manifestiùs distinguente. Deinde patres, inquit, carnis nostræ habuimus eruditores & reuerebamur, non multo magis subiiciemur patri spirituum & viuemus? Quid hac diuisione clarius potuit definire, vt carnis quidem nostræ patres homines pronunciaret, animarum verò Deum solum esse patrem cõstanter exprimeret? Quamquam & in ipsa corporis huius concre-

Ioann. 8.

Hebr. 12.

concretione ministerium tantummodo homini sit adscribendum, summa verò condicionis Deo omnium creatori, dicente Dauid: Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me. *Psalm.118.*
Et beatus Iob, Nónne sicut lac, inquit, mulsisti me, & coagulasti me vt caseum, ossibus & neruis inseruisti me? Et Dominus ad Heremiam: Priusquam te formarē in vtero noui te. *Iob 10.* *Ierem. 1.*
Ecclesiastes verò vtriusque substantiæ naturam atque originem, examinatione ortus atque initij ex quo videlicet vnaquæque processit, & consideratione finis ad quem vnaquæque contendit, satis euidenter ac propriè colligens, pariterque de corporis huius atq; animę separatione disputans ita disseruit: Priusquam cōuertatur puluis in terram sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eum. Quid apertius potuit dicere, quàm vt materiam carnis quam puluerem nominauit, quia de hominis semine sumit exordium, eiusq; videtur ministerio seminari, velut è terra sumptam iterum reuerti pronunciaret ad terram, spiritum verò qui non per commixtionem sexus vtriusque procreatur, sed specialiter à Deo solo tribuitur, ad autorem suum redire signaret? Quod etiam per illam Dei insufflationem quâ Adam primitùs animauit, euidenter exprimitur. Itaque his testimoniis manifestè colligimus, patrem spirituum neminē dici posse nisi Deum solum, qui eos ex nihilo cùm voluerit facit: homines verò carnis nostræ patres tantummodo nominari. Itaque & diabolus secūdùm hoc quòd vel spiritus vel angelus bonus creatus est, patrem neminem habuit nisi Deum conditorem suum. Qui cùm superbia fuisset elatus, & dixisset in corde suo, ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo, factus est mendax, & in veritate non stetit, sed de proprio nequitię thesauro mendacium proferens, non solùm mendax, sed etiam pater ipsius mendacij factus est, quo deitatem homini repromittens ac dicens, eritis sicut dij, in veritate non stetit, sed ab initio factus est homicida, vel Adam in condicionem mortalitatis inducens, vel Abel instigatione sua per manum fratris interimens. Sed iam disputationem nostram duarum fermè noctium lucubratione confectam subsequens aurora cōcludit, ac de profundissimo quæstionum pelago cymbam collationis huius ad tutissimum silentij portum compendiū nostræ rusticitatis attraxit. In quo quidem profundo quāto nos interius flatus diuini spiritus introduxit, tanto diffusior præcedens oculorum aciem semper aperietur immensitas, ac secundum sententiam Salomonis, longius fiet à nobis magis quàm erat, & alta profunditas, quis inueniet eam? Quamobrem Do-

Eccles.12. *Genes.2.* *Isaiæ 14.* *Ioann.8.* *Genes.3.* *Eccles.7.*

rem Dominum deprecemur, vt in nobis vel timor eius vel caritas quæ cadere nescit, immobilis perseueret, quæ nos & sapientes in omnibus faciat, & à diaboli telis protegat semper illæsos. His etenim custodibus impossibile est quempiam laqueos mortis incurrere. Inter perfectos autem & imperfectos ista distantia est, quòd in illis quidem fixa, & (vt ita dixerim) maturior caritas tenacius perseuerans firmius eos custodit, ac * facilius facit in sanctitate durare: in his verò velut infirmius collocata, ac facilius refrigescens, citius compellit eos peccatorum laqueis ac sæpius implicari. Quibus auditis, ita nos collationis huius sermo inflammauit, vt cum maiore mentis ardore abeuntes à cella senis, quàm ante venientes, doctrinæ eius plenitudinem sitiremus.

* stabilius

Collationis secundæ Abbatis Sereni finis.

COLLATIO IX.

QVÆ EST PRIMA ABBATIS ISAAC DE ORATIONE.

CAPVT I.



DE perpetua orationis atque incessabili iugitate, quod in secundo Institutionum libro promissum est, collationes senis huius, quem nunc in mediũ proferimus, id est, Abbatis Isaac, Domino fauente complebunt. Quibus explicatis, & præceptis beatissimæ memoriæ Papæ Castoris, & desiderio vestro, ô beatissime Papa Leonti, & sancte frater Elladi, satisfecisse me credo, voluminis amplitudine primitùs excusata, quæ studentibus nobis non solùm sermone succincto narranda perstringere, sed etiam plurima silentio præterire, in maiorem modum quàm disposueramus extensa est. Præmissa namque super diuersis institutis disputationẽ copiosa quam nos studio breuitatis resecare maluimus, hæc ad extremum B. Isaac intulit verba.

Verba Abbatis Isaac super orationis qualitate. CAP. II.

Quis monachi finis.

OMnis monachi finis cordisque perfectio ad iugem atque indisruptã orationis perseuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur ad immobilẽ tranquillitatem mentis ac perpetuã nititur puritatem. Ob quam possidẽdam omnem tam laborem corporis, quàm contritionem spiritus inde-

indefeſsè quærimus & iugiter exercemus, & eſt inter alterutrum reciproca quædam inſeparabiliſque coniunctio. Nam ſicut ad orationis perfectionem omnium tendit ſtructura virtutum, ita niſi huius culmine hæc omnia fuerint colligata atque compacta, nullo modo firma poterunt vel ſtabilia perdurare. Quemadmodũ enim ſine illis acquiri vel cõſummari nõ poteſt hæc de qua loquimur perpetua orationis iugiſque trãquillitas, ita ne illæ quidem virtutes quæ hanc præſtruunt, abſq; huius poſſunt aſſiduitate compleri, ideo nec rectè tractare de orationis * affectu, nec ad eius principalem finem qui vniuerſarũ virtutum molitione perficitur, ſubitanea diſputatione poterimus intrare, niſi prius vniuerſa quę illius obtentu vel abſcindẽda ſunt, vel paranda, per ordinem dinumerata fuerint atque diſcuſſa, & ſecundũ euangelicæ parabolæ diſciplinam ea quæ ad ſpiritalis ac ſublimiſſimæ illius extructionem pertinent turris, ſupputata fuerint ac diligenter antè congeſta. Quæ tamen nec proderunt præparata, nec rectè ſuperpòni ſibimet excelſa culmina perfectionis admittent, niſi egeſta prius omni repurgatione vitiorũ, & effuſis ſuccidiis mortuiſque ruderibus paſſionum viuæ (vt aiunt) ac ſolidæ terræ pectoris noſtri, imò illi euangelicæ petræ ſuperiecta fuerint ſimplicitatis & humilitatis firmiſſima fundamenta, quibus hæc turris ſpiritalium virtutum molitionibus extruenda & immobiliter valeat ſtabiliri, & ad ſumma cælorum faſtigia confidentia propriæ firmitatis attolli. Fundamẽtis etenim talibus innitentem, quamuis paſſionũ imbres largiſſimi profundantur, quamuis ei perſecutionum violenti torrentes inſtar arietis illidantur, quamuis irruat & incumbat aduerſariorum ſpirituum ſæua tempeſtas, non ſolùm ruina non diruet, ſed nec ipſa aliquatenus vexabit impulſio.

* effectu

Lucæ 14.

Quemadmodum paretur pura & ſincera oratio. CAP. III.

ET idcirco vt eo feruore ac puritate qua debet, emitti poſſit oratio, hæc ſunt omnimodis obſeruanda. Primùm ſollicitudo rerum carnalium generaliter abſcindenda eſt, deinde nullius negotij cauſæue non ſolum cura, ſed ne memoria quidem penitus admittenda, detractiones, vaniloquia ſeu multiloquia, ſcurrilitates quoque ſimiliter amputandæ, iræ præ omnibus ſiue triſtitiæ perturbatio funditùs eruenda, concupiſcentiæ carnalis ac philargyriæ noxius fomes radicitùs euellendus, & ita his ac ſimilibus vitiis extruſis penitus & abſciſſis, quæ hominum quoque poſſunt patere conſpectibus, talique, vt diximus, repurgij emundatione præmiſſa, quæ ſimplicitatis & innocentiæ puritate perficitur, iacienda

 ſunt

ſunt primùm profundæ humilitatis inconcuſſa fundamenta, quæ ſcilicet turrem intraturam cælos valeant ſuſtinere, deinde ſuperponenda virtutum ſpiritalium extructio, & ab omni diſcurſu atque euagatione lubrica animus inhibendus, vt ità paulatim ad contemplationem Dei ac ſpiritalis intuitus incipiat ſublimari. Quicquid enim ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt vt orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur, eorundemque actuum procumbentibus nobis ad precem, verborum quoque vel ſenſuum ante oculos imago præludens, aut iraſci nos ſecundum præcedentem qualitatem faciet, aut triſtari, aut concupiſcentias cauſáſue præteritas retractare, aut riſu fatuo, quod etiam pudet dicere, cuiuſquam ſcurrilis dicti vel facti titillatione pulſari, aut ad priores faciet volitare diſcurſus. Et idcirco quicquid orantibus nobis nolumus, vt irrepat, antę orationem de abditis noſtri pectoris extrudere feſtinemus, vt illud Apoſtoli poſſimus implere, Sine intermiſſione orate: Et, In omni loco leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. Aliàs namque mandatum iſtud perficere non valebimus, niſi mens noſtra ab omni vitiorum purificata contagio, virtutibus tantum velut naturalibus bonis dedita, iugi omnipotentis Dei contemplatione paſcatur.

1. Theſſal. 5.
1. Timoth. 2.

De mobilitate animæ plumæ vel pennulæ comparatæ.

CAPVT IIII.

Etenim qualitas animæ non ineptè ſubtiliſſimæ plumæ ſeu pennæ leuiſſimæ comparatur, quæ ſi humoris cuiuſpiam extrinſecus accidentis corruptione vitiata non fuerit, vel infuſa, mobilitate ſubſtantiæ ſuę tenuiſſimi ſpiritus adiumento, velut naturaliter ad ſublimia cæleſtiaque ſuſtollitur. Sin verò humoris cuiuſquam aſpergine vel infuſione fuerit prægrauata, non modò in nullos aëreos volatus naturali mobilitate raptabitur, ſed etiam ad ima terræ concepti humoris pondere deprimetur. Ita mens quoque noſtra ſi accedentibus vitiis curiſque mundanis aggrauata non fuerit, noxiæúe libidinis humore corrupta, velut naturali puritatis ſuæ beneficio ſubleuata, leuiſſimo ſpiritalis meditationis afflatu ſublimabitur ad ſuperna, & humilia deſerens atque terrena ad cæleſtia & inuiſibilia transferetur. Vnde propriè ſatis præceptis Dominicis admonemur: Videte nequando grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis ſecularibus. Et idcirco ſi vo-

Lucæ 21.

si volumus orationes nostras non solùm cælos, sed etiam quæ super cælos sunt penetrare, curemus mentẽ ab omnibus terrenis vitiis expurgatam, cunctisque mundatam fecibus passionum ad sublimitatem perducere naturalem, vt ita ad Deũ oratio eius nullo vitiorũ pondere prægrauata cõscendat.

De causis quibus mens nostra aggrauatur.

CAPVT V.

NOtandum tamen quibus ex causis grauari mentem Dominus designauerit. Non enim adulteria, non fornicationes, non homicidia, non blasphemias, non rapinas, quę mortalia esse & damnabilia nullus ignorat, sed crapulam posuit & ebrietatem, & curas siue sollicitudines seculares. Quæ intantum nemo hominum mundi huius cauet aut damnabilia iudicat, vt etiam nonnulli, quod pudet dicere, semetipsos monachos nuncupantes iisdem ipsis distentionibus velut innoxiis & vtilibus implicentur. Quæ tria licèt secundum literam perpetrata aggrauent animam, atque à Deo separent ac deprimant ad terrena, est tamen eorum facilis declinatio, & maximè nobis qui tam longa remotione ab omni seculi huius conuersatione disiungimur, & istis visibilibus curis atque ebrietatibus & crapulis penitus nulla occasione miscemur. Verùm est alia quoque crapula & ebrietas spiritalis difficilius euitanda, cura quoque ac sollicitudo secularis quæ nos etiam post omnium facultatum nostrarum perfectam renunciationem & vini epularumque continentiam cunctarum, & quidem in solitudine constitutos frequenter inuoluũt, de quibus propheta, Expergiscimini, inquit, qui estis ebrij, & non à vino. Aliusquoque: Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini, & non à vino; * mouemini, & non ab ebrietate. Cuius ebrietatis & crapulæ vinum consequenter necesse est vt secundũ prophetam furor draconum sit. Ipsumque vinum de qua radice procedat aduerte. Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, & sarmentum eorũ ex Gomorrha. Vis etiam fructum vitis istius atque sarmenti germen agnoscere? Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis in ipsis. Quæ omnia nisi fuerimus cunctis vitiis expurgati, & ab omnium passionum crapula sobrij, absque ebrietate vini epularumque omnium affluentia, erit cor nostrum ebrietate & crapula magis noxia prægrauatum. Nam quia seculares curæ etiam in nos qui nullis actibus mundi istius admiscemur, cadere nonnunquam possint, manifesta ratione monstratur secundum regulam seniorum, qui

Lucæ 21.

Duplex ebrietas monacho in primis cauẽda.

Ioelis 1.

Isaiæ 29.

* vomite

Deuter. 32.

Quæ seculares curæ in monachis.

quicquid necessitatem victus quotidiani & ineuitabilem vsum carnis excedit, ad secularem definierunt curam & sollicitudinem pertinere: vt verbi gratia, si cùm possit operatio vnius solidi necessitatem nostri corporis expedire, ad duorum vel trium solidorum acquisitionem nosmetipsos propensiore velimus opere ac labore distendere; & cùm duarum velamen sufficiat tunicarum ad vsum scilicet noctis ac diei, trium vel quatuor fieri procuremus domini: cumque vnius siue duarum habitatio sufficiat cellarum, ambitione seculari atque amplitudine delectati quatuor seu quinque cellas, & has easdem exquisiti ornatus & capaciores quàm vsus desiderat extruamus, passionem libidinis mundialis in quibus possumus præferentes.

De visione cuiusdam senis, quam super fratris inquieta operatione prospexit.

CAPVT VI.

QVod non sine instinctu dæmonum fieri manifestissima nos experimenta docuerunt. Nam quidam probatissimus seniorum cùm transiret iuxta cellam fratris cuiusdam, hac animi, quam diximus, ægritudine laborantis, vtpote qui in extruendis reparandisque superfluis inquietus quotidianis distentionibus desudaret; & eminus conspexisset eum graui malleo saxum durissimum conterentem, vidissetque Aethiopem quendam astantem illi, & vnà cum eodem ictus mallei iunctis consertisque manibus illidentem, eumque ad operis illius instantiam ignitis facibus instigantem, diutissimè substitit, vel impressionem dirissimi dæmonis, vel fraudem tantæ illusionis admirans. Cùm enim nimia lassitudine fatigatus frater, requiescere, iamque finem operi voluisset imponere, instigatione spiritus illius animatus iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione cœpti operis vrgebatur, ita vt iisdem eius incitamentis infatigabiliter sustentatus tanti laboris non sentiret iniuriam. Tandem igitur senex tam dira dæmonis ludificatione permotus, ad cellam fratris diuertit; salutansq; eum, Quid, inquit, est frater istud opus quod agis? At ille: Laboramus, ait, contra istud durissimũ saxum, vixque illud potuimus aliquandò conterere. Ad hæc senex: Bene dixisti, vix potuimus: Non enim solus eras cùm illud cæderes, sed fuit alius tecum, quem non vidisti, qui tibi in hoc opere non tam adiutor quàm violentissimus impulsor astabat. Et idcirco morbum ambitus secularis nostris mentibus inesse, non vtique eorum tantùm negotiorum abstinentia comprobabit, quæ etiam si velimus expetere vel explere non possumus, neque illarum rerum despectus quas si affectauerimus

tam

tam apud ſpiritales viros quàm apud ſeculi homines notabiles prima fronte reddemur, ſed cùm etiam illa quæ noſtræ ſuppetunt poteſtati & honeſtate quadam videntur obnubi, rigida mentis diſtrictione reſpuimus. Et reuera non minus hæc quæ parua videntur & minima, quæque ab his qui noſtrę profeſſionis ſunt cernimus indifferenter admitti, pro qualitate ſua aggrauant mentem, quàm illa maiora quæ ſecundum ſuum ſtatum ſecularium ſenſus inebriare conſueuerunt, non ſinentes, depoſita fæce terrena, ad Deum, in quo ſemper defixa eſſe debet intentio, monachum reſpirare, cui ab illo ſummo bono vel parua ſeparatio, mors præſens ac perniciosiſſimus interitus eſt credendus. Cumque mens tali fuerit tranquillitate fundata vel ab omnium carnalium paſſionũ nexibus abſoluta, & illi vni ſummoq; bono tenaciſſima adhæſerit cordis intentio, Apoſtolicum illud implebit, Sine intermiſſione orate. Et, In omni loco leuantes puras manus, ſine ira & diſceptatione. Hac enim puritate, ſi dici poteſt, ſenſu mentis abſorpto, ac de terreno ſitu ad ſpiritalem atque angelicam ſimilitudinẽ reformato, quicquid in ſe receperit, quicquid tractauerit, quicquid egerit, puriſſima ac ſinceriſſima erit oratio.

A Deo recedere, mori eſt.

1. Theſſ. 5.

1. Timoth. 2.

Vtrum maioris difficultatis ſit cuſtodire cogitationes bonas, quàm parare.

CAPVT VII.

GErmanus: Vtinam ſimili modo atque eadem facilitate qua ſemina ſpiritalium cogitationum plerumque concipimus, etiam perpetuitatem earum poſſidere poſſemus. Cùm enim fuerint ſiue per memoriam ſcripturarum, ſeu per recordationem ſpiritalium quorumque actuum, vel certè per intuitum ſacramentorum cæleſtium noſtro corde conceptæ, inſenſibili quadam fuga lapſę quantocyus euaneſcunt. Cumque alias quaſlibet occaſiones ſpiritalium ſenſuum mens noſtra reppererit, rurſus aliis irrepentibus, ipſæ quoque quæ apprehenſæ fuerant lubrica volubilitate diffugiunt, ita vt nullam conſtantiam ſui retinens animus, nec poteſtate propria ſanctarum cogitationum poſſidens firmitatem, etiam tunc cùm eas videtur vtcunque retinere, fortuitò illas, & non de induſtria concepiſſe credatur. Quomodo enim ortus earum noſtro arbitrio putabitur adſcribendus, quarum perſeuerantia non conſiſtit in nobis? Sed ne fortè ſub huius quæſtionis indagine à cœpto narrationis ordine longius euagantes expoſitionem propoſitam ſuper orationis ſtatu diutius retardemus, ſuo hanc tempori reſeruantes, de qualitate orationis inſtantiſſimæ quæſumus informari, præſertim cùm nullo tempore nos ab ea ceſſare beatus

1. Thess. 5. beatus Apostolus moneat dicens: Sine intermissione orate. Et ideo primùm de qualitate eius desideramus institui, id est, qualis debeat emitti semper oratio: deinde qualiter hanc eandem, quæcunque est, possidere vel exercere sine intermissione possimus. Non enim parua cordis intentione eam perfici posse, & experientia quotidiana, & prosecutio tuæ sanctitatis ostendit, qui finem monachi àc totiùs perfectionis culmen in orationis consummatione consistere definisti.

Responsio de diuersis orationum qualitatibus.

CAPVT VIII.

ISaac: Vniuersas orationum species absque ingenti cordis contritione atque animi puritate & illuminatione sancti spiritus arbitror comprehendi non posse. Tot enim sunt quot in anima vna, imò in cunctis animabus, status queunt qualitatesque generari. Et ideo licèt sciamus nos pro hebetudine cordis nostri vniuersas orationum species non posse perspicere, tamen inquantum mediocritas experientiæ nostræ assequi præualuerit, digerere eas vtcunque tentabimus. Secundum mensuram namque puritatis in qua mens vnaquæque proficit, & qualitatem status in quo vel ex accidentibus inclinatur, vel per suam renouatur industriam, ipsa quoque momentis singulis reformatur, & idcirco vniformes orationes emitti semper à nemine posse certissimum est. Aliter enim quisque supplicat cùm alacer est, aliter cùm tristitiæ seu desperationis pondere prægrauatur, aliter cùm spiritalibus successibus viget, aliter cùm impugnationum mole deprimitur, aliter cùm veniam peccatorum, aliter cùm acquisitionem gratiæ seu cuiuslibet virtutis exposcit, vel certè extinctionem cuiuslibet vitij deprecatur, aliter cùm consideratione gehennę ac futuri iudicij timore compungitur, aliter cùm spe futurorum bonorum desiderioque inflammatur, aliter cùm in necessitatibus ac periculis, aliter cùm in securitate ac tranquillitate versatur, aliter cùm sacramentorum cælestium reuelationibus illustratur, aliter cùm sterilitate virtutum ac sensuum ariditate constringitur.

De quadripartita orationum specie. CAP. IX.

ET idcirco his super orationum qualitate digestis, licet non quantum exposcit materiæ magnitudo, sed quantum vel temporis admittit angustia, vel certè capere tenuitas ingenij nostri & cordis prçualet hebetudo, maior nobis nunc imminet difficultas, vt ipsas sigillatim orationum species exponamus, quas Apostolus quadripartita ratione distinxit,

1. Timoth. 2. ita dicens: Deprecor itaque primò omnium fieri obsecratio-

nes

nes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Quæ non inaniter ab Apostolo ita fuisse diuisa minimè dubitandũ est. Et primitùs indagandum quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur: deinde perquirendum, vtrum hæ quatuor species ab orante sint pariter assumendæ, id est, vt omnes simul in vnaquaque supplicatione iungantur: an vicissim sigillatimque sint offerendæ, vtputa nunc quidem obsecrationes, nunc verò orationes, nũc autem postulationes seu gratiarum actiones oporteat promi, an certè alius quidem obsecrationes, alius verò orationes, alius autem postulationes, alius gratiarum actiones Deo debeat exhibere secundum mensuram scilicet ætatis suæ, in qua vnaquæque mens per intentionis proficit industriam.

De ordine specierum orationis. CAP. X.

ET idcirco primùm proprietates ipsæ sunt nominum verborumque tractandæ, ac discutiendum, quid inter orationem & obsecrationem ac postulationem intersit. Deinde similiter perscrutandum vtrum sigillatim sint, an pariter exhibendæ. Tertiò indagandum, vtrum etiam ipse ordo qui ita est Apostoli autoritate dispositus, aliquid amplius instruat auditorem, an simpliciter accipienda sit ista distinctio, & indifferenter putanda sit ab illo taliter fuisse digesta, quod mihi satis videtur absurdum. Non enim credendum est aliquid transitoriè ac sine ratione spiritum sanctum per Apostolum protulisse. Et idcirco eodem quo cœpimus ordine, prout Dominus donauerit, singula retractemus.

De obsecratione. CAP. XI.

DEprecor itaque primò omnium fieri obsecrationes. Obsecratio est imploratio seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus vel pro præteritis admissis suis vnusquisque compunctus veniam deprecatur. *1. Tim. 2.*

De oratione. CAP. XII.

ORationes sunt quibus aliquid offerimus seu vouemus Deo: quod Græcè dicitur εὐχή, id est, votum. Nam vbi dicitur in Græco τὰς εὐχάς μου τῷ κυρίῳ ἀποδώσω, in Latino legitur, Vota mea Domino reddam. Quod secũdum proprietatẽ verbi ita exprimi potest: orationes meas Domino reddã. Et illud quod legimus in Ecclesiaste, Si voueris votũ Deo, ne moram feceris reddere illud, in Græco similiter scribitur ἐὰν εὐχῆ εὔχοιο κυρίῳ, id est: Si oraueris orationẽ Domino, ne moram feceris reddere illã. Quod ita ab vno quoq; nostrum implebitur: Oramus, cũ renunciantes huic mũdo spõdemus nos mortificatos cunctis actibus & cõuersationi mundanæ, tota *Psalm. 115.* *Eccles. 5.*

cordis intentione Domino seruituros. Oramus cũ promittimus seculari honore cõtempto, ac terrenis opibus spretis, in omni contritione cordis ac paupertate spiritus nos Domino cohæsuros. Oramus cũ pollicemur nos purissimã corporis castitatẽ seu immobilẽ patiẽtiam exhibituros esse perpetuò, vel cũ de corde nostro radices iræ siue tristitiæ mortem operantis vouemus funditus eruendas, quæ cùm desidia resoluti, atq; ad antiqua vitia recurrentes, minimè fecerimus, erimus
Eccles. 5. orationũ nostrarum ac votorũ rei, diceturque nobis: Melius est non vouere, quàm vouere & non reddere. Quod secundum Græcũ dici potest: Melius est nõ orare, quàm orare te & nõ reddere.

De postulatione. CAP. XIII.

TErtio loco ponuntur postulationes, quas pro aliis quoque dum sumus in feruore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro caris scilicet nostris, vel pro totius mundi pace
1. Timoth. 2. poscentes, &, vt ipsius Apostoli verbis eloquar, cùm pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, supplicamus.

De gratiarum actione. CAP. XIIII.

QVarto deinde loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens vel cùm præterita Dei recolit beneficia, vel cùm præsentia contẽplatur, seu cùm in futurũ quæ & quanta præparauerit Deus his qui diligunt eũ, prospicit, per ineffabiles excessus Deo refert. Qua etiã intentione nonnunquã preces vberiores emitti solẽt, dũ illa quæ reposita sunt in futuro sanctorũ præmia purissimis oculis intuẽdo, ineffabiles Deo gratias cum immẽso gaudio spiritus noster instigatur effundere.

Vtrum quatuor orationum species simul & omnibus, an sigillatim & vicissim vnicuique sint necessariæ. CAP. XV.

EX quibus quatuor speciebus licèt nonnunquàm soleant occasiones supplicationũ generari, nam & de obsecrationis specie, quæ de compunctione nascitur peccatorum, & de orationis statu quæ de fiducia oblationum & consummatione votorum pro conscientiæ profluit puritate, & de postulatione quæ de caritatis ardore procedit, & de gratiarum actione quæ de beneficiorum Dei & magnitudinis ac pietatis eius consideratione generatur, feruentissimas sæpissimè nouimus preces ignitasque prodire, ita vt constet omnes has quas prædiximus species, omnibus hominibus vtiles ac necessarias inueniri, vt in vno eodemque viro nunc quidem obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum puras ac feruentissimas supplicationes variatus emittat affectus, tamẽ prima ad incipientes videtur peculiarius pertinere, qui

Obsecratio pœnitentium est ac incipientiũ.

re, qui adhuc vitiorum suorũ aculeis ac memoria remordentur. Secũda ad illos qui in profectu iam spiritali appetituque virtutum quadam mentis sublimitate consistunt. Tertia ad eos qui perfectionem votorum suorũ operibus adimplentes intercedere pro aliis quoque consideratione fragilitatis eorum & caritatis studio prouocantur. Quarta ad illos qui iam pœnali conscientiæ spina de cordibus euulsa, securi iam munificẽtias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro, mente purissima retractãtes ad illam ignitam, & quæ ore hominum nec comprehendi, nec exprimi potest, orationem feruentissimo corde raptantur. Nonnumquam tamen mens quæ in illum verum puritatis proficit affectum, atque in eo iam cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterque concipiens atque in modũ cuiusdam incomprehensibilis ac rapacissimæ flammæ cuncta peruolitans ineffabiles ad Deum preces purissimi vigoris effundere, quas ipse spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus ignorantibus nobis emittit ad Deum, tanta scilicet in illius horæ momento concipiens, & ineffabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari. Et inde est quòd in qualibet mensura quis positus nonnunquam puras intentasque preces inuenitur emittere, quia & de illo primo & humili ordine qui est super recordatione futuri iudicij, is qui adhuc sub terroris pœna ac metu examinis cõstitutus est, ita ad horã cõpungitur, vt non minore spiritus alacritate de obsecrationis pinguedine repleatur, quã ille qui per puritatem cordis sui munificentias Dei perlustrans atque percurrens, ineffabili gaudio lætitiaque resoluitur: incipit enim secundum sententiam Domini plus diligere, quia sibimet ampliora cognoscit indulta.

Oratio proficientium in virtutibus. Postulatio fit pro aliis. Gratiarum actio propria perfectorum est.

Gradatim ad has orationum species contendendum esse.

CAPVT XVI.

TAmen expetendæ sunt nobis per profectum vitæ consummationemque virtutum illæ potius supplicationum species quæ vel de contemplatione futurorum bonorum, vel de caritatis ardore funduntur, seu certè, vt humilius & secundum incipientium mensuram loquar, pro acquisitione quarumcũque virtutum seu vitij cuiuslibet extinctione generantur. Aliter enim ad illa sublimiora quæ prediximus supplicationum genera peruenire nullatenus poterimus, nisi per ordinem postulationum istarum sensim mens nostra fuerit gradatimque prouecta.

Christum

Christum hisce quatuor suppplicationum generibus vsum fuisse.

CAPVT XVII.

HAs quatuor supplicationum species ita etiam Dominus exẽplo suo nobis initiare dignatus est, vt in hoc quoque impleret illud quod de ipso dicitur, Quæ cœpit Iesus facere & docere. Nam obsecrationis genus assumit cùm dicit, Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Vel illud quod ex persona eius cantatur in psalmis: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? aliaque his similia. Oratio est cùm dicit: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. Siue illud: Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Postulatio est cùm dicit: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum, vt videant gloriam meam quam dedisti mihi. Vel certè cùm dicit: Pater ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt. Gratiarum actio est cùm dicit, Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita pater, quia sic fuit placitum ante te. Vel certè cum dicit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis. Quæ tamen quatuor supplicationum genera licet sigillatim ac diuerso tempore secundum illum quem comprehendimus modum idem Dominus noster distinxerit offerenda, tamen etiam simul ea in supplicatione perfecta comprehendi posse identidem suis ostendit exemplis, per illam scilicet orationem quam ad finem euangelij secundum Ioannem legimus eum copiosissimè profudisse. Ex cuius textu quia longum est vniuersa percurrere, diligens inquisitor hæc ita esse lectionis ipsius serie poterit edoceri. Quem sensum Apostolus quoque in epistola ad Philippenses has quatuor supplicationum species aliquantum immutato ponens ordine, euidenter expressit, ostenditque debere eas nonnunquam simul sub ardore vnius supplicationis offerri, ita dicens: Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum: per quod voluit nos in hoc specialius erudire, quòd & in oratione & obseruatione gratiarum actio debeat cum postulatione misceri.

Actor. 1. *Matth. 26.* *Psalm. 21.* *Ioann. 17.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Luca 23.* *Matth. 11.* *Ioann. 11.* *Philipp. 4.*

De oratione Dominica. CAP. XVIII.

HAec itaque supplicationum genera sublimior adhuc status ac præcelsior subsequitur, qui contemplatione Dei solius & caritatis ardore formatur, per quem mens illius dilectione resoluta atque * deiecta familiarissimè Deo, velut patri pro-

* reiecta

tri proprio, peculiari pietate colloquitur. Quem ſtatum debere nos diligenter expetere, formula Dominicæ orationis inſtituit, dicens, Pater noſter, qua vniuerſitatis Deum ac Dominum patrem eſſe voce propria confitentes, de condicione ſeruili in adoptionem filiorum nos profitemur aſcitos: adiicientes deinde, qui es in cælis, vt commorationem vitæ præſentis qua in hac degimus terra, velut peregrinam, atque à noſtro patre nos longiſſimè ſeparantem toto horrore vitantes, ad illam potius regionem in qua patrem noſtrum commorari fatemur, ſummo deſiderio properemus, nihilque admittamus eiuſmodi, quod indignos nos hac noſtra profeſſione ac nobilitate tantæ adoptionis efficiens, & hæreditate paterna velut degeneres priuet, & iram nos faciat iuſtitiæ eius ac ſeueritatis incurrere. In quem filiorum ordinem gradumque prouecti, illa continuò quæ eſt in bonis filiis, pietate flagrabimus, vt iam non pro noſtris vtilitatibus, ſed pro noſtri patris gloria totum impendamus affectum, dicentes ei, Sanctificetur nomen tuum, noſtrum deſiderium, noſtrum gaudium, gloriam noſtri patris eſſe teſtantes, imitatores effecti illius qui dixit, Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in eo non eſt. Denique vas electionis hoc repletus affectu, etiam anathema fieri optat à Chriſto, dummodo ei familia multiplex acquiratur, & ad gloriam ſui patris ſalus totius Iſraëliticæ plebis accreſcat. Securus enim optat interire pro Chriſto, qui nouit neminem mori poſſe pro vita. Et iterum, Gaudemus, inquit, quando nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Et quid mirum, ſi vas electionis pro Chriſti gloria & fratrum ſuorum conuerſione gentiſque priuilegio anathema fieri optat à Chriſto, cùm Michæas quoque propheta vellet ſe mendacem fieri, & ab inſpiratione ſancti ſpiritus alienum, dummodo plagas illas & captiuitatis exitia quæ ſua vaticinatione prædixerat, plebs Iudaicæ nationis euadat? vtinam, inquiens, non eſſem vir habens ſpiritum & mendacium potius loquerer: vt prætermittamus illum legis latoris affectum, qui cum fratribus ſuis etiam perituris non renuit interire, dicens: Obſecro Domine peccauit populus iſte peccatum magnum, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Poteſt autem congruè ſatis illud quod dicitur, ſanctificetur nomen tuum, etiam taliter accipi: Sanctificatio Dei noſtra perfectio eſt. Itaque dicentes ei, ſanctificetur nomen tuum, aliis verbis hoc dicimus: Tales nos facito pater, vt ſan-

Matth.6. *Ioann.7.* *Rom. 9.* *2.Cor.13.* *Michæ.2.* *Exod.32.*

vt ſanctificationem tuam vel intelligere quanta ſit, vel capere mereamur, vel certè, vt in noſtra conuerſatione ſpiritali ſanctus appareas. Quod tūc efficaciter impletur in nobis, quando vident homines opera noſtra bona, & glorificant patrem noſtrum qui in cælis eſt.

Matth.5.

De eo quod dicit, Adueniat regnum tuum. CAP. XIX.

SEcunda petitio mentis puriſſimæ aduenire iam iamque regnum ſui patris exoptat, vel iſtud ſcilicet quo quotidie Chriſtus regnat in ſanctis, quod ita fit cùm diaboli imperio per extinctionem fœtentium vitiorum de noſtris cordibus pulſo, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari, & deuicta fornicatione caſtitas, ſuperato furore tranquillitas, calcata ſuperbia humilitas, in noſtra mēte regnauerit: vel certè illud quod præſtituto tempore omnibus eſt perfectis ac Dei filiis generaliter repromiſſum, in quo eis dicetur à Chriſto, Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, intentis illud quodammodo obtutibus ac defixis deſideriis expectans dicensque ad eum, Veniat regnum tuum. Nouit enim teſtimonio conſcientiæ ſuæ, cùm apparuerit, mox eius ſe futurum eſſe conſortem. Hæc enim dicere vel optare criminoſorum nullus audebit, quia nec videre tribunal iudicis volet, quiſquis ſub aduentu eius non palmam nec præmia ſuis meritis, ſed pœnam nouit protinus repenſandam.

Matth.25.

Lege decimā-ſextam annotationem poſt finem operis.

De eo quod dicit, Fiat voluntas tua. CAP. XX.

TErtia ſupplicatio filiorum eſt, Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Non poteſt eſſe iam maior oratio, quàm optare vt terrena mereantur cæleſtibus coæquari. Nam quid eſt aliud dicere, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, quàm vt ſint homines ſimiles angelis, & ſicut voluntas Dei ab illis impletur in cælo, ita etiam hi qui in terra ſunt, non ſuam, ſed eius vniuerſam faciant voluntatem? Hoc quoque nemo ex affectu dicere præualebit, niſi is ſolus qui Deum credit omnia quæ videntur vel aduerſa vel proſpera pro noſtris vtilitatibus diſpenſare, magiſque eum pro ſuorum ſalute & commodis prouidum atque ſollicitum, quàm nos ipſos eſſe pro nobis. Vel certè * aliter accipiendum: Voluntas Dei ſalus omniū eſt, ſecundum illā beati Pauli ſententiā, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. De qua etiam voluntate Iſaias propheta ex perſona Dei patris, Et omnis, inquit, voluntas mea fiet. Dicentes ergo ei, Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, hoc eum aliis oramus

Deus pro nobis ſollicitior eſt quàm noſipſi.
* *raliter*
1.Timoth.2.
Iſaia 46.

mus verbis, vt sicut hi qui in cælo sunt, ita omnes qui in terra consistunt, tua pater agnitione saluentur.

De pane supersubstantiali siue quotidiano. CAP. XXI.

DEinde panem nostrum ἐπιούσιον, id est, supersubstãtialem da nobis hodie. Quod alius Euangelista quotidianum dixit. Illam nobilitatis ac substantiæ eius significat qualitatem, qua scilicet super omnes substantias sit, atque omnes creaturas sublimitas magnificentiæ eius ac sanctificationis excedat, hanc verò proprietatem vsus ipsius, atque vtilitas expressit. Nam cùm dicit quotidianum, ostendit quòd sine ipso nullo die spiritalem vitam capere valeamus. Cùm dicit hodie, ostendit eum quotidie esse sumendum, & hesternam præbitionem eius non sufficere, nisi nobis hodie quoque similiter fuerit attributus; omniq́ue nos tempore hanc orationem debere profundere, indigentia eius quotidiana commonet, quia non est dies quo non opus sit nobis huius esu ac perceptione cor interioris nostri hominis confirmare. Licèt istud quod dicitur hodie, & ad præsentem vitam possit intelligi, id est, dum in hoc seculo commoramur, præsta nobis hunc panem. Nouimus enim eum his qui meruerint à te, & in futuro esse præstandum, sed rogamus vt eum nobis hodie largiaris: quia nisi eum percipere quis in hac vita meruerit, in illa eius particeps esse non poterit. *Matth. 6. Luca 11.*

De eo quod dicit, Dimitte nobis debita nostra.

CAPVT XXII.

ET dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. O ineffabilis Dei clementia, quę non solùm nobis orationis tradidit formam, & acceptabilem sibi morum nostrorum instituit disciplinam, ac per necessitatem traditæ formulæ qua se præcepit à nobis semper orari, iræ pariter & tristitiæ euellit radices, sed etiam occasionem rogantibus tribuit, eisq́ue reserat viam qua clemens ac pium erga se prouocent Dei iudicium promulgari, & quodammodo potestatem tribuit qua iudicis nostri possimus sententiam temperare, ad veniam delictorum nostrorum, exemplo eum nostræ remissionis arctantes, dum dicimus ei, & dimitte nobis sicut & nos dimittimus. Itaque securus huius orationis fiducia de suis admissis veniam postulabit, quisquis remissus erga suos dumtaxat, non erga Domini sui extiterit debitores. Solemus etenim nonnulli, quod est deterius, erga illa quidem quæ admittuntur ad iniuriam Dei, quamuis magnorum sint criminum, placidos nos & clementissimos exhibere, erga nostrarum verò vel paruissimarum offen- *Propensiores esse homines ad suas quàm ad Dei iniurias vindicandas.*

offensionum debita exactores immites atque inexorabiles inueniri. Quisquis igitur in se delinquenti fratri non ex corde dimiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit, suaque professione semetipsum poscit dirius iudicari, dicens, remitte mihi sicut & ego remisi. Quod cùm illi secundum suam petitionem fuerit repensatum, quid aliud subsequetur quàm vt, exemplo suo, implacabili ira & irremissa sententia puniatur? Ideoque si clementer volumus iudicari, nos quoque erga illos qui in nos deliquerunt, oportet esse clementes. Tantum enim remittetur nobis quantum nos remiserimus eis qui nobis quacunque malignitate nocuerunt. Quod formidantes nonnulli cùm in ecclesia hæc oratio ab vniuersa plebe concinitur, hunc locum taciti prætermittunt, ne scilicet semetipsos obligare potius quàm excusare sua professione videantur, non intelligentes quòd frustra cauillationes has iudici omnium prætendere moliantur, qui quemadmodum iudicaturus sit supplicibus suis voluit demonstrare. Dum enim erga eos non vult immitis atque inexorabilis inueniri, formam sui iudicij designauit, vt quemadmodum nos ab illo iudicari cupimus, ita nostros fratres si quid in nobis deliquerint iudicemus, *Iacob. 2.* quia iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam.

De eo quod dicit, & ne nos inducas in tentationem.

CAPVT XXIII.

DEinde sequitur, Et ne nos inducas in tentationem. De quo non minima nascitur quæstio. Si enim oramus, ne permittamur tentari, & vnde erit in nobis virtus constan- *Eccli. 34.* tiæ comprobanda, secundum illam sententiam: Omnis vir *Iacob. 1.* qui non est tentatus, non est probatus. Et iterum: Beatus vir qui suffert tentationem. Non ergo hoc sonat, ne inducas nos in tentationem, id est, vt non permittas nos aliquando tentari, sed ne permittas in tentatione positos superari. Tentatus est enim Iob, sed non est ductus in tentationem. Non enim dedit insipientiam Deo, nec ad illam ad quam trahebatur tentatoris voluntatem, ore impio blasphemus intrauit. Tentatus est Abraham, tentatus est Ioseph, sed neuter illorum inductus est in tentationem, quia nullus eorũ consensum præbuit tentatori. Denique sequitur: Sed libera nos à malo, id *1. Cor. 10.* est, ne permittas nos à diabolo tentari supra id quod possumus, sed cum tentatione & exitum da, vt sustinere possimus.

Quod

Quòd non debeant alia postulari quàm hæc tantùm quæ orationis Dominicæ modulo continentur. CAP. XXIIII.

VIdetis ergo qualis nobis ab ipso qui per illam exorandus est iudice orationis sit modulus & forma proposita, in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis seu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale æternitatũ conditor implorari. Itaque magnificentiæ eius ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare, & offensam potius quàm propitiationem iudicis sui, vilitate orationis incurret.

Quare annotationem decimamseptimam post finem operis.

De qualitate sublimioris orationis. CAP. XXV.

HAec igitur oratio licèt omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpote quæ ipsius Domini autoritate vel initiata sit vel statuta, prouehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem quem superiùs cõmemorauimus statum, eosque ad illam igneam ac perpaucis cognitam vel expertam, immo (vt proprius dixerim) ineffabilem orationem gradu eminentiore perducit, quæ omnem transcendens humanum sensum, nullo non dicam sono vocis, nec linguæ motu, nec vlla verborum pronunciatione distinguitur, sed quam mens infusione cælestis illius luminis illustrata, nõ humanis atque angustis designat eloquiis, sed conglobatis sensibus velut de fonte quodam copiosissimo effundit vbertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta promens in illo breuissimo temporis puncto, quanta nec eloqui facilè, nec mens percurrere in semetipsam reuersa præualeat. Quẽ statum Dominus quoque inter illarum supplicationum formulas, quas vel solus in monte sedens, vel tacitè fudisse describitur, similiter figurauit, cùm in orationis agonia constitutus etiam guttas sanguinis inimitabili intentionis profudit exemplo.

Luca 22.

Orantis spiritum variis modis ad feruorem excitari.

CAPVT XXVI.

QVis verò possit diuersitates & causas ipsas atque origines compunctionum quãntalibet experientia præditus sufficienter exponere, quibus inflammata mens atque succensa ad orationes puras ac feruentissimas incitatur? Quarum pauca quantum potuerimus ad præsens per illuminationem Domini reminisci, exempli gratia proponemus. Nõnunquàm etenim psalmi cuiuscũque versiculus occasionem

orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit, interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos excitauit. Nouimus quoque distinctionem grauitatemque psallentis, etiam adstantibus plurimum contulisse feruoris, necnon exhortatio viri perfecti, & collatio spiritalis, frequẽter ad vberrimas preces iacentium erexit affectum. Scimus etiam fratris seu cari cuiuslibet interitu non minus nos ad plenam cõpunctionem fuisse raptatos. Recordatio quoque teporis ac negligentiæ nostræ non nunquàm nobis salutarem spiritus inuexit ardorem. Atque in hunc modum nulli dubium est occasiones innumeras non deesse quibus per Dei gratiam tepor ac somnolentia nostrarum mentium valeat excitari.

Diuersos esse affectus feruenter orantium.

CAPVT XXVII.

QVemadmodum verò vel quibus modis istæ ipsæ compunctiones de intimis animæ conclauibus proferantur, non minoris difficultatis est indagare. Frequenter enim per ineffabile gaudium & alacritatem spiritus saluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita vt etiam in clamores quosdam intolerabilis gaudij immensitate prorumpat, & cellam vicini iocunditas cordis, & exultationis penetret magnitudo. Nonnunquàm verò tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, vt omnem penitus sonum vocis stupor subitæ illuminationis includat, omnesque sensus attonitus spiritus vel cõtineat intrinsecus, vel * emittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum verò tanta compunctionis abundantia ac dolore suppletur, vt aliàs eam digerere nisi lacrymarum euaporatione non possit.

*admittat,

Interrogatio de eo quòd non sit in nostra potestate profusio lacrymarum.

CAPVT XXVIII.

GErmanus: Hunc quidem compunctionis affectum ex parte aliqua, mea quoque exiguitas non ignorat. Frequenter enim recordatione delictorum meorum obortis lacrymis, ita sum hoc ineffabili, vt præfatus es, gaudio, visitante Domino, vegetatus, vt desperare me illorum veniam non debere, lætitiæ ipsius magnitudo dictaret. Quo statu nihil reor esse sublimius, si reparatio eius nostro subiaceret arbitrio. Nonnunquàm cupiens ad similem me lacrymarũ compunctionem totis viribus excitare, omnesque errores meos atque peccata ante oculos statuẽns vbertatem illam fletuum reuocare, non possum, & ita oculi mei in modũ cuiusdam du-

Imbecillitas liberi arbitrij.

rissimæ

rissimæ silicis prædurantur, vt nulla prorsus ex eis humoris gutta distillet; & ideo quantum mihi in illa lacrymarum profusione congaudeo, tantum doleo quòd illam cùm voluero recuperare non valeam.

Responsio de diuersitate spiritalium lacrymarum. CAP. XXIX.

ISaac: Non omnis lacrymarum profusio vno affectu vel vna virtute depromitur. Aliter enim ille emanat fletus qui peccatorum spina cor nostrum compungente profertur, de quo dicitur, Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psalm. 6.* *Thren. 2.* Et iterum: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & per noctem, & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Aliter qui de contemplatione æternorum bonorum, & desiderio illius futuræ claritatis exoritur, pro qua etiã vberiores lacrymarum fontes de intolerantia gaudij & alacritatis immensitate prorumpunt, dum sitit anima nostra ad Deum fontem viuum, dicens, Quando veniam & apparebo ante conspectum Dei? *Psalm. 41.* Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, cum eiulatu quotidie & lamentatione proclamans, *Psalm. 119.* Heu mihi quoniam incolatus meus prolongatus est, & multum incola fuit anima mea. Aliter profluunt lacrymæ quæ absque vlla quidem talium criminum conscientia, sed tamen de metu gehennæ & horribilis illius iudicij recordatione procedunt, cuius terrore propheta percussus orat ad Deum: Non intres, inquiens, in iudicium cum seruo tuo, *Psalm. 142.* quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Est etiam aliud lacrymarum genus, quod non pro sua conscientia, sed pro aliena duritia peccatisque generatur, quo Samuel Saulem, quo illam quoq; ciuitatem Hierusalem vel in præteritis Ieremias vel in Euangelio Dominus fleuisse *1. Reg. 15.* describitur, ita dicens: *In Threnis.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo in die & in nocte interfectos filiæ populi mei? *Luca 19.* Vel certè quales illæ sunt lacrymæ de quibus in psalmo centesimoprimo canitur, Quia cinerem sicut panem manducaui, & poculum meum cum fletu miscebam. *Ierem. 9.* Quas certum est non illo affectu promi quo in sexto psalmo ex persona pœnitẽtis emergũt, sed pro anxietatibus vitæ huius atque angustiis & ærumnis, quibus iusti in hoc mundo positi deprimuntur. Quod etiam psalmi ipsius non solum textus, sed etiam titulus euidenter ostendit, qui ex persona pauperis illius de quo in Euangelio dicitur, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorũ est regnũ cælorũ, ita describitur, Oratio pauperis cũ anxiatus fuerit, & corã Deo effuderit *Matth. 5.*

precem suam. Ab his ergo lacrymis multum distant illæ quæ obdurato corde de siccis oculis exprimuntur, quas licèt non penitus infructuosas esse credamus, bono enim proposito earum attentatur emissio, ab his præsertim qui nec dum vel ad scientiam peruenire perfectam, vel pristinorum seu præsentium vitiorum potuerunt ad purum labe mundari.

Quòd eligi non debeant lacrymæ quando non spontaneæ proferuntur.

CAPVT XXX.

AB his tamen qui in affectum iam transiere virtutum, nequaquàm debet hoc modo extorqueri profusio lacrymarum, nec exterioris hominis magnopere affectandi sunt fletus, qui etiam si fuerint vtcunque producti, nunquàm pertingere ad illam spontanearum lacrymarum poterunt vbertatem. Magis enim supplicantis animum suis conatibus distrahentes humiliabunt atque ad ima demergent, & ab illa cælesti sublimitate deponent, in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet esse defixa, eamque compellent precum suarum intentione laxata erga steriles & coacticias lacrymarum guttulas ægrotare.

Sententia Abbatis Antonij super orationis statu. CAP. XXXI.

ET vt orationis veræ percipiatis affectum, non meam vobis, sed beati Antonij sententiam proferam: Quem ita nonnunquàm in oratione nouimus perstitisse, vt eodem in excessu mentis frequenter orante, cùm solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in feruore spiritus proclamantem: Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate? Cuius etiam hæc quoque est super orationis fine cælestis & plusquàm humana sententia: Non est, inquit, perfecta oratio in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit. Et vt nos quoque secundum mensuram tenuitatis nostrę huic admirandæ sententię superadiicere aliquid audeamus, orationis quæ exauditur à Domino in quantum experti sumus indicia proferemus.

De exauditionis indicio. CAP. XXXII.

CVm orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, si obtinuisse nos in ipsa orationis effusione quod poscimus senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quãtum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis namque est Domini nostri illa sententia, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis & venient vobis. *Marci 11.*

Obiectio

Obiectio quòd prædictæ exauditionis fiducia tantùm sanctis conuenire videatur. CAP. XXXIII.

GErmanus: Hanc exauditionis fiduciam nimirum de conscientiæ puritate credimus emanare. Cæterùm nos quorum cor adhuc peccatorum spina compungit, quemadmodum eã habere possumus nullis patrocinantibus meritis quibus exaudiẽdas orationes nostras fiducialiter præsumamus?

Responsio de diuersis exauditionum causis.

CAPVT XXXIIII.

ISaac: Diuersas exauditionum causas esse secundum animarum diuersum ac varium statum Euangelica siue prophetica testantur eloquia. Habes enim in duorum consensione fructum exauditionis Dominica voce signatum, secundum illud: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re *Matth. 18.*
quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Habes aliam in fidei plenitudine quæ grano sinapis comparatur. Si enim, inquit, habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Trãsi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. *Matth. 17.* Habes in assiduitate orationum, quam propter indefessam petitionum perseuerantiam importunitatem sermo Dominicus nominauit. Amen amen dico vobis, *Lucæ 11.* quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem eius surget & dabit ei quantum opus habuerit. Habes in eleemosynarum fructu: *Eccli. 29.* Include, inquit, eleemosynam in corde pauperis, & ipsa orabit pro te in tempore tribulationis. Habes in emendatione vitæ & operibus misericordiæ, secundum illud: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Et post pauca quibus infructuosi ieiunij sterilitas castigatur: *Isaiæ 58.* Tunc, inquit, inuocabis & Dominus exaudiet te, & clamabis & dicet, Ecce adsum. Nonnunquàm sanè exaudiri etiam tribulationum nimietas facit, secũdum illud: *Psalm. 119.* Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Et iterum: Ne affixeritis aduenam: quia si clamauerit, exaudiam eum, quia misericors sum. *Exod. 22.* Videtis ergo quot modis obtineatur exauditionis gratia, vt nullus ad impetranda ea quæ salutaria sunt & æterna, conscientiæ suæ desperatione frangatur. Vt enim miseriarum nostrarum contemplatione concedam nos omnibus illis quas suprà memorauimus penitus destitutos esse virtutibus, & nec illam nos habere laudabilem duorum consensionem, nec illam fidem grano sinapis comparatam, nec illa opera pietatis quæ propheta describit, num vel importunitatem quæ omni volenti suppeditat, habere non possumus? Per quam etiam solam daturum se Dominus

Sola constantia & perseuerantia orantis meretur exaudiri.

Y quicquid

quicquid oratus fuerit repromittit. Et idcirco absque hæsitationis infidelitate precibus insistendum est, obtenturosq; nos earum iugitate cuncta quæ secundum Deum poposcerimus minimè dubitandum. Hortatur enim nos Dominus, volens ea quæ sunt æterna cælestiaque præstare, vt eum importunitate nostra quodãmodo coarctemus, qui importunos nos nõ modò non despicit nec refutat, sed etiam inuitat & laudat, eisque præstiturũ se quicquid perseueranter sperauerint benignissimè pollicetur dicens, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Et iterum, Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis, & nihil impossibile erit vobis. Et idcirco si cũctæ nos exauditionum quas prædiximus, causæ omnino deficiunt, saltem animet nos importunitatis instantia, quæ absque vlla vel meriti vel laboris difficultate in cuiuscunque volentis sita est potestate. Pro certo autem non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cùm se dubitauerit exaudiri. Quòd autem infatigabiliter Domino supplicandum sit, etiam illo beati Danielis docemur exemplo, quòd exauditus à prima die qua cœpit orare, post primam & vicesimam diem consequitur suæ petitionis effectum. Vnde non debemus nos quoque à cœpta orationum nostrarum intentione cessare, si nos exaudiri tardius senserimus: ne fortè aut exauditionis gratia dispensatione Domini vtiliter differatur, aut angelus diuinum ad nos beneficium delaturus, à facie omnipotentis egressus resistente diabolo remoretur, quem certum est trãsmissum muneris desiderium ingerere non posse, si nos à propositæ petitionis intentione cessasse reppererit. Quod etiam su pradicto Prophetæ proculdubio accidere potuisset, nisi virtute incomparabili in primum atque vicesimum diem orationum suarum perseuerantiam protelasset. Ab huius igitur fidei confidentia nulla penitus desperatione frangamur, cùm orationem nostram nos obtinuisse minimè senserimus, nec hæsitemus super Domini sponsione dicentis: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Retractare namque nos conuenit illam beati Ioannis euangelistæ sententiam, qua ambiguitas huius quæstionis euidenter absoluitur. Hæc est, inquit, fiducia quam habemus ad Deum, quia quicquid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Ergo super his tantùm plenam nos & indubitabilem iussit exauditionis habere fiduciam, quæ non nostris commodis nec solatiis temporalibus, sed Domini congruunt voluntati.

Quod

Lucæ 11. Matth. 21. Lege annotationem decimamoctauam post finem operis.

Daniel. 10.

Matth. 24.

1. Ioann. 5.

Quod etiam in oratione Dominica admiscere præcipimur dicentes, Fiat voluntas tua scilicet, non nostra. Si enim & illud Apostoli recordemur, quoniam quid oremus secundum quod oportet nescimus, intelligimus nos nonnunquàm saluti nostræ contraria postulare, & commodissimè nobis ab eo qui vtilitates nostras rectius quàm nos ac veracius intuetur, ea quæ poscimus denegari. Quod illi quoque magistro gentium accidisse non dubium est, cùm oraret auferri à se Angelum satanæ qui vtiliter ad colaphizandum eum appositus fuerat Domini voluntate, dicens, Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me. & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quem sensum etiam Dominus orans ex persona hominis assumpti, vt formam quoque orandi nobis, quemadmodum & cætera, suo præberet exemplo, ita cùm oraret expressit: Pater si possibile est transeat à me calix iste, verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu; cùm vtique eius à patris voluntate non discreparet voluntas. Venerat enim saluare quod perierat, & dare animam suam redemptionem pro multis, de qua ipse dicit: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ex cuius persona super vnitate voluntatis suæ quam cum patre iugiter possidebat, per beatum quoque Dauid in psalmo tricesimonono ita cantatur: Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Nam & sic de patre legimus: Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret. Et de filio nihilominus inuenimus, Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. Et quemadmodum de illo refertur, Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; ita de isto narratur, Oblatus est quia ipse voluit. Et ita patris & filij voluntas vna per omnia designatur, vt etiam in ipso resurrectionis Dominicæ sacramento operatio non dissona fuisse doceatur. Nam sicut resurrectionem corporis eius patrem operatum beatus Apostolus prædicat dicens: Et Deum patrem qui suscitauit eum à mortuis, ita filius suscitaturum se templum sui corporis protestatur, Soluite, inquiens, templum hoc, & ego in tribus diebus suscitabo illud. Et idcirco his quæ prædiximus exemplis Dominicis eruditi, cunctas obsecrationes nostras simili nos quoque debemus oratione concludere, & hanc vocem cunctis petitionibus nostris semper adiungere, Verum tamen non sicut ego volo, sed

Matth. 6. Rom. 8. 2. Cor. 12. Matth. 26. Matth. 18. Matth. 20. Ioann. 8. Iohnn. 3. Galat. 1. Rom. 8. Isaiæ 53. Galat. 1. Ioann. 2. Matth. 26.

ſed ſicut tu. Satis verò conſtat, illum trinæ orationis numerum qui ſolet in congregationibus fratrum ad concludendam ſynaxim celebrari, eum qui intento animo ſupplicat, obſeruare non poſſe.

De oratione intra cubiculum & clauſo oſtio facienda.

CAPVT XXXV.

Matth.6. ANte omnia ſanè illud Euãgelicum præceptum diligentius obſeruandum eſt, vt intrantes in cubiculum noſtrum clauſo oſtio noſtro oremus patrem noſtrum. quod à nobis ita implebitur. Intra noſtrum cubiculum ſupplicamus, cùm ab omnium cogitationum ſiue ſollicitudinum ſtrepitu cor noſtrum penitus amouentes, ſecreto quodam modo ac familiariter preces noſtras Domino reſeramus. Clauſo oramus oſtio, cùm ſtrictis labiis noſtris omnique ſilentio ſupplicamus, non vocum, ſed cordium ſcrutatori. In abſcondito oramus, quando corde tantùm, & intenta mente petitiones noſtras ſoli pandimus Deo, ita vt ne ipſę quidem aduerſæ valeãt poteſtates genus noſtræ petitionis agnoſcere. Propter quod cum ſummo eſt orandum ſilentio, non ſolùm ne fratres aſtantes noſtris ſuſurris vel clamoribus auocemus, & orantium ſenſibus obſtrepamus, ſed vt ipſos quoque inimicos noſtros, Michæ.7. qui orantibus nobis maximè inſidiantur, lateat noſtræ petitionis intentio. Ita enim præceptum illud implebimus: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.

De vtilitate breuis & tacitæ orationis.

CAPVT XXXVI.

OB quod frequenter quidem, ſed breuiter eſt orandum, ne immorantibus nobis, inſerere aliquid noſtro cordi inſidiator poſſit inimicus. Iſtud namque eſt ſacrificium verum, Pſalm.50. quia ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Hæc ſalutaris Pſalm. 49. oblatio, iſta ſunt pura libamina, iſtud ſacrificium iuſtitiæ, Pſalm. 65. iſtud ſacrificium laudis, hæ ſunt veræ ac pingues hoſtiæ, iſta ſunt holocauſtomata medullata, quæ contritis & humiliatis cordibus offeruntur, quæque hac qua diximus diſciplina & intentione ſpiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute Pſalm. 140. cantare: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Quod etiam nos opportuna commonet deuotione perſoluere horæ ipſius ac noctis aduentus: de quò quidẽ licet pro tenuitatis noſtræ menſura multa prolata videantur, diuque ſit protracta collatio; pro ſublimitate tamen ac difficultate materiæ paucis admodum credimus diſputatum. His ſanctis ſermonibus ſtupefacti potius quàm repleti, veſpertina ſynaxi celebra-

celebrata, sopore paululum membra laxauimus, primoque diluculo supplices de pleniore tractatu iterum reuersuri, ad nostra discessimus, tam de præceptorum acquisitione quàm de promissorum securitate gaudentes. Excellētiam siquidem orationis nobis tantummodo pręmonstratam, ordinem verò atque virtutem qua etiam perpetuitas eius vel acquirenda est vel tenenda, nec dum nos integrè percepisse illis disputationibus senseramus.

Collationis primæ Abbatis Isaac de oratione finis.

COLLATIO X.
QVÆ EST SECVNDA ABBATIS ISAAC DE ORATIONE.

CAPVT I.



Nter hæc anachoretarum instituta sublimia, quæ vtcunque donante Deo licèt imperito digesta sunt stylo, quiddam nos interserere atq; contexere, quod velut pulchro corpori næuum quēdam videatur apponere, narrationis ipsius ordo compellit: quanquàm non dubitem ex hoc ipso non minimam instructionem super omnipotentis Dei quę in genesi legitur imagine, quibusque simplicioribus conferendam, præsertim cùm tanti dogmatis causa vertatur, vt ignoratio eius sine ingenti blasphemia, & catholicæ fidei detrimento esse non possit. *Genes. 1. & 2.*

De consuetudine celebrandi Paschatis in Aegypto. CAP. II.

INtra Aegypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die, quem prouinciæ illius sacerdotes vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, & idcirco vtriusque sacramenti sollemnitatem non bifariè, vt in occiduis prouinciis, sed sub vna diei huius festiuitate concelebrant, epistolæ Pontificis Alexandrini per vniuersas dirigātur Aegypti ecclesias, quibus & initium quadragesimæ & dies paschæ non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa monasteria designentur. Secundum hunc igitur morem post dies admodum paucos quàm superior cū abbate Isaac fuerat agitata collatio, Theophili

Lege decimā-nonam annotationem post finem operis.
Epiphania Dominica festiuitas.
Quadragesimæ & Paschatis obseruationes.

phili prædicti vrbis episcopi sollemnes epistolę commearunt, quibus cum denunciatione paschali contra ineptā quoq; Anthropomorphitarū hęresim lōga disputatione disseruit, eamq; cōpioso sermone destruxit. Quod tāta est amaritudine ab vniuerso propemodū genere monachorū, qui per totā prouinciā Aegypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptū, vt econtrario memoratum pontificem velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima Seniorū ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum, quòd scilicet impugnare scripturæ sanctæ sententiā videretur, negans omnipotentem Deum humanę figuræ compositione formatum, cùm ad eius imaginem creatū Adam scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab his qui erant in eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus qui erant in Aegypti monasteriis præeminebant, ita est hæc epistola refutata, vt præter abbatem Pafnutium nostræ congregationis presbyterum, nullus eam cæterorum presbyterorum qui in eadem eremo aliis tribus ecclesiis præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conuentibus prorsus admitterent.

Anthropomorphitarum hæresis.

Genes. 1.

Serapion in Anthropomorphitarum hæresim lapsus.

CAPVT III.

INter hos ergo qui hoc detinebantur errore fuit antiquissimæ districtionis atque in actuali disciplina per omnia consummatus nomine Serapion, cuius imperitia super prædicti dogmatis opinione tantum præiudicabat cunctis veram tenentibus fidem, quantum ipse vel vitæ merito vel antiquitate temporis omnes ferè monachos anteibat. Cumque hic sancti presbyteri Pafnutij multis adhortationibus ad tramitem rectæ fidei non posset adduci, eo quòd nouella ei hæc persuasio nec ab anterioribus aliquando comperta vel tradita videretur, accidit, vt quidam diaconus summæ scientiæ vir nomine Photinus desiderio videndi fratres qui in eremo eadem commanebāt, de Cappadociæ partibus adueniret. Quem beatus Pafnutius summa gratulatione suscipiens, ad confirmationem fidei quæ fuerat prædicti Pontificis litteris comprehensa, producens in medium, coram cunctis fratribus sciscitatur, quemadmodum illud quod in Genesi dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, catholicæ totius Orientis interpretarentur ecclesiæ. Cūque ille non secundum humilem litteræ sonum, sed spiritaliter imaginem Dei ac similitudinem tradi ab vniuersis ecclesiarum principibus explanaret, idque copioso sermone ac plurimis

Genes. 1.

plurimis ſcripturarum teſtimoniis approbaret, nec poſſe in illã immenſam & incomprehenſibilẽ atq; inuiſibilem maieſtatẽ aliquid huiuſmodi cadere quod humana compoſitione valeat ac ſimilitudine circũſcribi, quippe quæ incorporea & incõpoſita ſimplexq; natura ſit, quæq; ſicut oculis deprehẽdi, ita mente non valeat æſtimari: tandem ſenex, multis ac validiſſimis doctiſſimi viri aſſertionibus motus, ad fidem catholicæ traditionis attractus eſt. Cumque ſuper hoc eius aſſenſu, infinita vel abbatem Pafnutium, vel nos omnes lætitia repleuiſſet, quòd ſcilicet virum tantæ antiquitatis tantiſque virtutibus cõſummatum, imperitia ſola & ſimplicitate ruſticitatis errantem, nequaquam vſque ad finem deuiare Dominus à tramite rectæ fidei permiſiſſet, & pro gratiarum actione ſurgentes preces Domino pariter funderemus, ita eſt in oratione ſenex mente cõfuſus, eo quòd illam Anthropomorphitarum imaginem deitatis quam proponere ſibi in oratione conſueuerat, aboleri de ſuo corde ſentiret, vt in amariſſimos fletus crebroſque ſingultus repentè prorumpens, in terramque proſtratus, cum eiulatu validiſſimo proclamaret, Heu me miſerum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem aut interpellem iam neſcio. Super qua re valde permoti, nec non etiam præteritæ collationis virtute adhuc in noſtris cordibus inſidente, ad abbatem Iſaac rediuimus, quem comminus intuentes his ſermonibus adorſi ſumus.

Fides Dei donum eſt, illíque acceptum ferendum.

De reditu ad Abbatem Iſaac & diſcuſsione erroris quem ſenex prædictus incurrit. CAP. IIII.

LIcet nos etiam cura eius rei quæ nuper oborta eſt nouitaſque, præteritæ collationis, quæ ſuper orationis ſtatu digeſta eſt, deſiderium recurrere ad tuam beatitudinem poſtpoſitis omnibus inuitaret, adiecit tamen aliquid huic cupiditati etiam abbatis Serapionis tam grauis error, nequiſſimorum (vt arbitramur) dæmonum calliditate conceptus. Non enim parua deſperatione deiicimur, conſiderantes eum labores tantos quos per quinquaginta annos in hac eremo laudabiliter exegit, ignorantiæ huius vitio non ſolùm penitus perdidiſſe, ſed etiam perpetuæ mortis incurriſſe diſcrimen. Vnde ergo, vel cur ei hic tam grauis error irrepſerit, primum deſideramus agnoſcere, deinde quæſumus edoceri, quemadmodum ad illam orationis qualitatem de qua pridẽ non ſolũ copioſè, ſed etiam magnificè diſputaſti, peruenire poſſimus. In hoc enim profecit in nobis admirabilis illa

collatio, vt ſtuporem tantummodo mentis incuteret, non quemadmodum eam perficere vel apprehendere valeremus oſtenderet.

Reſponſio de origine hæreſeos ſuperiùs comprehenſæ. CAP. V.

ISaac: Non eſt mirandum hominem ſimpliciſſimum, & de ſubſtantia ac natura diuinitatis nunquàm penitus eruditum, ruſticitatis vitio & conſuetudine erroris antiqui vſque nunc detineri vel decipi potuiſſe, & vt ita dicam verius in errore priſtino perdurare, qui non recenti ſicut putatis dæmonum illuſione, ſed ignoratione priſtinæ gentilitatis infertur, dum ſecundum conſuetudinem erroris illius quo dæmones hominum figura compoſitos excolebant, nunc quoque illam incomprehenſibilem atque ineffabilem veri numinis maieſtatem ſub circumſcriptione alicuius imaginis æſtimant adorandam, nihil ſe retinere vel habere credentes, ſi propoſitam non habuerint imaginem quandam quam in ſupplicatione poſiti iugiter interpellent, eamq; circumferant mente, ac præ oculis teneant ſemper affixam. Super quorum hoc errore cõ-
Rom. 1. petenter dirigitur illa ſententia, Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis hominis corru-
Ierem. 2. ptibilis. Hieremias quoque, Populus, inquit, meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Qui error licèt origine hac qua diximus quorundam ſenſibus ſit inolitus, nihilominus tamen in illorum quoque animis qui nunquam gentili ſuperſtitione
Geneſ. 1. polluti ſunt, ſub colore teſtimonij huius quo dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, imperitia ſeu ruſticitate faciente, contractus eſt, ita vt etiam hereſis quæ dicitur Anthropomorphitarum ſub occaſione deteſtandæ huius interpretationis emerſerit, quæ immenſam illam ac ſimplicem diuinitatis ſubſtantiam lineamentis noſtris & humana figuratione compoſitam pertinaci peruerſitate contendit; quam tamen ſi quis fuerit catholicis dogmatibus inſtitutus, vt gentilem blaſphemiam deteſtabitur, & ita ad illam orationis puriſſimam perueniet qualitatem, quæ non ſolùm nullam diuinitatis effigiem, nec lineamenta corporea (quod dictu quoque nefas eſt) in ſua ſupplicatione miſcebit, ſed nec vllam quidem in ſe memoriam dicti cuiuſdam vel facti ſpeciem ſeu formam cuiuſlibet characteris admittet.

Quibus ex cauſis vnicuique noſtrum aut humilis Chriſtus Ieſus aut glorificatus appareat. CAPVT VI.

SEcundum menſuram namque puritatis ſuæ, ſicut ſuperiore collatione præfatus ſum, vnaquæque mens in oratione ſua vel erigitur vel formatur, tantum ſcilicet à terrenarum ac ma-

ac materialium rerum contemplatione discedens, quantum eam status suæ prouexerit puritatis, feceritque Iesum vel humilem adhuc, vel carneum, vel glorificatum in maiestatis suę gloria venientem, internis obtutibus animæ peruideri. Non enim poterunt Iesum intueri venientem in regno suo, qui adhuc sub illa quodammodo Iudaica infirmitate detenti, non queunt dicere cum Apostolo, Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Sed illi soli purissimis oculis diuinitatem ipsius speculantur, qui de humilibus ac terrenis operibus & cogitationibus ascendentes cũ illo secedunt in excelso solitudinis monte, qui liber ab omnium terrenarum cogitationum ac perturbationum tumultu, & à cunctorum vitiorum permixtione secretus, fide purissima ac virtutum eminentia sublimatus, gloriam vultus eius ac claritatis eius reuelat imaginem his qui merentur eum mundis animæ obtutibus intueri. Cæterùm videtur Iesus etiam ab his qui in ciuitatibus & castellis ac viculis commorantur, id est, qui in actuali conuersatione sunt atque in operibus constituti: sed non in illa claritate qua illis apparuit qui cum ipso possunt in prædicto virtutum monte conscendere, id est, Petro, Iacobo & Ioanni. Ita enim in solitudine & Mosi apparuit, & Heliæ locutus est. Quod volens noster Dominus confirmare ac perfectè nobis relinquere puritatis exempla, & quidem cùm ipse fons inuiolabilis sanctitatis ad obtinendam puritatem secessionis adiutorio ac solitudinis beneficio extrinsecus non egeret (non enim poterat vllis turbarum sordibus puritatis plenitudo maculari, nec contaminari humano consortio qui vniuersa polluta emundat atque sanctificat) secessit tamen solus in montem orare, per hoc scilicet nos instruens suæ secessionis exemplo, vt si interpellare nos quoque voluerimus Deum puro & integro cordis affectu, ab omni inquietudine & confusione turbarum similiter secedamus, vt in hoc corpore commorantes ad similitudinem quandam illius beatitudinis quæ in futuro repromittitur sanctis, vel ex parte aliqua nos aptare possimus, sitq; nobis omnia & in omnibus Deus.

2.Cor.5. Matth.17. Exod.3. 3.Reg.18. & 19. Matth.14. 1.Cor.15.

In quo finis & consummatio nostrarum orationum consistat.

CAPVT VII.

TVnc enim perfectè consummabitur in nobis illa nostri Saluatoris oratio qua pro suis discipulis orauit ad patrẽ dicẽs, vt dilectio qua dilexisti me, in eis sit, & ipsi in nobis; & iterum, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint; quando illa Dei perfecta dilectio,

Ioann.17. 1.Ioann.4.

lectio, qua prior nos ille dilexit, in nostri quoque transierit cordis affectum, hac Dominica oratione completa quam credimus nullo modo posse cassari. Quod ita fiet, cùm omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit: illaque vnitas, quæ nunc est patris cum filio, & filij cum patre, in nostrum fuerit sensum mentesque transfusa, id est, vt quemadmodum nos ille sincera & pura atque indissolubili diligit caritate, nos quoque ei perpetua & inseparabili caritate iungamur, ita scilicet eidem copulati, vt quicquid speramus, quicquid intelligimus, quicquid loquimur, Deus sit, in illum inquam peruenientes quem prædiximus finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri, vt omnes sint vnum sicut nos vnum sumus, ego
Ioann. 17. in eis & tu in me, vt sint & ipsi consummati in vnum. Et ite-
Ibidem. rum: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum & ipsi sint mecum. Hæc igitur destinatio solitarij, hæc debet esse omnis intentio, vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, & quodãmodo arrham cælestis illius cõuersationis & gloriç incipiat in hoc vasculo prægustare. Hic inquam finis totius perfectionis est, vt eò vsque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis eius conuersatio, omnis volutatio cordis vna & iugis efficiatur oratio.

Interrogatio super eruditione perfectionis per quam possimus ad perpetuam Dei memoriam peruenire. CAP. VIII.

GErmanus: Maior nobis ad præteritæ collationis illius admirationem, ob quam huc recurrimus, magnitudo stuporis accrescit. Quantum enim incitamento doctrinæ huius ad desiderium perfectæ beatitudinis inflammamur, tanto maiore desperatione concidimus, ignorantes quemadmodum disciplinam tantæ sublimitatis expetere vel obtinere possimus. Quapropter quæ in cella positi diutina meditatione voluere cœperamus, quia necesse est loquaci forsitã prosecutione proferre, quæsumus, vt explicari ea à nobis patienter admittas. Quanquã sciamus beatitudinẽ tuam nullis offendi solere ineptiis infirmorum, quæ vel ob hoc sunt in mediũ proferendę, vt quæ in eis absurda sunt corrigantur. Quãtum itaque opinio nostra sese habet, cuiuslibet artis seu disciplinæ perfectio necesse est vt à quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primũ ac tenerrimis initiis imbuatur, vt quodam rationabili lacte nutrita paulatim, educataque succrescat, atque ita ab imis ad summa sensim gradatimque

timúque conscendat: quibus cùm fuerit planiora principia & quodámodo ianuas arreptæ professionis ingressa, ad penetrabiliora quoque perfectionis excelsa fastigia consequenter & absque labore perueniat. Nam quemadmodum pronunciare puerorũ quispiam simplices poterit copulas syllabarum, nisi prius elementorũ characteres diligenter agnouerit? Vel quomodo legendi peritiam consequetur, qui breues & perangustas descriptiones nominum nec dum est idoneus coniugare? Qua autem ratione is qui peritia grammaticæ disciplinæ minus instructus est, vel rhetoricam facundiam vel philosophicam scientiã consequetur? Quapropter huic quoque sublimissimæ disciplinæ per quam instruimur Deo iugiter inhęrere, non dubito quædam institutionis esse fundamenta, quibus primũ firmissimè collocatis, post hæc superposita extollantur perfectionis excelsa fastigia. Cuius hæc esse principia tenuiter suspicamur, vt primũ nouerimus qua meditatione teneatur vel cogitetur Deus. Deinde hanc eandem, quæcunque est, materiam quemadmodum valeamus immobiliter custodire, quod etiam non ambigimus culmen totius perfectionis existere. Et idcirco quandam memoriæ huius materiam qua Deus mente concipiatur, vel perpetuò teneatur, nobis cupimus demonstrari, vt eam præ oculis retentantes cùm elapsos nos ab eadem senserimus, habeamus in promptu quò respicientes illico reuertamur, ac resumere illam sine vlla circuitus mora & inquisitionis difficultate possimus. Euenit namque vt (cùm de theoriis spiritalibus euagati ad nosmetipsos velut de lethali sopore conuertimur, & tanquàm expergefacti materiã quærimus illam quæ obruta est qua spiritalem memoriam resuscitare possimus) retardati ipsius inquisitionis mora, priusquàm reperiamus eam à nostro conatu iterum deuoluamur, & antequàm spiritalis quidam pariatur intuitus, concepta cordis euanescat intentio. Quam confusionem idcirco nobis accidere satis certum est, quia speciale aliquid præ oculis propositum velut formulam quandam stabiliter non tenemus, ad quam possit vagus animus post multos anfractus ac discursus varios reuocari, & post longa naufragia velut portum quietis intrare. Itaque fit, vt hac ignoratione ac difficultate mens iugiter præpedita, errabunda semper & velut ebria per diuersa iactetur, & ne illud quidem quod casu potius quàm industria sibimet occurrerit spiritale, diu ac firmiter teneat, dum aliud ex alio semper recipiens, sicut introitus eorum atque principiá, ita etiam finem discessumque non sentiat.

Respon-

Responsio de efficacia intellectus qui per experientiam colligitur.

CAPVT IX.

ISaac: Inquisitio vestra tam minuta atque subtilis proximę puritatis præsignat indicium. Nec enim de his saltem interrogare, non dicam introspicere atque discernere quispiam præualebit, nisi quem diligens & efficax mentis industria ac sollicitudo peruigil ad perscrutandam istarum profunditatem prouexerit quæstionum, castigatæque vitæ iugis intentio per experientiam fecerit actualē, attentare puritatis huius limina ianuasque pulsare. Et idcirco quoniam video vos non dicam pro foribus orationis illius veræ de qua disserimus astitisse, sed ipsis quodammodo experientiæ manibus penetralia eius & interiora palpare, & quædam membra iam iamque contingere, nec me laboraturum credo, vt iam intra aulam quodammodo ipsius oberrātes in adyta quoque in quātum Dominus direxerit introducam, nec vos ad introspicienda hæc quæ demonstranda sunt vllo difficultatis obstaculo retardandos. Proximus enim cognitioni est, qui quid inquirere debeat prudenter agnoscit, nec à scientia longè est qui cœpit intelligere quid ignoret. Et idcirco non vereor notam proditionis vel leuitatis incurrere, si ea quæ in superiore tractatu de perfectione orationis differens disputationi subtraxeram, propalauero, quorum virtutem vobis in hoc exercitio ac studio collocatis etiam sine ministerio nostri sermonis per Dei gratiam arbitror fuisse reserandam.

De institutione orationis perpetuæ. CAP. X.

QVapropter secundum illam institutionem quam paruulorum eruditioni prudentissimè comparastis (qui aliàs elementorum traditionem primam percipere non possunt, nec eorum vel agnoscere lineas, vel intrepida manu queunt describere characteres, nisi quāprimum typis quibusdam & formulis ceræ diligenter impressis, effigies eorum exprimere cōtemplatione iugi & quotidiana imitatione consuescant) huius quoq; spiritalis theoriæ tradenda vobis est formula, ad quā semper tenacissimè vestrum intuitum defigētes, vel eandem salubriter voluere indirupta iugitate discatis, vel sublimiores intuitus scandere illius vsu ac meditatione possitis. Hæc igitur vobis huius quā quæritis disciplinæ atq; orationis formula proponitur, quam vnusquisque monachus ad iugem Dei memoriam tendens incessabili cordis volutatione meditari, expulsā omnium cogitationum varietate consuescat, quia nec aliàs eam vllo modo poterit retentare, nisi ab omnibus fuerit corporalibus curis ac sollicitudinibus absolutus.

Quæ

Quæ ſicut nobis à paucis qui antiquiſſimorum patrum reſidui erant tradita eſt, ita à nobis quoque non niſi rariſſimis ac verè ſitientibus intimatur. Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam, hæc inſeparabiliter propoſita vobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. *Pſal. 69.* Hic namque verſiculus nõ immeritò de toto ſcripturarum excerptus eſt inſtrumento. Recipit enim omnes affectus quicunque inferri humanæ poſſunt naturæ, & ad omnem ſtatum atque vniuerſos incurſus propriè ſatis & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduerſus vniuerſa diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam pręſentis ſemperque aſtãtis præſidij. Qui enim iugiter ſuum inuocat protectorem, certus eſt eum eſſe ſemper præſentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem inimicorumque formidinem, quibus perſpiciens ſemetipſum die noctuque vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, & impenetrabilis lorica, ac munitiſſimus clypeus. Iſte in acedia & anxietate animi collocatos, ſeu triſtitia vel cogitationibus quibuſcunque depreſſos, ſalutis remedia deſperare nõ patitur, oſtẽdens illum quem inuocat inſpicere iugiter noſtra certamina, atque à ſuis ſupplicibus non abeſſe. *Diuinæ gratiæ neceſſitas.* Iſte nos in ſpiritalibus ſucceſſibus cordiſque lætitia conſtitutos admonet extolli penitus nõ debere, nec inflari de proſpero ſtatu quem ſine protectore Deo retineri non poſſe teſtatur, dum non ſolum eum ſemper, ſed etiam velociter vt ſibi auxilietur implorat. Iſte inquam verſiculus vnicuique noſtrum in qualibet qualitate degenti neceſſarius & vtilis inuenitur. Nam qui ſe ſemper & in omnibus deſiderat adiuuari, manifeſtat quòd non tantùm in rebus duris ac triſtibus, ſed etiam in ſecundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore; vt quemadmodũ ex illis erui, ita in iſtis eum faciat immorari, in neutro ſciens humanam fragilitatem ſine illius opitulatione ſubſiſtere. Gaſtrimargiæ paſſione perſtringor, cibos quos eremus ignorat, inquiro, & in ſqualida ſolitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, atque ad illorum deſideria ſentio me inuitiſſimum trahi: dicendum proinde mihi eſt, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Anticipare horam ſtatutæ refectionis inſtigor, ſeu modum

iustæ ac solitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo, cum gemitu mihi est proclamandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ieiuniis me ob impugnationem carnis districtioribus indigentem stomachi prohibet lassitudo, seu ventris ariditas constrictioque deterret, vt effectus meo desiderio tribuatur, vel certè vt æstus carnalis concupiscentiæ absq; temperamento districtioris ieiunij conquiescat, orandum mihi est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Accedens ad refectionem hora legitima suggerente, perceptionem panis exhorreo, atque ab omni esu naturalis necessitatis excludor, cum eiulatu proclamãdum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellans capitis prohibet dolor, horaque tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit, ac*deputatum quieti tempus vel transgredi vel præuenire compellor, ipsum denique canonicum synaxeos psalmorumque modum intercidere me grauissima somni cogit impressio, similiter proclamandum est mihi: Deus in adiutoriũ meum intende, Domine ad adiuuandũ me festina. Sublato ab oculis meis sopore, multis me noctibus diabolicis insomniis, video fatigatũ, omnẽque à palpebris meis refectionem nocturnæ quietis exclusam, cum suspiriis orandum est mihi: Deus in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuãdum me festina. Adhuc me in colluctatione positũ vitiorum titillatio carnis repentè cõpungit, & ad cõsensum pertrahere dormientẽ blanda oblectatione conatur, ne ignis alienus exæstuans vrat suaue olẽtes flosculos castitatis, clamandũ mihi est: Deus in adiutoriũ meũ intende, Domine ad adiuuandũ me festina. Extincta sentio libidinis incentiua, & genitalem mẽbris meis intepuisse feruorẽ, vt parta hęc virtus imò gratia Dei in me diutius vel perpetuo perseueret, intentè dicendum est mihi: Deus in adiutoriũ meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Iræ, philargyriæ, tristitiæ, stimulis inquietor, cogorque propositã atq; amicam mihi interrumpere lenitatẽ, ne in amaritudinẽ fellis perturbatione furoris abducar, cum summo mihi gemitu proclamandũ est, Deus in adiutoriũ meũ intẽde, Dñe ad adiuuãdũ me festina. Acediæ, cenodoxię, superbiæ elatione pertẽtor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddã sibi mẽs subtili cogitatione blanditur, ne in me præualeat hæc inimici perniciosa suggestio, cũ omni contritione cordis orandũ est mihi: Deus in adiutoriũ meum

*epulatus quietis tempus, &c.

Canonicus Psalmorum modus.

meum intende, Domine ad adiuuandũ me feſtina. Humilitatis & ſimplicitatis gratiam ſuperbiæ tumore depoſito, iugi compunctione ſpiritus acquiſiui, ne rurſum veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris moueat me, grauiusque de *Pſalm.* 35. victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum eſt viribus: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Euagationibus animæ innumeris ac diuerſis, & inſtabilitate cordis exæſtuo, nec cogitationũ diſperſiones valeo coërcere, ipſamq; orationem meam fundere abſque interpellatione atq; phantaſmate inaniũ figurarũ ſermonumq; & actuum retactatione non poſſum, tantaque me ſentio ſterilitatis huius ariditate conſtrictũ, vt nullas omnino ſpiritalium ſenſuum generationes parturire me ſentiã, vt de hoc animi ſqualore merear liberari, vnde me gemitibus multis atq; ſuſpiriis expedire non poſſum, neceſſariè proclamabo: Deus in adiutorium meum intende, Dñe ad adiuuandũ me feſtina. Directionẽ rurſus animę, ſtabilitatẽ cogitationũ, alacritatẽ cordis, cum ineffabili gaudio & mẽtis exceſſu, viſitatione ſancti ſpiritus me ſentio conſecutũ, exuberantia quoq; ſpiritaliũ ſenſuũ redundare, reuelationẽ ſacratiſſimorũ intellectuum, & antea penitus mihi occultorum repentina Domini illuſtratione percepi, vt in his merear diutius immorari, ſollicitè mihi eſt frequẽterq; clamandum: Deus in adiutorium meum intẽde, Domine ad adiuuandum me feſtina. Nocturnis dæmonum terroribus circumuallantibus exagitor, & immundorum ſpirituum phantaſmatibus inquietor, ſpes ipſa mihi ſalutis, ac vitæ, trepidationis horrore ſubtrahitur, ad ſalutarẽ verſiculi huius portũ confugiens totis viribus exclamabo: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Rurſum cũ fuero conſolatione Domini reparatus, & ipſius animatus aduentu velut innumeris angelorũ millibus me ſenſero circũſeptum, ita vt eorũ quos morte grauius antea tremiſcebam, & quorum tactum imò viciniã horrore mẽtis & corporis ſentiebam, repentè cõgreſſus expetere audeam, ac prouocare conflictus, vt in me conſtantiæ huius vigor per Dei gratiã diutius immoretur, totis mihi eſt viribus proclamãdũ: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Huius igitur verſiculi oratio in aduerſis vt eruamur, in proſperis vt ſeruemur ne extollamur, inceſſabili iugitate fundẽda eſt. Huius inquã verſiculi meditatio in tuo pectore, indirupta voluatur. Hunc in opere quolibet, ſeu miniſterio, vel in itinere conſtitutus decantare non deſinas. Hunc & dormiens, & reficiens, &

in vltimis naturæ necessitatibus meditare Hęc volutatio cordis velut formula tibi salutaris effecta, non solùm illæsum ab omni dæmonum incursione custodiet, sed etiam cunctis te vitiis terrenæ contagionis expurgãs, ad illas inuisibiles theorias cælestesque perducet, atque ad illũ ineffabilem ac perpaucis expertum prouehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, donec incessabili eius exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare cõsuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, is te euigilante cogitationes anticipet vniuersas, iste te de tuo surgentem cubili curuationi genuum tradat, atque illinc deinceps ad omne opus actusq; deducat, hic te omni tempore prosequatur, hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris, sedens

Alludit ad verba Deuteron. 6. cap.

in domo & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, hunc scribes in limine & ianuis oris tui, hunc in parietibus domus tuæ, ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita vt hæc ad orationem procumbenti sit tibi accliuis decãtatio, & exinde consurgenti, atque ad omnes vsus vitæ necessarios incedenti, fiat erecta & iugis oratio.

De perfectione orationis ad quam prædicta traditione conscenditur.

CAPVT XI.

IStam mens indesinenter formulam teneat, donec vsu eius incessabili & iugi meditatione firmata, cunctarum cogitationum diuitias amplasque substantias abiiciat, & refutet, atque ita versiculi huius paupertate constricta, ad illam euangelicam beatitudinem quæ inter cæteras beatitudines pri-

Matth. 5.

matum tenet, prona facilitate perueniat. Beati enim, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et ita per istiusmodi paupertatem egregius pauper existens, il-

Psalm. 73.

lud propheticum implebit eloquium, Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Et reuera quæ maior aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius qui nihil se præsidij, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, & vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immeritò profitetur, suppliciter ad

Psalm. 39.

eum quotidie clamans, Ego autem mendicus & pauper sum, Deus adiuua me? Et sic ad illam quoque multiformẽ scientiam Dei ipso illuminante conscendens, incipiat deinceps sublimioribus ac sacratioribus mysteriis saginari, secundum

Psalm. 103.

illud quod dicitur per Prophetam, Montes excelsi ceruis, pe-

tra refugium erinaciis. Quod satis propriè huic quem diximus sensui coaptatur, eo quòd quisquis in simplicitate atqué innocentia perseuerans, nulli est noxius vel molestus, sed sua tantũ simplicitate contẽtus, solummodo se ab insidiãtium prẹda desiderat cõtutari, velut erinacius spiritalis effectus, iugi euangelicæ illius petræ velamine protegatur, id est, memoria Dominicæ passionis, prædictique versiculi incessabili meditatione munitus, infestantis inimici declinet insidias. De his spiritalibus erinaciis & in Prouerbiis ita dicitur: Et erinacij gens inualida qui fecerunt in petris domos suas. Et reuera quid inualidius Christiano? quid infirmius monacho, cui non solùm nulla iniuriarum vindicta suppeditat, sed ne leuis quidem tacitaque commotio saltem intrinsecus pullulare conceditur? Quisquis autem ex hoc proficiens statu, non solùm innocentiæ simplicitatem possidet, sed etiam discretionis virtute munitus, virulentorum serpentium exterminator effectus est, habens contritum satanam sub pedibus suis, & ad figuram rationabilis cerui mentis alacritate peruenit, pascetur in Propheticis atque Apostolicis montibus, id est, excelsissimis eorum ac sublimissimis sacramentis, quorum iugi pascuo vegetatus, omnes quoque psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, vt eos nõ tanquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat, vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumque sententias non tunc tantummodo per prophetam aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri impleríque cognoscat. Tunc enim scripturæ diuinæ nobis clarius perpatescunt, & quodammodo earum venæ medullæque panduntur, quando experientia nostra earum non tantùm percipit, sed etiam præuenit notionem, sensusque verborum non per expositionem nobis, sed per documenta referantur. Eundem namque recipientes cordis affectum quo quisque decantatus vel conscriptus est psalmus, velut authores eius facti, præcedemus magis intellectũ ipsius, quàm sequemur; id est, vt prius dictorũ virtutem quàm notitiã colligentes, quid in nobis gestum sit, vel quotidianis geratur incursibus, superueniente eorum meditatione quodammodo recordemur, & quid in nobis vel negligẽtia nostra pepererit, vel diligentia conquisierit, vel prouidentia diuina contulerit, vel instigatio fraudauerit inimici, vel subtraxerit lubrica ac subtilis obliuio, vel intulerit humana fragilitas, seu improuida fefellerit ignoratio, decantantes reminiscamur. Omnes

Prouerb. 30.
Vulgatus interpres pro erinacio legit lepusculum.

Perfecta Psalmorum intelligentia quomodo acquiratur.

nes namq; hos affectus in Psalmis inuenimus expressos, vt ea quę incurrerint, velut in speculo purissimo peruidentes, efficacius agnoscamus, & ita magistrantibus *effectibus eruditi, non vt audita, sed tanquam perfecta palpemus, nec tanquam memoriæ commendata, sed velut ipsi rerum naturę insita, de interno cordis parturiamus affectu, vt eorum sensus nō textu lectionis, sed experientia præcedente penetremus, atque ita ad illam orationis incorruptionem mens nostra perueniat, ad quam in superiore tractatu quantum Dominus donare dignatus est, ordo collationis ascendit, quę non solùm nullius imaginis occupatur intuitu, sed etiam nulla vocis, nulla verborū prosecutione distinguitur, ignita verò mentis intētione per ineffabilē cordis excessum inexplicabili spiritus alacritate profertur, quamque mens extra omnes sensus ac visibiles effecta materias, gemitibus inenarrabilibus atq; suspiriis profundit ad Deum.

*affectibus

Interrogatio quemadmodum spiritales cogitationes immobiliter teneantur.

CAPVT XII.

GErmanus: Non solùm nobis traditionem spiritalis huius quam poposcimus disciplinæ, sed ipsam planè perfectionem satis apertè atq; dilucidè putamus expressam. Quid enim potest esse perfectius, quídue sublimius, quàm Dei memoriam tam compendiosa meditatione complecti, atq; vnius versiculi volutatione à cunctis visibilium terminis demigrare, & quodammodo affectus orationum cunctarum breui sermone concludere? Et idcirco vnum quod superest adhuc nobis precamur exponi, quemadmodum hunc eundem versiculum quem nobis vice formulæ tradidisti, stabiliter retinere possimus, vt sicut per Dei gratiam sumus à secularium cogitationum ineptiis liberati, ita spiritales quasque immobiliter retineamus.

De mutabilitate cogitationum.

CAPVT XIII.

CVm enim capitulum cuiuslibet psalmi mens nostra cōceperit, insensibiliter eo subtracto, ad alterius scripturæ textum nesciens stupensque deuoluitur. Cumque illud in semetipsa cœperit volutare, nec dum illo ad integrum ventilato, oborta alterius testimonij memoria, meditationem materiæ prioris excludit, de hac quoque ad alteram, subintrante alia meditatione transfertur, & ita animus semper de psalmo rotatus ad psalmum, de euangelij textu ad Apostoli transiliens lectionem, de hac quoq; ad prophetica deuolutus eloquia,

quia,& exinde ad quaſdá ſpiritales delat⁹ hiſtorias, per omne ſcripturarum corpus inſtabilis vagusque iactatur: nihil pro arbitrio ſuo prȩualens vel abiicere vel tenere, nec pleno quicquam iudicio & examinatione finire, palpator tantummodo ſpiritalium ſenſuum ac deguſtator, non generator nec poſſeſſor effectus: atque ita mens mobilis ſemper ac vaga in tempore quoq; ſynaxeos velut ebria per diuerſa diſtrahitur: nullum officium competẽter exoluens. Verbi gratia: Dum orat, pſalmum aut aliquam recolit lectionem: dum cantat, aliud quid meditatur, quàm textus ipſius continet pſalmi: cùm lectionem recitat, faciendum aliquid voluit factùmue reminiſcitur, atque in hunc modum nihil diſciplinatè nec opportunè recipitur vel dimittitur, velut fortuitis agi videatur incurſibus, retinendi ea quibus delectatur, vel immorandi eis non habens poteſtatem. Neceſſarium ergo nobis eſt præ omnibus noſſe, quemadmodum hæc ſpiritalia competenter explere poſſimus officia, vel certè hunc eundem verſiculum quem nobis vice formulæ tradidiſti, immobiliter cuſtodire, vt omnium ſenſuum ortus ac finis non in ſua volubilitate fluctuent, ſed in noſtra ditione conſiſtant.

Reſponſio quemadmodum ſtabilitas cordis ſeu cogitationum poſſit acquiri.

CAPVT XIIII.

ISaac: Licèt pridem ſuper hac re diſputantibus nobis de orationis ſtatu, quantum reor, ſit ſufficienter expreſſum, tamen quia vobis hæc eadem poſcitis iterari de confirmatione cordis, breuiter intimabo. Tria ſunt quæ vagam mentẽ ſtabilẽ faciunt, vigiliæ, meditatio & oratio. Quarũ aſſiduitas & iugis intentio conferunt animæ ſtabilem firmitatem. Quæ tamen aliàs nullo modo poterunt apprehendi, niſi per operis non philargyriæ, ſed ſacris cœnobij vſibus dedicati, infatigabilem iugitatem omnes omnino ſollicitudines & curæ vitæ præſentis prius fuerint abdicatæ, vt ita illud Apoſtolicum mandatum, Sine intermiſſione orate, poſſimus implere. Perparum namque orat, quiſquis illo tantùm tempore quo genua flectuntur, orare conſueuit. Nunquam verò orat, quiſquis etiam flexis genibus euagatione cordis qualicumque diſtrahitur. Et idcirco quales orantes volumus inueniri, tales nos eſſe oportet ante tempus orandi. Neceſſe eſt enim mentem in tempore ſupplicationis ſuæ de ſtatu præcedente formari, illiſq; eam cogitationibus orantẽ vel ad cæleſtia ſublimari, vel ad terrena demergi, quib. ante orationẽ fuerit

Tria eſſe ex quibus vagus animus ſtabilis efficiatur.

1. Theſſ. 5.

Non orat qui cordis euagatione diſtrahitur.

fuerit immoratá. Huc vsque Abbas Isaac attonitis nobis secundam Collationem de orationis qualitate digessit. Cuius doctrinam super illius prædicti versiculi meditatione, quam velut informationis loco incipientibus tradiderat retinẽdam, admirantes admodum, & excolere tenacissimè cupientes, vtpote quam compendiosam ac facilem credebamus, difficiliorem satis ad obseruandum experti sumus, quàm illud studiũ nostrum quo solebamus antea per omne scripturarum corpus absque vllius perseuerantiæ vinculo varia passim meditatione discurrere. Constat igitur neminem prorsus ob imperitiam litterarum à perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad * capessendam cordis atque animæ puritatẽ, quæ compendiosissimè adiacet cunctis, si modò sanam & integram mentis intentionem iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.

*compensandam

Finiunt decem Collationes Patrum in Scythica eremo commorantium.

PRAEFA-

D. IOANNIS CASSIANI IN 7. ALIAS COLLATIONES, Patrum in Thebaida Ægypti eremo consistentium, ad Eucherium, & Honoratum Episcopum.



VM virtutem perfectionis vestræ qua velut magna quædam luminaria in hoc mundo admirabili claritate fulgetis, multi sanctorum qui vestro erudiuntur exemplo, vix queant æmulari, tamen vos, ô sancti fratres, Honorate & Eucheri, tanta illorum sublimium virorum, à quibus prima anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini, vt vnus quidem vestrum ingenti fratrum cœnobio præsidens, congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conuersationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque patrū præceptis optet institui: alter verò vt etiam corporali eorundem ædificaretur aspectu, Aegyptum penetrare voluerit, vt hanc quasi frigoris Gallicani rigore torpentem prouinciam derelinquens, ad illas quas sol iustitiæ proximus respicit terras, maturis virtutum fructibus redundantes, velut turtur castissimus transuolaret: necessariò hoc mihi virtus caritatis extorsit, vt vnius desiderio alterius etiam labori consulens, tam abruptum scribendi periculum non vitarem, dummodo & priori apud filios adderetur autoritas, & secūdo tam periculosæ nauigationis necessitas demeretur. Proinde quia fidei vestræ atque feruori, nec illa instituta cœnobiorū quæ 12. libellis ad beatæ memoriæ episcopū Castorem quo potuimus sermone conscripsimus, nec decem Collationes in Scythica eremo commorantium patrum, quas præcipientibus sanctis Elladio & Leontio Episcopis, vtcūque digessimus, satisfacere potuerunt, nunc etiam vt itineris nostri ratio & ordo cognoscatur, trium in alia eremo consistentium, quos primos vidimus, patrum septem Collationes, pari conscriptas stylo, vobis credidi consecrandas, quibus ea quæ de perfectione in præteritis opusculis nostris obscurius forsitan comprehensa vel prætermissa sunt, suppleantur. Si verò sanctam studij vestri sitim etiam hæc satiare non quiuerint, septem aliæ Collationes, quæ ad sanctos qui in Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt fratres, desiderium, vt arbitror, vestri ardoris explebunt.

COLLATIO XI.

QVÆ PRIMA EST ABBATIS CHEREMONIS DE PERFECTIONE.

CAPVT I.



Vm in cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudiméta succedẽtibus aliquatenus incrementis, maiorem perfectionis desiderare gratiam cœpissemus, statuimus confestim Aegyptum petere, ac remotissima etiam Thebaidos eremo penetrata, sanctorũ plurimos, quorum gloriam fama per vniuersa diffuderat, si non æmulandi, saltem agnoscendi studio inuisere. Igitur ad oppidum Aegypti, cui Thennesus nomen est, emensa nauigatione peruenimus. Cuius accolæ ita vel mari vel stagnis salsis vndique circumluuntur, vt solis, quia terra deest, negotiationibus dediti, opes atque substantiam nauali commercio parent, ita vt ædificiis cùm voluerint extruendis terra non suppetat, nisi de longinquo nauigiis apportetur.

De episcopo Archebio. CAPVT II.

Archebius anachoreta ad episcopatum euocatus solitudinis ac primæ professionis institutum non deseruit.

VBi cùm aduenientibus nobis, fauens desideriis nostris diuinitas, beatissimi atque præcipui viri Archebij episcopi præstitisset aduentum, qui raptus de Anachoretarum cœtu, & episcopus Panephisi oppido datus, tanta districtione omni æuo suo propositum solitudinis custodiuit, vt nihil de præteritæ humilitatis tenore laxauerit, aut de adiecto sibi honore blanditus sit. Non enim tanquam idoneum se ad istud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ab illa Anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eo quòd 37. annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquã peruenire potuisset. Hic igitur cùm in supradicta* Thenneso quò eum eligẽdi illic episcopi causa perduxerat, piè nos atq; humanissimè suscepisset, agnito desiderio nostro, quo sanctos patres etiam in vlterioribus Aegypti partibus inquirere desiderabamus; Venite, inquit, & videte interim senes haud longè à nostro monasterio consistentes, quorum ita & antiquitas in corporibus iam curuatis, & sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam, à quibus id quod

*Panephesio

quod ego amissum doleo, quodque tradere iam perditum nequeo, non tam verbis quàm ipso sanctæ vitæ discatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc studio aliquatenus subleuandam, si inquirētibus vobis illam euangelicam margaritam, *Matth. 13.* quam ipse non habeo, saltem prouidero, vbi eam commodius comparetis.

Descriptio eremi in qua commorabantur Cheremon, Nesteros, & Ioseph.

CAPVT III.

SVmpto itaque baculo & pera, vt illic cunctis viam ingredientibus monachis moris est, ad ciuitatē nos suam, id est, Panephisim itineris dux ipse perduxit. *Baculi & peræ gestamen monachis familiare.* Cuius terras imò etiā contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentissimam (siquidem ex ea cunctæ, vt fama est, regioni cibus subministrabatur) repentino terręmotu excussum mare transgressis limitibus occupauit, atque ita collapsis fermè omnibus vicis, opimas olim terras salsis paludibus supertexit, vt illud quod in psalmo spiritaliter decantatur, Posuit flumina *Psalm. 106.* in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea, secundum litteram de illa putent regione prædictum. In his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus eluuies illa velut insulas fecit, quæ desideratam secedentibus sanctis solitudinem præbent, in quibus tres senes, id est, Cheremon, Nesteros & Ioseph, Anachoretæ antiquissimi consistebant.

De Abbate Cheremone, & excusatione eius super postulata doctrina.

CAPVT IIII.

ITaque beatus Archebius primum nos perducere ad Cheremonē maluit, qui & monasterio eius propior, & duobus aliis prouectior esset ætate. Nam cùm centenarium vitæ annum spiritu tantùm alacer excessisset, ita dorsum eius tēporis fuerat vetustate atque orationum iugitate curuatum, vt *Cheremonis laus.* quasi in primæuam redactus infantiā, submissis ac protentis terratenus manibus progrederetur. Huius igitur & vultum mirabilē & incessum pariter intuentes (siquidē defectis mortificatisque iam omnibus mēbris, nequaquam censuram præteritæ districtionis amiserat) cùm sermonem atq; doctrinam suppliciter posceremus, ac desideriū tantùm spiritalium institutionum causam fuisse aduentus nostri protestaremur, grauiter ille suspirans, Quid vobis, ait, possum conferre doctrinæ, cùm imbecillitas senectutis vt rigorem pristinum relaxauit, ita loquendi quoque ademit fiduciam? Quemadmodum *Boni Doctoris officium.* enim docere præsumam, quod ipse non facio; aut alium

in eo

in eo instruam, quod me iam vel minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum iuniorẽ mihi in hac vsq; ętate cohabitare permisi, ne exẽplo meo alterius districtio laxaretur. Nunquam enim erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.

De responsione nostra contra excusationem eius.

CAPVT V.

AD hæc nos non mediocri confusione compuncti, ita respondimus. Licèt sufficere nobis ad omnem instructionem debeat vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam iuuentus quoque robusta vix posset tolerare, quæ nos etiam, te tacente, satis abundeque instruunt atq; compungunt, rogamus tamen vt taciturnitate paululum prętermissa, ea nobis potius dignanter infundas, per quę hãc quã videmus in te virtutem nõ tam imitatione complecti, quàm admiratione possimus. Nam etiamsi reuelatus tibi tepor noster impetrare id quod expetimus nõ mereatur, debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quòd huc de Bethleemitici cœnobij rudimentis institutionis vestræ desiderio & profectus nostri amore properauimus.

Propositio Abbatis Cheremonis, quòd tribus modis vitia vincantur.

CAPVT VI.

TVnc beatus Cheremon, Tria sunt, inquit, quæ faciunt homines à vitiis temperare, id est, aut metus gehennæ, siue præsentium legum; aut spes atque desiderium regni cælorum, aut affectus * boni ipsius, amorque virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur execrari: Timor Domini odit malitiam. Spes etiam, vitiorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes qui sperant in eum. Amor quoque ruinam non metuit peccatorum, quia caritas nunquam cadit. Et iterum: Caritas operit multitudinẽ peccatorum. Et idcirco beatus Apostolus omnem salutis summam in istarum trium virtutum consummatione concludens, Nunc, inquit, manent fides, spes, caritas: tria hæc. Fides namque est, quę futuri iudicij ac suppliciorum metu vitiorum facit contagia declinari. Spes, quæ mentem nostram de præsentibus auocãs, vniuersas corporis voluptates cælestiũ præmiorum expectatione contemnit. Caritas quæ nos ad amorem Christi & spiritalium virtutum fructum mentis ardore succendens, quicquid illis contrarium est, toto facit odio detestari. Quæ tria licèt ad vnum finẽ tendere videãtur, prouocant enim nos à rebus illicitis abstinere, magnis tamen excellentię suę gradibus ab inuicẽ disparãtur. Duo namq; superiora

*hominis
Prouerb. 8.
Psalm. 33.
1. Cor. 13.
1. Petr. 4.
1. Cor. 13.
Fides, spes, Caritas.

riora propriè hominum sunt eorũ qui ad profectũ tendentes, necdum affectũ concepere virtutum. Tertium specialiter Dei est, & eorum qui in sese imaginem Dei ac similitudinem receperunt. Ille namque solus ea quæ bona sunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia prouocante, sed solo bonitatis affectu operatur: Omnia enim, vt ait Salomon, operatus est Dominus propter semetipsum. Suæ namque bonitatis obtentu, omnem bonorum copiam dignis indignisque largitur, quia nec fatigari iniuriis potest, nec iniquitatibus hominum passibiliter permoueri, semper scilicet manens perfecta bonitas immutabilisque natura. *Prouerb. 16.*

Quibus gradibus ad sublimitatem charitatis possit ascendi, & quæ sit in ea stabilitas. CAPVT VII.

SI quis igitur ad perfectionem tendit, de illo primo timoris gradu, quem propriè diximus esse seruilem, de quo dicitur, Cùm omnia feceritis, dicite, quia serui inutiles sumus, ad altiorem spei tramitem * gradu proficiente conscendet, qui iam non seruo, sed mercenario comparatur, quia mercedem retributionis expectat, & quasi de peccatorum absolutione & pœnali timore securus, ac bonorum sibi operum conscius, licèt placiti præmium videatur expetere, tamen ad affectum illum filij qui de paternæ indulgentiæ liberalitate confidens, omnia quæ patris sunt, sua esse non ambigit, peruenire non potuit. Ad quem etiam ille prodigus, qui cum substantia patris etiam filij nomen amiserat, aspirare non audet, dicens: Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Post illas enim porcorum siliquas quarum ei satietas negabatur, id est, vitiorum sordidos cibos, qui in semetipsum reuersus, & salutari timore compunctus, immũditiam porcorum horrere iam cœperat, ac diræ famis supplicia formidabat, velut iam seruus effectus, etiam mercenarij statum de mercede iam cogitans, concupiscit ac dicit, Quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! Reuertar ergo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. *Lucæ 17.* * gaudio *Lucæ 15.* *Ibidem.*

Quantum excellant qui per caritatis affectum declinant à vitiis.

CAPVT VIII.

SEd ad istam humilis pœnitentiæ vocem in occursum eius pater prosiliens, maiore quàm emissa fuerat pietate suscepit, eumque non contentus minora concedere, vtroque gradu sine dilatione transcurso, pristinę filiorum restituit dignitati. Festinandum proinde nobis etiam est, vt ad tertiũ filiorũ

gradum, qui oĩa quę patris sunt, sua esse credũt, per indissolubilẽ caritatis gratiã conscẽdentes, cælestis illius patris imaginem ac similitudinem recipere mereamur, & ad imitationẽ

Ioan. 16. veri illius filij proclamare possimus: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Quod etiam de nobis beatus Apostolus profitetur,

1. Corinth. 3. dicens: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt. Ad quam similitudinem etiã Sal-

Matth. 5. uatoris præcepta nos prouocant: Estote, inquit, & vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. In illis enim nonnunquam solet interrumpi bonitatis affectus, cùm aliquo vel tepore, vel lætitia, vel oblectatione vigor animi relaxatus, aut metum ad præsens gehẽnæ, aut desiderium subtrahit futurorum. Et est quidem in illis gradus cuiusdam profectus imbuens nos, vt dum vel pœnarum metu vel præmiorũ spe incipimus vitia declinare, ad caritatis gradum transire possi-

1. Ioan. 4. mus, quia timor, inquit, non est in caritate, sed perfecta cari-

Ibidem. tas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus, quia Deus prior dilexit nos. Nõ ergo aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius, nisi nostræ salutis gratia, prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantũ amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem nobis studendum est, vt de hoc timore ad spẽ, de spe ad caritatem Dei, vel ipsarum virtutum amorẽ, perfecto mẽtis conscendamus ardore, vt transmigrantes in affectum boni ipsius, immobiliter, quãtum humanæ possibile est naturæ quod bonũ est retẽtemus.

Quòd caritas non solum de seruis filios faciat, sed etiam imaginem Dei ac similitudinem conferat.

CAPVT IX.

MVltum namque differt inter eum qui metu gehennæ vel spe retributionis futuræ, vitiorum in se extinguit incendia, & eum qui diuinæ caritatis affectu ipsam malitiam

Inter amantẽ & timentem quid intersit. & immunditiam perhorrescit, ac puritatis possidet bonum amore tantùm & desiderio castitatis, nec iam remunerationem futuræ promissionis aspiciens, sed præsentis boni delectatus conscientia agit omnia, nec contemplatione pœnarũ, sed delectatione virtutum. Hic namque status nec submotis cunctorum hominum testimoniis abuti occasione peccati, nec occultis cogitationum violari oblectationibus potest, dũ affectum virtutis ipsius medullitùs retinens, quicquid illi cõtrarium est, non solùm corde non recipit, verùm etiam summo de-

mo deteſtatur horrore. Aliud namque eſt præſenti bono quempiam delectatum, odio habere vitiorum carnisue contagia, aliud futuræ remunerationis intuitu illicitas concupiſcentias refrenare, aliudque eſt præſens metuere detrimentum, & aliud futurum formidare ſupplicium. Poſtremò multo maius eſt propter bonum ipſum à bono nolle diſcedere, quàm propter metum mali malis non præbere conſenſum. In illo enim voluntarium bonum eſt, in iſto verò velut coactum & tanquam nolenti violenter extortum, vel metu ſupplicij vel cupiditate præmiorum. Nam qui timoris obtentu à vitiorum abſtinet blandimentis, adempto timoris obſtaculo, rurſum ad illud quod diligit reuertetur, & ob id nec ſtabilitatem boni iugiter obtinebit, ſed nec ab impugnatione quidem aliquando requieſcet, quia nec firmam ac perpetuam pacem caſtimoniæ poſſidebit. Vbi eſt enim inquietudo bellorum, non poſſunt non etiam vulnerum interuenire diſcrimina. Neceſſe eſt enim quempiam in conflictu ſitum, quamuis bellator ſit, ac fortiter dimicans lethalia aduerſariis vulnera frequenter infligat, nonnunquam tamen hoſtili mucrone perſtringi. Qui verò ſuperata impugnatione vitiorũ, pacis iam ſecuritate perfruitur, & tranſiit in ipſius virtutis affectum, iugem ſtatum illius boni cuius iam totus eſt, retentabit, quia damno intimæ caſtitatis nihil credit eſſe damnoſius. Nec enim carius ac pretioſius quicquam præſenti iudicat puritate, cui pœna grauis eſt, vel virtutum pernicioſa tranſgreſſio, vel ipſius vitij virulenta contagio. Huic inquam nec reuerentia humanæ præſentiæ quicquam adiiciet honeſtatis, nec minuet ſolitudo, ſed vbique ſecum ſemperque circumferens arbitram non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum ſuarum conſcientiam, illi potiſſimùm ſtudere contendit, quem nec circumueniri, nec falli, nec ſubterfugere ſe poſſe cognoſcit.

Quòd perfectio caritatis ſit pro inimicis orare, & quo indicio anima nec dum purgata noſcatur.

CAPVT X.

QVem ſtatum ſi quis de adiutorio Dei non de ſtudij ſui labore præſumens, meruerit poſſidere, de cõdicione ſeruili, in qua timor eſt, & mercenaria ſpei cupiditate, in qua nõ tam bonitas largientis, quàm præmium retributionis expetitur, in adoptionem incipiet tranſire filiorum, vbi iam non timor, non cupiditas, ſed illa caritas, quæ nunquam cadit, iugiter perſeuerat. De quo timore & caritate quoſdam increpans 1. Cor. 13.

increpans Dominus, quid cuique personę conueniret, ostendit.
Malach. 1. Filius honorat patrem, & seruus dominum suum timet. Et si pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Necesse est enim eum timere qui
Lucæ 12. seruus est, quia sciens voluntatem domini sui, si non fecerit, dignè vapulabit plagis multis. Per hanc itaque caritatē quisquis ad imaginē Dei similitudinemq́ue peruenerit, bono iā propter boni ipsius delectabitur voluntatem, ac similem quodammodo possidens patientiæ ac lenitatis affectum, nullis deinceps peccantium vitiis irascetur, sed veniam potius, infirmitatibus eorum condolens atque compatiens, implorabit reminiscens se tam diu similium passionum stimulis impugnatum, donec miseratione Domini saluaretur, nec suo erutū studio ab impugnatione carnali, sed Dei protectione saluatum, vt non iracundiam sed misericordiam errantibus intelligeret impendendam, illum versiculum ad Deum cum
Psalm. 115. omni cordis tranquillitate decantans, Tu dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Et, Nisi quia Dominus
Psalm. 93. adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea. Et in hac mentis humilitate consistens, poterit etiam euan-
Lucæ 6. gelicum illud perfectionis explere mandatum: Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: & ita ad illud præmiū quod subiungitur poterit peruenire, per quod non solùm imaginem Dei & similitudinem perferamus, verum etiam
Matth. 5. filij Dei nuncupemur: vt sitis, inquit, filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quem affectum beatus Io-
1. Ioan. 4. annes assecutum se esse cognoscens, ait: Vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mūdo. In quo enim infirma & fragilis humana natura esse sicut ille est, potest, nisi se in bonos & malos, iustos & iniustos ad imitationem Dei placida semper sui cordis extenderit caritate? vt bonum propter boni ipsius operetur affectum, perueniens ad illam veram adoptionem filiorum Dei de qua
1. Ioan. 3. idem beatus Apostolus ita pronunciat: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo est, &
1. Ioan. 5. non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Et iterū: Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. Quod intelligendum est non de omni genere peccatorum, sed de capitalibus tantùm criminibus dici. A quibus se quisquis abstrahere atque emundare noluerit, pro illo in alio loco prædi-
ctus

ctus Apostolus ne orari quidem debere pronunciat. Qui scit, inquiens, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Cæterùm de illis quæ pronunciantur non esse ad mortem, à quibus etiam hi qui fideliter Christo deseruiunt, quantalibet semetipsos circumspectione custodiant, immunes esse non possunt, ita dicitur: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et iterum: Si dixerimus quia non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Impossibile namque est quemlibet sanctorum non in istis minutis quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per obliuionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem, admittuntur incurrere. Quæ licet ab illo peccato, quod ad mortem esse dicitur, aliena sint, culpa tamen ac reprehensione carere non possunt. Cùm ergo quis hunc quem prædiximus bonitatis affectum & imitationem Dei fuerit assecutus, tunc visceribus Dominicæ longanimitatis indutus, pro persecutoribus quoque suis orabit similiter, dicens: Pater ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt. Cæterum euidens indicium est animæ necdum vitiorum fecibus eliquatę, in criminibus alienis affectu misericordiæ non condolere, sed rigidam iudicãtis tenere censuram. Nam quemadmodum perfectionẽ cordis poterit obtinere is qui non habet illud, quod Apostolus plenitudinem legis consummare posse signauit? Alterutrum, inquiens, onera vestra portate, & sic implebitis legem Christi. Sed nec illam virtutem possidet caritatis, quæ non iritatur, non inflatur, non cogitat malum, quæ omnia suffert, omnia sustinet. Iustus enim miseretur animas *pecorũ suorum, viscera autem impiorum sine misericordia. Ideoque iisdem vitiis monachum subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumana seueritate condemnat. Rex enim rigidus incurrit mala, & qui obturat aures suas ne audiat infirmum, & ipse inuocabit, & nõ erit qui exaudiat eum.

Ibidem. *1. Ioan. 1.* *Ibidem.* *Lucæ 23.* *Infirmioribus condolendum esse.* *Galat. 6.* *1. Corinh. 13.* *Prouerb. 12.* *peccatorũ *Prouerb. 21.*

Interrogatio cur affectum timoris & spei dixerit imperfectum.

CAPVT XI.

GErmanus: Potenter quidem atque magnificè de perfecta Dei caritate dissertum est, veruntamẽ illud nos permouet, quod cùm eam tanta laude prætuleris, timorem Dei & spem retributionis æternæ imperfecta esse dixisti, cùm

vtique multo aliud videatur de eis propheta sensisse, dicens:
Psalm. 33. Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Et iterum in obseruandis iustificationibus Dei, retributionis se contemplatione fateatur exercitatum.
Psalm. 118. Inclinaui, inquiens, cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Et Apostolus: Fide,
Hebr. 11. inquit, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias existimans thesauris Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Quo modo ergo imperfecta esse credenda est, cùm & beatus Dauid retributionis obtentu iustificationes Domini se fecisse glorietur, & legislator præmia futura prospiciens, spreuisse adoptionem regiæ dignitatis, & afflictionem ditissimam, Aegyptiorum thesauris prætulisse dicatur?

Responsio de diuersitate perfectionum.

CAPVT XII.

CHeremon: Pro statu atque mensura vniuscuiusque mẽtis scriptura diuina ad diuersos perfectionum gradus arbitrij nostri prouocat libertatem. Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona proponi; quia nec omnium vna virtus aut voluntas aut feruor est, & idcirco ipsarum quodammodo perfectionum diuersos ordines diuersasque mensuras sermo diuinus instituit. Quod ita esse euãgelicarum quoque beatitudinum varietas euidenter ostendit.
Matth. 5. Licèt enim beati dicantur quorum sunt regna cælorum, & beati qui possidebunt terram, & beati qui consolationem recipient, & beati qui saturitate potientur, tamen multum credimus interesse inter habitationem regni cælorum, & possessionem illius quæcumque est terræ, & inter perceptionem consolationis, & plenitudinem saturitatemque iustitiæ: multumque distare inter illos qui misericordiam consequẽtur, & illos qui gloriosissima visione Dei per-
1. Corinth. 15. frui merebuntur. Alia enim gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Cùm igitur iuxta hunc modum scriptura diuina timentes Deum laudet, & dicat,
Psalm. 127. Beati omnes qui timent Dominum, & plenam per hoc illis
1. Ioan. 4. beatitudinem repromittat: iterum tamen dicit, Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Et rursus, cùm seruire Deo gloriosum sit &

ſit & dicatur, Seruite Domino in timore. Et: Magnum tibi eſt vocari ſeruum meum. Et: Beatus ſeruus ille, quem, cùm venerit dominus ſuus, inuenerit ſic facientem. Tamen ad Apoſtolos dicitur: Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus ſuus. Vos autem dico amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Et iterum: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis ea quæ præcipio vobis. Videtis ergo perfectionum gradus eſſe diuerſos, & de excelſis ad excelſiora nos à Domino prouocari, ita vt is qui in timore Dei beatus & perfectus extiterit, ambulans ſicut ſcriptum eſt, de virtute in virtutem, & de perfectione ad aliam perfectionem, id eſt, de timore ad ſpem mentis alacritate conſcendens, ad beatiorem denuo ſtatum, quod eſt caritas, inuitetur. Et qui fuerit fidelis ſeruus ac prudens, ad amicitiæ ſodalitatem & adoptionē tranſeat filiorum. Secundum ergo hunc ſenſum noſtra quoque eſt intelligenda ſententia, non quo contemplationem perpetuæ illius pœnæ vel beatiſſimæ retributionis quæ repromittitur ſanctis, nullius pronūciemus eſſe momēti, ſed quia cùm ſint vtiles, & ſectatores ſuos ad initia beatitudinis introducant, caritas rurſum in qua plenior fiducia perpetuumque iam gaudium eſt, aſſumens eos de timore ſeruili & mercenaria ſpe, ad dilectionem Dei & adoptionem transfert filiorum, & quodammodo perfectiores facit de perfectis. Multæ enim, ait Saluator, manſiones ſunt apud patrem meum. Et licèt omnia aſtra eſſe videantur in cælo, inter claritatem tamen ſolis & lunæ atque luciferi, cæterarumque ſtellarum multa diſtantia eſt. Et idcirco beatus Apoſtolus, non ſolùm timori ac ſpei, ſed etiam cunctis chariſmatibus quæ magna ac mirifica habentur, eam præferens ſupra modum, excellentiorem omnibus caritatem oſtendit. Nam cùm vellet, expleto omni catalogo ſpiritalium chariſmatum, virtutum eius membra deſcribere, ita præfatus eſt: Et adhuc ſupra modum excellentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & angelorum, & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferā, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Videtis ergo nihil pretioſius, nihil perfectius, nihilque ſublimius, & (vt ita dixerim) nihil caritate perennius inueniri. Siue enim prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, caritas autem nunquam

Pſalm. 2. *Lucæ 12.* *Ioan. 15.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Pſalm. 83.* *Ioan. 14.* *1. Co. 12. & 13.*

excidet, sine qua non solùm illa pręcellētissima charismatum genera, sed etiam martyrij ipsius gloria vacuatur.

De timore qui de caritatis magnitudine generatur.

CAPVT XIII.

QVisquis igitur in huius fuerit caritatis perfectione fundatus, necesse est vt ad illum sublimiorem caritatis timorem gradu excellentiore conscendat, quem nō pœnarum terror nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx sollicito reueretur affectu, dum eius non verbera neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verumetiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque feruor dilectionis illius intepescat. Cuius timoris magnificētiam Isaias

Isa. 33. vnus prophetarum eleganter expressit, Diuitiæ, inquiens, salutis sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus eius. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis euidenter exprimere, quàm vt diuitias salutis nostrę quæ in vera sapientia Dei scientiaque consistunt, diceret nisi à timore Domini non posse seruari. Ad hunc igitur metum non peccatores sed sancti propheticis inuitantur eloquiis, di-

Psalm. 33. cente psalmographo, Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Qui enim hoc timore Dominum metuit, perfectioni eius certum est nihil deesse. Nā

1. Ioan. 4. de illo timore pœnali euidēter Ioannes Apostolus dicit: Qui timet, non est perfectus in caritate, quia timor pœnam habet. Multa igitur distantia est inter istum timorem cui nihil

Psalm. 110. deest, qui sapientiæ scientiæque thesaurus est, & illum imperfectum, qui principium sapientiæ nuncupatur, quique pœnam in sese continens, de perfectorum cordibus superueniente plenitudine caritatis extruditur. Timor enim non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Et reuera si principium sapientiæ in timore consistit, quæ erit eius nisi in Christi caritate perfectio, quæ illum in sese perfectæ dilectionis continens metum, non iam principium sed thesaurus sapientiæ & scientiæ nuncupatur? Et idcirco duplex timoris est gradus, vnus incipientium, id est, eorum qui adhuc sub iugo & terrore seruili sunt, de quo dicitur: Et seruus

Malach. 1. dominum suum timebit. Et in euangelio: Iam non dico

Ioan. 15. vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Et

Ioan. 8. ideo seruus, inquit, non manet in domo in æternum. Imbuit enim nos vt ab illo pœnali metu ad caritatis plenissimam libertatem

bertatem & amicorum filiorumque Dei fiduciam transeamus. Denique beatus Apostolus qui seruilem illum timoris gradum olim caritatis Dominicæ virtute transcẽderat, inferiora despiciens, maioribus se ditatum bonis à Domino profitetur: Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis. Eos etiã qui perfecta cælestis illius patris dilectione flagrabant, quosque ex seruis filios, adoptio diuina iam fecerat, hoc adhortatur eloquio: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. De hoc etiam metu cùm illam septiformem spiritus sancti gratiam Propheta describeret, quem in homine illo Dominico secundum incarnationis dispensationem descendisse non dubium est, dixissetque, Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, nouissimè velut quiddam præcipuum intulit dicens, Et replebit eum spiritus timoris Domini. In quo primitus illud diligentius est intuendum, quòd non dixerit, & requiescet super eum spiritus timoris Domini, sicut de illis prioribus dixerat, sed replebit, inquit, eum spiritus timoris Domini. Tanta enim vbertatis eius est magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem sed totam eius occupet mentem. Nec immeritò. Illi etenim quæ nunquam excidet cohærens caritati, non solùm replet, sed etiam perpetua & inseparabili eum quem ceperit possidet iugitate, nullis lætitiæ temporalis vel voluptatum oblectationibus imminutus. Quod nonnunquam illi qui foras mittitur timori euenire consueuit. Hic est igitur perfectionis timor, quo homo ille Dominicus, qui non solùm redimere humanum genus, sed etiam præbere venerat perfectionis formam atque exempla virtutum, repletus fuisse narratur. Illum enim seruilem suppliciorum timorem, verus Dei filius qui peccatum nõ fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, habere non potuit.

2. Timoth. 1.

Rom. 8.

Isa. 11.

1. Petr. 2.

Interrogatio de consummatione castitatis.

CAP. XIIII.

GErmanus: Quia de perfectione caritatis sermo digestus est, volumus etiam de castitatis fine aliqua liberius sciscitari. Non enim ambigimus illud præcelsum fastigium caritatis, per quam sicut huc vsque dissertum est, ad imaginẽ Dei similitudinemque conscenditur, sine castitatis perfectione subsistere omnino non posse, sed vtrum ita eius possit per-

peruitas obtineri, vt nūquam libidinis titillatio integritatem nostri cordis infestet, & ita valeamus ab hac passione carnali degentes in corpore peregrinari, vt nunquam incentiuorum æstibus aduramur, volumus edoceri.

Dilatio expositionis postulatæ.

CAPVT XV.

CHeremon: Summæ quidem beatitudinis ac singularis est meriti, ita istum per quem Domino cohæremus affectum, vel discere iugiter vel docere, vt meditatio eius se-
Psalm. 1. cundum psalmographi sententiam, omnes vitæ nostræ dies noctesque consumat, & mentem nostram insatiabiliter esurientem sitientemque iustitiam cælestis huius cibi perpetua ruminatione sustentet. Sed consulendum est etiam iumento corporis nostri secundum benignissimam saluatoris nostri prouidentiam, ne deficiat in via. Spiritus enim promptus
Matth. 26. est, caro autem infirma, quæ etiam nunc vel exigui cibi perceptione curanda est, vt post refectionem eius etiam ad ea quæ desideratis diligentius indaganda, mentis quoque addatur intentio.

Collationis primæ Abbatis Cheremonis de perfectione finis.

COLLATIO XII.

SIVE,

SECVNDA ABBATIS CHEREMONIS DE CASTITATE.

CAPVT I.


Efectione transacta, quæ doctrinæ cibum desiderantibus nobis onerosa magis visa est quàm iocūda, cùm illico nos promissi sermonis debitum senex expectare sensisset, Grata est, inquit, mihi non solùm attonita ad discendum vestræ mentis intentio, sed etiam disciplina propositæ quæstionis. Rationabilis enim reuera interrogationis à vobis ordo seruatus est. Necesse est enim vt tam excelsæ plenitudinem caritatis immensa illa perfectæ atque perpetuæ castimoniæ præmia

mia consequantur, parq; sit gaudium in tanta parilitate palmarum. Tanta enim sibi societate fœderantur, vt vna absque altera nequeat possideri. Hoc igitur propositio vestra complexa est, vt vtrum ignis ille concupiscentiæ, cuius hæc caro velut insitum sentit ardorem, ad plenum possit extingui, disputatione simili panderemus. De quo primum quid beatus Apostolus senserit, diligentius inquiramus. Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram. Prius ergo quàm *Coloss. 3.* cætera perscrutemur, quæ ista sint membra quæ mortificari præceperit, indagemus. Neque enim beatus Apostolus ad abscissionem manuum, aut pedum, aut genitalium immiti nos præceptione compellit, sed corpus peccati quod vtiq; constat ex membris, quantocyus destrui zelo perfectæ desiderat sanctitatis, de quo corpore alibi, vt destruatur, inquit, corpus pec- *Rom. 6.* cati. Et quæ sit eius destructio consequenter exponit, vt iam, inquit, non seruiamus peccato. A quo etiam se liberari cum eiulatu postulat, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit *Rom. 7.* de corpore mortis huius?

De corpore peccati & membris eius. CAP. II.

HOc itaque peccati corpus multis vitiorum mẽbris probatur extructum, & ad eius attinere portionẽ quicquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur, cuius membra rectissimè super terram esse dicuntur. Non enim possunt hi qui eorum vtũtur ministerio veridicè profiteri, nostra autẽ conuersatio in cælis est. Huius igitur corporis in hoc loco A- *Philip. 3.* postolus membra describẽs, Mortificate, inquit, membra ve- *Coloss. 3.* stra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus. Primo itaq; loco fornicationem credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum etiam membrum immunditiam nuncupauit, quæ non nunquam absque vllo mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircumspectæ mentis obrepit, & ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quosque non solùm sacrarum carnium participatione priuauit, verum etiam ne contactu suo sancta pollucrent, à castrorum iussit congregatione secerni, dicens: Anima quæcunque *Leuit. 7.* comederit de carnibus sacrificij salutaris (quod est Domini) in qua est immunditia, peribit corã Domino, & quicquid tetigerit immũdus, immundũ erit. In Deuter. quoq;, Si fuerit, *Deuter. 23.* inquit, inter vos homo qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra castra, & nõ reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra.

Deinde tertium peccati membrum libidinem ponit, quæ in
*accidere recessibus coalescens animæ, *accendere quippiam etiam si-
Libidinis etymologia. ne corporis passione potest. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam esse, non dubium est. Post hęc de maioribus peccatis ad minora descendens, quartum intulit membrũ, Concupiscentiam malam, quæ non solùm ad prædictam impudicitiæ passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates
*voluntatis generaliter referri potest, quæ corruptæ tantummodo *volu-
Matth. 5. ptatis est ægritudo. De qua Dominus in euangelio: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Multo enim maius est etiam tunc mentis lubricæ desiderium continere, cùm ei illecebrosi aspectus offertur occasio. Quibus manifestissimè comprobatur, ad perfectionem puritatis, castimoniam continentię corporalis solã non posse sufficere, nisi ei etiam mentis addatur integritas. Post quæ omnia nouissimum illius corporis membrũ, & auaritiam, inquit, proculdubio ostendens non solùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verumetiam propria magnanimiter contemnenda. Hoc enim & in actibus Apostolorum fecisse legitur credentium multitudo, de qua
Actor. 4. dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique
Coloss. 3. opus erat. Et ne ad paucos pertinere videretur ista perfectio,
Auaritia simulacrorum seruitus. auaritiam simulacrorum seruitutem esse testatus est. Nec immeritò: Quisquis enim non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis diuinæ præferẽs caritati.

De mortificatione fornicationis & immunditiæ.

CAPVT III.

SI ergo multos ita pro Christo suas vidimus abiecisse substantias, vt non solùm possessionem pecuniarum, verum etiam desiderium de cordibus eorum in perpetuum probemus abscissum, consequens est vt eodem modo eriam fornicationis ardorem extingui posse credamus. Neq; enim rem impossibilem Apostolus cum possibili coniunxisset, sed vtraque sciens esse possibilia, pari modo mortificanda decreuit.
Coloss. 3. Et in tantum beatus Apostolus fornicationem siue immunditiam

ditiam de nostris membris extirpari posse confidit, vt non solùm mortificari ea, sed ne nominari quidem in nobis debere pronunciet. Fornicatio, inquiens, & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Quæ etiam pari modo perniciosa esse, & æquali nos à regno Dei exclusione depellere, edocet dicens: Illud autem scitote, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et iterum: Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Dubium proinde esse non debet, fornicationis & immunditiæ de membris nostris aboleri posse contagium, quandoquidem non aliter ea quàm auaritiam, stultiloquium, scurrilitates, ebrietates, ac furta, quorum facilis amputatio est, mandauerit abscindenda.

Ephes. 5.

Ibidem.

1. Corinth. 6.

Quòd ad obtinendam castimoniæ puritatem non sufficit humani laboris intentio. CAPVT IIII.

CErtos tamen esse nos conuenit, quod licet omnem continentiæ districtionem, famem scilicet ac sitim, vigilias quoque & operis iugitatem, atq; incessabile subeamus studiũ lectionis, perpetuam tamen castimoniæ puritatem horũ laborum merito contingere nequeamus, nisi in his iugiter desudantes experientiæ magisterio doceamur incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate concedi. Ob hoc sanè solummodo se vnusquisque infatigabiliter in his exercitiis perdurare debere cognoscat, vt per illorum afflictionẽ misericordiam Domini consecutus, de impugnatione carnis ac dominatione præpotentium vitiorum diuino mereatur munere liberari, non quo adepturum se per illa confidat istã quam cupit inuiolatam corporis castitatem. Tanto autem erga acquisitionẽ castimonię desiderio atque amore inflammetur, quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summa honorũ ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, desiderium suum impatiẽtissimo ardore optat expleri, & ita fiet vt dum pro integritatis perpetuitate insatiabili cupiditate succendimur, desiderabilis despiciatur cibus, necessarius horreat potus, somnus deniq; ipse naturę debitus respuatur, vel certè vt deceptor fraudulẽtissimus puritatis & ęmulus atque contrarius castitati, attonita atq; suspecta mente capiatur, & ita vnusquisque quotidie integritatis

Quantopere castimoniæ perfectio expetenda sit.

 suæ

suæ matutinus explorator effectus, de collata sibi puritate congaudeat, eamque se non suo studio nec vigilantia, sed protectione Domini sentiat consecutum; ac tamdiu illius perseuerantiam suo corpori intelligat cohęsuram, quamdiu eam Dominus sua fuerit miseratione largitus. Qui enim hāc stabiliter obtinet fidem, nequaquam superbum sapiens de sua virtute confidet, neque seductus longis obsceni liquoris induciis blandissima securitate soluetur, sciēs impurissimæ colluuionis aspergine se protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio diuina discesserit, ac proinde pro perpetuitate eius cum omni contritione & humilitate cordis indefessis est orationibus excubandum.

De vtilitate impugnationis quæ nobis de incentiuorum æstibus generatur.

CAPVT V.

VVltis autem capere super huius rei quam dicimus veritate euidens argumentum, per quod & hæc quæ dicta sunt approbetis, & istam corporis pugnam quæ inimica nobis putatur ac noxia vtiliter membris nostris insertam esse doceamini? Cōsiderate quęso illos qui corpore sunt spadones, quę pręcipuè causa in virtutibus appetendis desides reddat ac tepidos: Nónne quia corrumpendæ castitatis credunt se periculum non habere? Quod tamen nemo ita proposuisse me credat, vt neminem eorum penitus inueniri posse confirmē, perfecta abrenunciatione flagrantem, sed quia naturam quodammodo suam vincant, si qui forte eorum ad propositam perfectionis palmam summa animi districtione contendant, cuius ardor ac desiderium eum quem semel accenderit, famem, sitim, vigilias, nuditatem, cunctosque labores corporis, non solùm patienter, verumetiam libenter sustinere compellit. Vir enim in doloribus laborat sibi, & vim facit perditioni
Prouerb. 27. suæ. Et iterum: Animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur. Aliàs namque non poterunt desideria præsentium rerum vel reprimi vel auelli, nisi pro istis affectibus noxiis quos cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis absque alicuius desiderij vel timoris, gaudij vel mæroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et idcirco si carnales concupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere, spiritales in earum locis plantemus protinus voluntates, vt his animus noster semper innexus, & habeat quibus iugiter immoretur, & illecebras præsentium ac temporalium respuat gaudiorū. Cumque in hunc statum mēs nostra quotidianis exercitiis erudita profecerit, tunc versiculi illius affe-

ctum

ctum experientia docente concipiet, quem omnes quidē solita psallendi modulatione concinimus, virtutem verò eius non nisi pauci expertique percipiunt. Prouidebam Dominũ in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne cōmouear. Ille etenim solus vim atque intellectũ huius carminis efficaciter assequitur, qui perueniens ad istam de qua loquimur corporis atque animę puritatem, intelligit se cunctis momentis ne rursus ad eadem deuoluatur à Domino conseruari, dextrasque suas, id est, operationes sanctas ab eodē iugiter communiri. Dominus enim sanctis suis non à sinistris (quia nihil habet sinistrum vir sanctus) sed à dextris semper assistit, à peccatoribus verò & impiis non videtur, quia non habent illas dexteras quibus Dominus cōsueuit assistere, nec possunt dicere cum Propheta, Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Quod nullus poterit veridicè profiteri, nisi qui vniuersa quæ in hoc mundo sunt aut noxia aut superflua aut certè inferiora summis virtutibus iudicans, omnem intuitum suum, omne studium, omnem curam erga cultum sui cordis & castimoniæ defixerit puritatem, atque ita mens istis exercitiis elimata, & profectibus expolita, ad perfectam corporis atque animæ perueniet puritatem. *Psalm. 15.* *Psalm. 24.*

Quòd patientia ardorem fornicationis extinguat.

CAPVT VI.

QVantum enim quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet; quantoque longius iracundiæ propulerit passionem, tanto castitatē tenacius obtinebit. Non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus antè compresserit. Quod apertissimè Saluatoris nostri ore laudata beatitudo declarat: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non ergo aliter nostram possidebimus terram, id est, non aliàs ditioni nostræ rebellis huius corporis terra subdetur, nisi mens nostra prius fuerit patientiæ lenitate fundata, nec poterit quis aduersus carnem suam insurgētia libidinis bella comprimere, nisi prius armis mansuetudinis instruatur. Mansueti enim possidebunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam. Hanc inquam terram quemadmodum obtinere possimus, idem Propheta in consequētibus Psalmi ipsius edocet: Expecta Dominum & custodi viam eius; & exaltabit te, vt hæreditate capias terram. Constat ergo ad possessionem terræ istius firmiter obtinendam neminem posse conscendere, nisi illos tantùm qui per immobilem patientiæ lenitatem vias Domini duras ac pręcepta *Matth. 5.* *Psalm. 36.*

seruantes,

seruantes, de cœno carnalium passionum, extrahente eodem, fuerint exaltati. Mansueti ergo possidebunt terram, & non solùm possidebunt eam, sed etiam delectabuntur in multitudine pacis, qua nemo in cuius carne adhuc bella concupiscentiæ suscitantur, stabiliter perfruetur. Necesse est enim infestari eum durissimis dæmonum prœliis, & ignitis luxuriæ iaculis sauciatum, à terræ suæ possessione deuolui, donec Dominus auferat bella vsque ad fines terræ eius, arcum conterat & confringat arma, & scuta comburat igni, illo scilicet quem venit Dominus mittere super terram; & arcus etiam & arma confringat, quibus aduersus eum nequitiæ spiritales diebus ac noctibus dimicantes, ignitis configebant cor eius iaculis passionum. Et ita cùm eum Dominus conterens bella ab omnibus incentiuorum æstibus liberarit, ad illum puritatis perueniet statum, vt deposita confusione * qua semetipsum, id est, carnem suam dum impugnaretur horrebat, incipiet ea velut purissimo tabernaculo delectari. Non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo eius, ad illud scilicet Propheticum patientiæ virtute perueniens, vt mansuetudinis merito nō modò suam hęreditet terram, verumetiam delectetur in multitudine pacis. Vbi autem adhuc superest sollicitudo certaminis, pacis esse non potest multitudo. Non enim ait, delectabuntur in pace, sed in multitudine pacis. Per quod euidenter ostēditur, ita efficacissimam medicinam cordis esse patientiam, secundum illud Salomonis, Mansuetus vir cordis est medicus: vt non solùm iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ, verumetiam libidinis omniumque pariter extirpet fomitem vitiorum. In longanimitate enim (vt ait Salomon) prosperitas regibus. Nam qui mitis semper atque tranquillus est, nec iracundiæ perturbatione succenditur, nec acediæ atque tristitiæ angore consumitur, nec cenodoxiæ vanitate distenditur, nec superbiæ tumore sustollitur. Pax enim multa diligentibus nomen Domini: & non est illis scādalum. Et ideo non immeritò pronunciatur melior patiens viro forti, & qui continet iram, capiente vrbem. Hanc igitur pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis necesse est nos impugnationibus attentari. Frequenterque nobis est versiculus iste cum gemitu lacrymisque repetendus, Miser factus sum & afflictus sum vsquequaque, tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie insipiētię meæ.

Tunc

Marginal notes: Ibidem. (beside "non solùm possidebunt"); Psalm. 45. (beside "donec Dominus"); *quæ (beside "fusione *"); Psalm. 90. (beside "culo delectari"); Psalm. 36. (beside "lectetur in multitudine"); Psalm. 118. (beside "enim multa diligentibus"); Prouerb. 16. (beside "dalum. Et ideo"); Psalm. 37. (beside "que repetendus")

Tunc enim competẽter hæc & in veritate deflebimus, quando post longam puritatem corporis nostri sperantes iam carnalia nos omnimodis euasisse contagia, stimulos carnis ob elationem cordis aduersum nos rursum sentimus insurgere, vel certè ad fallaciam somniorum impuritas nos pristinæ colluuionis aspergit. Cùm ergo cœperit quis diuturna cordis & corporis puritate gaudere, necesse est vt dũ se credit vlterius iam non posse ab illa sinceritate deuolui, intra semetipsum quodammodo glorietur, & dicat: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. *Psalm. 29.* Sed cùm vtiliter à Domino *subrelictus illum puritatis statum in quo sibimet confidebat senserit perturbari, seseque in illo spiritali viderit titubare successu, recurrat protinus ad illius integritatis autorem, & agnoscens infirmitatem suam, confiteatur & dicat: Domine non in mea, sed in tua voluntate præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. *Ibidem.* Illud quoque beati Iob: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamẽ sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. *Iob 9.* Quod tamen is qui suo vitio se in sordibus tingit, non potest dicere suo creatori: Donec ergo ad perfectum puritatis statum perueniat, necesse est eum inæqualitatibus istis frequẽtius erudiri, quoadusque per Dei gratiam confirmatus in illa quam appetit puritate efficaciter dicere mereatur: Expectans expectaui Dominum, & respexit me, & exaudiuit precem meam, & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fecis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. *Psalm. 39.*

*sibi relictus, *vel* subitò relictus.

De differentiis & gradibus castitatis.

CAPVT VII.

MVlti sunt enim castimoniæ gradus, quibus ad illam inuiolabilem conscenditur puritatem, quos licet nec perspicere nec enunciare vt dignum est virtus nostra sufficiat, tamen quia series narrationis exposcit, secundum mediocritatem experientiæ nostræ vtcunque proferre tentabimus, reseruantes perfectiora perfectis, nec præiudicantes his qui feruentiore studio puriorem castimoniam possidentes, quanto maioris industriæ sunt, tanto etiam perspicaciæ vigore præcellunt, Proinde sex gradibus licet multa à se inuicem sublimitate distantibus, fastigia castitatis præcelsa distinguam, ita vt media quædam, quæ tamen multa sunt, prętermittam, quorum subtilitas ita humanos subterfugit sensus, vt eam nec mens inspicere, neque proloqui lingua præualeat;

leat, quibus sensim castitatis ipsius perfectio quotidianis profectibus adolescit. Secundum similitudinem namque corporum terrenorum, quę singulis diebus insensibiliter sui capiũt incrementa, & ita dum nesciunt ad perfectum habitum prouehuntur, animæ quoque robur & maturitas castitatis acquiritur. Primus itaque pudicitiæ gradus est, ne vigilans impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne femineo nec tenuiter ad concupiscentiam moueatur aspectu. Quartus, ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cùm memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio vel necessitas lectionis ingesserit, subtilissimus mẽtem voluptariæ actionis perstringat assensus, sed velut op⁹ quoddam simplex ac ministerium humano generi necessario contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihilque amplius de eius recordatione concipiat, quàm si operationem laterum vel cuiuslibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus, castimoniæ gradus est, ne illecebrosis phantasmatibus feminarum vel dormiens illudatur. Licèt enim hanc ludificationem peccato esse obnoxiam non credamus, concupiscentiæ tamen adhuc medullitùs latitantis indicium est. Quam tamen illusionem diuersis modis constat accidere. Nam secundum illum vsum quem vigilans exercere vel cogitare consueuerat, etiam dormiens vnusquisque tentatur. Aliter enim falluntur hi qui carnalem copulã norunt. Aliter qui femineæ sunt commixtionis expertes. Hi enim sicut simplicioribus ac purioribus somniis inquietari solent, ita etiam faciliore diligentia ac minore possunt labore purgari. Illi autem sordidioribus magisque expressis phantasmatibus illuduntur, donec paulatim secundum mensuram castitatis, ad quam vnusquisque contendit, in odium illius rei quam voluntariam antè sentiebat, mens etiam somno sopita vertatur, illudque ei quod fortibus viris pro summo laborum stipendio repromittitur per Prophetam concedatur à Domino, Ozeæ 2. & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra vestra, & dormire vos faciam fiducialiter: & ita demum quis ad illam beati Sereni paucorumque similium virorum perueniet puritatem. Quam idcirco à prædictis sex castimoniæ gradibus sequestraui, quia non solùm possideri, sed etiam credi nõ nisi à rarissimis potest. Et quia id quod illi specialiter diuini muneris largitate collatum est, proponi ad generalis præcepti non potest formam, scilicet vt eò vsque mens nostra castitatis ipsius puritate formetur, vt etiam ipso naturali motu carnis emortuo,

emortuo, illum obscenum liquorem omnino non perferat. Opinionem sanè quorundam quam super hac carnis colluuione definiunt, silere non debeo, qui dicunt nō idcirco eam dormientibus euenire, eo quòd eam producat fallacia somniorum, sed potius quia redundantia humoris illius aliquas in ægrotanti corde fingat illecebras. Denique aiunt quòd illo tempore quo non inquietat illa concretio, quemadmodum fluxus eius, ita etiam illusio conquiescat.

Quòd de natura castitatis & effectibus eius inexperti tractare non possint.

CAPVT VIII.

SEd hæc suscipere & probare vtrum possibilia an impossibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longā & puritatē cordis, ad confinia carnis ac spiritus verbo Domini dirigente peruenerit. De quo beatus Apostolus, Viuus est, inquit, sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingēs vsque ad diuisionē animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationū & intentionū cordis. Et ita inter illorum quodammodo terminos collocatus, quid humanæ condicioni necessarium sit atq; ineuitabiliter attributū, quídue consuetudine vitiosa & incuria iuuētutis inuectum, velut inspector & arbiter iusta trutinatione discernet, ac super eorum effectu atque natura nō falsis vulgi opinionibus abducetur, nec præiudicatis inexpertorū definitionibus acquiescet, sed puritatis modum certa experientiæ suæ libra & iusta examinatione perpendens, nequaquam illorum decipietur errore, qui negligentię suę vitio crebrioribus quàm natura compellit egestionibus sordidati, de naturali condicione causantur. Cúmque eos constet inferre potius vim naturæ, & extorquere ab ea pollutionem quam ipsa non ingerit, intēperantiam suam ad necessitatem carnis, imò ad eius referunt creatorem, proprias culpas ad naturæ infamiam transferentes. De quibus in Prouerbiis eleganter exprimitur, Insipientia viri corrumpit vias; Deum autem causatur in corde suo. Postremò si quis huic assertioni nostræ fidem derogare voluerit, quæso vt non ante præiudicata nobiscum opinione disceptet, quàm disciplinæ huius suscipiat instituta. Cúmque hæc perpaucis mensibus illa qua traditur moderatione seruauerit, profectò hæc quæ diximus vero poterit probare iudicio. Cæterum frustra de cuiuslibet artis ac disciplinæ fine contendit, quisque nō prius omnia quæ ad consummationem eius pertinent, summo fuerit studio ac virtute sectatus. Velut si, verbi gratia, similitudinem mellis ex tritico, aut rursum ex eo sicut etiam ex

Hebr. 4.

raphani

raphani linique seminibus lenissimi olei liquorem produci posse confirmem; si quis horum penitus ignarus assistat, nónne contra rerum naturam hoc esse conclamans, me velut apertissimi autorem mendacij deridebit? Cui si ego testes innumeros qui hæc se & vidisse & gustasse & fecisse testentur exhibeam, rationem insuper atque ordinem quo illæ species, vel in olei pinguedinem, vel in mellis dulcedinem transformentur edisseram, ille autem in stultissimæ persuasionis obstinatione persistens, neget ab illis seminibus quicquam vel dulcedinis vel pinguedinis posse produci: nónne magis notanda est irrationabilis eius peruicaxque cõtẽtio, quàm sermonis mei veritas irridenda, quæ multorum ac fidelium testium grauitate, & euidentibus documentis, & quod his amplius est experientiæ probatione fulcitur? Et ideo quisquis ad illum puritatis statum iugi cordis intentione peruenerit, vt iam mente ab huius passionis titillatione penitus absoluta, per soporem caro eius velut redundantiam superflui humoris expellat, condicionem modumq; naturæ certissimè deprehẽdit, & ita cùm expergefactus inuenerit carnem suam post lõga tempora se inscio atque ignorante pollutam, tum demum de naturali necessitate causetur, ad illum sine dubio perueniens statum, vt talis inueniatur in nocte qualis in die, talis in lecto qualis in oratione, talis solus qualis turbis hominũ circumseptus. Postremò vt nunquam se talem secretus aspiciat, qualis videri ab hominibus erubescit, nec in eo tale aliquid ineuitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aspectibus velit esse celatum: & ita cùm cœperit suauissimo lumine castitatis iugiter delectari, dicere poterit cum Propheta, Et nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius. Denique hoc ipsum, quia supra condicionem naturæ videtur humanæ, qualiter obtinuerit idem Propheta subiungit dicens: Quia tu possedisti renes meos: id est, non industria mea neque virtute hanc promerui puritatem, sed quia tu mortificasti insitum renibus meis libidinosæ voluptatis ardorem.

Psalm. 138. *Ibidem.*

Interrogatio, an corporis motum etiam dormientes possimus euadere.

CAPVT IX.

GErmanus: Perpetuam quidem corporis puritatem ex parte aliqua experti sumus, à vigilantibus posse per Dei gratiam possideri, & commotiònem carnis, districtionis rigore atque iudicio resistente, vigilantibus posse non contingere non negamus. Vtrum autem & dormientes hac inquietudine

quietudine carere poſſimus, volumus edoceri. Duabus namq; de cauſſis poſſibile hoc eſſe non credimus, quas licet abſque verecundia nequeamus effari, tamen quoniam hoc medicinæ ipſius neceſſitas cogit, quæſumus vt cum venia tui, ſi qua fortè inuerecundius fuerint denudata, ſuſcipias. Primum ergo eſt quod per ſomni quietem mentis vigore laxato, obſeruari nequaquam illius valeat cōmotionis obreptio. Secundo, quòd etiam vrinæ collectio cùm veſicæ capacitatem, quieſcentibus nobis, indeſinenti confluxu interni humoris oppleuerit, excitet membra marceſcentia, quod etiam paruulis vel ſpadonibus eadem nihilominus lege contingit. Vnde fit, vt ſi non oblectatio libidinis vulnerat mentis aſſenſum, confuſione tamen eam humiliet turpitudo membrorum.

Reſponſio, quòd per ſomnum accidens carnis commotio non officiat caſtitati.

CAPVT X.

CHeremon: Apparet vos necdum veræ caſtitatis agnouiſſe virtutem, quandoquidem diſtrictionis auxilio eam à vigilantibus tantùm creditis retentari. Et inde eſt quòd putatis à dormientibus quaſi rigore animi reſoluto, integritatem non poſſe ſeruari. Porrò caſtitas non, vt arbitramini, diſtrictionis præſidio, ſed amore ſui & propriæ puritatis delectatione ſubſiſtit. Non enim caſtitas, ſed continentia dicitur, vbi adhuc ei aliqua reſiſtit aduerſitas voluptatis. *Caſtitas à continentia diuerſa eſt.* Videtis ergo his qui caſtitatis affectum per Dei gratiam medullitus receperunt, diſtrictionis ceſſationem cùm dormiunt non obeſſe, quæ inſida etiam vigilātibus ratione certiſſima comprobatur. Quicquid enim cum labore comprimitur, temporales dimicanti præſtat inducias, non tamen perpetuam ſecuritatis quietem tribuit poſt laborem. Quicquid autem profunda fuerit virtute deuictum, abſq; vlla inquietudinis ſuſpicione compoſitum, iugem pacis victori conferet firmitatem. Quamobrem donec pulſari nos carnis commotione ſentimus, nouerimus nos ad caſtitatis necdum perueniſſe faſtigia, ſed adhuc ſub infirmitate continentiæ conſtitutos prœliis fatigari, in quibus neceſſe eſt dubios ſemper eſſe euentus. Quòd autem ineuitabilem eſſe commotionem carnis hoc aſtruere voluiſtis indicio, quòd ea ne ipſi quidem Eunuchi carere demptis genitalibus poſſunt, *Eunuchis non deeſſe libidinis incentiua.* ſciendum eſt non eis carnales ęſtus nec affectum libidinis, ſed ſolam ſatiuæ generationis deeſſe virtutem. Vnde manifeſtum eſt, ne illos quidem ſi ad hanc ad quam nos nitimur caſtitatem cupiunt peruenire, ab humilitate & contritione cordis vel continentiæ diſtrictione debere laxari, licèt nequaquam

sit discredendum, minore ab eis castimoniam posse labore ac studio comprehendi.

Quòd multum intersit inter castitatem & continentiam.

CAPVT XI.

QVamobrem perfectio castitatis à laboriosis continentiæ rudimentis perpetua tranquillitate discernitur. Hæc est enim verè consummatio castitatis, quæ non impugnans carnalis concupiscentiæ motus, sed toto horrore detestans, iugem atq; inuiolabilem sui retinet puritatem, nec potest aliud quid esse quàm sanctitas. Hoc autem fiet, quando iam desinens caro aduersus spiritum concupiscere, desideriis eius virtutique consenserit, cœperintque sibi inuicem pace firmissima fœderari, & secundum psalmographi sententiam habitauerint fratres in vnum, illam repromissam à Domino beatitudinem possidentes de qua ait, Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Quisquis ergo intellectualis illius Iacob, id est, supplantatoris transcenderit gradum, ab illa continentiæ colluctatione ac supplantatione vitiorum, obstupefacto femoris neruo, ad Israëlis meritum perpetua cordis directione conscendet. Quem ordinem etiam beatus Dauid ita spiritus sancti vaticinatione distinxit, in primis inquiẽs, Notus in Iudæa Deus, id est, in anima quæ adhuc sub peccatorum confessione retinetur, Iudæa enim confessio interpretatur: in Israël autem, id est, in eo qui videt Deum, siue (vt quidam interpretantur) rectissimus Dei est, non solùm notus, sed etiam magnũ est nomen eius. Deinde ad sublimiora nos prouocans, ac volẽs etiam locum ipsum quo Dominus delectatur, ostendere, Et factus est, inquit, in pace locus eius, id est, non in cõflictu certaminis & colluctatione vitiorũ, sed in castimoniæ pace & in cordis trãquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionum si quis meruerit obtinere, ex hoc quoq; proficiens gradu, ac Sion spiritalis, id est, specula Dei consequẽter effectus, erit etiam habitatio eius. Non enim in conflictu continentiæ, sed in iugi virtutum specula Dominus commoratur, vbi iam non retundit, nõ comprimit, sed in perpetuum confregit potentias arcuum, ex quibus videlicet aduersum nos libidinum quondam iacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia sicut non est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace locus Domini, ita etiam habitatio eius in specula sit & contemplatione virtutum. Vnde non immeritò portæ Sion cunctis tabernaculis Iacob præferuntur: Diligit enim Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Psal. 132.
Matth. 18.
Spiritalis Iacob, Israël.
Sion spiritalis.
Psal. 86.

cob. Quòd autem per hoc ineuitabilem esse commotionem carnis asseritis, quòd vrina cùm vesicam iugi instillatione repleuerit, quieta etiã suscitet membra, licet veris sectatoribus puritatis ad obtinẽdam eam nihil præiudicet ista commotio, quam hæc sola interdum & tamen per soporem necessitas excitarit, sciendum tamen est, quòd ita si commota fuerint ad quietem propriam reducantur castitatis imperio, vt non modò cum nullo pruritu, sed ne cum minima quidem libidinis recordatione sedẽtur. Et idcirco vt cum lege animi, lex quoq; *Etiam in aquæ* congruat corporalis, etiam in ipsius aquæ potu ita est nimietas *potu modum* castiganda, vt humoris quotidiani illa collectio prius arefactis *esse seruãdum.* influens membris, illum quem ineuitabilem putatis corporis motum, non solùm rarissimum, verum etiam lentum reddat ac tepidum frigidumque (vt ita dixerim) ignem, & absque vllius adustionis ardore rorantem suscitet flammam, instar ad- *Exod. 3.* mirabilis illius Mosaicæ visionis, vt carnis nostræ rubus innoxio igne circumdata non vratur, vel sicut illorum trium iuuenum, quibus ita rorante spiritu fornacis Chaldaicæ flam- *Danielis 3.* ma discussa est, vt nec capillos eorum aut fimbrias odor ignis afflaret, vt illud quodammodo quod sanctis repromittitur per prophetam, incipiamus iam in hoc corpore possidere; Cùm *Isaiæ 43.* ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.

De mirabilibus quæ peculiariter in sanctis suis Deus operatur. CAP. XII.

MAgna enim verè atq; mirifica sunt, nec vlli hominum penitùs, nisi his tantùm qui experti sunt nota, quæ Dominus fidelibus suis adhuc in isto corruptionis vasculo constitutis, ineffabili largitur liberalitate. Quæ propheta mentis puritate perlustrans, tam ex sua quàm ex illorum persona qui in hunc statũ affectumq; perueniunt, exclamauit: Mira opera tua Domine, & anima mea cognoscet nimis. Alioquin nihil *Psal. 138.* noui nec magni intelligitur propheta dixisse, si alio cordis affectu vel de aliis operibus Dei hæc pronũciasse credatur. Nullus etenim est hominũ qui mira esse opera Dei etiã ex ipsius creaturæ magnitudine nõ agnoscat. Cęterũ illa quæ in sanctis suis quotidiana operatione dispẽsat, ac speciali *munificentia **magnificentia* affluẽter effundit, nullus alius nisi anima perfruẽtis agnoscit, quæ in secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorũ eius arbitra singularis, vt ea non solùm nullo valeat sermone differere, sed ne sensu quidẽ & cogitatione cõplecti, cùm ab illo ignito feruore discedẽs ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit deuoluta. Quis enim in se opera Domini non miretur, cũ insa- *Stupenda Dei* tiabilẽ vẽtris ingluuiem, & sumptuosam gulæ perniciosamq; *opera quæ sint.*

luxuriam, ita in se viderit fuisse compressam, vt vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum raro inuitusque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, qui illum ignem libidinis, quem naturalem antea & velut inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, vt ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cùm homines quondam diros atq; truculentos qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt nō solùm nullis iam commoueantur iniuriis, sed etiam cùm illatæ fuerint, summa magnanimitate
Psal. 134. congaudeant? Quis planè non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu, quia ego cognoui quòd magnus est Dominus, cùm vel se vel alium quēpiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirsutumque perspexerit, & egestatem atq; angustiam præsentium rerum etiam voluntariè perferētem? Ista sunt profectò mira opera Dei, quæ peculiariter anima prophetæ similiumque eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ posuit super terram, quæ idem propheta cōsiderans, ad admirationem eorum
Psal. 45. cunctos populos aduocat, dicens, Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad fines terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Quod enim maius potest esse prodigiū, quàm sub momēto breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis prædicatores euangelij patiētissimos reddi, ita vt eam quam persequebantur fidem etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei quæ se quotidiè vnà cum patre operari filius protestatur, dicens,
Ioan. 5. Pater meus vsque hodie operatur, & ego operor. De istis ope-
Psal. 71. ribus Dei beatus Dauid in spiritu canens, Benedictus, inquit, Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus. De istis & Amos propheta, Qui facit, inquit, omnia, & conuertit ea & trāsmutat in matutinam vmbram mortis. Hæc est nem-
Psal. 76. pe immutatio dexteræ excelsi. De hac salutari operatione Dei
Psal. 67. orat propheta Dominum, dicens, Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis. Et vt prætermittam illas secretas atque absconditas dispensationes Dei, quas intra se peculiariter exerceri mens sanctorum omnium momentis singulis intuetur, illam cælestem infusionem lætitiæ spiritalis, qua deiectus animus insperati gaudij alacritate sustollitur ad illos ignotos cordis excessus, & tam ineffabilia quàm inaudita solatia gaudiorum,

diorum, quibus nonnumquam ignauiſſimo ſtupore torpentes, ad orationem feruentiſſimam velut de ſomno profundiſſimo ſuſcitamur. Hoc, inquam, eſt gaudium de quo beatus Apoſtolus, Quod oculus, inquit, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, eius ſcilicet qui terrenis vitiis hebetatus adhuc homo eſt & humanis inhæret affectibus, nihilque de iſtis Dei muneribus intuetur. Denique idem Apoſtolus tam de ſe quàm de ſimilibus ſibi qui iam de humana conuerſatione diſceſſerant, ſubiecit dicens, Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. 1. Cor. 2.

Quòd ſoli qui experiuntur agnoſcant dulcedinem caſtitatis.

CAPVT XIII.

IN his igitur omnibus quanto mens ad ſubtiliorem profecerit puritatem, tanto ſublimiùs intuebitur Deum, & admirationis intra ſemetipſam potius capiet incrementa, quàm loquendi facultatem aut ſermonem narrationis inueniet. Vt enim vim lætitiæ huius inexpertus mente non valet percipere, ita explicare ſermone non valebit expertus, tamquam ſi quis dulcedinem mellis ei qui numquam quicquam dulce guſtauerit velit ſermonibus enarrare, profectò nec ille ſaporis illius ſuauitatem quam numquam ore percepit, auribus capiet, nec ille dulcedinem quam guſtus voluptate cognouit, verbis poterit indicare, ſed propria tantùm agnitione ſuauitatis illectus, neceſſe eſt, vt experti ſaporis iucunditatem intra ſemetipſum ſolummodo tacitus admiretur. Ita igitur quiſquis in hunc quem prædiximus virtutũ ſtatum meruerit peruenire, hæc omnia quę in ſuis peculiari gratia Dominus operatur, tacita mente perluſtrãs, horumq; omniũ attonita conſideratione flammatus, cum intimo cordis exclamabit affectu: Mira opera tua Deus, & anima mea cognoſcet nimis. Iſtud ergo eſt mirabile opus Dei, hominẽ carneum, carnales affectus in carne poſitum reſpuiſſe, & in tanta rerum atq; incurſuum varietate vnum tenere animi ſtatum, atq; immobilem in omni accidentium permutatione durare. Qua virtute fundatus ſenex quidam, cùm apud Alexandriam turbis infidelium circumfuſus, non ſolùm maledictis, verumetiam grauiſſimis impellentium vrgeretur iniuriis, eiq; à ſubſannãtibus diceretur, Quid miraculi Chriſtus veſter quem colitis fecit? Ille inquit: Vt his ac maioribus, ſi intuleritis, non mouear nec offendar iniuriis. Pſal. 138.

Interrogatio de continentiæ qualitate & temporis modo in quo caſtitas perfici poſſit. CAP. XIIII.

GErmanus: Quoniam nos admiratio non humanæ huius neque terrenæ, ſed planè cæleſtis atq; angelicæ caſtitatis,

 ita

ita ſubito ſtupore confudit, vt terrorem magis deſperationis incuteret, quàm ad expetendam ſe noſtros animos prouocaret, quæſumus, vt nos de obſeruantiæ qualitate, ac temporis modo, quo acquiri vel perfici valeat, doctrina pleniſſimæ diſputationis inſtituas, quatenus & conſummari eam poſſe credamus, & ad expetendam deinceps ſpatio conſtituti temporis animemur. Incomprehenſibilem namque eam in carne hac poſitis quodammodo iudicamus; niſi nobis ordo quidam ac via qua ad illam valeat perueniri, certa ratione pandatur.

Reſponſio, intra quod tempus caſtitas poſſit acquiri.

CAPVT XV.

CHeremon: Temerarium ſatis eſt ſuper conſummatione huius de qua loquimur caſtitatis, in tanta præſertim vel voluptatum diuerſitate vel virium, certam temporis definire menſuram, quæ non facilè etiam in iſtis materialibus artibus ac viſibilibus diſciplinis diſcerni poteſt; ſecundum intentionem namque animi, atque ingenij qualitatem, neceſſe eſt eas ab vnoquoque vel celerius vel tardius apprehendi, rationem tamen obſeruantiæ & temporis modum, intra quem eius poſſibilitas agnoſcatur, conſtantiſſimè poſſumus definire. Quiſquis igitur extractus à cunctis confabulationibus otioſis, & mortificatus ab omni ira ac ſollicitudine curaque mundana, duobus tantùm paximaciis fuerit quotidiana refectione contentus, & aquæ ſatietate ſubtracta quietem ſomni trium, ſiue (vt alij ſtatuerunt) quatuor horarum ſpatio terminarit, nec tamen laborum aut continentiæ huius merito, ſed miſeratione Domini eam ſe crediderit adepturum, quia ſine hac fide vana eſt omnis humani laboris intentio, non amplius quàm ſex menſibus, perfectionem iſtius non impoſſibilem ſibi eſſe cognoſcet. Euidens tamen eſt iam proximæ puritatis indicium, incipere eam de proprij laboris induſtria non ſperare. Si enim vim verſiculi illius vnuſquiſque in veritate conceperit, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, ſequitur, vt nec de puritatis ſuæ meritis extollatur, intelligens eam ſe non ſua diligentia, ſed Domini miſericordia conſecutum, nec contra alios immiti rigore moueatur, ſciens humanam nihil eſſe virtutem, ſi eam virtus diuina non iuuerit.

Pſal. 126. *Diuinitus donari caſtitatem.*

De fine ac remedio acquirendæ & cuſtodiendæ caſtitatis.

CAPVT XVI.

PRoinde vnicuique noſtrum aduerſus ſpiritum fornicationis totis viribus deſudanti, victoria ſingularis eſt, de merito

merito conatus sui remedium non sperare: quæ fides licèt facilis ac plana omnibus videatur, tamen tam difficilè ab incipientibus quàm ipsius castitatis perfectio possidetur. Nam cùm eis vel particula puritatis arriserit, continuò in conscientiæ suæ secretis elatione quadam subtiliter illabente sibimet blandiuntur, credentesque eam se diligentiæ suæ studio consecutos, necesse est vt superno illo præsidio paululum denudati, tam diu illis quas diuina virtus extinxerat passionibus opprimantur, quamdiu experientia docente cognoscant se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse. Et vt disputationem nostram de fine plenissimæ castitatis longa lucubratione confectam breuiter cõcludamus, in vnum omnia quæ copiosè sparsimque digesta sunt colligentes, hæc est consummatio castitatis, vt vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, vt quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cum dormienti tantùm per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine vlla titillatione voluptatis excitata est, ita etiam sine vllo pruritu corporis conquiescat. Hæc de castitatis fine, quantum potuimus, non verbis, sed experientia magistrante digessimus. Quæ licet à desidiosis ac negligentibus arbitrer impossibilia forsitan iudicanda, certus tamen sum à studiosis ac spiritalibus viris agnoscenda pariter ac probanda. Tantum namque inter hominem distat & hominem, quantum & illa in quibus animi eorum tendit intentio, ab inuicem disparantur, id est, vel cælum ab inferno, vel Christus à Belial, secundum sententiam Domini Saluatoris, Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. *Ioan. 12.* Et iterum: Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Matth. 6.* Hucusque beatus Cheremon de castitatis perfectione disseruit, admirabilemque doctrinam sublimissimæ puritatis, tali sermone conclusit, suadens stupentibus atque anxiis nobis, vt quia iam noctis pars maior effluxerat, tradita quieti paululum membra naturali soporis cibo minimè fraudaremus, ne languens torpore corporis sui etiam mens vigorem sanctæ intentionis amitteret.

Collationis secundæ Abbatis Cheremonis de castitate finis.

COLLATIO XIII.

QVÆ EST TERTIA

ABBATIS CHEREMONIS DE PROTECTIONE DEI.

CAPVT I.



VM ad synaxim matutinam percepto paululum sopore remeantes, senem reperiremus, ingenti Abbas Germanus scrupulo mouebatur, quòd in preterita disputatione, cuius virtus summum desiderium incognitæ nobis castitatis infuderat, vnius adiectione sententiæ beatus Senex meritum humanæ *cassasset industriæ, astruens hominem quàuis summis ad bonam frugem viribus enitatur, tamen boni compotem esse non posse, nisi id diuini tantùm muneris largitate, non operis sui studio percepisset. Hanc igitur quæstionem attonitè voluentibus nobis, progressus cellula beatus Cheremon cùm quiddam nos inuicem mussitare sensisset, solito breuius orationum atq; psalmorum sollemnitate transcursa, quid mouerit inquirit.

* causasset

Interrogatio quare merita virtutum, laborantis industriæ non deputentur?

CAPVT II.

TVnc Germanus: Quantum excellentissimæ, inquit, sublimitate virtutis quæ nocturna disputatione patefacta est, pæne (vt ita dixerim) à fide possibilitatis excludimur, tantum nobis pace tui dictum sit, videtur absurdum, si laborum stipendium, id est, perfectio castitatis quæ instantia proprij sudoris acquiritur, non specialiter laborantis deputetur industriæ. Ineptum est enim, vt si verbi gratia, agricolam erga culturam terræ irremissum studium viderimus impendere, non illius efficaciæ adscribamus & fructum.

Responsio, quòd sine adiutorio Dei non solùm perfectio castitatis, sed omnino nihil boni perfici posit. CAP. III.

CHeremon: Hoc ipso quod proposuistis exemplo, euidentiùs approbatur nihil posse proficere sine adiutorio Dei laborantis industriam. Nec enim agricola cùm omnes conatus suos in excolendis expenderit terris, confestim etiam prouentum

uentum segetum & vbertatem frugum suæ poterit industriæ
deputare, quam irritam esse frequenter expertus est, nisi eam
& pluuiarum opportunitas, & hiemis trãquilla serenitas sub-
sequatur: ita vt adultos iam fructus ac perfecta maturitate so-
lidatos, quodammodo de manu tenentium viderimus ple-
rumque præreptos, nihilque laborantibus illam iugem sudo-
ris instantiam contulisse, quia non fuit Domini opitulatione
directa. Sicut igitur inertibus agricolis, qui sua frequenter vo-
mere arua non subigunt, hanc vbertatem segetũ pietas diuina
non confert, ita laborantibus pernox sollicitudo non proderit,
nisi misericordia Domini fuerit prosperata. In quo tamen
humana superbia nullatenus se gratiæ Dei vel exæquare vel
admiscere contendat, participemque se in muneribus Dei per
hoc conetur inserere, vt laborem suum auctorem esse diuinæ
existimet largitatis, ac prouentum copiosissimarum frugum,
industriæ suę meritis respondisse glorietur. Cõsideret namq;
ac veridica examinatione perpendat, quòd ne ipsos quidem
conatus, quos pro desiderio opulẽtiæ intẽtus exercuit, suis vi-
ribus impendere potuisset, nisi eum ad exercendum omne o-
pus ruris, protectio Domini ac misericordia roborasset: & in-
efficax eius voluntas fuisset ac virtus, nisi etiam peragendi co-
piam, quæ nonnumquam vel siccitatis vel imbrium nimieta-
te fraudatur, diuina clementia præstitisset. Nam cùm & *bo- *boum virtus
num virtutis, & sanitas corporis & omnium effectus operum
actuumque prosperitas à Domino fuerit condonata, orãdum
est ne fiat ei sicut scriptum est, cælum æreum & terra ferrea: *Deut. 28.*
& ne residuum locustæ comedat bruchus, & residuum bruchi *Ioël 1.*
eruca deuoret, & residuum erucæ rubigo consumat. Nec in
hoc tantùm eget diuinitatis auxilio agricolæ laborantis indu-
stria, nisi etiam insperatos auertat casus, quibus etiam si desi-
derata fructuum fecunditate ager fuerit opimatus, non so-
lùm spei suæ vana expectatione frustrabitur, verũetiam per-
ceptarum & reconditarum iam vel in area vel in horreo fru-
gum vbertate fraudabitur. Quibus manifestè colligitur, non
solùm actuum, verumetiam cogitationum bonarum ex Deo
esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat,
& virtutem atq; opportunitatem eorum quæ rectè cupimus,
tribuit peragendi: Omne enim datum bonum, & omne donũ *Iacob. 1.*
perfectum desursum est descendens à patre luminum, qui &
incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis;
dicente Apostolo, Qui autem dat semen seminanti, & panem *2. Cor. 9.*
ad manducãdum præstabit, & multiplicabit semen vestrum,
& crescere faciet fructus iustitiæ vestræ. Nostrum verò est, vt

quotidiè attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur, vel certè dura ceruice & incircumcisis, vt scriptum est, auribus eidem resistentes, per Ieremiam mereamur audire, Numquid qui cadit nõ resurget, aut qui auersus est nõ reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione cõtentiosa? Indurauerũt ceruices suas, noluerũt reuerti.

Actor. 7. *Ierem. 8.*

Obiectio quemadmodum gentiles absque gratia Dei castimoniam habuisse dicantur. CAP. IIII.

GErmanus: Huic sensui cuius pietas abruptè à nobis non potest improbari, illud videtur obsistere, quod ad destructionem liberi arbitrij tendit. Nam cùm multos gentilium, qui vtique diuini adiutorij gratiam non merentur, nõ solùm frugalitatis atque patientiæ, sed quod magis mirum est, etiam castitatis videamus fulgere virtutibus, quomodo captiuato liberæ voluntatis arbitrio, Dei munere collatæ illis credendæ sunt: cùm vtique mundanæ sapientiæ sectatores, non solùm Dei gratiam, sed ipsum etiam verum Deum penitùs ignorantes, quantum vel serie lectionis, vel quorundam traditione cognouimus, summam castimoniæ puritatem proprij laboris industria possedisse dicantur?

Responsio de philosophorum imaginaria castitate. CAP. V.

CHeremon: Gratum mihi est quòd dum summo agnoscẽdæ veritatis amore flammamini, quædam etiam inepta proponitis, quorum obiectione probatior, atque (vt ita dixerim) exploratior catholicæ fidei virtus appareat. Quis etenim sapiens tam contrariis propositionibus vteretur, vt cælestem castimoniç puritatem, quam hesterna die nec per Dei gratiam mortalium cuiquam asserebatis posse conferri, nunc eandem etiam à gentilibus crederetis virtute propria fuisse possessam? Sed quia hæc explorandæ proculdubiò (vt dictum est) studio veritatis opponitis, quid de his teneamus aduertite. Primum philosophos nequaquam credendum est talem animi castitatem qualis à nobis exigitur assecutos, quibus iniungitur, vt nõ solùm fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autem illi quandam μερίδα, id est, portiunculam castitatis, id est, abstinentiam carnis, vt tantùm à coitu libidinem coërcerẽt: hanc autem internam mentis perfectam ac perpetuam corporis puritatem, non dicam opere assequi, sed nec cogitare potuerunt. Denique famosissimus ille ipsorum Socrates, hoc, vt ipsi concelebrant, de se non erubuit profiteri. Nam cùm intuens eum quidam physiognomon dixisset ὄμματα παιδεραστοῦ, id est, oculi corruptores puerorum, & irruentes in eum discipuli eius, vlcisci illatum magistro vellẽt

Ephes. 5.

Socratis continentia.

conui-

conuicium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia, παύσασθε ἑταῖροι· εἰμὶ γὰρ, ἀλλ' ἀπέχω: id est, quiescite, ô sodales: etenim sum, sed contineo me. Apertissimè igitur nõ solùm assertione nostra, sed etiã ipsorum professione monstratur, consummationem tantummodo impudicitiæ, id est, commixtionis turpitudinem, violenta ab illis necessitate compressam, nõ tamen desiderium de cordibus eorum & oblectationem illius passionis exclusam. Cum quo autẽ horrore proferenda est illa sententia Diogenis? Factum enim quod philosophos mundi huius velut quiddam memorabile proferre nõ puduit, neque dici à nobis sine verecundia, neque audiri potest. Nam cuidam in adulterij crimine puniendo (vt ferunt) ait, τὸ δωρεὰν πωλούμενον θανάτῳ μὴ ἀγόραζε, id est, quod gratis venditur morte non emas. Constat ergo illos veræ castitatis quæ à nobis expetitur, nec agnouisse virtutem. Et ideò satis certum est circumcisionem nostram quę in spiritu est, non posse nisi Dei tantùm munere possideri, & his inesse solummodo, qui Deo tota spiritus sui contritione deseruiunt.

Diogenis sententia.

Quòd sine gratia Dei nullos industrios conatus exequi valeamus.

CAPVT VI.

ET idcirco licèt in multis imo in omnibus possit ostendi, semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adiutorio Dei posse perficere, in nullo tamen euidentius quàm in acquisitione atq; custodia castitatis ostenditur. Vt enim tantisper de integritatis eius difficultate disputatio differatur, de instrumentis eius breuiter interim disputemus. Quis præualeat quæso quamuis feruens spiritu, vel squalorem solitudinis, vel sicci panis non dicam quotidianam esuriem, sed ipsam saturitatem nulla hominum laude suffultus, suis viribus sustinere? Quis aquæ perpetuam sitim sine Domini consolatione tolerare? illumque dulcem ac delectabilem matutinum soporem humanis fraudare oculis, & intra terminos horarum quatuor omnem quietis refectionem iugi possit lege concludere? Quis indesinentem lectionis instantiam? quis irremissam operis sedulitatem, nullum præsentis lucri commodum captans, absq; Dei gratia explere sufficiat? Quæ omnia sicut desiderari à nobis iugiter absque diuina inspiratione nõ possunt, ita ne perfici quidẽ sine eius auxilio vllatenus queũt. Et vt hæc eadem non solũ probata nobis experientiæ disciplina, sed etiã certis indiciis & argumentis manifestiora reddamus, nónne in multis quæ vtiliter optamus implere, cùm desiderij plenus ardor ac volũtas perfectã nõ desit,

inter-

interpellans quæcumque fragilitas cassat vota concepta, nec proposito nostro assistit effectus, nisi virtus perficiēdi Domini fuerit miseratione donata, ita vt cùm sit innumera multitudo illorum qui fideliter virtutum studiis desiderent inhærere, summam tamen eorum qui hæc perficere vel tolerare præualeant inuenias raritatem, vt prætermittam quòd ne tunc quidem, cùm omnino nulla nos arcet infirmitas, facultas vniuersa quæ volumus peragendi nostræ subiacet potestati? Nam neq; remotionis silentium, nec districtiones ieiuniorum, nec lectionis instantiam, illo etiam tempore quo possumus pro nostro arbitrio retentamus, sed quibusdam occurrētibus causis, etiam inuitissimi frequenter retrahimur à salutaribus institutis, ita vt vel loci vel temporis copiam in quo hæc exercere possimus, necesse sit nos à Domino deprecari, nec sufficere nobis id quod possumus certum est, nisi etiam opportunitas peragendi ea quæ nobis vtique possibilia sunt, à Domino tribuatur, de quibus & Apostolus, Quoniam voluimus, inquit, venire ad vos & semel & iterum, & impediuit nos satanas: ita vt nonnumquam nos etiam vtiliter ab istis spiritalibus sentiamus studiis auocari, vt dum nolentibus nobis interrumpitur nostri cursus intentio, & infirmitati carnis aliquid relaxamus, etiam inuiti ad salutarem perseuerātiam reseruemur. De qua dispensatione Dei, simile aliquid beatus Apostolus: Propter quod, inquit, ter Dominū rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Et iterum: Quid enim oremus secundum quod oportet nescimus?

1.Thess.2. *2.Cor.12.* *Roman.8.*

De principali proposito Dei & prouidentia quotidiana.

CAP. VII.

PRopositum namque Dei, quo non ob hoc hominem fecerat vt periret, sed vt in perpetuum viueret, manet immobile. Cuius benignitas cùm bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tamquam de dura silice nostri cordis excusserit, confouet eam & exuscitat, suaque inspiratione confortat, volens omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quia nō est, inquit, voluntas ante patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus ex pusillis istis. Et iterum: Non vult, inquit, Deus perire animam, sed * retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. Verax namque est & non mentitur Deus, cum obtestatione definiens: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua & viuat. Qui enim vt pereat vnus ex pusillis nō habet volūtatem, quomodo sine

1.Tim.2. *Matth.18.* *2.Reg.14.* * retractans cogitat *Ezech.33.*

ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non vniuerſaliter omnes, ſed quoſdam ſaluos fieri velle pro omnibus? Ergo quicumque pereunt, contra illius pereunt volũtatem, ita eo contra vnumquemque eorum quotidiè proclamante, Conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël? Et iterum: Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti? Et quare, inquit, auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem, auerſione contentioſa? Indurauerunt * facies ſuas, noluerunt reuerti. Præſto eſt ergo quotidiè Chriſti gratia, quæ dum vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cunctos abſque vlla exceptione conuocat, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Si autem non omnes vniuerſaliter, ſed quoſdam aduocat, ſequitur vt nec omnes ſint onerati vel originali vel actuali peccato, nec vera ſit illa ſententia, omnes enim peccauerũt & egent gloria Dei, nec per omnes homines mors pertrãſiſſe credatur. Et in tantũ omnes qui pereunt contra Dei pereunt volũtatem, vt nec ipſam mortem Deus feciſſe dicatur, ita ſcriptura teſtante, Quia Deus mortem non fecit, nec gaudet in perditione viuorum. Et inde eſt quod plerumque dum pro nobis contraria poſtulamus, vel tardius vel nequaquam noſtra exauditur oratio, & rurſus, ea quæ credimus eſſe contraria, vtiliter vt benigniſſimus medicus, etiam inuitiſſimis Dominus inferre dignatur, ac nõnumquam pernicioſas diſpoſitiones noſtras lethaleſq́; conatus, ab effectu deteſtabili retardat ac reuocat, ac properãtes ad mortẽ, retrahit ad ſalutem, & de inferni faucibus extrahit ignorãtes.

Ibidem. *Matth. 23.* *Ierem. 8.* ** ceruices* *Matth. 11.* *Roman. 3.* *Sapient. 1.*

De gratia Dei & arbitrij libertate. CAP. VIII.

QVam curam atque prouidentiam circa nos ſuam, ſub figura meretricis Ieruſalem & pernicioſa ad idolorũ cultum alacritate tendentis, per Ozeæ prophetam ſermo diuinus eleganter expreſſit. Dicẽte namque ea, Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum, reſpõdit, ſaluti eius non voluntati conſulens diuina dignatio: Ecce ego ſepiam viam eius ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehẽdet, & quæret eos, nec inueniet illos, & dicet, Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc eſt. Ac rurſus contumacias noſtras atq; contemptus, quibus eum ad ſalutares inuitantem recurſus rebelli ſpiritu dedignamur, tali comparatione deſcribit: Et dixi, inquit, Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. Sed quomodo ſi con-

Ozeæ 2. *Ierem. 3.*

ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël, ait Dominus. Satis congruè, quoniam Ieruſalem adulteræ comparauerat à ſuo coniuge diſcedenti, amorem quoque ac perſeuerantiam benignitatis ſuæ viro qui à femina deſeritur, comparauit. Pietas enim ac dilectio Dei, quæ circa humanum genus ſemper impenditur, eo quòd nullis ita vincatur iniuriis, vt à cura noſtrę ſalutis abſcedat, & quodammodo ſuperata iniquitatibus noſtris à principali ſuo propoſito reuocetur, magis propriè exprimi alia comparatione non potuit, quàm exemplo viri ardentiſſimo amore feminam diligentis, qui quanto magis negligi ſe ab ea ſenſerit, tanto vehementioris circa eam zeli ardore flammatur. Adeſt igitur inſeparabiliter nobis ſemper diuina protectio, tantaque eſt erga creaturam ſuam pietas creatoris, vt nõ ſolùm comitetur eam, ſed etiam pręcedat iugi prouidentia. Quam expertus propheta Domino apertiſſimè confitetur, dicens, Deus meus miſericordia eius præueniet me. * Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ volũtatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atq; confortat, & incitat ad ſalutem, incrementũ tribuens ei, quam vel ipſe plantauit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe. Nam antequam clament, inquit, ego audiam, adhuc loquentibus eis ego audiam. Et iterum: Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. Et non ſolùm ſancta deſideria benignus inſpirat, ſed etiam occaſiones *præſtruit vitæ, & opportunitatem boni effectus ac ſalutaris viæ directionem demonſtrat errantibus.

Pſal.58.

** Quæ deinceps ab hoc loco vſq; ad finem iſtius collationis ſubiciũtur, prudens Lector pertranſeat, & antidoti loco legat ea quæ in vigeſima Annotatione ad calcem libri habentur.*

Iſaiæ 65.

Iſaiæ 30.

* præſtat

Matth. 7.

Iſaiæ 65. & Rom. 10.

De virtute bonæ voluntatis noſtræ & gratiæ Dei. CAP. IX.

VNde non facilè humana ratione diſcernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inueniatur, aperiatque pulſantibus: & rurſus inueniatur à non quærentibus ſe, palam appareat inter illos qui eum non interrogabant, & tota die expandat manus ſuas ad populum non credentem ſibi & contradicentem, reſiſtentes ac longè poſitos vocet, inuitos attrahat ad ſalutem, peccare cupientibus explẽdæ copiam ſubtrahat voluntatis, ad nequitiam properantibus benignus obſiſtat. Cui autem facilè pateat, quomodo ſalutis ſumma noſtro tribuatur arbitrio, de quo dicitur, Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ mãducabitis: & quomodo non volentis neque currentis, ſed miſerentis ſit Dei? Quid etiam ſit illud, quòd Deus reddet vnicuique ſecundum opera eius, & Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur? Quid ſit etiam illud quod dicitur,

Iſaiæ 1.

Roman. 9.

Roman. 2.

Philip. 2.

Epheſ. 2.

dicitur, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis? Et quod alibi dicit, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum? Quid sit quod dicitur, Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige; & quid sit quod dicimus orantes, Dirige in conspectu tuo viam meam. Et, Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea? Quid etiam sit quod iterum commonemur, Facite vobis cor nouum & spiritum nouum: Et quid sit illud quod repromittitur, Dabo eis cor nouum & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant? Quid sit quod præcepit Dominus dicens, Laua à malitia cor tuũ Ierusalẽ, vt salua fias, & quid sit quod *ipsum propheta à Domino postulat, dicens, Cor mũdum crea in me Deus? Et iterũ: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Quid sit quod ad nos dicitur, Illuminate vobis lumen scientiæ. Et quid sit quod de Deo dicitur, Qui docet hominem scientiam: Et, Dominus illuminat cæcos: Vel certè quod orãtes dicimus cum propheta, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in *morte: nisi quòd in his omnibus & gratia Dei & libertas nostri declaratur arbitrij, & quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò indigeat adiuuari? Nec enim cùm voluerit quis sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus qui vitæ ipsius vsum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? Vt autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad cõsummationem virtutum peruenire non possunt, Apostolus testis est dicens, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

Ioan.6. Psal.5. Psal.16. Ezech.18. Ezech.11. Ierem.4. * ipse Psal.50. Psal.93. Psal.145. Psal. 12. *mortem: Rom. 7.

De liberi arbitrij infirmitate. CAP. X.

NAm libertatem scriptura diuina nostri confirmat arbitrij, dicens, Omni custodia serua cor tuum. Sed infirmitatem eius Apostolus manifestat, dicens, Dominus custodiat corda vestra, & intelligẽtias vestras in Christo Iesu. Virtutem liberi arbitrij Dauid enunciat, dicens, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas. Sed infirmitatẽ eius idem orãs similiter docet, Inclina, inquiens, cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Salomon quoque ait, Inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius & custodiamus mãdata eius, & cærimonias eius, & iudicia eius. Potestatẽ designat

Prouerb.4. Philip.4. Psal.118. Ibidem. 3.Reg.8.

Psal. 33. designat arbitrij nostri Psalmographus dicens, Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Infirmitatem eius nostra protestatur oratio dicentibus nobis: Pone *Psal. 140.* Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Arbitrij nostri facultas à Domino declaratur cùm dicitur, Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Fragilitatem eius *Isaia 52.* propheta *decantat, dicens, Dominus soluit compeditos. Et, **denunciat* *Psal. 145.* Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Audiuimus in Euangelio Dominum conuocantem vt ad eum properemus per liberum arbitrium: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed infirmitatem eius idem Dominus protestatur, dicens, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. Apostolus liberum arbitrium nostrum incitat, dicēs, Sic currite vt comprehendatis. Sed infirmitatem eius Ioānes Baptista testatur cùm ait, Non potest homo accipere à se quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Iubemur animas nostras sollicitè custodire, dicente propheta, Custodite animas vestras. Sed eodem spiritu alius proclamat propheta, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Apostolus Philippensibus scribens, vt liberum eorū designet arbitrium, cum metu & tremore, inquit, vestram salutem operamini. Sed vt infirmitatē eius ostendat, adiungit, dicens, Deus est enim, inquit, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.

Psal. 115. Matth. 11. Ioan. 6. 1. Cor. 9. Ioan. 3. Ierem. 17. Psal. 126. Philip. 2. Roman. 2.

Vtrùm bonam voluntatem nostram sequatur an præcedat gratia Dei.

CAPVT XI.

ET ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta atque cōfusa, vt quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione voluatur, id est, vtrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus misereatur nostri Deus, an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium? Multi enim singula hæc quærentes, ac iusto amplius asserentes variis sibique contrariis sunt erroribus inuoluti. Si enim dixerimus nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Matthæo, quorū vnus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubās attrahitur ad salutem? Sin verò gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quandam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita præuenerunt? Cōsummationem verò virtutum & executionem mandatorum Dei, si nostro deputaue-*Psal. 67.* rimus arbitrio, quomodo oramus, Confirma Deus hoc quod

operatus es in nobis: Et, Opera manuum nostrarum dirige Psal.89.
super nos. Scimus ad maledicendum Israëli Balaam fuisse cõ- Numer.22.
ductum, sed videmus maledicere cupienti non fuisse permis-
sum. Custoditur Abimelech, ne Rebeccam tangens peccet in Genes.20.
Deum. Ioseph fratrum liuore distrahitur, vt descẽsio filiorum Genes.45.
Israël in Aegyptũ fieret, & illis de germani nece tractantibus,
futuræ famis remedia pararentur. Quod idem Ioseph à fra-
tribus agnitus manifestat, dicens, Nolite pauere, nec durum
vobis videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: Pro sa-
lute enim vestra misit me Dominus ante vos. Et infrà: Præ-
misit enim me Dominus, vt reseruemini super terrã, & escas
ad viuendum possitis habere. Non vestro consilio, sed volun-
tate Dei huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharao-
nis, & Dominũ totius domus eius, & principem in omni terra
Aegypti. Et cùm post obitum patris formidantibus fratribus Genes.50.
suspicionẽ timoris auferret, Nolite, inquit, timere; numquid
Dei possumus renuere voluntatem? Vos cogitastis aduersum
me in malum, & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me
sicut impræsentiarũ cernitis, & saluos faceret populos multos.
Quod etiam beatus Dauid œconomicè tunc factum in psal-
mo centesimoquarto similiter declarat, dicens, Et vocauit fa-
mem super terram, & omne firmamentum panis contriuit:
Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Hæc
duo, id est vel gratia Dei vel liberum arbitrium, sibi quidem
inuicem videntur aduersa, sed vtraq; concordãt, & vtraq; nos
pariter debere suscipere, pietatis ratione colligimus, ne vnum
horũ homini subtrahẽtes ecclesiasticæ fidei regulam excessisse
videamur. Nam cùm viderit nos Deus ad bonum velle defle- Isaiæ 30.
ctere, occurrit, dirigit atque confortat. Ad vocem enim clamo-
ris tui statim vt audierit respondebit tibi: Et inuoca me, in- Psal.49.
quit, in die tribulationis tuæ, & eruam te & glorificabis me.
Et rursus si nos nolle vel intepuisse perspexerit, adhortationes
salutiferas admouet cordibus nostris, quibus voluntas bona
vel reparetur vel formetur in nobis.

Quòd voluntas bona nec semper gratiæ nec semper sit homini tribuenda.

CAPVT XII.

NEc enim talem Deus hominem fecisse credendus est,
qui nec velit vmquam, nec possit bonum. Alioquin nec
liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodo malum, vt
velit & possit, bonum verò à semetipso nec velle nec posse cõ-
cessit. Et quomodo stabit illa Domini post præuaricationem
primi hominis lata sententia, Ecce Adam factus est sicut vnus Genes.3.

ex nobis, sciens bonum & malum. Non enim talis antè fuisse putandus est, qui boni esset prorsus ignarus: Alioquin velut quoddam irrationabile atque insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum. Quod satis absurdum atque à catholica fide omnimodis alienum est. Quinimò secundum sapientissimi Salomonis sententiam fecit Deus hominem re-
Eccl.7. ctum, id est, vt tantummodo boni scientia iugiter frueretur, sed ipsi quæsierunt cogitationes multas: facti enim sunt (vt dictum est) scientes bonum & malum. Concepit ergo Adam post præuaricationem quam non habuerat scientiam mali, boni verò quam acceperat scientiam non amisit. Deniq; non amisisse humanum genus post præuaricationem scientiam boni, etiam Apostoli sententia euidentissimè declaratur qua
Roman.2. dicit, Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum. Quo sensu etiam Dominus per prophetam increpat Iudæorum non naturalem, sed voluntariam cæcitatem, quam ipsi sibi contumaciter inferebant: Surdi, inquit, audite, & cæci intuemini ad videndum.
Isaiæ 42. Quis surdus nisi seruus meus, & cæcus nisi ad quem nuncios meos misi? Et ne fortè hanc eorum cæcitatem aliquis natu-
Isaiæ 43. ræ non voluntati possit ascribere, alibi ait, Educ foras populum cæcum & oculos habentem, surdum & aures ei sunt. Et
Ezech.12. iterum, Qui habentes, inquit, oculos non videtis, & aures &
Matth.13. non auditis. Dominus etiam in Euangelio: Quia videntes, inquit, non vident, & audientes non audiunt, neque intelligũt.
Isaia 6. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ, dicens, Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis: Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt & oculos suos concluserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos. Denique vt possibilitatem boni eis inesse
Luca 12. designaret, increpat Pharisæos. Quid autem, inquit, etiam ex vobis ipsis non iudicatis quod bonum est? Quod vtique eis non dixisset, nisi eos iudicio naturali id quod æquum est, scisset posse discernere. Vnde cauendum est nobis, ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum atque peruersum est humanæ adscribamus
3.Reg.8. naturæ. In quo quidem sapiẽtissimi Salomonis imò Domini, cuius hæc verba sunt testimonio confutamur. Ita enim cùm con-

consummata templi extructione oraret, effatus est: Voluitque Dauid pater meus ędificare domum nomini Domini Dei Israël, & ait Dominus Deus ad Dauid patrem meum: Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti hoc ipsum mẽte tractans, verum tamẽ non tu ædificabis domum nomini meo. Hæc ergo cogitatio atque iste tractatus regis Dauid, vtrũ ne bonus & ex Deo, an malus & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona atq; ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo à quo inspirata est eidẽ negatur effectus? Si autem mala & ex homine fuit, cur laudatur à Domino? Restat ergo vt & bona & ex homine fuisse credatur. In quem modũ etiam nostras quotidiè cogitationes possumus iudicare. Neq; enim aut soli Dauid bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni vnquam sapere aut cogitare possimus, naturaliter denegatur? Dubitari ergo non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire, quia secundum beatum Apostolum, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adiacere autem homini in quamlibet partem, arbitrij libertatem, etiam liber ille (qui dicitur pastoris) apertissimè docet, in quo duo angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus, in hominis verò optione consistere, vt eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine semper liberum arbitrium, quòd gratiam Dei possit vel negligere vel amare. Non enim præcepisset Apostolus, dicens, Cum metu & tremore vestram salutem operamini, nisi scisset eam vel excoli à nobis posse, vel negligi. Sed ne crederent se ad opus salutis diuino auxilio non egere, subiungit: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et idcirco Timotheum monẽs, Noli, inquit, negligere gratiam Dei quę est in te. Et iterum: Ob quam caussam moneo te, vt resuscites gratiã Dei quæ est in te. Inde est quod etiã Corinthiis scribẽs hortatur & commonet, ne indignos se gratia Dei infructuosis operibus exhiberent, dicens, Adiuuãtes autẽ & obsecramus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quam sine dubio, quia in vacuũ receperat Simon, nõ profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Non enim præceptis beati Petri maluit obedire, dicentis, Pœnitentiã age ab hac nequitia tua, & ora Deum si fortè remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Præuenit ergo hominis voluntatẽ misericordia Dñi, de qua dicitur, Deus meus miseri-

Videat lector in censoriis notis decimamquartam notam.

1.Cor.3.

Liber pastoris.

Philip.2.

1.Tim.4.

2.Tim.1.

2.Cor.6.

Actor. 8.

Psal.58.

Psal.87. misericordia eius præueniet me. Et rursus, Dominum remorantem atque vtiliter quodammodo subsistentem, vt nostrum experiatur arbitrium, voluntas præuenit nostra, cùm dicitur,
Psal.118. Et mane oratio mea præueniet te. Et iterum: Præueni in maturitate & clamaui, & præuenerunt oculi mei ad te diluculo.
Isaia 65. Aduocat etiam nos & inuitat cùm dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi & contradi-
Psal.87. centem. Et inuitatur à nobis cùm dicimus ei, Tota die expãdi manus meas ad te. Expectat nos cùm dicitur per prophetam,
Isaia 30. Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri. Et expe-
Psal. 39. ctatur à nobis cùm dicimus, Expectãs expectaui Dominum,
Psal. 118. & respexit me. Et, Expectaui salutare tuũ Domine. Et cõfortat nos cùm dicit, Et ego erudiui & cõfortaui brachia eorum,
Ozeæ 7. & in me cogitauerunt malitiam. Et vt nosmetipsos conforte-
Isaia 35. mus hortatur cùm dicit, Confortate manus dissolutas, & ge-
Ioan.7. nua debilia roborate. Clamat Iesus, Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Clamat etiã ad eum propheta, Laboraui clamãs, rau-
Psal.68. cæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in
Isaia 66. Deum meum. Quærit Dominus dicens, Quæsiui & non erat vir, vocaui & non erat qui responderet. Quæritur & ipse à
Cantic.3. sponsa flebiliter conquerente, In cubili meo in noctibus quęsiui quem dilexit anima mea, quæsiui eum & non inueni, vocaui eum, & non respondit mihi.

Quòd gratiam Dei humani conatus compensare non possint.

CAPVT XIII.

ET ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adiuuat, protegit ac defendit, vt nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonę voluntatis vel exigat vel expectet, ne penitùs dormienti aut inerti otio dissoluto, sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens, quibus humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impartit, & nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam paruisq; conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inæstimabili tribuit largitate. Nec enim quia illius in cruce latronis præcesserat fides, idcirco pronunciandum est, non ei beatam commorationem paradisi gratuito esse promissam, aut pœni-
Lucæ 23. tentiam Dauid regis illam vnius verbi qua dixit, Peccaui Domino, duo tam grauia eius crimina, & non potius clementiam
2. Reg.12. Dei abstulisse credendum est, vt per Nathan prophetam mereretur audire, Et Dominus transtulit iniquitatem tuam, non

morieris. Quòd igitur homicidium adulterio addidit, liberi vtique arbitrij fuit; quòd autem arguitur per prophetam, diuinæ dignationis est gratia. Rursum quòd peccatum suum humiliatus agnoscit, propriæ libertatis est opus. Quòd verò sub breuissimo temporis puncto indulgentiam tantorum criminum promeretur, Domini miserentis est donum. Et quid de hac tam breui confessione & incõparabili diuinæ retributionis immensitate dicamus? cùm beatus Apostolus ad illam magnitudinem futuræ remunerationis aspiciẽs, quid de illis tam innumeris persecutionibus suis pronunciauerit considerare perfacile sit. Nam momentaneum hoc, inquit, & leue tribulationis nostræ, supra modum vltra comparationem, æternum pondus gloriæ operatur in nobis. De quo & alibi constanter enunciat, dicens: Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quãtumlibet ergo enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit, nec ita laboribus suis diuinam imminuit gratiam, vt non semper gratuita perseueret. Et idcirco prędictus magister gentium, licet gratia Dei Apostolatus gradum sortitum se fuisse testetur, dicens, Gratia Dei sum quod sum, tamen se quoque diuinæ gratiæ respondisse pronunciat, dicens, Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui & obtinui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Nam cùm dicit laboraui, conatum proprij signat arbitrij. Cùm dicit, non autem ego, sed gratia Dei, virtutem diuinæ protectionis ostendit. Cùm dicit, mecum, non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat.

2. Cor. 4.

Roman. 8.

1. Cor. 15.

Quòd tentationibus suis Deus virtutem humani experiatur arbitrij.

CAPVT XIIII.

QVòd etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum nõ sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuina tantùm opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus quam prius emiserat vocem aduersus eum iustius iterasset: Numquid gratis colit Iob Deũ? Nónne tu vallasti eum ac domum eius & vniuersam substantiam eius per circumitum? Sed aufer manum tuam, id est, sine eum suis mecum viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus

Iob 1.

hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur: licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tãtam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantùm procurans ne violentissimus inimicus animam eius amẽtem faciens, & impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægrauaret. Quòd ergo soleat interdum tentare Dominus fidem nostram, vt fortior vel gloriosior fiat, euan-
Matth. 8. gelici illius cẽturionis edocemur exemplo, cuius puerum cùm sciret vtique potestate sermonis sui se Dominus curaturum, offerre maluit præsentiam corporalem, dicens, Ego veniam & curabo eum. Sed illo hanc eius oblationem feruentioris fidei flagrantia supergrediente atq; dicente, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed dic tantùm verbo & sanabitur puer meus, miratur eum Dominus atque collaudat, cunctisque illis qui ex Israëlis populo crediderant præfert, dicens, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donauerat prætulisset. Alioquin dixisset, Non dedi tãtam fidem in Israël. Quam explorationẽ fidei, etiam in illo magnificentissimo patriarcha diuinam legimus dispensasse iusti-
Genes. 22. tiam, cùm dicitur, Et factum est post hęc verba, tentauit Deus Abraham. Non enim illam fidem quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atq; illuminatus à Domino per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iustitia. Vnde non immeritò fidei eius constantia comprobatur, atque ad eum subueniente gratia Dei, quæ eum
Ibidem. paulisper subreliquerat vt probaret, ita dicitur, Ne inferas manum tuam in puerum, neque facias ei quicquam; nunc enim scio, quia times Dominum tu, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Quod tentationis genus nobis quoque ad probationis meritum posse contingere, in Deuteronomio sa-
Deut. 13. tis euidenter à legislatore prædicatur: Si surrexerit, inquit, inter vos propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prędixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & seruiamus diis alienis quos ignoratis, ne audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentans tẽtat te Dominus Deus tuus, vtrum diligas eum in toto corde tuo, & custodias mãdata illius, an non. Quid ergo? Cùm istum prophetam aut somniatorem surgere permiserit Deus, ita ne eos quorum fidem probare disposuit, protecturus esse creden-

dus

dus est, vt nullum penitùs locum quo suis viribus cum tentatore confligant libero eorum reseruet arbitrio? Et quid eos necesse est vel tentari, quos ita infirmos nouit ac fragiles, vt nequaquam virtute sua valeant resistere tentatori? Sed vtique nec tentari eos iustitia Domini permisisset, nisi parem in eis resistendi scisset inesse virtutem, qua possent æquitatis iudicio in vtroque merito vel rei vel laudabiles iudicari. Tale est & illud quod ab Apostolo dicitur, Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione & exitum, vt sustinere possitis. Cùm enim dicit, qui stat videat ne cadat, sollicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat percepta gratia, vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse. Cùm autem infert, tentatio vos non apprehendat nisi humana, infirmitatem eorum & inconstantiam necdum robustæ mentis exprobrat, qua adhuc spiritalium nequitiarum turbinibus non poterant impugnari, aduersum quos semetipsum vel illos perfectos nouerat quotidiè dimicare: de quibus ad Ephesios dicit, Iam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Cùm verò subiungit, Fidelis autem Deus qui non permittit vos tentari supra id quod potestis, non vtique optat ne eos Dominus tentari permitteret, sed ne supra id quod sustinere poterant tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrij facultatem, hoc verò Domini gratiam tentationum luctamina moderantis, ostendit. In his igitur omnibus approbatur ita semper diuinam gratiam arbitrium hominis incitare, vt illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, vt non etiam propriis eum conatibus congredi aduersum spiritales faciat inimicos, in quibus vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem suam superatus intelligat, & ita discat non de sua fortitudine, sed de diuino semper sperare suffragio, atque ad suum iugiter recurrere protectorem. Et vt hoc non nostra coniectura, sed euidentioribus adhuc scripturæ testimoniis approbetur, illud quod in Iesu Naue legitur retractemus: Has, inquit, gentes dimisit Dominus, ac disperdere noluit, vt in eis experiretur Israëlem, vtrum custodiret mandata Domini Dei sui, & haberent consuetudinem cum hostibus prœliandi. Et vt incomparabili creatoris nostri clementiæ mortale aliquid, non pro æqualitate pietatis, sed ex aliqua indulgentię similitudine

1.Cor.10.

Ephes.6.

1.Cor.10.

Iudic.3.

comparemus, si nutrix pia atque sollicita diu sinu paruulum gestat, vt quandoque ingredi doceat, & primum quidem eum reptare permittit, de hinc erectum vt * alternis passibus innitatur, dextræ suę virtute sustentat, mox paululum derelictũ, si titubantem viderit, protinus apprehendit, nutantem suscipit, lapsum erigit, & vel arcet à casu, vel etiam decidere * leuiter sinens, eleuat post ruinam; cùm autem eum ad pueritiam vel adolescentiæ ac iuuentutis perduxerit robur, quædam etiam pondera vel labores quibus non opprimatur, sed exerceatur, iniungit, & cum æmulis decertare permittit: Quanto magis cęlestis ille omnium pater nouit, quem sinu gratiæ suę gestet, quem liberæ voluntatis arbitrio in conspectu suo exerceat ad virtutem, & tamen adiuuat laborantem, exaudit vocantem, non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam nescientem?

*alterius

*leniter

De multiplici vocationum gratia. CAP. XV.

PEr quæ etiam euidenter ostenditur inscrutabilia esse iudicia Dei & inuestigabiles vias eius, quibus ad salutem humanum attrahit genus. Quod etiam Euangelicarum vocationum exemplis possumus approbare. Andream namque ac Petrum cæterosque Apostolos, nihil de salutis suæ remedio cogitãtes, spontanea gratiæ suæ dignatione prælegit. Zachæũ ad conspectum se Domini fideliter extendentem, & exiguitatem staturę suæ sycomori celsitudine subleuãtem, non solum suscipit, verumetiam benedictione cohabitationis illustrat. Inuitum ac repugnantem attrahit Paulum. Alium ita præcepit sibi inseparabiliter inhærere, vt ei postulanti breuissimas pro sepultura patris non concedat inducias. Cornelio precibus & eleemosynis iugiter insistenti, velut remunerationis vice via salutis ostenditur, eique angeli visitatione præcipitur, vt accersiens Petrum verba salutis ab eo, quibus vnà cum omnibus suis saluaretur, agnoscat. Et ita multiformis illa sapientia Dei, salutem hominum multiplici atque inscrutabili pietate dispensat, ac secundum capacitatem vniuscuiusque gratiam suæ largitatis impertit, vt ipsas quoque curationes non secundum vniformem maiestatis suæ potentiam, sed secundum mensuram fidei in qua vnumquemque repperit, vel sicut vnicuique ipse partitus est, maluerit exercere. Credentem namq; quòd ad emundationẽ lepræ suę voluntas Christi sola sufficeret, solo voluntatis suę curauit assensu, dicens, Volo, mundare. Alteri deprecanti, vt adueniens per impositionem manus suæ defunctam filiam suscitaret, ingressus domum eius, eodem modo quo ille sperauerat, id quod rogabatur indulsit. Alij credenti

Matth.4. *Luca 19.* *Actor.9.* *Matth.8.* *Actor.10.* *Matth.8.* *Matth.9.*

denti

denti summam salutis in verbi eius prædicatione consistere, ac respondenti, Dic tantùm verbo & sanabitur puer meus, per sermonis imperium resolutos artus pristino robore solidauit, dicens, Vade & sicut credidisti fiat tibi. Aliis de tactu fimbriæ eius sperantibus medicinam, vbertim sanitatis dona largitus est. Aliorum morbis medelam rogatus indulsit. Aliis spontaneam præstitit medicinam. Alios hortatus est vt sperarent, dicens, Vis sanus fieri? Aliis non sperantibus vltrò ingessit auxilium. Aliorum desideria priusquàm voluntati eorum satisfaceret explorauit, dicens, Quid vultis vt faciam vobis? Alij ignoranti viam quâ id quod concupierat obtineret benignus ostendit: Si credideris, inquiens, videbis gloriam Dei. Inter alios ita virtutem curationum affluenter effudit, vt de eis Euangelista commemoret, & curauit omnes languidos eorum. Inter alios verò immensa illa beneficiorum Christi abyssus ita obturata est, vt dicatur, & non poterat inter illos Iesus facere virtutes propter incredulitatem illorum. Et ita largitas Dei secundum capacitatem humanæ fidei etiam ipsa formatur, vt huic quidem dicat, secundum fidem tuam fiat tibi, illi verò, Vade & sicut credidisti fiat tibi, alij autem, Fiat tibi sicut vis, & rursum alteri, Fides tua te saluum fecit.

Matth.8. Matth.9. Ioan.5. Matth.20. Ioan.11. Matth.14. Matth.15. Matth.9. Matth.8. Matth.15. Marci 10.

De gratia Dei eo quòd humanæ fidei transcendat angustias.

CAP. XVI.

NEmo autem æstimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur astruere summam salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundum quorundam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei *dispensari secundum meritum vniuscuiusque definiunt. Sed absoluta planè pronunciamus sententia, etiam exuberare gratiam Dei & trásgredi interdum humanæ infidelitatis angustias. Quod in illo Euágelico factum fuisse regulo reminiscimur, qui dum facilius credit ægrotantem filium suum posse curari, quàm mortuum suscitari, præsentiam Domini festinus implorat, dicens, Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Cuius infidelitatem licet his sermonibus Christus arguerit, nisi signa & prodigia videritis non creditis, tamen secundum infirmitatem fidei eius, gratiam suæ diuinitatis exercuit, nec præsentia corporali quemadmodum ille crediderat lethales febrium morbos, sed verbo suæ potestatis exclusit, dicens, Vade filius tuus viuit. Quam superabundantiam gratiæ, etiam in illius paralytici curatione Dominum legimus effudisse, cùm ei languoris sui tantùm quo corpus fuerat resolutum remedia poscenti, animæ prius ingerit sospitatem, dicens,

**dispensare. Ioan.4. Ibidem.*

Matth.9. Constans esto fili, dimittuntur tibi peccata tua. Post quod non credentibus scribis posse eum remittere humana peccata, ad confundendam incredulitatem eorum, etiam membra eius paralyseos valetudine resoluta, potestatis suæ sermone restrinxit, dicens, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, aut dicere, Surge & ambula? Vt sciatis autem quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Surge & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Similiter autem in illo qui triginta & octo annos iuxta natatoriæ crepidinem frustra decumbens, de aquæ illius motu sperauerat medicinam, munificentiam vltroneæ largitatis ostendit. Nam cùm volens eum ad salutis remedia prouocare dixisset ei, Vis sanus fieri? Cumque ille de humani adiutorij inopia quereretur ac diceret, Hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua mittat me in piscinam, incredulitati eius & ignorantiæ veniam tribuens, pristinæ eum sanitati, non illa qua sperauerat via, sed qua Dominus voluit miseratione restituit, dicens, Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et quid mirum, si hæc Domini potestate gesta narrantur, cùm similia etiam per seruos suos diuina gratia fuerit operata? Ingredientibus namque templum Petro & Ioanne, cùm ille claudus ex vtero matris qui gressum penitùs ignorabat, eleemosynam postularet: illi non vilia æra quę poscebat infirmus, sed gressus officia largiuntur, & paruissimæ stipis sperantem solatia insperatæ salutis præmiis locupletant, dicente Petro, Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula.

(Margin notes: Ioan.5. beside "nem frustra decumbens"; Actor.3. beside "tibus namque templum")

De inscrutabili dispensatione Dei. CAP. XVII.

PEr hæc igitur exempla quæ de euangelicis protulimus monumentis, euidentissimè poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis & inscrutabilibus viis, Deum salutem humani generis procurare, & quorundam quidem volentium & sitientium cursum ad maiorem inuitare flagrantiam, quosdam verò etiam nolentes inuitosque compellere, & nunc quidem vt impleantur ea quæ vtiliter à nobis desiderata perspexerit adiuuare, nunc verò etiam ipsius sancti desiderij inspirare principia, & vel initium boni operis vel perseuerantiam condonare. Inde est quòd orantes non solùm protectorem ac saluatorem, sed etiam adiutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quòd prior aduocat, & ignorantes nos atque inuitos attrahit ad salutem, protector atq; saluator est; in eo autem quòd annitentibus nobis opem

ferre, refugienteſque ſuſcipere ac munire conſueuit, ſuſceptor ac refugium nominatur. Denique hanc diſpenſationis Dei multiplicem largitatem, beatus Apoſtolus mente pertractans & in quoddam immenſum atque interminabile pietatis Dei pelagus ſe incidiſſe conſpiciens, exclamauit: O altitudo diui- *Roman. 11.*
tiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? Huius ergo ſcientiæ admirationem quam ille talis ac tantus gentium magiſter expauit, euacuare conabitur quiſquis crediderit illius inæſtimabilis abyſſi profunditatem humana ratione ſe poſſe metiri. Nam qui ad plenum diſpenſationes Dei, quibus ſalutem in hominibus operatur, vel mente concipere, vel diſſerere ſe poſſe confidit, proculdubio impugnans Apoſtolicæ ſententiæ veritatem, ſcrutabilia *Iſaiæ 55.*
eſſe Dei iudicia & veſtigabiles vias eius, profana pronunciabit audacia, ipſo quoque Domino hæc ad eos ita teſtante: Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neq; viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus: Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Hanc igitur diſpenſationem atque amorem ſuum, quem nobis tribuere Dominus indefeſſa pietate dignatur, volens humanæ affectionis motu exprimere, nec inueniens in hac creatura talem charitatis affectum, cui eum comparare dignius poſſet, tenerrimis piæ matris viſceribus comparauit, & vtitur quidem hoc exemplo, quia carius aliud in natura hominum non poteſt inueniri, dicens, Num- *Iſaiæ 49.*
quid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Sed non contentus hac comparatione, tranſcendit eam confeſtim atque ſubiungit, dicens, Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Definitio patrum eo quòd liberum arbitrium ad ſaluandum non ſit idoneum.

CAPVT XVIII.

PEr quod euidenti ratione colligitur ab his qui non loquacibus verbis, ſed experientia duce, vel magnitudinem gratiæ, vel modulum humani metiuntur arbitrij; quia non leuibus curſus, nec fortibus prœlium, nec ſapientibus panis, nec prudentibus diuitiæ, nec ſcientibus gratia, ſed operatur hæc omnia vnus atque idem ſpiritus diuidens vnicuique prout vult. Et idcirco fide non dubia, &, vt ita dicam, palpabili expe- *1. Cor. 12.*
rientia comprobatur, vniuerſitatis Deum velut piiſſimum patrem, benigniſſimumq́; medicū, ſecundum Apoſtolū indiffe- *Ibidem.*
renter omnia in omnibus operari, & nunc quidem ſalutis in-

ſpirare

ſpirare principia & inſerere vnicuique bonæ voluntatis ardorem, nunc verò ipſius operationis effectum & conſummationem donare virtutum, & nunc à ruina iam proxima lapſuque præcipiti etiam inuitos & inſcios reuocare, nunc autem occaſiones & opportunitates ſalutis ingerere, ac præcipites violentoſque conatus à lethalibus diſpoſitionibus inhibere, & alios quidem volentes currenteſque ſuſcipere, alios verò nolentes renitenteſque pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem. Totum verò non ſemper reſiſtentibus nec perſeueranter inuitis nobis à diuinitate concedi, & ſummam ſalutis noſtræ, nō operum noſtrorum merito, ſed cæleſti gratiæ deputandam, ita
Ezech. 20. Domini ipſius vocibus edocemur: Et recordabimini viarū veſtrarum, & omnium ſcelerum veſtrorum quibus polluti eſtis in eis, & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro, in omnibus malitiis veſtris quas feciſtis, & ſcietis quia ego Dominus cùm bene fecero vobis propter nomen meum, non ſecundum vias veſtras malas, neque ſecundum ſcelera veſtra peſſima domus Iſraël. Et idcirco hoc ab omnibus catholicis Patribus definitur, qui perfectionem cordis non inani diſputatione verborū, ſed re atque opere didicerunt, diuini eſſe muneris. Primum vt accendatur vnuſquiſq; ad deſiderandum omne quod bonum eſt, ſed ita vt in alterutram partem plenum ſit liberæ voluntatis arbitrium. Itemque etiam ſecundum, diuinæ eſſe gratiæ, vt effici valeant exercitia prædicta virtutum, ſed ita vt poſſibilitas non extinguatur arbitrij. Tertium quoque, ad Dei munera pertinere, vt acquiſitæ virtutis perſeuerātia teneatur, ſed ita vt captiuitatem libertas addicta non ſentiat. Sic enim vniuerſitatis Deus omnia in omnibus credendus eſt operari, vt incitet, protegat atque confirmet, non vt auferat quam ſemel ipſe conceſſit arbitrij libertatē. Si quid ſanè verſutius humana argumentatione ac ratione collectum, huic ſenſui videtur obſiſtere, vitandum magis eſt quàm ad deſtructionem fidei prouocandum. Non enim fidem ex intellectu, ſed intellectum
Iſaiæ 7. ex fide meremur, ſicut ſcriptum eſt, Niſi credideritis, non intelligetis; quia quēadmodum & Deus omnia operatur in no-
Iſaiæ 1. bis, & totum libero aſcribatur arbitrio, cui dicitur, Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ manducabitis, ad plenum humano ſenſu ac ratione non poteſt (vt arbitror) comprehendi. Hoc nos beatus Cheremon confirmatos cibo & laborem fecit tam inuij itineris non ſentire.

Collationis tertiæ Abbatis Cheremonis de protectione Dei finis.

COL-

COLLATIO XIIII.

QVÆ EST PRIMA ABBATIS NESTEROTIS DE SPIRITALI SCIENTIA.

Capvt I.


Ponsionis noſtræ & itineris ordo compellit, vt Abbatis Neſterotis præclari in omnibus ſummæque ſcientiæ viri inſtitutio ſubſequatur. Qui cùm ſacrarum ſcripturarum nos aliqua memoriæ commendaſſe, & eorum intelligentiam deſiderare ſenſiſſet, talibus nos adorſus eſt verbis. Multa quidem ſcientiarum in hoc mundo ſunt genera, tanta ſiquidem earum quanta & artium diſciplinarumque varietas eſt. Sed cùm omnes, aut omnino inutiles ſint, aut præſentis tantùm vitæ commodis proſint, nulla eſt tamen quæ non habeat proprium doctrinæ ſuæ ordinem atque rationem, per quam ab expetentibus poſſit attingi. Si ergo illæ artes ad inſinuationem ſui certis ac propriis lineis diriguntur, quanto magis religionis noſtræ diſciplina atque profeſſio, quæ ad contemplanda inuiſibilium ſacramentorum tendit arcana, nec præſentis quæſtus, ſed æternorum retributionem expetit premiorum, certo ordine ac ratione ſubſiſtit? Cuius quidem duplex eſt ſcientia. Prima practice, id eſt, actualis, quæ emendatione morum & vitiorum purgatione perficitur; altera theoretice, id eſt, quæ in contemplatione diuinarum rerum & ſacratiſſimorum ſenſuum cognitione conſiſtit.

Quæ via ſit ad Theoreticen. Cap. II.

QViſquis igitur ad Theoreticen voluerit peruenire, neceſſe eſt, vt omni ſtudio atq; virtute actualem primùm ſcientiam conſequatur. Nam hæc practice abſque theoretica poſſideri poteſt, theoretice verò ſine actuali omnimodis apprehendi non poteſt. Gradus enim quidam ita ordinati atque diſtincti ſunt, vt humana humilitas poſſit ad ſublime conſcēdere: qui ſi inuicem ſibi ea qua diximus ratione ſuccedant, poteſt ad altitudinem perueniri, ad quam ſublato primo gradu

non poteſt tranſuolari. Fruſtra igitur ad conſpectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat: Spiritus namque Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. *Sapient. 1.*

Quòd actualis perfectio duplici ratione ſubſiſtat.

CAPVT III.

HAec autem actualis perfectio duplici ratione ſubſiſtit. Nam primus eius modus eſt, vt omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoſcatur. Secundus vt ita diſcernatur ordo virtutum, earumque perfectione mens noſtra formetur, vt illis non iam velut coacta, & quaſi violento imperio ſubiecta famuletur, ſed tamquam naturali bono delectetur atque paſcatur, & arduam illam atque anguſtam viam cum oblectatione conſcendat. Quo enim modo, vel virtutum rationem, qui ſecũdus in actuali diſciplina gradus eſt, vel rerum ſpiritalium & cæleſtium ſacramenta, quæ in theoriæ gradu ſublimiore cõſiſtunt, valebit attingere, qui naturam vitiorum ſuorum nec potuit intelligere, nec niſus eſt extirpare? Conſequenter enim pronunciabitur progredi ad excelſiora nõ poſſe, qui non euicerit planiora; multoque minus ea quę ſunt extrinſecus apprehendet, quiſquis intelligere ea quæ ſibi ſunt inſerta non quiuerit. Sciendum tamen eſt, duplici nobis laboris intentione ſudandum, tam in expellendis vitiis, quàm in virtutibus acquirendis. Et hoc non noſtra capimus coniectura, ſed illius ſententia perdocemur, qui ſolus *officij ſui vires rationémque cognoſcit: Ecce, inquit, conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes & ædifices & plantes. In expulſione enim noxiarum rerum quatuor eſſe neceſſaria deſignauit, id eſt, euellere, deſtruere, diſperdere, diſſipare. In perficiendis verò virtutibus, & his quæ ad iuſtitiam pertinent acquirendis, ædificare tantummodo atque plantare. Vnde liquidò patet difficilius conuelli atque eradicari inolitas corporis atque animæ paſſiones, quàm ſpiritales extrui plantarique virtutes.

*opificij

Ierem. 1.

Quòd actualis vita erga multas profeſſiones ac ſtudia deriuetur.

CAPVT IIII.

HAec igitur practice quæ duobus, vt dictum eſt, ſubſiſtit modis, erga multas profeſſiones ſtudiaque diuiditur. Quidam enim ſummam intentionis ſuæ erga eremi ſecreta & cordis conſtituunt puritatem, vt in præteritis Heliam & Heliſeum, noſtriſque temporibus beatum Antonium, aliosq; eiuſdem propoſiti ſectatores, familiariſſimè Deo per ſilẽtium ſolitudinis cohæſiſſe cognoſcimus. Quidam erga inſtitutionem fratrũ, & peruigilem cœnobiorum curam, omnem ſtudij ſui

sui sollicitudinem dederunt, vt nuper Abbatem Ioannem qui in *vicinia ciuitatis cui nomen est Thimius, grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos eiusdem meriti viros Apostolicis etiam signis claruisse meminimus. Quosdam xenodochij & susceptionis pium delectat obsequium, per quod etiam in præteritis Abraham patriarcham & Lot Domino placuisse scimus, & nuper beatum Machariurn singularis mãsuetudinis ac patientiæ virum, qui xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, vt nulli eorum qui solitudinis secreta sectati sunt, inferior sit credendus. Quidam eligentes ægrotãtium curam, alij intercessionem quæ pro miseris atque oppressis impenditur exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynam pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros, pro affectu suo ac pietate viguerunt.

*vicina ciuitate

De professionis arreptæ perseuerantia. CAP. V.

QVapropter hoc vnicuique vtile atque conueniens est, vt secundum propositum quod elegit, siue gratiam quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & aliorum quidem laudans admiransque virtutes, nequaquam à sua quam semel elegit professione discedat, sciens secundum Apostolum vnum quidem *Rom. 12.* esse corpus ecclesiæ, multa autem membra, & habere eam donationes secundum gratiã quæ nobis data est differentes, siue prophetiam secundũ rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortãdo, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Nec enim vlla membra aliorum sibi membrorum possunt ministeria vendicare, quia nec oculi manuum nec nares aurium vtuntur officio, & idcirco non omnes Apostoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores, non omnes gratias habent curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur.

De infirmorum mobilitate. CAP. VI.

SOlent enim hi qui nec dum sunt in illa quam arripuerunt professione fundati, cùm audierint quosdam in diuersis studiis ac virtutibus prædicari, ita eorum laude succendi, vt imitari eorum protinus gestiant disciplinam, in quo irritos necessariò impendit conatus humana fragilitas. Impossibile namq; est vnum eundemque hominem simul vniuersis quas superiùs comprehendi fulgere virtutibus. Quas si quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere necesse est, vt dum omnes sequitur, nullam integram consequatur, magisq; ex hac mutatione ac varietate dispendium capiat quàm profectum.

Multis

Multis enim viis ad Deum tenditur, & ideo vnusquisque illam quam semel arripuerit, irreuocabili cursus sui intentione conficiat, vt sit in qualibet professione perfectus.

Exemplum castitatis quo docetur non omnia ab omnibus æmulanda.

CAPVT VII.

ABsque illo dispendio quo feriri monachum diximus, qui mobilitate mentis ad studia cupit transire diuersa, etiam hinc periculum mortis incurritur, quod nonnumquam rectè quædam ab aliis gesta, malo ab aliis præsumuntur exemplo, & ea quę nonnullis bene cesserant, perniciosa ab aliis sentiuntur. Nam vt quiddam exempli gratia proferamus, velut si quis illam viri illius imitari virtutem velit, quam solet Abbas Ioãnes, non ad imitationis formulam, sed tantummodo pro admiratione proferre. Nam quidam veniens ad prædictum senem habitu seculari, cùm ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo quendam dæmonio arreptum ibidem repperit. Qui cùm Abbatis Ioannis obtestationes ac pręcepta despiciens, testaretur se numquam ad illius imperium de corpore quod obsederat migraturum, huius aduentu perterritus, cum reuerentissima nominis illius inclamatione discessit. Cuius tam euidentem gratiam senex non mediocriter admiratus, eoque amplius obstupescens quòd eum seculari cerneret habitu, cœpit ab eo vitæ ac professionis eius ordinem diligenter inquirere. Cumque ille secularē se atq; vxorio vinculo obligatum esse dixisset, beatus Ioannes excellentiam virtutis eius & gratiæ mente pertractans, quæ nam illi esset conuersatio attentius explorabat: Ille se rusticum, & quotidiano manuum opere victum quærere, nec vllius boni esse se conscium testabatur, nisi quòd nũquam antè ad ruris opera mane exercenda procederet, neque vesperè domum reuerteretur, nisi in ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu largitori eius Deo gratias retulisset, neque se vnquam de fructibus suis aliquid vsurpasse, nisi prius Deo primitias eorum ac decimas obtulisset, & nũquam se boues suos per alienæ messis traduxisse confinium, nisi eorum prius ora clausisset, ne vel parũ damni per incuriam eius proximus sustineret. Et cùm hæc quoque Abbati Ioanni, necdum ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum prælatum sibi esse cernebat, idonea viderentur, atque ab eo quid nam esset illud quod tantæ gratię meritis cõferri posset scisscitans scrutaretur, ille reuerentia tam sollicitæ inquisitionis astrictus, vxorem se parentũ vi imperioq; compulsum, cùm profiteri monachũ vellet, ante vndecim annos accepisse confessus est, quam nemine etiam nunc conscio sororis loco à se vir-

Elegans exemplum.

ſe virginem cuſtodiri teſtabatur. Quod factum cùm audiſſet ſenex, tanta eſt admiratione permotus, vt coram ipſo publicè proclamaret: Non immeritò dæmonem qui ſe deſpexerat, illius non toleraſſe præſentiam, cuius ipſe virtutem non ſolùm in iuuentutis ardore, ſed ne nunc quidem ſine diſcrimine caſtitatis auderet appetere. Quod factum Abbas Ioannes licèt ſumma admiratione *prætulerit, tamen neminem monachorum vt experiretur hortatus eſt, ſciens multa rectè ab aliis geſta, magnam aliis imitantibus intuliſſe perniciem, nec vſurpari ab omnibus poſſe, quod paucis Dominus ſpeciali munere contuliſſet. *protulerit,

De ſpiritali ſcientia. CAP. VIII.

SEd ad expoſitionem ſcientiæ de qua ſumptum eſt ſermonis exordium reuertamur. Itaque, ſicut ſuperiùs diximus, practice erga multas profeſſiones ac ſtudia deriuatur. Theoretice verò in duas diuiditur partes, id eſt, in hiſtoricam interpretationem, & intelligentiam ſpiritalem. Vnde etiam Salomon cùm eccleſiæ multiformem gratiam enumeraſſet, adiecit: Omnes enim qui apud eam ſunt, veſtiti ſunt dupliciter. *Prouerb. 31.*
Spiritalis autem ſcientiæ genera ſunt tria, tropologia, allegoria, anagoge; de quibus in prouerbiis ita dicitur, Tu autem *Prouerb. 22.*
deſcribe tibi ea tripliciter, ſuper latitudinem cordis tui. Itaque hiſtoria præteritarum ac viſibilium agnitionem complectitur rerum, quæ ita ab Apoſtolo replicatur: Scriptũ eſt enim, quia *Galat. 4.*
Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & alium de libera; ſed qui de ancilla, ſecũdum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem. Ad allegoriam autem pertinent *Allegoria.*
quæ ſequuntur, quia ea quæ in veritate geſta ſunt, alterius ſacramenti formam præfiguraſſe dicuntur. Hæc enim, inquit, ſunt duo teſtamenta: Vnum quidem de monte Sina, in ſeruitutem generans, *quod eſt Agar: Sina enim mons eſt in Arabia, qui comparatur huic quę nũc eſt Ieruſalem, & ſeruit cum *quæ
filiis ſuis. Anagoge verò de ſpiritalibus myſteriis ad ſublimiora quædam & ſacratiora cælorum ſecreta conſcendens, ab Apoſtolo ita ſubiicitur: Quæ autem ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Tropologia eſt moralis explanatio, ad emendationem vitæ & inſtructionem pertinens actualem, velut ſi hæc eadem duo teſtamenta intelligamus practicen & theoreticen diſciplinam: Vel certè ſi Ieruſalem aut Sion animam hominis velimus accipere, ſecundũ illud, Lauda Ieruſalem Dominum: lauda Deum *Anagoge.* *Ibidem.* *Iſaiæ 54.* *Tropologia.* *Pſal. 147.*

tuum Sion. Igitur prædictæ quatuor figuræ in vnum ita si volumus confluunt, vt vna atque eadem Ierusalem quadrifariam possit intelligi, secundum historiam ciuitas Iudæorum, secundum allegoriam ecclesia Christi, secũdum anagogen ciuitas Dei illa cælestis quæ est mater omnium nostrum, secundum tropologiam anima hominis quæ frequẽter hoc nomine aut increpatur, aut laudatur à Domino. De his quatuor interpretationum generibus Apostolus ita dicit, Nunc autem

1.Cor.14. fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Reuelatio namque ad allegoriam pertinet, per quam ea quæ tegit historica narratio, spiritali sensu & expositione reserantur: vt verbi gratia. Si illud aperire tentemus, quemadmodum patres nostri omnes sub nube fuerint,

1.Cor.10. & omnes in Mose baptizati sint in nube & in mari, & quemadmodum omnes eandem escam spiritalem manducauerint, & eundem spiritalem de consequenti petra biberint potũ, petra autem erat Christus. Quæ expositio præfigurationi corporis & sanguinis Christi, quem quotidiè sumimus comparata, Allegoriæ continet rationem. Scientia verò quæ similiter ab Apostolo memoratur, Tropologia est, qua vniuersa quę ad discretionem pertinent actualem, vtrum vtilia vel honesta sint, prudenti examinatione discernimus, vt est

1.Cor.11. illud: Cùm apud nosmetipsos iudicare pręcipimur, vtrum deceat mulierem non velato capite orare Deum. Quæ ratio, vt dictum est, moralem continet intellectum. Item prophetia, quam tertio Apostolus intulit loco, Anagogen sonat, per quam

1.Thess.4. ad inuisibilia ac futura sermo transfertur, vt est illud: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Christus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Qua exhortationis specie anagoges figura præfertur. Doctrina verò simplicem historiæ expositionis ordinem pandit, in qua nullus occultior intellectus,

1.Cor.15. nisi qui verbis resonat, cõtinetur, sicut est illud: Tradidi enim vobis in primis quòd & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, & quia visus est Cephæ. Et misit

Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Siue illud, Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est. *Galat. 4.* *Deuter. 6.*

Quòd de actuali scientia proficiatur ad spiritalem.

CAPVT IX.

QVapropter si vobis cura est ad spiritalis scientiæ lumen, non inanis iactantię vitio, sed emundationis gratia peruenire, illius primum beatitudinis cupiditate flammamini, de qua dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: vt etiam ad illam de qua angelus ad Danielem ait, perueniire possitis: Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiã erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et in alio propheta, Illuminate vobis lumen scientię dum tempus est. Tenentes itaq; illam quam habere vos sentio diligẽtiam lectionis, omni studio festinate actualem, id est, ethicam, quamprimum ad integrum comprehendere disciplinam. Absque hac namque illa quam diximus theoretica puritas non potest apprehendi, quam hi tantum, qui non aliorum docentium verbis, sed propriorum actuum virtute perfecti sunt, post multa operum ac laborum stipendia, iam quasi in præmio consequuntur. Non enim à meditatione legis intelligentiam, sed de fructu operis acquirentes, cum psalmographo canunt, A mandatis tuis intellexi. Et excoctis passionibus vniuersis fiducialiter dicunt, Psallam & intelligam in via immaculata. Ille enim psallens intelligit quæ canuntur, qui in via immaculata gressu puri cordis innititur. Et idcirco si scientiæ spiritali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omnium vos vitiorum contagione purgate, & curis seculi præsentis exuite. Impossibile namque est animam quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritalium sensuum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri. Obseruate igitur in primis, & maximè tu Ioannes, cui magis ad custodienda hæc quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderij tui labor, vana elatione cassetur, vt indicas summum ori tuo silentium, hic est enim primus disciplinę actualis ingressus: Omnis quippe labor hominis in ore ipsius, & vt omnium seniorũ instituta atque sententias intento corde & quasi muto ore suscipias, ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficiẽda ea potius, quàm ad docẽda festines. Ex hoc enim cenodoxiæ perniciosa præsumptio, ex illo autẽ fructus spiritalis sciẽtiæ pullulabunt.

Matth. 5.

Danielis 12.

Ethica disciplina ad theoreticen ducit.

Psal. 118. *Psal. 100.*

Eccl. 6.

Taciturnitas primus ad actualẽ vitam gradus.

Docẽdi munus nemo temere sibi vsurpare debet.

Numquam solidam assequitur eruditionem, qui captandæ vanæ gloriolæ gratia studet.

*deuinctus

Iacob. 1.

Prouer. 27.

labunt. Nihil itaque in collatione seniorum proferre audeas, nisi quod interrogare te aut ignoratio nocitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit, vt quidam vanæ gloriæ amore distenti, pro ostentatione doctrinæ, ea quæ optimè norunt, interrogare se simulant. Impossibile enim est eum qui proposito acquirendæ laudis humanæ, studio lectionis insistit, donum veræ sciẽtiæ promereri. Nam qui hac passione *deuictus est, necesse est, vt aliis quoque & maximè superbiæ vitiis obligetur, & ita in actuali atque ethica congressione prostratus, scientiam spiritalem quæ ex ea nascitur, minimè cõsequetur. Esto ergo per omnia citus ad audiendum, tardus autem ad loquẽdum, ne cadat in te illud quod notatur à Salomone: Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet insipiẽs magis quàm ille. Nec quenquam verbis docere præsumas, quod opere antè non feceris. Hunc enim nos ordinem tenere debere, etiam exemplis suis Dominus nöster instituit, de quo ita dicitur: Quæ cœpit Iesus facere & docere. Caue ergo ne ante actum prosiliens ad docendum, in illorum numero deputeris, de quibus in euangelio Dominus ad discipulos suos loquitur: Quæ dicunt vobis seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum, ipsi autem digito suo nolunt ea mouere. Si enim ille qui vnum mandatum minimum soluens docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, qui multa & maiora negligens docere præsumpserit, consequens profectò est, vt iam non minimus in regno cælorum, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Et ideo cauendum tibi est, ne illorum ad docendum inciteris exemplis, qui peritiam disputandi ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt ea quæ voluerint ornatè copioseque differere, scientiam spiritalem possidere creduntur, ab his qui vim eius & qualitatem discernere non nouerunt. Aliud namque est facilitatem oris & nitorem habere sermonis, & aliud venas ac medullas cælestium intrare dictorum, ac profunda & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio secularis, sed sola puritas mentis per illuminationem sancti spiritus obtinebit.

Actor. 1.

Matth. 23.

Matth. 5.

De apprehendenda veræ scientiæ disciplina.

CAPVT X.

FEstinandum igitur tibi est, si ad veram scripturarum sciẽtiam vis peruenire, vt humilitatem cordis immobilem primitus

primitus consequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat scientiam, caritatis consummatione perducat. Impossibile namque est immundam mentem donum scientię spiritalis adipisci. Et idcirco omni cautione deuita, ne tibi per studium lectionis, non scientiæ lumen, nec illa perpetua quæ per illuminationem doctrinæ promittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantiæ vanitate nascantur. Deinde hoc tibi est omnimodis enitendum, vt expulsa omni sollicitudine & cogitatione terrena, assiduum te ac potius iugem sacræ præbeas lectioni, donec cõtinua meditatio imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, arcam quodammodo ex ea faciens testamẽti, habentem in se scilicet duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem: vrnam quoq; auream, hoc est memoriam puram atq; sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet, spiritalium scilicet sensuum, & angelici illius panis perennem cælestemq; dulcedinem: nec non etiam virgam Aaron, id est, summi veriq; pontificis nostri Iesu Christi salutare vexillũ, immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc namq; est virga quæ posteaquam de radice Iesse succisa est, viuacius mortificata reuirescit. Hæc autem omnia duobus Cherubin, id est, historicæ & spiritalis scientiæ plenitudine proteguntur. Cherubin enim interpretatur scientiæ multitudo, quæ propitiatorium Dei, id est, placiditatẽ pectoris tui iugiter protegent, & à cunctis spiritalium nequitiarum incursibus obumbrabunt. Et ita mens tua nõ solùm in arcam diuini testamenti, verumetiam in regnum sacerdotale prouecta, per indissolubilem puritatis affectum, quodammodo absorpta spiritalibus disciplinis, illud implebit pontificale mandatũ, quod à legislatore ita præcipitur: Et de sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium Dei, id est, cor suum, in quo iugiter habitaturum se Dominus repromittit, dicens: Inhabitabo in eis & inter illos ambulabo. Quamobrem diligẽter memoriæ cõmendanda est, & incessabiliter recensenda sacrarum series scripturarum. Hæc etenim meditationis iugitas duplicẽ nobis confert fructum. Primum quod dum in legendis ac parandis lectionibus occupatur mentis intentio, necesse est vt nullis noxiarũ cogitationum laqueis captiuetur; deinde quòd ea quę creberrima repetitione percursa, dum memoriæ tradere laboramus intelligere id temporis obligata mente non quiuimus, postea ab omnium actuum ac visionũ illecebris absoluti, præcipueq; nocturna meditatione taciti reuoluentes, clarius intuemur, ita vt occultissimorum sensuum quos ne tenui quidem

Theoretica non nisi à mundis ac puris animis acquiritur.

Sacræ scripturæ assiduam lectionem ad theoreticen acquirendam plurimũ momenti habere.

Leuit. 21.
Leuit. 26.
2. Cor. 6.

Per somnum suggeri occultos sanctæ scripturæ sensus.

quidem vigilantes opinatione percepimus, quiescentibus nobis, & vel soporis stupore demersis, intelligentia reueletur.

De multiplici intellectu diuinarum scripturarum.

CAPVT XI.

CRescente autem per hoc studium innouatione mentis nostræ, etiam scripturarum facies incipiet innouari; & sacratioris intelligentiæ pulcritudo quodammodo cum proficiente proficiet. Pro capacitate enim humanorum sensuum, earum quoque species coaptatur, & vel terrena carnalibus, vel diuina spiritalibus apparebit, ita vt hi quibus antea videbatur crassis quibusdam nebulis inuoluta, nec subtilitatem eius deprehendere, nec fulgorem valeant sustinere. Sed vt hoc ipsum quod astruere nitimur, aliquo clarius pãdatur exemplo, vnum legis testimonium protulisse sufficiat, per quod etiam omnia præcepta cælestia secũdum mensuram status nostri ad omne hominum genus probemus extendi. Scriptum est in lege:
Exod. 20. Non fornicaberis. Hoc ab homine carnalium adhuc obscenitatum passionibus obligato secũdum simplicem literæ sonum
Quid fornicari spiritaliter in diuinis literis. salubriter custoditur. Ab eo autem qui iam ab hac actione lutulenta & impuro discessit affectu, necesse est idipsum spiritaliter obseruari, vt scilicet non solùm à cęremoniis idolorũ, sed etiã ab omni superstitione gẽtilium & auguriorum, omniũq; signorum & dierum ac temporum obseruatione discedat, vel certè ne quorundam verborum aut nominum coniecturis, quæ sinceritatem fidei nostræ polluunt implicetur. Hac enim
Ierem. 3. fornicatione etiam Ierusalem dicitur constuprata, quæ fornicata est in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso. Et
Isaiæ 47. quam Dominus iterum increpans per prophetam, Stent, inquit, & saluent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. De
Oseæ 4. qua fornicatione & alibi arguens eos Dominus, ait, Spiritus fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Quisquis verò à gemina hac fornicatione discesserit, habebit tertiã quam deuitet, quæ in lege & Iudaismi superstitionibus con-
Galat. 4. tinetur. De quibus Apostolus: Dies, inquit, obseruatis & men-
Coloss. 2. ses & tempora & annos. Et iterum, Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris. Quæ de superstitionibus legis dicta esse non dubium est, in quas si quis inciderit, proculdubiò
2. Cor. 11. mœchatus à Christo, ab Apostolo nõ meretur audire, Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo: sed illud ad eum quod sequitur voce eiusdem Apostoli dirigetur.
Ibidem. Timeo autem vos, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrũpantur sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo Iesu.

Iesu. Quod si immunditiam huius quoque fornicationis effugerit, habebit quartam quæ hæretici dogmatis adulterio perpetratur. De qua idem beatus Apostolus, Ego, inquit, scio, quia post discessionem meam intrabunt lupi graues in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis surgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Hanc etiam qui potuerit declinare, caueat ne subtiliore peccato in fornicationis vitium collabatur, quæ scilicet in cogitationum peruagatione consistit, quia omnis cogitatio non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à Deo quantulumcunque discedens, à perfecto viro immundissima fornicatio deputatur. *Actor. 20.*

Interrogatio, quomodo possit ad obliuionem secularium carminum perueniri.

CAPVT XII.

GErmanus: Ad hæc ego occulta primum compunctione permotus, ac deinde grauiter ingemiscens, hæc inquam omnia quæ copiosissimè digessisti maiora mihi intulerunt desperationis augmenta, quàm hactenus sustinebam. Quippe cui præter illas generales animæ captiuitates, quibus non dubito infirmos quosque pulsari extrinsecus, speciale impedimentum salutis accedit, pro illa quam tenuiter videor attigisse notitia literarum, in qua me ita vel instantia pædagogi, vel continuæ lectionis macerauit intentio, vt nunc mens mea poëticis velut infecta carminibus, illas fabularum nugas historiasque bellorum quibus à paruulo primis studiorum imbuta est rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, psallentique, vel pro peccatorum indulgentia supplicanti, aut impudens poëmatum memoria suggeratur, aut quasi bellātium heroum ante oculos imago versetur, taliumque me phantasmatum imaginatio semper eludens, ita mentem meam ad supernos intuitus aspirare non patitur, vt quotidianis fletibus non possit expelli.

Responsio, quo pacto memoriam eorum possimus abluere.

CAPVT XIII.

NEsteros: De hac ipsa re vnde tibi purgationis maxima nascitur desperatio, citum satis atque efficax remedium poterit oboriri, si eandem diligentiam atq; instantiam quam te in illis secularibus studiis habuisse dixisti, ad spiritalium scripturarum volueris lectionem meditationemque transferre: Necesse est enim mentem tuam tamdiu illis carminibus occupari, quādiu sibi aliqua quæ intra semetipsam recolat, simili studio & assiduitate cōquirat, ac pro illis infructuosis atq; terrenis, spiritalia atq; diuina parturiat. Quæ cùm profundè

alteque conceperit, atque in illis fuerit enutrita, vel expelli priores sensim poterũt, vel penitus aboleri. Vacare enim cunctis cogitationibus humana mens nõ potest, & ideo quamdiu spiritalibus studiis non fuerit occupata, necesse est eam illis quæ pridem didicit implicari. Quamdiu enim non habuerit quò recurrat, & indefessos exerceat motus, necesse est vt ad illa quibus ab infantia imbuta est collabatur, eaque semper reuoluat quæ longo vsu ac meditatione concepit. Vt igitur hæc in te sciẽtia spiritalis perpetua soliditate roboretur, nec ea iam temporariè perfruaris, sicut illi qui eam non suo studio, sed aliena relatione contingunt, & velut aëreo, vt ita dixerim, odore percipiunt, sed vt sensibus tuis inuiscerata quodammodo & perspecta atque palpata condatur, illud omni obseruantia custodire te conuenit, vt etiamsi ea quæ optimè nosti, fortè audieris in collatione proferri, non ex hoc quod tibi iam nota sint, aspernanter fastidioseque suscipias, sed ea cordi tuo illa auiditate commendes, qua debent desiderabilia salutis verba, vel auribus nostris indesinenter infundi, vel de nostro ore iugiter proferri. Quamuis enim adhibeatur sanctarum rerum crebra narratio, numquam tamen animæ, sitim veræ scientiæ sustinenti, satietas generabit horrorem, sed ea quotidiè velut noua ac desiderata suscipiens, quanto frequentius hauserit, tãtò auidius vel audiet vel loquetur, & confirmationem potius
Prouerb. 27. perceptæ scientiæ ex eorum repetitione quàm vllum ex frequenti capiet collatione fastidium. Euidens namque est tepidæ ac superbæ mentis indicium, si verborum salutarium medicinam, quãuis studio nimiæ assiduitatis ingestam, fastidiosè
* *fami* negligenterque suscipiat. Anima enim quę in satietate est* fauis illudit, animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur. Si itaque hæc diligenter excepta, & in recessu mentis condita atq; indicta, fuerint taciturnitate signata, postea vt vina quædam suauè olentia & lætificantia cor hominis, cùm sensus canitie & patientiæ fuerint vetustate decocta, cum magna sui fragrantia de vase tui pectoris proferentur, & tãquam perennis fons de experientiæ venis & irriguis virtutum meatibus redundabunt, fluentaq; continua velut de quadam abysso tui cordis effundent. Eueniet namque in te illud quod in Pro-
Prouerb. 5. uerbiis ad illum dicitur, qui hæc opere consummauit, Bibe aquas de tuis vasis, & de puteorum tuorum fonte, superefluãt tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas pertranseant
Isaiæ 58. aquæ tuæ. Ac secundum Isaiam prophetam, eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ, & ædificabuntur in te deserta à seculis, fundamẽta generationis
& ge-

& generationis suscitabis, & vocaberis ædificator sepiũ, auertens semitas iniquitatum. Illa etiam tibi beatitudo proueniet, quam idem propheta promittit: Et non faciet Dominus auolare à te vltrà doctorem tuum,& erunt oculi tui videntes præceptorem tuum,& aures tuæ audient verbũ post tergum monentis. Hæc via ambulate in ea,neq; ad dextram neque ad sinistram. Atque ita fiet vt non solùm omnis directio ac meditatio cordis tui, verum etiam cunctæ euagationes atque discursus cogitationum tuarum, sint tibi diuinæ legis sancta & incessabilis ruminatio. *Isaia 30.*

Quòd immunda anima neque tradere neque percipere possit scientiam spiritalem. CAP. XIIII.

IMpossibile est autem hæc,sicut præfati sumus,inexpertum quenquam vel agnoscere vel docere. Nam qui ne ad percipiendum quidem capax est,quomodo erit idoneus ad tradendum? De quibus tamen etiamsi aliquid docere præsumpserit, inefficax proculdubiò & inutilis vsque ad aures tantummodo audiẽtium eius sermo perueniet, cor autem eorum penetrare non poterit,inertia operũ, & infructuositate suæ proditus vanitatis;quia non de thesauro bonæ promitur conscientiæ, sed de inani iactãtiæ præsumptione. impossibile nãq; est immundam animam quãtalibet desudauerit lectionis instãtia, adipisci sciẽtiam spiritalem. Nemo enim in vas fœtidum atq; corruptum vnguentum aliquod nobile, aut mel optimũ, aut pretiosi quicquam liquoris infundit. Facilius enim quãuis odoratissimam myrrham semel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminat, quàm vt aliquid ex eo suauitatis aut gratiæ ipsa cõcipiat; quia multò citius munda corrumpuntur,quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris nostri nisi prius fuerit ab omni fœtidissima vitiorũ contagione purgatum, nõ merebitur suscipere illud benedictionis vnguẽtum de quo dicitur per prophetam, Sicut vnguẽtum in capite quod descendit in barbam barbã Aaron, quod descendit in oram vestimẽti eius: nec illam scientiam spiritalem & eloquia scripturarum, quæ dulciora sunt super mel & fauum, impolluta seruabit. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci cũ tenebris? Quæ autẽ conuentio Christi ad Belial? *Psal. 132.* *Psal. 18.* *2. Cor. 6.*

Obiectio de eo quòd multi immundi scientiam habeant, & sancti nõ habeant. CAPVT XV.

GErmanus: Definitio ista nequaquam videtur nobis veritate fulciri,aut probabili ratione subnixa. Cùm enim omnes qui fidem Christi aut nequaquam suscipiunt,aut impia

dogmatum prauitate corrumpunt, immundi cordis esse manifestum sit, quomodo multi Iudæorum atque hæreticorum, vel etiam catholicorum qui diuersis vitiis inuoluuntur perfectam scripturarum scientiam consecuti, de spiritalis doctrinę magnitudine gloriantur; & econtra sanctorum virorum innumera multitudo, quorum cor ab omni peccatorum contagione purgatum est, simplicis fidei puritate * contenta, profundioris scientiæ ignorat arcana? Quemadmodum ergo stabit ista sententia, quæ scientiam spiritalem soli cordis tribuit puritati?

*contecta

Responsio quòd mali scientiam veram habere non possunt. CAP. XVI.

NEsteros: Haud rectè virtutem definitionis explorat, qui non omnia diligenter prolatæ sententiæ verba perpendit. Prædiximus namque huiusmodi homines disputandi tantùm habere peritiam & elocutionis ornatum, cæterum scripturarum venas & arcana spiritalium sensuum intrare non posse. Etenim vera scientia nō nisi à veris Dei cultoribus possidetur, quam is vtiq; non habet populus, cui dicitur, Audi popule stulte qui nō habes cor, qui habetis oculos & non videtis, & aures & non auditis. Et iterum: Quia tu sciētiam repulisti, & ego repellam te, ne mihi sacerdotio fungaris. Cùm enim in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi esse dicantur, quomodo is qui Christum inuenire contempsit, aut inuentum sacrilego ore blasphemauit, aut certè catholicam fidem immundis operibus polluit, veram scientiam assecutus esse credēdus est? Spiritus enim Dei disciplinæ effugiet fictū, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Non ergo alias ad scientiam spiritalem nisi hoc ordine peruenitur, quem vnus prophetarum eleganter expressit, dicens, Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientię. Primum ergo seminandum nobis est ad iustitiam, hoc est, vt actualem perfectionem operibus iustitię propagemus, deinde metenda est nobis spes vitę, id est, virtutum spiritalium fructus, expulsione vitiorū carnalium congregandi, & ita illuminare nobis lumen scientiæ poterimus. Quem ordinem etiam Psalmographus teneri debere decernit, dicens. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia eius. Non enim prius dixit, Beati qui scrutātur testimonia eius: & post intulit: Beati immaculati in via: sed prius, inquit, beati immaculati in via: per hoc euidenter ostēdens, neminem rectè posse ad perscrutanda Dei testimonia peruenire, nisi prius per actualē cōuersationem in via Christi immaculatus incedat. Hi ergo quos dixisti non istam quā immundi

Ierem. 5.
Ozeæ 4.
Coloss. 3.
Sapient. 1.
Ozeæ 10.
Psal. 118.

mundi habere non possunt, sed τῆς ψευδωνύμου, hoc est, falsi nominis sciētiam possident, de qua beatus Apostolus: O, inquit, *1. Timoth. 6.* Timothee depositum custodi, deuitās profanas vocū nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quod in Græco dicitur: ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. De istis ergo qui imaginem quādam scientiæ videntur acquirere, vel de his qui cum sacrorum voluminum lectioni ac memoriæ scripturarum diligenter insistant, carnalia tamen vitia non relinquunt, in prouerbiis eleganter exprimitur: Sicut inauris aurea in naribus suis, ita mulieri malè mo- *Prouerb. 11.* ratæ species. Quid enim prodest quempiam ornamentū eloquiorū cælestium & illam pretiosissimam scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus vel sensibus inhærēdo quasi immundissimā terram subigēdo confringat, aut cœnosis libidinum suarū polluat volutabris? Fiet enim vt id quod rectè vtentibus decori esse consueuit, non solùm istos ornare nō possit, verumetiam maioris cœni colluuione sordescat. Ex *Eccl. 15.* ore enim peccatoris non est pulcra laudatio: Cui dicitur per prophetam, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testa- *Psal. 49.* mētum meū per os tuum? De huiusmodi animabus, quæ nequaquam stabiliter timorem Domini possidentes (de quo dicitur: Timor Domini disciplina & sapientia est) scripturarum *Eccl. 1.* acquirere sensum de iugi earum meditatione conantur, satis propriè in prouerbiis memoratur: Vt quid fuerunt diuitiæ insipienti? Possidere enim sapientiam excors non poterit. Intantum verò ab illa eruditione seculari quæ carnalium vitiorum sorde polluitur, vera hæc & spiritalis scientia submouetur, vt eam in nonnullis elinguibus ac penè illiteratis sciamus nonnumquam mirabiliter viguisse. Quod in Apostolis multisq; etiam sanctis viris euidentissimè comprobatur, qui non inani philosophorum delectabantur luxuria, sed veris spiritalis sciētiæ fructibus curuabantur. De quibus & in Actibus Apostolorum scriptum est: Videntes autem Petri constātiam & Ioan- *Actor. 4.* nis, & comperto quòd homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur. Et idcirco si tibi curæ est ad eius immarcescibilem flagrantiam peruenire, cunctis primum conatibus elabora, vt à Domino puritatem castitatis obtineas. Nullus enim *Prouerb. 14.* in quo adhuc carnalium passionum & maximè fornicationis dominatur affectus, spiritalem poterit scientiam possidere. In corde enim bono requiescet sapientia, & qui timet Deum, inueniet scientiam cum iustitia. Hoc autem quo prædiximus ordine ad spiritalem scientiam perueniri, etiam beatus Apostolus docet. Nam cum vniuersarū virtutum suarū non solùm

cata-

catalogum texere, verum etiam ordinem earum vellet exponere, vt quæ quam sequeretur, vel quę quam parturiret exprimeret, pòst aliquanta intulit, dicens, In vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta. In qua coniugatione virtutum euidentissimè nos voluit erudire, de vigiliis atque ieiuniis ad castitatem, de castitate ad scientiam, de scientia ad longanimitatem, de longanimitate ad suauitatem, de suauitate ad spiritum sanctum, de spiritu sancto ad caritatis nō fictæ præmia peruenire. Cū igitur hac disciplina atque hoc ordine tu quoq; perueneris ad scientiam spiritalem, habebis proculdubiò, sicut diximus, nec sterilem, nec inertem, sed viuam fructuosamque doctrinam, semenque salutaris verbi, quod cùm à te fuerit audientium cordibus commēdatum, subsequens spiritus sancti imber largissimus fecundabit, ac secundum id quod pollicitus est propheta, dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra, & panis frugum terræ tuæ erit vberrimus & pinguis.

2. Cor. 6.

Isaiæ 30.

Quibus ratio perfectionis debeat aperiri. CAP. XVII.

CAue etiam ne hæc quæ tam lectione, quàm experientiæ sudore didiceris, cùm te ætas maturior prouexerit ad docendum, vanæ gloriæ seductus amore, immundis hominibus passim ingeras, illudque quod sapientissimus Salomon interdixit, incurras: Noli applicare impium ad pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris. Non enim expediunt stulto deliciæ, nec opus est sapientia vbi deest sensus. Magis enim dicitur insipientia, quia seruus durus non emendabitur verbis. Si enim intellexerit, non obediet. Et, In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne fortè irrideat sapientes sermones tuos: Et ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos. Oportet itaque vt huiusmodi hominibus spiritalium sensuum contegens sacramenta efficaciter canas: In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi. Sed dicis forsitan: Et quibus diuinarum scripturarum dispensanda sunt sacramenta? Docet te sapientissimus Salomon: Date, inquit, ebrietatem his qui in tristitia sunt, & vinum bibere his qui in doloribus sunt, vt obliuiscantur paupertatis, & dolorum suorum non meminerint amplius, id est, his qui pro pœnitudine actuum pristinorum mærore atque tristitia deprimuntur, spiritalis scientiæ iocunditatem, velut vinum quod lætificat cor hominis, affluenter infundite, eosque salutaris verbi crapula refouete, ne fortè iugitate mæroris ac lethali despe-

Prouer. 19.
Prouer. 29.
Matth. 7.
Psal. 118.
Prouer. 31.
Psal. 103.

desperatione demersi, abundantiore absorbeantur tristitia, qui eiusmodi sunt. De illis verò qui in tepore ac negligentia constituti, nullo cordis sui dolore mordētur, ita dicitur, Nam qui suauis & sine dolore est, in egestate erit. Quanta potes igitur cautione deuita, vt ne vanæ gloriæ amore detentus, illius quē propheta collaudat, particeps esse non possis, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Omnis enim qui eloquia Dei (de quibus dicitur, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum) humanę laudis amore dispensat, pecuniam suam erogat ad vsuram, nō solùm nulla pro hac laude præmia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecuniā Domini maluit profligare, vt ex ea temporalem consequeretur ipse mercedem, non vt Dominus, sicut scriptum est, veniens, reciperet quod suum est cum vsura.

2. Cor. 2. *Prouerb. 21.* *Psal. 14.* *Psal. 11.* *Luca 19.*

Quibus de causis spiritalis doctrina infructuosa sit.

CAPVT XVIII.

DVabus autem ex causis inefficacem spiritalium rerum constat esse doctrinam. Nam aut ille qui docet inexperta commendans, vano verborum sono instruere nititur auditorem, aut certè nequam ac vitiis refertus auditor, salutarem spiritalis viri sanctamque doctrinam obturato corde non recipit. De quibus dicitur per prophetam, Excæcatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos cōcluserunt, nequando videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos.

Isaiæ 6.

Quòd plerumque etiam indigni gratiam salutiferi sermonis accipiant.

CAPVT XIX.

NOnnumquā tamen dispensatoris nostri Dei, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, munifica liberalitate conceditur, vt is qui indignum se prædicationi euangelicæ reprehensibili conuersatione præbuit, pro salute multorum spiritalis doctrinæ gratiam consequatur. Quibus autem modis etiam charismata curationum ad expellendos dæmones a Domino concedantur, consequens est vt simili disputatione pandamus, quam consurgentes ad refectionem in vesperam reseruemus; quia efficacius semper corde concipitur, quicquid sensim & absque nimio labore corporis intimatur.

1. Tim. 2.

Collationis primæ Abbatis Nesterotis de spiritali scientia finis.

COL-

COLLATIO XV.

QVÆ EST SECVNDA ABBATIS NESTEROTIS DE CHARISMATIBVS DIVINIS.

Capvt I.



Ost synaxin vespertinam ad repromissam narrationem intenti, psiathiis pariter ex more consedimus. Cumque silentium aliquantisper pro senis reuerentia præberemus, taciturnitatem verecundiæ nostrę tali præuenit eloquio. Vsque ad spiritalium rationem charismatum proferendam, præcedens disputationis ordo peruenit, quam tripartitam esse maiorum traditione percepimus. Prima siquidem curationum causa est, cùm pro merito sanctitatis, electos quosque ac iustos viros signorum gratia comitatur, sicut Apostolos, multosque sanctorum signa ac prodigia secúdum auctoritatem Domini fecisse manifestum est, ita dicentis, Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Secúda cùm ob ædificationem ecclesiæ, vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curádi sunt fidē, sanitatū virtus etiā à peccatoribus indignisq; procedit. De quibus Saluator in Euangelio: Multi, inquit, dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquā noui vos: Discedite à me operarij iniquitatis. Et econtrariò si offerentium vel infirmorum desit fides, etiam illos quibus curationum dona collata sunt, non sinit sanitatum exercere virtutem. De qua re Lucas euangelista: Et non poterat, inquit, Iesus facere inter eos virtutes propter incredulitatem illorū. Vnde idem Dominus: Multi, inquit, leprosi erant in Israël sub Heliseo propheta, & nemo eorū mundatus est nisi Naaman Syrus. Tertius curationum modus, etiam colludio dæmonum ac factione simulatur, vt dum homo manifestis criminibus obligatus propter admirationem signorum sanctus ac Dei famulus creditur, etiam vitiorum eius æmulatio suadeatur, & per hoc obtrectationis* aditu reserato, etiam religionis sanctitas in-

Margin notes: *Matth.* 10. (beside "cisse manifestum est"); *Matth.* 7. (beside "bus Saluator in Euangelio"); *Luca* 4. (beside "tutem. De qua re"); *Matth.* 13. (beside "Vnde idem Dominus"); *auditu (beside "per hoc obtrectationis")

tas infametur, vel certè, vt is qui curationum dona habere se credit, per superbiam cordis elatus grauius elidatur. Inde est quòd inuocantes eorum nomina, quos nulla merita sanctitatis, nec vllos spiritales fructus habere cognoscunt, vri se eorum meritis, ac de obsessis simulant corporibus effugari. De quibus in Deuteronomio: Si surrexit, inquit, in medio tui propheta, *Deuter.13.*
aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est: & dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat, vtrum diligatis eum an nõ in toto corde & in tota anima vestra. Et in euãgelio: Exurgent, *Matth.24.*
inquit, pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

In quo quis sanctos viros debeat admirari.

CAPVT II.

QVapropter numquam debemus eos qui hoc affectant, in his virtutibus admirari, sed potius intueri, vtrum vitiorum omnium expulsione, & morum emendatione perfecti sint. Quod vtique non pro alterius fide, aut diuersitate causa- *1.Cor.13.*
rum, sed pro vniuscuiusq; studio Dei gratia dispensante conceditur. Hæc namque est actualis scientia, quæ alio vocabulo caritas ab Apostolo nũcupatur, & vniuersis linguis hominum & angelorum, & plenitudini fidei quæ etiam montes transferat, & omni scientiæ ac prophetiæ & erogationi omnium facultatum, ipsique postremò glorioso martyrio apostolica auctoritate præfertur. Nam cum dinumerasset vniuersa charismatum genera, atque dixisset: Alij datur per spiritum sermo *1.Cor.12.*
sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, & reliqua, de caritate dicturus, quemadmodum eam cunctis prætulerit charismatibus, paucis aduertite. Et adhuc, inquit, supra modum excellentiorem vobis *Ibidem.*
viam demonstro. Per quod euidenter ostenditur perfectionis ac beatitudinis summam, non in illorum mirabilium operatione, sed in caritatis puritate consistere. Nec immeritò: Omnia enim illa euacuanda ac destruenda sunt, caritas verò perpetuo permansura. Ideoque à patribus nostris opera ista signorum nequaquam vidimus affectata, quinimo cum ea spiritus sancti gratia possiderent, numquam exercere voluerunt, nisi fortè extrema illos & ineuitabilis necessitas coarctasset.

De susci-

De suscitato mortuo ab Abbate Machario.

CAPVT III.

SIcut & ab Abbate Machario qui habitationem Scythioticæ solitudinis primus inuenit, mortuum suscitatum esse reminiscimur. Nam cùm hęreticus quidā qui Eunomij perfidiam sectabatur, sinceritatem catholicæ fidei arte dialecticā subuertere conaretur, magnamq́ue iam hominum multitudinem decepisset, rogatus à catholicis viris, qui ruina tantæ subuersionis grauissimè mouebantur, beatus Macharius, vt simplicitatem totius Aegypti ab infidelitatis naufragio liberaret, aduenit. Quem cùm hæreticus arte dialectica fuisset aggressus, & Aristotelicis ignorantem spinis vellet abducere, beatus Macharius apostolica multiloquium eius * breuitate concludens, Non est, inquit, in verbo regnum Dei, sed in virtute. Eamus igitur ad sepulcra, & nomen Domini super mortuum qui primus inuentus fuerit inuocemus, ac, sicut scriptum est, ostendamus ex operibus fidem nostram, vt manifestissimè rectæ fidei documenta eius testimonio declarentur, & perspicuam veritatem non inani disputatione verborum, sed virtute signorum, & illo quod non potest falli indicio comprobemus. Quo audito, hęreticus coram circumstanti plebe pudore constrictus, cùm ad præsens præbere se condicioni propositæ simulasset assensum, seque affuturum in crastinum promisisset, postero die expectantibus vniuersis qui studiosius ad condictum locum, spectaculi huius cupiditate, confluxerant, exterritus de conscientia suę infidelitatis aufugit, ac protinus ab vniuersa Aegypto transmigrauit. Quem, cùm beatus Macharius vsque ad horam nonam cum populis præstolatus pro suā conscientia declinasse vidisset, assumens plebem quæ ab illo fuerat deprauata, ad condicta sepulcra perrexit. Hunc autem Aegyptiis morem Nili fluminis inuexit alueus, vt quoniam vniuersa illius latitudo terræ instar immensi pelagi, non paruo anni tempore solita aquarum eruptione contegitur, ita vt nulla tunc cuiquā humandi copia humani corporis tribuatur, nisi post transuectionem decursam, corpora verò mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis recondantur. Nam madens ebrietate contigua terræ illius, solum humandi arcet officium. Si qua enim cadauera defossa susceperit, euomere ad superficiem suam inundationum nimietate compellitur. Cùm igitur antiquissimo cuidam cadaueri beatus Macharius astitisset, ait: O homo, si venisset huc mecum hęreticus ille filius perditionis, & astante ipso nomen Christi Dei mei inuocans exclamassem, vtrum ne coram his qui

Lepidum exemplum.

*autoritate

1. Cor. 4.

Iacob. 2.

qui pæne eius fuerāt fraude subuersi, surrecturus fuisses, edicito. Tum ille consurgens, annuentis voce respondit. Quem interrogans Abbas Macharius, quídnam fuisset aliquādo cùm frueretur hac vita, vel qua hominum fuisset ætate, aut si nomen Christi tunc temporis cognouisset? ille se sub antiquissimis regibus vixisse respondit, Christique nomen asseruit illis se nec audisse temporibus. Cui rursus Abbas Macharius, Dormi, inquit, in pace cum cæteris in tuo ordine, à Christo in fine temporum suscitandus. Hæc igitur eius virtus & gratia quātum in ipso fuit, semper fortasse latuisset, nisi eum necessitas totius prouinciæ periclitantis, & erga Christum plena deuotio amorque sincerus, istud exercere miraculum compulisset. Quod vtique vt ab eo fieret, non ostentatio gloriæ, sed caritas Christi & totius plebis extorsit vtilitas, vt beatū quoq; Heliam fecisse Regum lectio manifestat, qui ignem de cælo super hostias impositas purè, idcirco descendere postulauit, vt periclitantem pseudoprophetarum prestigiis fidem totius populi liberaret. 3.Reg.18.

De miraculo quod Abbas Abraham in mulieris fecit vberibus.

CAPVT IIII.

QVid etiam Abbatis Abrahæ gesta commemorem, qui Πλαὶς, id est, simplex, pro simplicitate morum & innocentia, cognominatur? Qui cùm metendi gratia ad Aegyptum de eremo diebus quinquagesimę perrexisset, & à muliere quadam paruulum suum lactis inopia iam tabidum atque seminecem præferente, lacrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum impresso crucis signaculo dedit, cuius haustu confestim mirum in modum arida iam penitùs vbera copia lactis redundante confluxerunt.

De claudi cuiusdam curatione, quam idem est operatus.

CAPVT V.

VEl cùm idem ipse pergens ad vicum, circumdatus est illudentium turbis, qui subsannātes ostendebant ei quendam hominem contracto genu, multis iam annis gressus officio destitutum, & antiqua debilitate reptantem, ac tentantes eum, Ostende, aiebant, Abba Abraham si seruus es Dei, & restitue hunc pristinæ sanitati, vt nomen Christi quem colis, vanum non esse credamus. Tunc ille cōfestim inuocato Christi nomine, inclinans se & apprehendens aridum pedem hominis traxit, cuius tactu continuò siccum genu curuumque directum est, ac recepto vsu gressuum, quem obliuioni iam tradiderat annosa debilitas, lætus abscessit.

Quòd meritum vniuscuiusque non ex signis debeat æstimari.

CAPVT VI.

HI itaque viri nihil sibi pro talium mirabilium virtute donabant, quia nō hæc suo merito agi, sed Domini misericordia fatebantur, apostolicis verbis in admiratione signorum humanam gloriam refutantes. Viri fratres, inquiūt, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Nec quenquam in donis ac mirabilibus Dei, sed potius ex propriis virtutum fructibus prædicandum esse censebāt, qui industria mentis & operum virtute generantur. Plerumq; enim, vt suprà iam dictum est, homines mente corrupti ac reprobi circa fidem, in nomine Domini & dæmonia expellunt, & virtutes maximas operantur. De quibus cùm Apostoli causarentur & dicerent, Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum, licèt eisdem ad præsens respōderit Christus, Nolite prohibere; qui enim non est aduersum vos, pro vobis est, tamen eis in fine dicentibus, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? responsurum se esse testatur, quia numquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Et idcirco etiam istos quibus hanc gloriam signorum atque virtutum pro merito sanctitatis ipse concessit, ne in his extollantur admonet, dicēs, Nolite gaudere quia dæmonia vobis subiiciuntur, gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Actor. 3. *Lucæ 9.* *Matth. 7.* *Lucæ 10.*

Quòd charismatum virtus non in mirabilibus, sed in humilitate consistat.

CAPVT VII.

DEnique ipse auctor signorum omnium atque virtutum, cùm ad doctrinæ suæ magisterium discipulos aduocaret, quid ab eo veri atq; electissimi sectatores peculiariter discere deberent, euidenter ostendit: Venite, inquit, & discite à me, non vtique vt dæmones cælesti potestate pellatis, non vt leprosos emūdetis, non vt cæcos illuminetis, non vt mortuos suscitetis. Hæc enim etiamsi per quosdam seruos meos operor, non potest se inserere laudibus Dei humana condicio, nec vllam sibi in hoc minister & famulus decerpere portionē, vbi solius diuinitatis est gloria. Vos autem, inquit, hoc discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc enim est quod cunctis generaliter discere & exercere possibile est, opera autem signorum atque virtutum, nec semper necessaria, nec omnibus cōceduntur. Humilitas est ergo omnium magistra virtutum, ipsa est cælestis ædificij firmissimum fundamētum, ipsa est do-

Matth. 11.

Humilitas dono miraculorū sublimior est.

est donum proprium atque magnificum Saluatoris. Ista etenim vniuersa miracula quæ Christus operatus est, sine periculo elationis exercet, qui mitem Dominum, non sublimitate signorum, sed patientiæ atq; humilitatis virtute sectatur. Qui verò immundis spiritibus imperare, aut languentibus sanitatum dona conferre, aut aliquod signum mirabile populis gestit ostendere, quamuis in ostẽtationibus suis Christi inuocet nomen, tamẽ alienus à Christo est, quia humilitatis magistrũ superba mente non sequitur. Nam etiam cùm ad patrem remeans quoddam, vt ita dixerim, conderet testamentum, hoc discipulis dereliquit. Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Statimq; subiunxit, In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Non ait, si signa atque virtutes similiter feceritis, sed si dignam dilectionem inuicem habueritis, quam certũ est nisi mites atq; humiles seruare non posse. Quapropter numquam monachos probos nec morbo cenodoxiæ vacuos nostri maiores esse dixerunt, qui semetipsos exorcistas coram hominibus profitentur, & inter admirantium turbas hanc quam vel meruerunt, vel præsumpserunt gratiã iactantissima ostentatione diffamant; sed incassum. Qui enim innititur mendaciis, hic pascet ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes. Sine dubio enim eueniet eis illud quod in Prouerbiis dicitur, Sicut venti & nubes & pluuiæ manifestissimæ sunt, ita qui gloriatur in dato falso. Et ideo si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis, nec vtrum dæmonia ei subiecta sint, sed vtrum caritatis membra quæ describit Apostolus, possideat inquirendum.

Ioan. 13. *Prouerb. 10.* *Prouerb. 25.* *1. Cor. 13.*

Quòd mirabilius sit de semetipso vitia, quàm de altero dæmones extrusisse.

CAPVT VIII.

ET reuera maius miraculum est de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis; & magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiç cohibere, quàm aëreis principatibus imperare; plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quàm valetudines alterius febresque corporeas expulisse. Postremò multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior eius est salus; quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, tanto grauioris ac perniciosioris est & ruinæ.

Quantum præcellat vitæ probitas opera signorum.

CAPVT IX.

Lucæ 10. ET de illis quidem curationibus ita beatissimis Apostolis dicitur, Nolite gaudere quia dæmonia vobis subiiciuntur. Hoc enim faciebat non eorum potestas, sed virtus Dominici nominis inuocati, & idcirco monentur, vt ex hac parte nihil sibi beatitudinis aut gloriæ audeant vendicare, quæ Dei tantùm potentia ac virtute perficitur, sed ex illa vitæ suæ cordisque intima puritate, ob quam nomina eorum inscribi merentur in cælis.

Reuelatio de perfectæ castitatis experimento.

CAPVT X.

ET vt hoc ipsum quod diximus vel testimoniis veterum, vel diuinis oraculis approbemus, quid beatus Pafnutius vel de admiratione signorum, vel de gratia senserit puritatis, imò quid angeli reuelatione cognouerit, ipsius verbis atque experimentis rectius proferamus. Hic namque ita multis vigens annis districtione præcipua, vt crederet se etiam carnalis concupiscētiæ laqueis penitùs absolutum, eo quòd cunctis infestationibus dæmonum, quibus diu aperteq; conflixerat, superiorem se factum esse sentiret, dum aduenietibus viris sanctis pulmentum lenticulæ quod illi Atheran nominant, præpararet, manus eius in clibano, vt assolet, flamma superuolitāte, combusta est. Quo facto tristificatus, magnum in modum cœpit secum tacitus voluere, cur ignis, inquiens, mecum non habet pacem, cùm diriora mihi dæmonum cesserint prœlia? aut quemadmodum me in illo metuendo examinis die per se trāsiturum ille ignis inextinguibilis, & inquisitor meritorum omniū non tenebit, cui nunc extrinsecus hic tēporalis ac paruulus non pepercit? Cumq; æstuanti huiuscemodi cogitationibus atq; tristitia sopor subitus obrepsisset, aduenieēs angelus Domini, cur, inquit, Pafnuti tristis es, quòd nec dum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cùm adhuc resideat in mēbris tuis carnalium motuum necdum ad purum excocta commotio? Cuius radices donec in tuis viuunt medullis, ignem istum materialem nequaquam tibi pacificum esse permittēt. Quem vtique innoxium aliàs sentire non poteris, nisi omnes internos motus his indiciis in temetipso experiaris extinctos. Vade & apprehende nudam & pulcherrimam virginem, & si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, huius quoque visibilis flammę mitis atq; innoxius in modum illorum trium in Ba-

Daniel. 3. bylonia puerorum te allambet attactus. Itaq; senex ex huius-modi

modi reuelatione perculsus, non quidem experimenti diuinitùs demonstrati pericula consuluit, sed interrogans conscientiam suam, & puritatem sui cordis examinans, nec adhuc pondus castimoniæ suæ huius probationis ponderi compensare coniectans: non mirum est, ait, si cedentibus mihi immundorum spirituum prœliis, adustiones ignis quas dirissimis congressibus dæmonum inferiores esse credebam, adhuc aduersum me senserim sæuientes. Maior quippe est virtus ac sublimior gratia, internã libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinsecus irruentes, signo Domini ac virtutis altissimę potentia subiugare, vel de obsessis corporibus nominis diuini inuocatione propellere. Huc vsq; Abbas Nesteros orationem de vera charismatum operatione consummãs, nos ad cellã senis Ioseph, quæ sex fermè millibus ab ipso erat properantes, doctrinæ suæ institutione prosecutus est.

Collationis secundæ Abbatis Nesterotis de charismatibus diuinis finis.

COLLATIO XVI.

QVÆ EST PRIMA ABBATIS IOSEPH DE AMICITIA.

CAPVT I.

BEATVS Ioseph, cuius nunc instituta ac præcepta pandenda sunt, vnus ex tribus quorum in prima collatione fecimus mentionem, claræ admodum familiæ, ac primarius ciuitatis suæ intra Aegyptum fuit, quæ appellatur Thymus, & ita non solùm Aegyptia, sed etiam Gręca facundia diligenter edoctus, vt vel nobis, vel his qui eloquentiam Aegyptiam penitùs ignorabant, non vt cæteri per interpretem, sed per semetipsum elegantissimè disputaret. Qui cùm institutionem suam nos desiderare sensisset, percunctatus primum, vtrùmnam essemus germani fratres, audiensque à nobis quòd non carnali, sed spiritali essemus fraternitate deuincti, nosque ab exordio renunciationis nostrę, tam in peregrinatione, quæ ab

vtroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta, quàm in cœnobij studio indiuidua semper coniunctione sociatos, tali vsus est sermonis exordio.

Disputatio eiusdem senis de infido amicitiarum genere.

CAPVT II.

AMicitiarũ ac sodalitatis multa sunt genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectũr. Quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ post etiam amicitiæ fecit inire commercia. In quibusdam verò contractus quidam seu dati acceptíve *depactio, caritatis fœdera copulauit. Quosdam negotiationis seu militiæ vel artis ac studij similitudo atque communio amicitiarum vinculis nexuerunt, per quam ita etiã effera sibi inuicem corda mãsuescunt, vt etiam hi qui in siluis ac mõtibus latrociniis gaudent, & effusione humani sanguinis delectantur, suorum scelerum participes amplectantur ac foueant. Est etiam dilectionis aliud genus, quod instinctu naturæ ipsius & consanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel coniuges, vel parẽtes, seu fratres, ac filij naturaliter cęteris pręferũtur, quod non solùm humano generi, verũetiam omnibus alitibus atque animãtibus inesse deprehẽditur. Nam pullos vel catulos suos naturali affectu instigante sic protegunt ac defendunt, vt frequenter pro ipsis etiam obiicere se periculis mortiq; non metuant. Deniq; etiam illa bestiarũ vel serpentiũ vel alitũ genera, quę intolerabilis feritas ac lethale virus ab omnibus separat & secernit, vt sunt basilisci, vel monocerotes, vel griphes, cùm etiam visu ipso cunctis perniciosa esse dicãtur, inter se tamen pro originis ipsius affectionisque consortio pacata & innoxia perseuerãt. Sed hæc omnia quę diximus genera caritatis, sicut malis ac bonis, feris etiam atq; serpentibus videmus esse communia, ita etiam vsq; in finem certũ est perseuerare nõ posse. Etenim interrumpit ea frequẽter ac diuidit locorũ discretio, & obliuio temporalis, & verbi vel causæ negotiorumq; contractus. Vt enim ex diuersis, vel lucri, vel libidinis, vel consanguinitatis, ac necessitudinum variarũ societatibus acquiri solent, ita intercedente qualibet diuortij occasione soluuntur.

*defectio siue pactio.

Vnde indissolubilis amicitia sit. CAP. III.

IN his igitur cunctis vnum genus est insolubile caritatis, quod nec commendationis gratia, nec officij vel munerum magnitudo contractusque cuiusquam ratio, vel naturæ necessitas iungit, sed sola similitudo virtutum. Hæc inquam est quæ in nullis vnquam casibus scinditur, quam non solùm dissociare vel delere locorum vel temporum interualla non præualent,

ualent, ſed ne mors quidem ipſa diuellit. Hæc eſt vera & indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concreſcit. Cuius ſemel initum fœdus, nec deſideriorum varietas, nec contentioſa dirumpet contrarietas voluntatum. Cæterum multos nouimus in hoc propoſito conſtitutos, qui cum pro caritate Christi flagrantiſſima eſſent ſodalitate deuincti, non perpetuò eam, nec indiruptè ſeruare potuerunt; quia licet bono ſocietatis principio niterentur, non tamē vno nec pari ſtudio arreptum propoſitum tenuerunt, fuitque inter eos quædam temporalis affectio, quia non æquali vtriuſq; virtute, ſed * vnius patientia ſeruabatur. Quæ quamuis ab vno magnanimiter atque infatigabiliter retentetur, neceſſe eſt tamen eam alterius puſillanimitate dirumpi. Infirmitates namque eorum qui tepidius perfectionis expetūt ſanitatem, quantalibet fortium tolerantia ſuſtententur, ab ipſis tamen qui infirmi ſunt non feruntur. Habēt enim inſitas ſibi commotionum cauſas, quæ eos quietos eſſe non ſinant, vt ſolent hi qui carnali ægritudine detinentur, ſtomachi ſui infirmitatiſque faſtidia, cocorum vel miniſtrantium negligentiis imputare; & quantalibet eis obſequentium ſollicitudo deſeruiat, nihilominus tamen ſanis cauſas ſuæ commotionis adſcribere, quas ſibi vtique vitio valetudinis ſuæ ineſſe non ſentiunt. Quamobrem hæc eſt amicitiæ, vt diximus, fida indiſſolubiliſque coniunctio, quæ ſola virtutum parilitate fœderatur. Dominus enim inhabitare facit vnius moris in domo. Et idcirco in his tantum indirupta poteſt dilectio permanere, in quibus vnum propoſitum ac voluntas, vnum velle ac nolle conſiſtit. Quam ſi vos quoque cupitis inuiolabilem retentare, feſtinandum eſt vobis vt expulſis primitùs vitiis, mortificetis proprias voluntates; & vt vnito ſtudio atque propoſito, illud quo propheta admodum delectatur, gnauiter impleatis, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quod non localiter, ſed ſpiritaliter oportet intelligi. Nihil enim prodeſt, ſi moribus ac propoſito diſſidentes vna habitatione iungantur, nec obeſt parili virtute fundatis, per locorum interualla diſiungi. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum vnita fratres habitatione coniungit; nec poteſt vnquam pacis integritas cuſtodiri, vbi voluntatum diuerſitas inuenitur.

* vniuſcuiuſque.

Pſal. 67.

Pſal. 132.

Interrogatio, vtrùm vtile aliquid etiam contra votum fratris effici debeat.

CAPVT IIII.

GErmanus: Quid ergo ſi vno volente perficere aliquid quod ſecūdum Deum cōmodum & ſalubre perſpexerit,

 alius

alius non præstet assensum, exequendúmne etiam contra votum fratris est, an pro eius arbitrio negligendum?

Responsio quòd perpetua amicitia nisi inter perfectos stare non possit.

CAPVT V.

IOseph: Idcirco diximus plenam atque perfectam amicitiæ gratiam nisi inter perfectos viros eiusdemque virtutis perseuerare non posse, quos eadem voluntas vnumque propositum, aut numquam, aut certè rarò diuersa sentire, aut in his quæ ad profectum spiritalis pertinent vitæ, patitur dissidere. Quòd si animosis cœperint contentionibus æstuare, liquet vtique eos numquam secundum regulam quam prædiximus fuisse concordes. Sed quia nemo potest à perfectione habere principium, nisi qui ab eius cœperit fundamento, & vos non quanta eius sit magnitudo, sed quemadmodum ad eam perueniri possit inquiritis, necessarium reor vt paucis regulam vobis eius ac tramitem quendam, per quem gressus vestri dirigantur, aperiam, vt patientiæ ac pacis bonum facilius obtinere possitis.

Quibus modis inuiolabilis possit societas retentari. CAP. VI.

PRima igitur sunt veræ amicitiæ in contemptu substantiæ mundialis & omnium quas habemus rerum despectione fundamina. Perquam enim iniustum atq; impium est, si post abrenunciatam mundi & omnium quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni supellex vilissima quæ * superfuit præferatur. Secũdum est, vt ita suas vnusquisque resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse iudicans suis malit quàm proximi definitionibus obedire. Tertium est, vt sciat omnia etiam quæ vtilia ac necessaria æstimat, postponenda bono caritatis ac pacis. Quartũ, vt credat nec iustis nec iniustis de caussis penitus irascendum. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generale vitiorũ omnium peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mũdo credat quotidiè migraturum. Quæ persuasio non solùm nullam in corde tristitiam residere permittit, verumetiam vniuersos cõcupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumq; tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec pati poterit nec inferre. His autẽ cessantibus cùm primum ille æmulus caritatis in cordibus amicorum tristitiæ sensim venena suffuderit, necesse est vt frequentibus iurgiis

*superfluit

Mortis assidua memoria vitiorũ omnium propulsatrix.

paulatim

paulatim dilectione tepefacta, amantium corda diu exulcerata quandoque dissociet. Nam qui per callem prædictæ directionis ingreditur, in quo ab amico vnquam suo poterit diffidere, qui primam litium caussam quæ ex paruulis rebus vilissimisque materiis generari solet, nihil suum vendicans radicitùs amputauerit, illud quod in Actibus Apostolorũ legimus de vnitate credentium omni virtute custodiens: Multitudinis autem credẽtium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebant aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia communia? Deinde queãdmodum ab eo seminarium dissensionis exurget, qui non suæ, sed fratris seruiens voluntati, Domini atque auctoris sui fuerit imitator effectus, qui loquens ex persona hominis quem gerebat, Non veni, inquit, vt facerem voluntatem meam, sed volũtatem eius qui me misit? Quo autem modo vllum contẽtionis fomitem suscitabit, qui de intelligentia ac sensu suo, non tam proprio iudicio quàm fratris *cedere decreuit examini, pro eius scilicet arbitrio, vel probans sua inuenta, vel improbans, & Euangelicum illud pij cordis humilitate consummans, verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis? Aut qua ratione aliquid quo frater mæstificetur admittet, qui bono pacis nihil iudicat esse pretiosius, Dominicæ illius sententiæ memoriam non amittens. In hoc cognoscẽt omnes quòd mei estis discipuli; si dilectionem habueritis adinuicem, per quam velut spiritali signaculo gregem ouium suarum in hoc mundo voluit Christus agnosci, atque hoc à cæteris, vt ita dixerim, charactere discerni? Qua verò ex caussa vel in se recipere vel in alio residere rancorem tristitiæ sustinebit, cui summa definitio est, iracũdiæ quæ perniciosa & illicita est, iustas caussas esse non posse, eodemque se modo succẽsente sibi fratre orare non posse, cùm quasi fratri suo ipse succenseat, irrogatam illam Domini saluatoris humili semper retinens corde sentẽtiam, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius recõciliari fratri tuo, & sic veniens offer munus tuũ? Nihil enim proderit si te quidem asseras non irasci, & credas te implere illud mandatùm quo dicitur, Sol non occidat super iracundiam vestram, &, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; alterius verò tristitiam quam delinire tua mansuetudine potuisti, contumaci corde despicias. Eodem namque modo præcepti Dominici præuaricatione plecteris. Qui enim te irasci aduersus alterũ non debere dixit, nec alterius contemni tristitiam debere dixit; quia non interest apud Deum, qui

Margin notes: *Actor.4.* — *Ioan.5.* — *credere — *Matth.26.* — *Ioan.13.* — *Matth.5.* — *Ephes.4.* — *Matth.5.*

omnes homines vult saluos fieri, vtrum te an alium quempiam perdas. Vnum siquidem cuiuslibet interitu ei nascitur detrimentum, itidemque illi cui grata omnium perditio est, vnum lucrum, vel tua vel fratris morte cōquiritur. Quemadmodum postremò poterit vel tenuem contra fratrem retinere tristitiam, qui se credit quotidiè imo continuò ab hoc seculo migraturum?

Quòd nihil caritati præponendum sit, nec iracundiæ postponendum.

CAPVT VII.

SIcut ergo nihil pręponendum est caritati, ita furori vel iracundię nihil est econtrariò postponendum. Omnia namq; quamuis vtilia ac necessaria videantur, spernenda tamen sunt, vt iræ perturbatio deuitetur; & omnia etiam quæ putātur aduersa suscipienda atque toleranda sunt, vt dilectionis pacisq; tranquillitas illibata seruetur; quia nec ira atque tristitia perniciosius quicquam, nec caritate vtilius credendum est.

Quibus de causis inter spiritales nascatur dissensio. CAP. VIII.

NAm quemadmodum carnales adhuc & imbecilles fratres ob vilem terrenamq; substantiam citò inimicus ille disiungit, ita etiam inter spiritales gignit pro intellectuum di-
Galat. 5. uersitate discordiam. Ex qua sine dubio contentiones rixæq; verborum, quas Apostolus damnat, plerumq; consurgunt; vnde consequenter diuortia inter vnanimes fratres hostis inuidus ac malignus interserit. Vera est namque sapientissimi Sa-
Prouerb. 10. lomonis illa sententia, Odium suscitat contentio, vniuersos verò qui non contendunt, protegit amicitia.

De amputandis etiam spiritalibus causis discordiarum. CAP. IX.

QVapropter ad conseruandam perpetuam & indiuiduam caritatem, nihil prodest primam causam amputasse dissidij, quę nasci solet de rebus caducis atque terrenis, & vniuersa despexisse carnalia, atque omnium quibus noster vsus indiget rerum, indiscretam communionem fratribus permisisse, nisi etiam secundam quæ sub specie spiritalium sensuum nasci solet, similiter abscindentes, acquisierimus in omnibus humilem sensum, & consonas voluntates.

De optimo examine veritatis. CAP. X.

MEmini namq; cùm me adhuc adhærere consortio fratrum ętas iunior hortaretur, huiusmodi nobis intelligētiam vel in moralibus disciplinis, vel in scripturis sacris frequenter insertam, vt nihil ea verius, nihilq; rationabilius crederemus. Sed cùm in vnum conuenientes sententias nostras promere cœpissemus, quædam communi examinatione discussa, primum ab altero falsa ac noxia notabantur, mox dein-

de vt

de vt perniciosa communi pronunciata iudicio damnabantur, quæ in tantum prius infusa à diabolo velut luce fulgebant, vt facilè potuissent generare discordiam, nisi præceptum seniorum velut diuinum quoddam oraculum custoditum ab omni nos contẽtione reuocasset, quo ab illis legali quadam sanctione præscriptum est, vt neuter nostrum plus iudicio suo quàm fratris crederet, si numquam vellet diaboli calliditate deludi.

Quòd impossibile sit quenquam qui proprio fidit iudicio, diaboli illusione non decipi. CAP. XI.

ETenim sæpe illud quod Apostolus dicit, probatũ est euenire: Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis, vt obscuram ac tetram caliginem sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter *effundat. Qui nisi humili & mansueto corde suscepti, maturissimi fratris vel probatissimi senioris reseruentur examini; & eorum iudicio diligenter excussi, aut abiiciantur, aut recipiantur à nobis, sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro angelo lucis angelum tenebrarum grauissimo feriemur interitu. Quam perniciẽ impossibile est euadere quempiam iudicio proprio confidentem, nisi humilitatis veræ amator & executor effectus, illud quod Apostolus magnopere deprecatur, omni contritione cordis impleuerit. Si qua ergo, inquit, consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriã, sed in humilitate superiores vobismetipsis alterutrum arbitrantes: Et illud, Honore alterutrum præuenientes, vt plus vnusquisq; consorti suo scientiæ & sanctitatis ascribens, summam discretionis veræ in alterius magis quàm in suo credat stare iudicio.

2. Cor. 11.

*offundat.

Philip. 2.

Rom. 12.

Quam ob causam non debeant inferiores in collatione contemni.

CAPVT XII.

SAepe autem accidit, siue illusione diaboli, siue intercessu erroris humani, quo nullus est in hac carne qui falli velut homo non possit, vt & ille interdum qui acrioris ingenij scientiæque maioris est, aliquid falsum mente concipiat, & ille qui tardioris ingenij ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusque persentiat. Et idcirco nullus sibi quamuis sciẽtia præditus, inani tumore persuadeat, quod possit collatione alterius nõ egere. Nam etiam si iudiciũ eius diabolica non fallat illusio, elationis tamen & superbiæ grauiores laqueos nõ euadet.

Quis

Quis enim hoc ſibi abſque ingenti poterit vſurpare pernicie, cùm vas electionis in quo Chriſtus, vt ipſe profeſſus eſt, lo-
2.Cor.13. quebatur, ob hoc ſolummodo ſe aſſerat Ieroſolymam cõſcendiſſe, vt cum ſuis coapoſtolis Euangelium, quod gentibus reuelante & cooperante Domino prædicabat, ſecreta examina-
Galat.2. tione conferret? Per quod oſtenditur non ſolum vnanimitatem atque concordiam per hæc præcepta ſeruari, verumetiam cunctas diaboli aduerſantis inſidias & illuſionum eius laqueos non timeri.

Quòd caritas non ſolùm res Dei, ſed etiam Deus ſit.

CAPVT XIII.

DEnique in tantum virtus caritatis extollitur, vt eam beatus Ioannes Apoſtolus non ſolùm rem Dei, ſed etiam
1.Ioan.4. Deum eſſe pronunciet, dicens, Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo. Nam vſq; adeò illam diuinam eſſe perſpicimus, vt illud Apoſtoli manifeſtiſſimè vi-
Rom.5. gere ſentiamus in nobis, quoniam caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis. Quod tale eſt, ac ſi dicat: Quoniam Deus diffuſus eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis. Qui etiam cùm ignoremus quid debeamus orare, interpellat pro
Roman.8. nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.

De gradibus caritatis. CAP. XIIII.

ILlam igitur caritatem quæ dicitur ἀγάπη, poſſibile eſt om-
Galat.6. nibus exhibere, de qua beatus Apoſtolus, Ergo dum tempus habemus, inquit, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Quæ in tantum omnibus eſt generaliter exhibẽda, vt eam etiam inimicis noſtris à Domino iubeamur
Matth.5. impendere: Nam diligite, inquit, inimicos veſtros. Διάθεσις autem, id eſt, affectio, paucis admodum, & his qui vel parilitate morum, vel virtutum ſocietate connexi ſunt, exhibetur, licèt etiam ipſa diatheſis, multam in ſe differentiam habere videatur. Aliter enim parentes, aliter coniuges, aliter fratres, aliter filij diliguntur, & in ipſa quoque horum affectuum neceſſitudine magna diſtantia eſt, nec vniformis parentum dilectio erga filios inuenitur. Quod etiã Iacob patriarchæ probatur exemplo, qui cùm eſſet duodecim filiorum pater, om-
Geneſ.37. neſque paterna caritate diligeret, tamen propenſiore Ioſeph dilexit affectu, vt de eo apertè ſcriptura cõmemoret: Inuidebant autem ei fratres ſui, eo quòd diligeret eum pater ſuus, ſcilicet non quòd vir iuſtus & pater non valde diligeret etiam

cæteram prolem, sed quòd huius quia typum Domini præferebat affectui dulcius quodammodo atque indulgentius inhæreret. Hoc etiam de Ioanne Euangelista legimus euidentissimè designari, cùm de ipso dicitur, Discipulus ille quem diligebat Iesus, cùm vtiq; etiam reliquos vndecim similiter electos ita præcipua dilectione complexus sit, vt hoc etiam euãgelica attestatione designet, dicens, Sicut dilexi vos, & vos diligite inuicem. De quibus & alibi dicitur, Diligens suos qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos. sed hæc vnius dilectio non erga reliquos discipulos teporem caritatis, sed largiorem erga hunc superabundantiam amoris expressit, quam ei virginitatis priuilegium & carnis incorruptio cõferebat. Quæ idcirco velut sublimior cum quadã exceptione signatur, quia non eam odij comparatio, sed affluentior gratia exuberantissimi amoris extollit. Tale quid etiam ex persona sponsæ legimus in Cantico canticorum, dicentis, Ordinate in me caritatem. Hæc enim est verè caritas ordinata, quæ odio habens neminem, quosdam meritorum iure plus diligit; quæque cùm generaliter diligat cunctos, excipit tamen sibi ex his quos debeat peculiari affectione complecti, & rursum inter ipsos qui in dilectione summi atque præcipui sunt, aliquos sibi, qui cęterorum affectui superextollantur excerpit.

Ioan. 13. *Ibidem.* *Ibidem.* *Cantic. 2.*

De his qui vel suam vel fratrum commotionem dissimulatione corroborant.

CAPVT XV.

E Contra nouimus, quod vtinam nesciremus, nonnullos fratrum tantæ esse obstinationis atque duritiæ, vt cùm vel suos aduersus fratrem, vel fratris aduersum se senserint animos excitatos, ad dissimulandam mentis suæ tristitiam, quę ex indignatione alterutræ commotionis exorta est, secedentes ab eis quos humili satisfactione atque colloquio lenire dębuerant, aliquos psalmorum incipiunt decantare versiculos. Qui dum conceptam cordis amaritudinem delinire se putãt, insultando augent, quod statim extinguere potuerunt si magis anxij atq; humiles esse voluissent; vt opportuna compunctio & ipsorum cordibus mederetur, & fratrum animos deliniret. Nam illo vtique modo pusillanimitatis imò superbiæ suæ vitium palpant, & nutriunt potius, quàm extirpant fomitem iurgiorum, Dominicæ illius præceptionis immemores qua ait, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: &, Si recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Matth. 5. *Ibidem.*

Quòd

Quòd fratre aduersum nos aliquid habente simultatis, munera orationum nostrarum à Domino respuantur. CAP. XVI.

IN tantum igitur non vult nos Deus noster alterius despectui habere tristitiam, vt si aliquid aduersum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi à nobis permittat offerri, donec de animo eius tristitiam iustè iniustéve conceptam, celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait, si habet veram querelam aduersum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; sed si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, etiam si leue aliquid ac vile sit quo fratris in te fuerit excitata commotio, & hoc memoriam tuam subita recordatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi prius qualibet ex causa ortam tristitiam de corde fratris benigna satisfactione depuleris. Si igitur euangelicus sermo etiam pro præterita & minima simultate, ac de exiguis oborta causis, satisfacere nos irascentibus iubet, quid de nobis miseris fiet, qui recentes & maximas causas nostroque errore commissas, pertinaci dissimulatione contemnimus, & inflati tumore diabolico, dum humiliari erubescimus, auctores nos fraternæ tristitiæ denegamus, ac rebelli spiritu subiici præceptis Domini dedignantes, nequaquam ea vel obseruari debere, vel impleri posse contendimus? Eoque fit vt iudicantes eum impossibilia vel incongrua præcepisse, efficiamur secundum Apostolum non factores, sed iudices legis.

Matth. 5.

Iacob. 4.

De his qui patientiam secularibus magis putant impendendam esse quàm fratribus. CAP. XVII.

ILlud quoq; quibus lacrymis est deflendum, quòd nonnulli fratrũ cùm fuerint contumelia cuiuslibet sermonis accensi, si alterius cuiuspiam qui eam lenire desiderat precibus fatigentur, cùm audierint nequaquam debere aduersus fratrem concipi retinerive tristitiam, secundum illud quod scriptum est, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, &, Sol non occidat super iracundiam vestram, proclamant illico: Si paganus aliquis, si secularis hoc fecisset, aut ista dixisset, rectè debuit sustineri. Quis autem ferat fratrem tam grauis conscium culpæ, aut tam insolens de ore conuicium proferentem? Quasi verò patientia infidelibus tantum, atq; sacrilegis, & non omnibus sit generaliter exhibenda, aut iracundia cõtra gentilem noxia, contra fratrem vtilis æstimanda, cùm vtiq; perturbatæ mentis obstinata commotio, non dissimile, contra quemuis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum. Quantæ autem obstina-

Matth. 5.
Ephes. 4.

ſtinationis, imo vecordiæ eſt, vt nec ipſam verborum proprietatem brutæ mentis ſtupore diſcernat. Quia non dicitur, Omnis qui iraſcitur alienigenæ, reus erit iudicio, quod fortaſſe poterat ſecundum illorum ſenſum, contra conſortes noſtræ fidei & conuerſionis excipere, ſed ſignificanter expreſſit euangelicus ſermo dicens, Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Licet itaque ſecundum regulam veritatis omnem hominem fratrem debeamus accipere, tamen hoc in loco magis fidelis ac noſtræ conuerſationis particeps quàm ethnicus fratris vocabulo deſignatur. *Matth. 5.*

De his qui patientiam mentientes, ad iracundiam fratres ſilentio accendunt.

CAPVT XVIII.

ILlud verò quale eſt, quòd interdũ patientes eſſe nos credimus, quia reſpondere cõtemnimus laceſſiti, ſed ita cõmotos fratres amara taciturnitatẽ, vel motu geſtuq; irriſorio ſubſannamus, vt eos magis ad iracundiam vultu tacito prouocemus, quàm tumida potuiſſent incitare cõuicia, in eo nos æſtimãtes minimè apud Deũ reos, quia nihil ore protulimus quod nos notare hominũ iudicio aut cõdemnare potuiſſet? Quaſi verò apud Deum verba tantũmodo, & nõ præcipuè voluntas vocetur in culpã, & opus ſolum peccati, & non etiã votum ac propoſitum habeatur in crimine, aut hoc tantũ quod vnuſquiſq; fecerit per loquelam, & nõ quod etiam per taciturnitatem facere ſtuduerit, in iudicio ſit quærendũ. Non enim ſola cõmotionis illatæ qualitas, ſed etiã propoſitum irritãtis in noxa eſt. Et idcirco non quemadmodũ iurgium fuerit excitatum, ſed cuius cõflagrauerit vitio, verũ iudicis noſtri perquiret examẽ. Effectus enim peccati, non ordo conſiderandus eſt admiſſi. Quid enim differt vtrũ quis gladio ipſe peremerit fratrẽ, an aliqua ad mortẽ fraude compulerit, cùm ipſius eum dolo vel crimine cõſtet extinctũ? Quaſi verò cæcum in præceps manu propria non impegiſſe ſufficiat, cùm ſimiliter reus ſit qui pronum & imminentem iam foueæ, cùm potuerit reuocare contempſerit; aut ille ſolus in crimine ſit qui manu ſua quẽpiam laqueauerit, & non etiam is qui vel parauerit vel ingeſſerit laqueũ, vel certè cùm potuerit auferre noluerit. Ita igitur tacere nihil prodeſt, ſi idcirco nobis indicamus ſilentium, vt quod agendum conuicio fuerat, hoc taciturnitate faciamus, aſſimilantes quoſdã geſtus, quibus & ille quem curare nos oportuit, vehementiori inardeſcat iracundia, & nos ſuper hæc omnia damno illius ac perditione laudemur; quaſi verò non etiam ex hoc ipſo quis criminoſior ſit, quòd gloriam ſibi de fratris voluerit perditione conquirere. Vtrique enim tale ſilentium

erit æqualiter noxium: quia ſicut exaggerat in alterius corde triſtitiam, ita in ſuo non permittit extingui. Contra quos illa
Abacuc 2. prophetæ ſatis propriè eſt directa maledictio: Væ qui potat amicum ſuum, mittens fel ſuum, & inebrians vt aſpiciat nuditatem eius, repletus eſt ignominia pro gloria. Illud quoque
Ierem. 9. quod per alium de talibus dicitur, Quia omnis frater ſupplātans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum irridebit, & veritatem non loquetur, extenderunt enim linguam ſuam quaſi arcum mendacij & non veritatis. Sæpe autem ficta patientia etiam acrius ad iracundiam quàm ſermo ſuccendit, & atrociſſimas verborum tranſcendit iniurias maligna taciturnitas; leuiuſque tolerantur inimicorum vulnera, quàm irridentium ſubdola blandimenta. De
Pſal. 54. quibus propriè dicitur per prophetam: Molliti ſunt ſermones
Prouer. 18. eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Et alibi: Verba callidorum
Ierem. 9. mollia, hæc autem feriunt in penetralia vētris. Quibus etiam illud poteſt eleganter aptari: In ore pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias, quibus tamen magis decipitur ipſe qui decipit. Nam qui præparat ante faciem amici ſui rete, circumdat illud pedibus ſuis; & qui fodit foueam proximo ſuo, incidet in eam ipſe. Denique cùm magna ad comprehendendum Dominum cum gladiis & fuſtibus multitudo
Iudæ traditoris in Dominū crudelitas. veniſſet, nemo in auctorem vitæ noſtræ illo cruentior extitit parricida, quàm qui cunctos ficto ſalutationis honore præueniens, oſculum ſubdolæ caritatis ingeſſit. Cui Dominus, Iu-
Lucæ 22. da, inquit, oſculo filium hominis tradis: id eſt, amaritudo perſecutionis atque odij tui, hoc tegmen aſſumpſit, quo dulcedo veri amoris exprimitur. Apertius quoque ac vehementius per
Pſal. 54. prophetam vim huius doloris exaggerat. Quoniam ſi inimicus, inquit, meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcōdiſſem me vtique ab eo. Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.

De his qui ex indignatione ieiunant.

CAPVT XIX.

ALiud quoque profanum triſtitiæ genus eſt, quod dignum commemoratione non fuerat, niſi id à nonnullis fratribus ſciſſemus admitti, qui cùm triſtificati fuerint vel irati, ab ipſo etiam pertinaciter abſtinent cibo, ita vt, quod etiam dicere abſque pudore non poſſumus, illi qui dum placidi ſunt refectionem cibi vſq; ad horam ſextam, vel vt multum nonam, negant

negant se posse differre, cùm fuerint tristitia vel furore suppleti, ieiunia etiam biduana non sentiant, tantamque inediæ defectionem iracundiæ satietate sustentent. In quo planè sacrilegij crimen euidenter incurrunt, ieiunia scilicet quæ soli Deo pro humiliatione cordis & purgatione vitiorum sunt specialiter offerenda, pro diabolico tumore tolerantes. Quod tale est, ac si orationes atque sacrificia non Deo, sed dęmoniis deferant, illamq; Mosaicam increpationem mereantur audire, Sacrificauerunt dæmoniis, & nõ Deo, diis quos ignorabãt. *Ieiunium cultus Dei est.* *Deuter. 32.*

De quorundam simulata patientia qua maxillam verberandam alteram ingerunt. CAPVT XX.

NOn ignoramus etiam aliud dementiæ genus, quod sub colore fucatæ patientiæ in nonnullis fratribus inuenitur, quibus parum est iurgia commouisse, nisi etiam instigatoriis verbis vt feriantur irritent: cùm * vtique vel leui fuerint impulsione contacti, aliam quoque partem corporis ingerunt verberandam, quasi per hoc perfectionem mandati illius impleturi quo dicitur, Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: scripturæ vim ac propositum penitus ignorantes, Euangelicam namque patientiam per iracundiæ vitium exercere se putant. Ob quod radicitus excidendum, non solum vicissitudo talionis, & concertandi irritatio prohibetur, sed etiam furorem verberantis geminatæ iubemur iniuriæ tolerantia mitigare. * itaque *Matth. 5.*

Interrogatio, quemadmodum Christi mandatis obtemperantes Euangelica perfectione fraudentur. CAP. XXI.

GErmanus: Quomodo reprehendendus est is qui pręcepto satisfaciens Euangelico, non solùm non intulit talionem, sed etiam paratus est vt sibi geminetur iniuria?

Responsio, quòd Christus non solùm facti, sed etiam volũtatis inspector sit. CAPVT XXII.

IOseph: Sicut paulo antè dictum est, non solùm res ipsa quę geritur, sed etiam qualitas mentis & propositum facientis est intuendum. Et idcirco si id quod ab vnoquoque perficitur, quo animo fiat, vel quo procedat affectu, intimo perpendatis cordis examine, videbitis patientiæ lenitatisque virtutem nequaquàm posse contrario spiritu, id est, impatientiæ ac furoris impleri. Siquidem Dominus noster atque Saluator ad profundam nos instruens patientiæ lenitatisque virtutem, id est, non vt labiis eam tantummodo præferamus, sed vt intimis animæ nostræ abditis recondamus istam no-

bis perfectionis Euangelicæ formulam dedit, dicens, Si quis
Matth. 5. te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, subauditur sine dubio, dexteram. Quæ alia dextera, nisi interioris hominis, vt ita dixerim, facies potest accipi? Per hoc omnem penitus iracundiæ fomitem de profundis cupiens animæ penetralibus extirpare, id est, vt si exterior dextera tua impetum ferientis exceperit, interior quoque homo per humilitatis assensum dexteram suam præbeat verberandam, compatiens exterioris hominis passioni, & quodammodo succumbens atque subiiciens suum corpus ferientis iniuriæ, ne exterioris hominis cæde vel tacitus intra moueatur interior. Videtis ergo longè eos ab Euangelica perfectione distare, quæ patientiam docet, non verbis, sed interiore cordis tranquillitate seruandam, eamque à nobis cùm quid aduersi euenerit ita præcipit custodiri, vt non solùm nosmetipsos alienos ab iracũdiæ perturbatione seruemus, sed etiam illos qui suo commoti sunt vitio succumbentes, iniuriis eorum ad placiditatem expleta cædis satietate cogamus, furorem eorum nostra lenitate vincentes. Et ita etiam illud
Rom. 12. Apostolicum implebimus, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quod ab iis impleri non posse certissimum est, qui illo spiritu ac tumore verba lenitatis atque humilitatis emittunt, vt non solùm non mitigent conceptum furoris incẽdium, sed magis illud tam in suo quàm in fratris commoti sensu faciant conflagrare, qui tamen etiam si possent aliquo modo ipsi mites ac placidi permanere, nec sic quidem aliquos iustitiæ fructus caperent, cum damno proximi patientiæ sibi gloriam vendicantes, & per hoc ab illa Apostoli-
1. Corinth. 13. ca caritate omnimodis alieni, quæ non quærit quæ sua sunt, sed ea quæ aliorum. non enim ita diuitias concupiscit, vt lucrum sibi de proximi faciat detrimento, nec acquirere quicquam cum alterius desiderat nuditate.

Quòd ille sit fortis & sanus qui succumbit alterius voluntati.

CAPVT XXIII.

SCiendũ sanè generaliter illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subiicit voluntatem, quàm eum qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior inuenitur. Ille enim sustentans ac tolerans proximum sani ac validi, hic autem infirmi & quodámodo ægrotantis obtinet locum, quem ita palpari necesse est ac foueri interdum, vt etiam à rebus necessariis pro eius quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari. In quo quidem non se credat quis aliquid de sua perfectione minuisse, tametsi quiddam de proposita districtio-

ſtrictione condeſcendendo ſummiſerit, ſed è contrario multo amplius ſe pro longanimitatis & patientiæ bono nouerit acquiſiſſe. Apoſtolicum namque præceptum eſt, Vos qui fortes Rom. 15. eſtis, imbecillitates infirmorũ ſuſtinete: & Alterutrum onera Galat. 6. veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nunquam enim infirmus ſuſtentat infirmum, nec tolerare poterit, aut curare languentem is qui ſimiliter ægrotat, ſed ille medelam tribuit imbecillo, qui imbecillitati ipſe non ſubiacet. Meritò Lucæ 4. enim ei dicitur, Medice cura teipſum.

Quòd infirmi iniurioſi ſint & iniurias ferre non poſſint.

CAPVT XXIIII.

NOtandum etiam illud eſt, infirmorum naturam eſſe ſemper eiuſmodi, vt prompti quidem ac faciles ſint ad contumelias ingerendas, & iurgia conſerenda, ipſi verò ne minima quidem iniuriæ velint ſuſpicione contingi: cumque inferentes proterua conuicia inconſiderata ſuperequitent libertate, ne parua quidem atque leuiſſima ſuſtinere contenti ſunt. Ideoque ſecundum prædictam ſeniorum ſententiam, caritas ſtabilis atque indirupta non poterit perdurare, niſi inter viros eiuſdem virtutis atq; propoſiti. Scindi etenim neceſſe eſt eam quocũque tempore quantalibet fuerit cautione ab altero cuſtodita.

Interrogatio, quomodo fortis ſit qui non ſemper ſuſtentat infirmum.

CAPVT XXV.

GErmanus: In quo ergo laudabilis perfecti viri poteſt eſſe patientia, ſi tolerare non præualet ſemper infirmum?

Reſponſio quòd infirmus ſe non ſinat ſuſtentari.

CAPVT XXVI.

IOſeph: Nec ego dixi, quòd illius qui fortis eſt ac robuſtus, virtus tolerantiaque vincenda ſit, ſed quòd infirmi peſſima valetudo, illius qui ſanus eſt ſuſtentatione nutrita, atque in deterius quotidie prolabens, generatura ſit cauſas, ob quas vel ipſe vltrà non debeat ſuſtineri, vel certè patientiam proximi, notam ac deformationem impatientiæ ſuæ eſſe conijciens, abire quandoque mauult, quàm ſemper magnanimitate alterius ſuſtineri. Hæc ergo ab his qui ſodalitatis affectum cupiunt inuiolabilem cuſtodire, præ omnibus obſeruanda cenſemus, vt primùm quibuſlibet iniuriis laceſſitus, non ſolùm labia, ſed etiam profunda pectoris ſui monachus tranquilla cuſtodiat; quæ tamen ſi ſenſerit vel tenuiter fuiſſe turbata, omni ſemetipſum taciturnitate contineat, & illud quod Pſalmiſta commemorat diligenter obſeruet, Turbatus Pſalm. 76. ſum & non ſum locutus. Et, Dixi cuſtodiã vias meas, vt non Pſalm. 38.

Erga iniurias quo modo ſe monachus gerere debeat.

 delin-

delinquam in lingua mea,posui ori meo custodiam,dum cō-
sisterer peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum,
& silui à bonis: nec præsentem considerans statum, ea pro-
ferat quæ ad horam turbulentus suggerit furor, dictatq; ani-
mus exasperatus, sed vel recolat gratiam præteritæ caritatis,
vel reformandæ pacis redintegrationem mente prospiciat,
eamque velut continuò reuersuram etiam in ipso commo-
tionis tempore contempletur. Dumq; se ad dulcedinē seruat
concordiæ mox futuræ, amaritudinem præsentium non sen-
tiet iurgiorum,& ita ea potissimum respondebit, è quibus vel
à semetipso reus fieri, vel ab alio reprehendi restituta carita-
te non possit, sicq; adimplebit propheticum illud eloquium,
Abacuc 3. In ira misericordiæ memor eris.

Quemadmodum sit iracundia comprimenda. CAP. XXVII.

COhibere ergo nos oportet omnes iracundiæ motus, &
gubernatrice discretione moderari, ne in illud quod à
Salomone damnatur,præcipiti furore rapiemur. Totam iram
Prouerb. 29. suam profert impius, sapiens autem dispensat per partes: id
est, stultus quidem ad vltionem sui, iræ perturbatione suc-
cenditur,sapiens autem paulatim eam maturitate consilij ac
moderationis extenuat, & expellit. Tale est & illud quod ab
Apostolo dicitur, Non vosmetipsos vindicantes carissimi, sed
Rom. 12. date locum iræ:id est,nequaquàm ad vindictā iracundia co-
gente tendatis,sed date locum iræ:hoc est, non sint corda ve-
stra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustiis coarctata,vt
violentam cōmotionis procellam cùm irruerit sustinere non
possint;sed dilatamini in cordibus vestris,suscipientes aduer-
1. Cor. 13. sos iracundiæ fluctus in illis extentis finibus caritatis, quæ
omnia suffert,omnia sustinet: & ita mens vestra amplitudi-
ne longanimitatis ac patientiæ dilatata,habeat in se consilio-
rum salutares recessus,in quibus receptus quodammodo atq;
diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus euanescat.
Vel certè ita intelligendum est:Damus locum iræ, quotiens
commotioni alterius humili atque tranquilla mente succum-
bimus,& quodammodo dignos nos qualibet iniuria profiten-
tes, impatientiæ sæuienti obsequimur. Cæterum hi qui ita
sensum apostolicæ perfectionis inclinant, vt locum iræ illos
dare existiment, qui ab irascente discedunt, videntur mihi
dissensionum fomitem non abscindere, sed nutrire. Nisi e-
nim iracundia proximi humili statim satisfactione vinca-
tur,prouocat eam fugiens potius,quàm declinat. Illud quoq;
Eccles. 7. huic simile est quod Salomō ait, Noli festinare in spiritu tuo
irasci,quia ira in sinu insipientium requiescit,& noli procur-
rere in

rere in rixam citò, ne pœniteat te in nouissimo. Neque enim ita festinationem rixæ vel iracundiæ culpat, vt earundem approbet tarditatem. Similiter & illud suscipiendum est, Stultus eadem ipsa hora pronunciat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus. Non enim ignominiosam iracundiæ passionem ita à sapientibus occultari debere decernit, vt iracundiæ velocitatem culpans, non prohibeat tarditatem, quam vtique si per necessitatem humanæ infirmitatis irruerit, ideo censuit occultandam, vt dum ad præsens sapienter obtegitur, in perpetuum deleatur. Hæc enim natura est iræ, vt dilata languescat & pereat, prolata verò magis magisque conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda sunt pectora, ne angustiis pusillanimitatis arctata, iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur, & recipere secundum prophetam illud nimis latum mādatum Dei angusto corde nequeamus, nec dicere cum Propheta, Viam mādatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meum. Nam quia lōganimitas sapientia sit, euidentissimis scripturæ testimoniis edocemur: Longanimis enim vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. Et idcirco de illo qui sapientiæ donum laudabiliter à Domino postulauit, scriptura commemorat: Et dedit Dominus Salomoni sapientiam prudentiamque multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam maris innumerabilem.

Prouerb. 12. *Psalm. 118.* *Ibidem.* *3. Reg. 4.*

Amicitias coniuratione initas firmas esse non posse.

CAPVT XXVIII.

ILlud quoque multis est experimentis sæpissimè comprobatum, nullo modo eos qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam potuisse seruare concordiam, siue quòd eam non pro desiderio perfectionis, nec pro apostolicæ caritatis imperio, sed pro amore terreno, & per necessitatem ac vinculum pacti retinere conati sunt; siue quòd ille callidissimus inimicus, vt eos præuaricatores sui faciat sacramenti, celeriùs ad irrumpenda amicitiarum vincula præcipitat. Certissima ergo est prudentissimorum virorum illa sententia, veram concordiam & indiuiduam societatem, nisi inter emendatos mores, eiusdemque virtutis ac propositi viros stare non posse. Hæc de amicitia beatus Ioseph spiritali narratione disseruit, nosque ad custodiendam sodalitatis perpetuam caritatem ardentiùs incitauit.

Veram amicitiam non nisi inter probos inueniri.

Collationis primæ Abbatis Ioseph de amicitia finis.

COLLATIO XVII.
QVÆ EST SECVNDA
ABBATIS IOSEPH DE DEFINIENDO.

Capvt I.



Ræcedente igitur collatione finita, pariterq; nocturno intercedente silentio, cùm fuissemus à sancto Abbate Ioseph ad sepositam cellulam in secreto causa quietis adducti, & sermonibus eius igne quodam in nostris cordibus excitato, totam noctem habuissemus insomnem, egressi cellulam, & centum ferè ab ea passibus secedentes, in loco remotiore consedimus.

Germani Abbatis pium proficiendi desiderium exponit.

Capvt II.

CVm itaque secreti colloquij in nobis familiariter etiam nocturnis tenebris opportunitas præberetur, illico vt resedimus Abbas Germanus grauiter ingemiscens, Quid agimus, inquit? Ingenti namque discrimine nos videmus & perquàm miserabili condicione constrictos, quos & ratio ipsa conuersatioque sanctorum quid salubrius sit ad profectum vitæ spiritalis efficaciter docet, & eligere id quod expedit, data senioribus sponsio non admittit. Etenim potuimus exemplis talium ac tantorum virorum ad perfectiorem vitam propositumq; formari, nisi nos instanter ad cœnobium recurrere promissi pactio coarctaret. Quod si reuersi fuerimus, copia nobis vlterius huc remeandi nulla tribuetur. Sin verò hic residentes desiderium nostrum maluerimus explere, quid agimus de sponsionis fide, quam senioribus nostris velocissimum reditum pollicentes, dedisse nos nouimus, vt vel cursim liceret nobis huius prouinciæ sanctos ac monasteria circumire? Cumque sic æstuantes, quid super statu salutis nostræ definiendum esset, nequaquã inuenire possemus, solo gemitu testabamur durissimæ condicionis necessitatem, accusantes teneritudinem frontis nostrę, & ingenitã nobis verecundiam detestantes, cuius rei onere prægrauati, etiam contra vtilitatem ac propositum nostrum, retinentium precibus aliàs non potuissemus obsistere, nisi maturissimo reditu repromisso huc venissemus, illius scilicet nos pudoris vitio laborasse deflentes, de quo dicitur, est pudor afferens peccatum. Eccli. 4.

Casiani consilium & responsio ad interrogationem Abbatis Germani.

CAPVT III.

TVm ego: Compendium, inquam, angoribus afferat nostris consiliũ, immo autoritas Senis, ad quem oportet, vt nostras sollicitudines deferamus, & quicquid fuerit eius sententia definitum, velut diuinum & cæleste responsum cunctis æstibus nostris terminum ponat. Quod quidẽ nobis per os sancti huius à Domino tribuendum, & ob illius meritum & ob nostram fidem miminè dubitemus. Ipsius enim munere salubre consilium & creduli ab indignis, & increduli à sanctis frequenter acceperunt, Domino id vel propter meritum respondentium, vel propter fidem consulentium largiente. His itaque sermonibus à sancto Abbate Germano ea alacritate susceptis, ac si eos non à memetipso, sed instinctu Domini protulissem, aduentum Senis atque instantem iam horam nocturnæ synaxeos paululum prestolati, postquàm eum solita salutatione suscepimus, & legitimus orationum atque psalmorum impletus est numerus, iisdem rursus quibus ad quietem compositi fueramus psiathiis ex more consedimus.

Interrogatio Abbatis Ioseph, nostraq; responsio vnde anxietas emersisset.

CAPVT IIII.

TVm venerabilis Ioseph deiectiores nos animo contemplatus, atque hoc nobis non sine causa coniiciens accidisse, illo nos patriarchæ Ioseph sermone compellat: Quid vtiq; vultus vestri tristes sunt hodie? Cui nos, Non sicut vinculati illi Pharaonis ministri, somnium vidimus, & qui interpretetur non est, sed insomnem inquam duximus noctem, & qui æstuum nostrorum moles subleuet, non est, nisi eas Dominus tua discretione submouerit. Tum ille, qui patriarchæ virtutem, & merito referret, & nomine, nónne per Dominum, inquit, est humanarum cogitationũ curatio? proferantur in medium, potens est enim diuina clementia secundum fidem vestram nostro eis medelam præstare consilio. *Genes. 40.*

Expositio Abbatis Germani cur vel in Aegypto residere mallemus, vel retraheremur ad Syriam. CAP. V.

AD hæc Germanus: Credebamus, inquit, nos vestræ beatitudinis visione, non solùm lætitia spiritali, sed etiã profectu abundè repletos, ad nostrũ cœnobium recursuros, & ea quæ fuissemus vestro magisterio consecuti à nobis post reditum vel tenui æmulatione sectanda. Hoc enim & Seniorum nostrorũ dilectio sibi spondere nos cõpulit, dum sublimitatẽ vitæ vestræ atq; doctrinæ posse nos aliquatenus imitari in illo cœnobio crederemus. Vnde cũ ex hoc nobis omnẽ

æstimaremus lætitiam conferendam, intolerabili econtrario dolore conficimur, considerantes illo nos ordine id quod salutare nobis esse cognoscimus obtinere non posse. Ex vtroque ergo nunc latere coarctamur. Si enim promissioni quam Seniorum caritate nos compellente depromisimus, & quam corã cunctis fratribus in speleũ in quo Dominus noster ex aula vteri virginalis effulsit, ipso teste deprompsimus, satisfacere voluerimus, summum spiritalis vitæ incurrimus detrimentũ. Sin autem sponsionis immemores, & in his regionibus residentes, vtilitati perfectionis nostræ illam voluerimus postponere pactionem, abrupta mendacij non impletæ promissionis pericula formidamus. Sed ne hoc quidem æstus nostros possumus releuare consilio, vt postquàm velocissimo reditu sponsionis fuerit impleta condicio, hæc denuo loca celeri repetamus recursu. Nam quamuis ad profectum spiritalium rerum virtutemque tendentibus periculosa ac noxia sit etiam parua dilatio, tamen pollicitationem fidei nostræ quamuis moroso solueremus reditu, nisi nos non solum caritate verum etiam autoritate Seniorum nostrorum sciremus inexolubiliter colligandos, ita vt remeandi ad hæc loca nobis potestas deinceps nullo modo tribuatur.

Interrogatio Abbatis Ioseph, an in Aegypto maior profectus nobis, quàm in Syria conferretur. CAP. VI.

AD hæc beatus Ioseph interposito aliquantisper silentio, Certi, inquit, estis maiorem spiritalium rerum profectum in regione hac vobis posse conferri?

Responsio de differentia institutionum vtriusque prouinciæ.

CAPVT VII.

GErmanus: Quamuis etiam illorum doctrinæ summas grates rependere debeamus, qui nos docuerunt à paruulis magna conari, & dato boni sui gustu, egregiam perfectionis sitim nostris visceribus indiderunt, si quid tamen iudicio nostro creditur, nullam ducimus comparationem inter hæc atque illa quæ illic percepimus instituta, vt sileamus conuersationis vestræ inimitabilem puritatem, quam vobis non solùm mentis ac propositi districtione, sed etiam locorum credimus beneficio patrocinante conferri. Vnde non dubitamus ad imitandam perfectionis vestræ magnificentiam hãc quę cursim traditur doctrinam non posse sufficere, nisi nobis etiam commorationis ipsius affuerint adiumenta, longique temporis eruditio quotidiana institutione torporem nostri cordis vtcunque discusserit.

Quòd

Quòd perfecti viri nihil absolutè debeant definire, vel vtrum sine peccato possint definita rescindere. CAP. VIII.

IOseph: Sanum quidem est atque perfectum, nostræque professioni omnino conueniens, vt ea quæ sub aliqua spõsione decernimus, efficaciter impleamus. Ob quã rem nihil oportet abruptè monachum definire, ne aut id quod incautè promisit implere cogatur, aut consideratione honestioris intuitus reuocatus sponsionis suæ præuaricator existat. Sed quia nunc propositum nobis est, non tam de sanitatis statu quàm de infirmitatis curatione tractare, non quid priore loco à vobis fuerit actitandum, sed quemadmodum de scopulo huius perniciosi naufragij possitis euadere, salubri est consilio requirendum. Quando igitur nullum nos coarctat vinculum, nec vlla condicio constringit, de cõparatione secundarum rerum optione proposita, id quod maioris est commodi * prælegatur: quando verò aliqua dispendiorum obsistit aduersitas, in comparatione damnorum illud est appetendum quod leuioribus subiacet detrimentis. Proinde quantum vestra patefecit assertio, cùm ad id vos loci spõsio incõsulta perduxerit, vt ex vtroq; vobis grauis incõmodi subeunda iactura sit, in eam partem inclinandum est electionis arbitrium, quæ vel tolerabiliora dispendia inferat, vel satisfactionis remedio facilius expietur. Si ergo maiora spiritui vestro lucra ex hac commoratione creditis conferenda, quàm illa sunt quæ vobis de conuersatione illius cœnobij nascebantur, neq; sine iactura ingentium commodorum potest condicio vestræ sponsionis impleri, satius est hoc vos mendacij vel non impletæ promissionis subire dispendium, quod semel præteritum nec ipsum vltrà iam repeti, nec alia per semet poterit generare peccata, quàm in illud incidere, per quod tepidioris vitæ, vt dicitis, * status quotidiano vos atque interminabili afficiat detrimento. Veniabiliter enim, imo verò etiam laudabiliter definitio incauta mutabitur, si ad salubriorem transeat partem, nec constantiæ præuaricatio esse credenda est, quoties sponsio vitiosa corrigitur, sed temeritatis emendatio. Quæ omnia scripturarum quoque possunt testimoniis apertissimè comprobari, quàm multis perniciosum fuerit, definitionibus propriis inhæsisse, & ab eis econtrario destitisse commodum fuerit ac salubre.

*præligatur:

Consule annotationem vigesimam primã in fine operis.

* statu

Quòd plerumque vtilius sit statuta dissoluere quàm implere.

CAPVT IX.

QVod liquidissimè sancti apostoli Petri, & Iudæ traditoris exempla testantur. Ille enim quia discessit ab inconsultè *Ioann. 13.*

definitionis ſententia qua dixerat, non mihi lauabis pedes in æternum, immortale Chriſti omniumque ſanctorum conſortium promeretur, abſcindendus proculdubio ab huius beatitudinis gratia, ſi in ſermonis ſui obſtinatione manſiſſet; Hic verò pertinaciam ſuæ retinens ſponſionis, perpetua morte damnatur, qua fuiſſet proculdubio liberatus, ſi definitionis ſuæ maluiſſet deſtitutor potius, quã pertinax inueniri. Quod
Matth. 21. in illis quoque duobus filiis qui in Euãgelio ad operationem vineæ deſtinantur, euidentiſſimè perdocemur, quorum vnus patris reſtitit imperio, alius prona reſponſione conſenſit. Sed nec illi profuit humilis obſequendaque reſponſio, quia præceptum patris opere detrectauit implere, nec illi obfuit refragatio iuſſionis, eo quòd ſtatuti ſermonis obſtinatione mutata, ſcopon patris, operis executione compleuit, & id quod reprehenſibiliter ſtatuerat, definitione correcta laudabiliter emẽdauit. Necnon & Herodis cruentiſſimi regis exemplum,
Matth. 14. qui fidem inconſultè retinens ſacramenti, cruentiſſimus Præcurſoris Domini extitit interemptor, vanoque timore periurij damnationi ſemetipſum atque ſuppliciis perpetuæ mortis immerſit. Primum etenim eſt optima ſtatuere: quod & ſi aliter ceſſerit, ſequens eſt in melius ea quæ ſunt ſtatuta mutare, ordinationibusque noſtris iam iacentibus, vt ita dixerim, manum dexteramque porrigere. Vbi principia conſilij non approbantur, prudentia eſt, vt vtili addita prouiſione reparentur. Si claudicat ad prima ſtatuta diſpoſitio, adhibeatur ad ſecunda correctio. In omnibus ergo rebus conſiderandus eſt finis, & ſecũdum eum propoſiti noſtri dirigendus eſt curſus; quem ſi ſuperueniente ſalubriore conſilio ad deteriorem partem vergere viderimus, rectius eſt incongrua conſtitutione ſubmota, ad meliorem tranſire ſententiam, quam ſtatutis pertinaciter inhærendo, peccatis grauioribus obligari.

Interrogatio noſtra de metu præbitæ in cœnobio Syriæ ſponſionis. CAP. X.

GErmanus: Quantum ſpectat ad deſiderium noſtrum quod à nobis pro ſpiritalis commodi vtilitate ſuſceptũ eſt, optaremus ædificari veſtri iugitate conſortij. Si enim ad cœnobium noſtrũ fuerimus reuerſi, non ſolùm nos ab hoc tam ſublimi propoſito relapſuros, ſed etiam pro mediocritate conuerſationis illius multis certum eſt diſpendiis quatiendos. Verùm illud nos Euangelicum mandatum vehementer
Matth. 5. abſterret, ſit ſermo veſter eſt eſt, non non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Credimus enim tanti tranſgreſſionem præcepti nulla poſſe compenſari iuſtitia, nec in extremis rectè cedere, quod malo initio ſemel fuerit inchoatum.

Reſpon-

Responsio, quòd propositum gerentis, non negotij sit considerandus effectus.

CAPVT XI.

IOseph: In omnibus, vt diximus, causis non processus operis, sed voluntas operantis est intuenda, nec statim quis quid egerit, sed quo voto egerit inquirendum, ita vt nonnullos pro his factis, de quibus bona postea orta sunt, reperiamus fuisse damnatos, & econtrario quosdam per reprehensibiles actus ad summam peruenisse iustitiam. Et nec illi vtilis rerum exitus profuit, qui pessimo regressus proposito, nō illam quæ subsecuta est vtilitatem, sed quiddam contrarium voluit operari: nec huic nocuit reprehensibiliter inchoasse, qui non pro contemtu Dei, nec delinquendi proposito, sed necessarij & sancti finis intuitu, vituperabilis initij sustinuit necessitatē.

Quòd boni prouentus malignis autoribus non profuerint, nec bonis mala gesta nocuerint. CAP. XII.

ET vt hæc eadem de sanctarum scripturarum dilucidemus exemplis; quid salubrius, quídve vtilius vniuerso orbi potuit procurari, quā Dominicæ passionis salutare remediū? Et tamen non solùm non profuit, verum etiam in tantum illi obfuit traditori, cuius ministerio probatur impletum, vt absolutè pronuncietur de illo, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. *Matth. 26.* Non enim secundum hoc quod euenit, fructus illi est sui operis repensandus, sed secundum id quod facere voluit, vel quod effecturum se esse credidit. Et rursus: Quid criminosius dolo atque mendacio, etiam in extraneū, nedixerim in germanum patremve commisso? Et tamen non solùm nullam pro his damnationem aut reprehensionem Iacob patriarcha contraxit, verum etiam perpetua benedictionis hæreditate ditatus est. *Genes. 27.* Nec immeritò, quia & iste benedictionē primogenito destinatam, non ex præsentis lucri auaritia, sed ex fide sanctificationis perpetuæ concupiuit: & ille non humanæ salutis obtentu, sed philargyriæ crimine morti tradidit omnium redemptorem. Et idcirco vtrique eorum fructus operationis, suæ secundum destinationem mentis eorum ac propositum voluntatis ascriptus est, quia nec ille fraudem, nec iste salutem statuit operari. Illud enim pro retributione mercedis iustè vnicuique repensatur, quod principaliter mente conceperit, non quod exinde bene vel malè contra votum operantis emerserit. Ideoque iustissimus iudex excusabilem imò laudabilem talis mendacij censuit præsumptorem, quia sine eo ad benedictionem primitiuorum non poterat peruenire. Nec debuit in crimen vocari, quod desiderio benedictionis exortum est.

Alioquin non modò iniquus in fratrem patriarcha prędictus, sed etiam circumuentor in patrem, & sacrilegus extitisset, si habens aliam viam qua ad benedictionis illius gratiã perueniret, hanc quæ fratri damnosa esset ac noxia, expetere maluisset. Videtis ergo apud Deum non processum operis, sed destinationem mentis inquiri. His itaque præstructis, vt ad propositam quæstionem ob quam hæc vniuersa præmissa sunt reuertamur, respondeatis mihi primitus velim, cuius rei causa vos illius sponsionis nexibus vinxeritis?

Responsio nostra quæ causa à nobis exegerit sacramentũ spõsionis. Cap. XIII.

GErmanus: Prima, vt diximus, extitit causa, qua nostros męstificare Seniores ac præceptis eorum obsistere verebamur. Secunda, qua si quid perfectum atque magnificum vel visu vel auditu percepissemus à vobis, cùm reuersi ad cœnobium fuissemus, exercere nos posse inconsultissima persuasione credidimus.

Disputatio Senis quòd sine culpa actionis ordo mutetur, dummodo boni studij capiatur effectus. Cap. XIIII.

IOseph: Sicut præfati sumus, destinatio mentis vel remunerat hominem vel condemnat, secundum illud. Et inter se
Rom. 2. inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum. Illud etiam,
Isaiæ 66. Ego autem opera & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis. Quamobrem desiderio perfectionis, vt video, hoc vos sponsionis vinculo colligastis, dum credidistis illo eam posse ordine comprehendi, quo nũc superueniente pleniore iudicio, ad sublimitatem eius conscendi non posse respicitis. Non ergo præiudicat quicquid discrepans ab illa dispositione visum fuerit accidisse, si modò nulla principalis illius propositi diuersitas subsequatur. Neq; enim opificij cuiusquam desertio est, demutatio ferramenti; aut segnitiem arguit viatoris, viæ compendiosioris ac directioris electio. Ita igitur & in hac parte emẽdatio dispositionis improuidæ, non spiritalis voti est iudicanda transgressio.
1. Tim. 4. Quicquid enim pro caritate Dei & pietatis amore perficitur, quę promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ, tametsi duris atque aduersis videatur principiis inchoare, non solum nulla reprehensione, sed etiam laude dignissimum est. Et idcirco nihil præiudicat refragatio sponsionis incautæ, si quolibet genere scopos tantùm, id est, proposita pietatis destinatio teneatur. Omnia namque ob hoc agimus, vt Deo cor mundum exhibere possimus: cuius consummatio si in his locis facilior iudicatur, nihil vobis oberit extortæ mutatio pactionis,

nis, dummodo principalis illius perfectio puritatis, pro qua ſponſio veſtra proceſſerat, ſecundum Domini voluntatem maturius acquiratur. Non enim ex hac immutatione vllum poteſt iudicari mendacium, ſed inconſultæ definitionis prudens ſalutariſque correctio. Et vt etiam de phyſicis quod nodum propoſitæ quæſtionis abſoluat aliquid inferamus, natura ipſa in nobis opera ſua de conſilio diuinæ maieſtatis immutat. Nam ab infantia in pueritiam, de pueritia in iuuentutem, de iuuentute in ſenectutis vlteriora transferimur: atque ita hæc in nobis conditoris noſtri conſummatio peregit, vt ex hac permutatione nullum mendacium aſcribatur ætati. Ita etiã interior homo noſter ablactatus à primordiorum tenerrimis inſtitutis, cùm per diuerſas prouectus ætates ad robuſtiorem de vnaquaque profecerit, atq; exinde ad canitiem ſenſuum ac virum perfectum & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti perueniens, depoſuerit ea quæ erant paruuli, nunquid varietatem incurriſſe mendacij, & non potius perfectionis plenitudinem conſecutus eſſe credendus eſt? Sic rudimenta veteris inſtrumenti, diſpenſatione legiſlatoris Dei, ad perfectionem beatitudinis euangelicæ transferuntur, nec tamen ex hoc immutatio aut diuerſitas præteritæ ſanctionis interueniſſe credenda eſt, ſed adimpletio & cumulus ſublimiorum & cæleſtium præceptorum: nec ſacræ promulgationis illius æſtimanda eſt abolitio, ſed aſcenſus; nec varietas, ſed profectus. Vnde & Dominus noſter, Nolite, inquit, æſtimare quòd veni ſoluere legem aut prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere: id eſt, non antiquare priora, ſed ad perfectionem perducere imperfecta.

Epheſ 4.

Matth. 5.

Interrogatio, an abſque peccato ſit quòd infirmis noſtra conſcientia occaſionem ingerit mentiendi? CAP. XV.

GErmanus: Quantum ſpectat ad vim ſermonum qui rationabiliter prudenterque digeſti ſunt, haud difficilè ſpõſionis noſtrę ſcrupulus à nobis potuiſſet extrudi, niſi illud nos vehementiſſimè deterreret, quòd infirmioribus quibuſq; intromitti fortaſſe per hęc videtur exempla occaſio mentiendi, ſi vllo modo pacti fidem diſſolui poſſe cognouerint; quippe cùm tãtis hoc ipſum & tam minacibus interdicatur eloquiis, propheta dicente, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et, Os quod mentitur, occidit animam.

Pſalm. 5.
Sap. 1.

Reſponſio, quòd non propter infirmiorum ſcandalum ſcripturarum veritas ſit mutanda. CAP. XVI.

IOſeph: Occaſiones cauſæq; perditionum his qui perituri ſunt, imò qui perire deſiderant, deeſſe non poſſunt. Neque

enim

enim abiicieda sunt testimonia scripturarũ,ac de suo corpore penitus abradenda,quibus vel hęreticorũ prauitas animatur, vel Iudæorum infidelitas obduratur, vel tumor sapientiæ gentilis offenditur: sed vtique & piè credenda & immobiliter sunt tenenda, & secundum veritatis regulam prædicanda. Et idcirco non debemus alienæ infidelitatis obtentu œconomias, id est, dispensationes Prophetarum atque sanctorum, quas scriptura commemorat abdicare, ne dum infirmitati eorũ condescendere debere nos credimus, nõ solùm mẽdacij, verum etiam sacrilegij crimine polluamur, sed quèadmodum diximus, oportet nos ea, & secundum historiam confiteri, & quemadmodum piè gesta sunt explanare. Cæterum his qui praui propositi sunt, non ex hoc mentiendi aditus obstruetur, si earum rerum quas vel prolaturi sumus, vel protulimus veritatem, aut penitus abnegare aut extenuare allegoricis interpretationibus laboremus. Quid enim illis horum testimoniorum nocebit autoritas, quibus etiam sola corruptio voluntatis sufficit?

Quod venialiter mendacio sancti tanquam elleboro vsi sint. CAP. XVII.

ITaque taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo vtendum est, quasi natura ei insit ellebori. Quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre: cæterum absq; summi discriminis necessitate perceptum præsentis exitij est. Ita namque etiam sanctos ac probatissimos Deo viros *Iosue 2.* veniabiliter legimus vsos fuisse mendacio, sicut Raab, cuius cùm non solùm nulla virtutum, sed etiam impudicitiæ monumenta commemoret scriptura, pro tali mendacio quo exploratores maluit occultare quàm prodere, admisceri populo Dei æterna benedictione promeruit. Quæ si veritatem loqui, aut saluti ciuium consulere maluisset, nulli dubium, quòd nec imminentem cum vniuersa domo sua fugisset interitum, nec autoribus Dominicæ natiuitatis inserta, & in patriarcharum annumerata catalogo, per successionem suæ *Iudic. 16.* prolis edere meruisset omnium Saluatorem. Denique Dalila quæ vtilitati ciuium consulens, exploratam prodidit veritatem, perpetuæ perditionis vicissitudinem consecuta, solam criminis sui cunctis memoriam dereliquit. Quando igitur graue aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda * perfugia, ita ** profugia,* tamen vt reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur. Vbi autem nulla condicio summæ necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum deuitandum est, quemadmodum de ellebori diximus potu, quod salubre

ſalubre eſt quidem ſi tunc demum ſumatur, cùm ineuitabilis atque mortifera imminet ægritudo: Sin verò integra & imperturbata corporis ſanitate ſumatur, ſtatim ad præoccupanda vitalia vis perniciosa pertẽdit. Quod de Raab Hierichõtina, & de Iacob Patriarcha euidenter oſtẽſum eſt, è quibus nec illa mortẽ aliàs quàm hoc remedio potuiſſet euadere, nec iſte ad benedictionem primogeniti peruenire. Non enim Deus verborum tantùm actuumque noſtrorum diſcuſſor & iudex, ſed etiam propoſiti ac deſtinationis inſpector eſt. Qui ſi aliquid cauſa ſalutis æternæ ac diuinæ contemplationis intuitu, ab vnoquoque vel factum viderit vel promiſſum, tametſi hominibus durum atque iniquum eſſe videatur, ille tamen intimam cordis inſpiciens pietatem, non verborum ſonum, ſed votum diiudicat voluntatis, quia finis operis & affectus conſiderandus eſt perpetrantis, quo potuerunt quidam, vt ſuprà dictum eſt, etiam per mendacium iuſtificari, & alij per veritatis aſſertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere. Ad quem finem etiam Iacob Patriarcha reſpiciens, hiſpidam fraterni corporis ſpeciem, obuolutione pellium ſimulare non timuit, & inſtiganti ad hoc mendacium matri laudabiliter acquieuit. Videbat enim ex hoc maiora ſibi lucra benedictionis atq; iuſtitiæ, quàm per ſimplicitatis obſeruantiam conferenda. Non enim dubitabat mendacij huius maculam inundatione paternæ benedictionis protinus abluendam, & velut nubeculam quandam flatu ſpiritus ſancti velociter abſumendam, atque vberiora ſibi per hanc affectaticiam ſimulationem, quàm per illam ingenitam veritatem, meritorum præmia conferenda.

Iosue 2. *Geneſ. 27.* *Ibidem.*

Obiectio, quòd illi tantum impunè mendacio vſi ſint qui ſub lege vixerunt.

CAPVT XVIII.

GErmanus: Non mirũ eſt has diſpenſationes in veteri teſtamento licentius vſurpatas, ac nonnunquam viros ſanctos veniabiliter fuiſſe mentitos, cùm multo maiora eis pro temporum rudimentis licuiſſe videamus. Cur enim mirum ſit, quòd beatus Dauid fugiens Saulem, percontanti Achimelech ſacerdoti atque dicenti, Quare tu ſolus & nullus eſt tecum? ita reſpondit, Rex, inquit, præcepit mihi ſermonem, & dixit: Nemo ſciat rem propter quam miſſus es: nam & pueris condixi in illum, & in illum locum. Et iterum: Si habes hic ad manum haſtam aut gladium, quia gladium meum & arma mea non tuli mecum, ſermo enim regis vrgebat. Vel illud: Cùm perductus ad Achis regem Geth, inſanũ ſe furioſumq; ſimulauit, ac mutauit os ſuum coram

1. Reg. 21. *Ibidem.*

coram eis, & collabebatur in manus eorum, & impingebat in ostium portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam: Cùm etiam vxorum concubinarumque gregibus licitò fruerentur, nec vllum eis imputaretur ex hac parte peccatum, insuper etiam inimicorum sanguinem propria manu frequenter effunderent, idque non solum nō reprehensibile, verùm etiam laudabile crederetur. Quæ ita nunc, Euangelio coruscante, videmus omnimodis interdicta, vt sine ingenti crimine ac sacrilegio horum quicquam non possit admitti. Quemadmodum nec mendacium vllum, quamlibet pio colore contectum, nō dicam probabiliter, sed nec veniabiliter à quoquam
Matth. 5. credimus vsurpari, dicente Domino, Sit sermo vester, est est,
Coloss. 3. non non; quod autem his abundantius est, à malo est: Apostolo quoque in eadem congruente, Nolite mentiri inuicem.

Responsio ro quòd licentia mendacij quæ ne in veteri quidem indulta est testamento, veniabiliter à multis fuerit vsurpata.

CAPVT XIX.

IOseph: Vxorum quidem concubinarumque multarum illa libertas, instante iam temporum fine, & multiplicatione humanæ generationis expleta, non immeritò velut minus iam necessaria per euangelicam perfectionem debuit amputari. Nam vsque ad aduentum Christi oportuit benedictio-
Genes. 1. nem primordialis illius vigere sententię qua dictum est, Crescite & multiplicamini & replete terram. Et idcirco iustissimum fuit, vt ex illa radice fecunditatis humanæ quæ in synagoga pro dispensatione temporis vtiliter viguit, angelicæ virginitatis flosculi germinarent, ac suaueolentes continentiæ fructus in ecclesia gignerentur. Mendacia verò etiam
Psalm. 5. tunc fuisse damnata, totius veteris instrumenti textus euidenter ostendit, dicens: Perdes omnes qui loquuntur menda-
Prouerb. 20. cium. Et iterum: Suauis est homini panis mendacij, & postea
Exod. 23. replebitur os eius calculo. Et ipse legislator, Mendacium, inquit, fugies. Sed tunc demum id veniabiliter diximus vsurpatum, cùm ei necessitas aliqua seu dispensatio salutaris adiuncta est, ob quam non debuerit condemnari: quale est illud quod commemorastis de Dauid rege, cùm fugiens insecta-
1. Reg. 21. tionem Saulis iniustam, ad Achimelech sacerdotem, non proposito cuiusquam lucri, nec studio lædendi quempiam, sed vt tantummodo semetipsum ab impiissima eius insectatione saluaret, mendacibus vtitur verbis, quippe qui manus suas inimici regis sanguine, & quidem à Deo sibi toties traditi,
1. Reg. 24. contaminare noluerit, dicens: Propitius mihi sit Deus, ne faciam rem hanc domino meo, Christo Domini, vt mit-

tam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Et id-
circo dispensationes has quas vel ob voluntatem Dei, vel ob
præfigurationem spiritalium sacramentorum, vel ob quorun-
dam salutem sanctos viros in veteri testamento legimus exe-
cutos, intantum nos quoque cùm necessitas coarctauerit non
possumus abdicare, vt ne ipsos quidem Apostolos, vbi consi-
deratio alicuius vtilitatis exegit, ab eis declinasse cernamus.
Quæ paulisper interim differentes, digestis primitus quæ
adhuc de veteri testamento proferre disponimus, post hæc
congruentius inferemus, vt facilius approbetur viros iustos
& sanctos, tam in nouo quàm in veteri testamento in his œ-
conomiis sibi per omnia concordasse. Quid enim de illo *2.Reg.17.*
Chusi ad Absalon pro salute regis Dauid pia simulatione
dicimus, quæ cùm toto fallentis & circumuenientis proma-
tur affectu, & vtilitatem consulentis impugnet, scripturæ
diuinæ testimonio comprobatur, ita dicentis: Domini au-
tem nutu dissipatum est consilium Achitophel, vt induceret
Dominus super Absalon malum? Nec enim reprehendi po-
terat id quod recto proposito ac pio iudicio pro iustis parti-
bus gerebatur, ac pro illius cuius pietas Deo placebat, salute
atque victoria religiosa fuerat simulatione conceptum. Quid *Ibidem.*
etiam de illius feminæ pronunciabimus facto, quæ susci-
piens illos, qui ad regem Dauid à prædicto Chusi fuerant
destinati, abscondit in puteo, & expandens velamen super os
eius, cùm ptisanas se torrere simulasset, Transierunt, inquit,
gustata paululum aqua, atque hoc eos figmento ab insequen-
tium manibus liberauit? Quapropter respōdete quæso mihi,
quid fuissetis acturi, si qua vobis nunc sub euangelio con-
stitutis similis fuisset exorta condicio, vtrùmnam maluissetis
eos simili celare mendacio dicentes eodem modo, transie-
runt gustata paululum aqua, & implere illud quod præcipi-
tur, Erue eos qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui *Prouer.24.*
interficiuntur ne parcas: an veritatis confessione latitantes
prodere perempturis? Et vbi est illud Apostoli, Nemo quod *1.Cor.10.*
suum est quærat, sed quod alterius: Et, Caritas non quærit *1.Cor.13.*
quæ sua sunt, sed quæ aliorum? Ac de seipso, Non quæro, in- *1.Cor.10.*
quit, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Si
enim ea quæ nostra sunt quærimus, & id quod nobis vtile est
pertinaciter volumus retentare, etiā in huiusmodi necessita-
tibus loqui nos necesse est veritatē, & reos fieri mortis alienę.
Si verò ea quæ aliis salutaria sunt, nostris vtilitatibus præpo-
nentes, Apostolico satisfecerimus imperio, sine dubio subeū-
da est nobis necessitas mentiendi. Et idcirco nec integra ca-

ritatis viſcera poſſidere, nec ea quæ aliorum ſunt, ſecundum Apoſtolicam diſciplinam quærere poterimus, niſi his quæ diſtrictioni noſtræ perfectionique conueniunt paululum relaxatis, condeſcendere vtilitatibus aliorum prono maluerimus affectu, & ita cum Apoſtolo infirmis efficiamur infirmi, vt lucrari poſſimus infirmos.

1. Cor. 9.

Quòd veniabile plerumq; mendacium, & noxiam veritatem etiam Apoſtoli eſſe cenſuerint. CAP. XX.

QVibus eruditus exemplis beatus quoque Apoſtolus Iacobus, omneſque illius eccleſiæ primitiuæ præcipui principes * Apoſtolorum Paulum ad ſimulationis figmenta deſcendere, pro imbecillitate infirmantium cohortantur, eumque purificari ſecundum obſeruantiam legis, caput radere, vota offerre compellunt, præſens illud diſpẽdium, quod ex hac hypocriſi gignebatur, nihili reputantes, ſed contemplantes potius lucra quæ erant ex illius diutina prædicatione parienda. Non enim tantum Apoſtolo Paulo lucrum ex hac eius fuerat diſtrictione collatum, quantum celeri eius exitio vniuerſis gentibus detrimentum. Quod ſine dubio vniuerſæ tunc eueniſſet eccleſiæ, niſi illum hæc vtilis ac ſalubris hypocriſis prædicationi euangelicæ reſeruaſſet. Tunc enim neceſſario ac veniabiliter acquieſcitur mendacij detrimento, quando maius, vt diximus, imminet de veritatis confeſſione diſpendium, & vtilitas quæ nobis de veritate confertur, compenſare illa quæ * generanda ſunt damna nõ præualet. Quod temperamentum etiam aliis verbis idem beatus Apoſtolus vbique ſe ſemper tenuiſſe teſtatur. Nam cùm dicit, Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem, cùm ipſe ſub lege non eſſem, vt eos qui ſub lege erant lucrifacerem: his qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt eos qui ſine lege erãt lucrifacerem: factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos: quid aliud oſtendit, quàm ſecundum infirmitatẽ atq; menſuram eorum qui inſtituebantur condeſcendiſſe ſe ſemper, & à perfectionis rigore aliquid relaxaſſe, nec tenuiſſe ſe id quod diſtrictio rigida poſcere videbatur, ſed illud magis præpoſuiſſe quod infirmantium vtilitas exigebat? Et vt hæc eadẽ attentius indagantes, ſigillatim apoſtolicarum virtutum inſignia replicemus, quærat aliquis quomodo omnibus per omnia beatus Apoſtolus ſuam probetur aptaſſe perſonam?

*Apoſtolum

Actor. 21.

*gerenda

1. Cor. 9.

ſonam? Vbi factus ſit Iudæis ſicut Iudæus? Profectò ibi, vbi illam ſententiam intimo corde cuſtodiens, quam Galatis denunciauerat, dicens: Ecce ego Paulus dico vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. In Timothei tamen circumciſione imaginem quodammodo Iudaicæ ſuperſtitionis aſſumpſit. Et rurſus: Vbi factus eſt eis qui ſub lege erant tanquam ſub lege eſſet? Nempe ibi, vbi Iacobus omneſque ſeniores eccleſiæ formidantes, ne in eum illa irrueret Iudæorum credentium, imò Chriſtianorum iudaizantium multitudo, quæ ita fidem Chriſti receperat, vt adhuc ritu cærimoniarum legalium teneretur, diſcrimini eius hoc conſilio ac perſuaſione ſuccurrerunt, dicentes: Vides frater, quot millia ſint in Iudæis qui crediderunt, & hi omnes æmulatores legis ſunt. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum qui per gentes ſunt Iudæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios ſuos. Et infrà: Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis vt radant capita, & ſcient omnes quoniam ea quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. Et ita pro illorum qui ſub lege erant ſalute, illam pauliſper diſtrictionem ſententiæ ſuæ calcans, qua dixerat, Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam, caput radere, purificari ſecundum legem, atque in templo Moſaico ritu vota offerre compellitur. Quæris etiam vbi pro ſalute eorum qui legem Domini penitus ignorabant, tanquam ſi & ipſe ſine lege eſſet, effectus ſit ſine lege? Lege in Athenienſi vrbe gentilium, vbi vigebat impietas, quo vſus ſit prædicationis exordio: Præteriens, inquit, vidi ſimulacra veſtra & aram in qua erat ſcriptum, Ignoto Deo. Cumque de eorum ſuperſtitione ſermonem fuiſſet orditus, tanquam ſi & ipſe ſine lege eſſet, ſub occaſione profani illius tituli fidem Chriſti intulit, dicens: Quod ergo vos ignorantes colitis, hoc ego annũcio vobis. Et poſt pauca, velut ſi diuinæ legis penitus eſſet ignarus, gentilis poëtæ verſum potius, quàm Moſi aut Chriſti maluit proferre ſententiam: Et ſicut quidam, inquiẽs, veſtrorum poëtarum dixerunt, Ipſius enim & genus ſumus. Cùm itaque ſuis eos quæ refutare non poſſent teſtimoniis fuiſſet aggreſſus, ita de falſis vera confirmans ſubdidit, dicens: Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro vel argento aut lapidibus ſculpturæ artis & cogitationi hominis, diuinitatem eſſe ſimilem. Infirmis autem infirmus effectus eſt, cùm ſecundum indulgentiam

Galat. 5. Actor. 21. Actor. 17. 1. Cor. 7.

non secundum imperium his qui se continere non poterant,
1.Cor. 3. in id ipsum redire concessit; siue cum lacte non esca Corinthios potans, in infirmitate & timore & tremore multo apud
Rom. 14. eos fuisse se dicit. Omnia autem omnibus factus est, vt om-
1.Cor. 7. nes faceret saluos, cùm dicit: Qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet, & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit. Et alibi: Quis, inquit,
2.Cor. 11. infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Atque hoc modo illud quod Corinthiis præceperat, adimpleuit, dicens: Sine offensione estote Iudæis & Græcis & ecclesiæ Christi, sicut & ego per omnia omnibus
1.Cor. 10. placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Vtile enim sine dubio fuerat Timotheum non circumcidere, caput non radere, purificationem Iudaicam non assumere, nudipedalia non exercere, vota legalia non offerre, sed facit hæc omnia dum illorum saluti plus consulit; quia non quærit quod sibi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Quod quamuis contemplatione Dei sit factum, tamen simulatione non caruit. Qui enim per legem Christi legi mortuus fuerat, vt Deo viueret; quique illam iustitiam legis in qua conuersatus fuerat sine querela detrimentum fe-
Philipp. 3. cerat, & arbitrabatur vt stercora, vt Christum lucrifaceret; ea quæ legis erant, vero cordis affectu offerre non potuit:
Galat. 2. Nec fas est credi eum qui dixerat, si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, præuaricatorem me constituo, in id incidere quod ipse damnauerat. Et intantum non magis res ipsa quæ geritur quàm gerentis pensatur affectus, vt econtrario quibusdam reperiatur veritas nocuisse, & profuisse mendacium. Nam Doëg Idumæus regi Sauli de fuga Dauid co-
1.Reg. 22. ram famulis conquerenti ac dicenti, Nunquid omnibus vobis dabit filius Iesse agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centuriones, quoniam coniurastis omnes aduersus me, & non est qui mihi renunciet? quid nisi verum prodidit dicens: Vidi filium Iesse in Nobe apud Achimelech sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei, sed & gladium Goliath Philisthei dedit ei? Pro qua veritate eradicari de terra viuentium meruit, ac de eo dicitur per pro-
Psalm. 51. phetam; Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium. Ex illa igitur terra hic pro indicio veritatis perpetua
Iosue 2. eradicatione conuellitur, in qua Raab meretrix pro menda-
Iudic. 16. cio cum sua cognatione plantatur. Sicut etiam Samson illum

diem

diem occultatum mendacio, veritate impiæ cõiugi pernicio-
ſiſſimè prodidiſſe reminiſcimur, cui propterea deceptionem
intulit veritas inconſultiſſimè patefacta, quia illud manda-
tum propheticum cuſtodire neglexit, Ab ea quæ dormit in *Michaæ 7.*
ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.

An interrogantibus occultam continentiam ſine mendacio oporteat propalari, & an ſuſcipienda ſint quæ ſemel fuerint recuſata? CAP. XXI.

ET vt exempla quædam de noſtris quoque ineuitabilibus ac pæne quotidianis neceſſitatibus proferamus, quas quantalibet obſeruantia nunquã ita poſſumus præcauere, vt non vel inuiti vel volentes cogamur in eas incurrere. Quid quæſo faciendũ eſt, cùm refectionẽ procraſtinare diſponentibus nóbis, vtrum refecerimus ad veſperã frater adueniens percunctatur, celandúmne ieiunium eſt, & virtus parcimoniæ contegenda, an veritatis profeſſione prodenda? Si celamus, vt Dominico ſatisfaciamus imperio, quo dicitur, Non *Matth. 6.*
videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcon- *Ibidem.*
dito: Et iterum, Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: *Ibidem.*
profectò mentimur. Si virtutem continentiæ propalamus, euangelica nos ſententia iure percellit, Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Quòd ſi oblatum à fratre quiſpiam poculum cum definitione renuerit, abſolutè acceptu-rum ſe eſſe denegans, quod ille gaudens aduentu eius ſuppliciter vt ſumatur exorat: rectúmne eſt, vt fratri ad genua prouoluto, in terramque proſtrato, qui non niſi his officiis viſcera caritatis expleturum eſſe ſe credidit, etiam cum labore ſuo pareat, an in ſermonis ſui atque propoſiti pertinacia perſeueret?

Obiectio, quòd oporteat quidem abſcondi continentiam, ſed ſuſcipi recuſata non debeant. CAP. XXII.

GErmanus: In illo quidem ſuperiore exemplo dubium, vt credimus, non eſt, quin expediat abſcondi continentiam noſtram potius quàm percunctantibus prodi: ac ſuper huiuſcemodi cauſis nos quoq; fateamur ineuitabile eſſe mẽdacium. In ſecundo autem nulla nobis incumbit neceſſitas mentiendi. Primum quia poſſumus ea quæ fratrum miniſterio porriguntur ita renuere, vt nullo nos definitionis vinculo colligemus, deinde quod ſemel renuentes poſſumus immobilem tenere ſententiam.

Reſponſio, quòd irrationabilis ſit huius definitionis pertinacia.
CAPVT XXIII.

IOſeph: Has definitiones illorũ monaſteriorum eſſe nõ dubium eſt, in quibus renunciationis veſtræ, vt dicitis, rudi-

menta formata ſunt, quorum principes, fratrum refectioni ſuas aſſolent præponere voluntates, & obſtinatiſſimè id quod ſemel mente conceperint exequuntur. Cæterum ſeniores noſtri quorum fidei apoſtolicarum ſigna virtutum teſtimonium reddiderunt, quique vniuerſa iudicio potius ac diſcretione ſpiritus, quàm rigida animi obſtinatione geſſerunt, eos qui alienis infirmitatibus acquieſcerent, multo vberiores fructus, quàm eos qui in ſuis definitionibus perdurarent, capere cenſuerunt; ſublimiorisque pronunciauerunt eſſe virtutis, contegere potius continentiam neceſſario, vt dictum eſt, humiliq; mendacio, quã patefacere ſuperbo veritatis indicio.

Quomodo Abbas Piamon ſuam continentiam celare maluerit.

CAPVT XXIIII.

DEnique Abbas Piamon poſt viginti quinque annos oblatam ſibi à quodam fratre vuam ac vinum, abſque hæſitatione ſuſcipiens, confeſtim ea quæ ingeſta fuerant, contra conſuetudinem deguſtare, quàm ignotæ cunctis continentiæ maluit propalare virtutem. Nam ſi illud quoque conſiderare velimus, quod ſeniores noſtros incunctanter feciſſe meminimus, qui mirabilia virtutum ſuarum, vel proprios actus, quos neceſſe erat ad inſtructionem iuniorum in collatione proferri, ſub aliorum ſolebant colorare perſonis, quid aliud poſſumus quàm apertũ ſuper his iudicare mendacium? Atque vtinam nos quoque dignum aliquid haberemus, quod ad incitandam fidem proponi iunioribus poſſet, profectò minimè vereremur huiuſcemodi illorum figmenta ſectari. Rectius enim eſt ſub talis figuræ colore mentiri, quàm pro obſeruantia irrationabilis iſtius veritatis, aut ea quæ audientes ædificare potuerant, incongrua taciturnitate contegere; aut ſi ex noſtra perſona veraciter proferantur, iactantiam noxiæ vanitatis enarrare. Ad quod etiam nos magiſterio ſuo doctor gentium euidenter inſtituit, qui reuelationum ſuarum magnitudinem ex alterius maluit proferre perſona, dicens: Scio hominem in Chriſto, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum vſque ad tertium cælum, & ſcio huiuſmodi hominem quia raptus eſt in paradiſum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. *2. Cor. 12.*

Teſtimonia ſcripturarum de commutatis definitionibus.

CAPVT XXV.

IMpoſſibile nobis eſt breuiter vniuerſa percurrere. Quis etenim enumerare ſufficiat omnes propemodum patriarchas, ſanctoſque innumerabiles, alios pro vitæ tutamine, alios pro benedictionis deſiderio, alios pro alicuius occultatione myſterij,

ſterij, alios pro zelo Dei, alios pro examinatione veritatis, patrocinium (vt ita dixerim) aſſumpſiſſe mendacij? Quæ ſicut enumerati cuncta non poſſunt, ita prætermitti penitus vniuerſa non debent. Nam beatum Ioſeph pietas compulit, vt falſum fratribus crimen etiam cum obteſtatione regiæ ſalutis impingeret, dicens, Exploratores eſtis, infirmiora terræ veniſtis inſpicere. Et infrà: Mittite, inquit, ex veſtris vnum: & adducite fratrem veſtrum huc, vos autem cuſtodiemini hic, vſque dum manifeſta fiant verba veſtra, an verum dicatis, an non: ſin autem, per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis. Si enim non eos hoc miſericordi mendacio terruiſſet, nec patrem fratremque reuiſere, nec eos in tantis inopiæ periculis alere, nec conſcientiam poſtremò fratrum à reatu vēditionis ſuæ expurgare potuiſſet. Non ergo tam reprehenſibile fuit metū fratribus incuſſiſſe mendacio, quàm ſanctum atque laudabile occaſione ficti periculi inimicos ac venditores ſuos ad ſalutarem pœnitentiam compuliſſe. Denique cùm grauiſſimæ inſimulationis vrgerentur inuidia, non illius quod falſo obiiciebatur, ſed anterioris criminis conſcientia frangebantur, dicentes ad inuicem: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, quia deſpeximus tribulationem animæ eius, cùm rogaret nos & non audiuimus eum, propter hoc venit nobis omnis tribulatio hæc. Quæ quidem confeſſio non ſolùm apud fratrem, in quem impia crudelitate peccauerant, verum etiam humilitate ſaluberrima, tantum eorum facinus, vt credimus, expiauit. Quid Salomon, qui perceptum à Deo ſapientiæ donum in primo iudicio ſuo non niſi aſſumptione mendacij declarauit? Nam vt veritatem quæ mulieris mendacio tegebatur, exculperet, etiam ipſe mendacij vtique aſtutiſſimè excogitati vſurpauit auxilium, dicens: Afferte mihi gladiū, & diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiā partē alteri. Quæ ſimulatio crudelitatis cùm veræ matris viſcera permouiſſet, ab ea autē quę mater nō erat, laudaretur, tunc demum ſagaciſſimo veritatis * iudicio illam ſententiam promulgauit, quam nemo à Deo inſpiratam eſſe non credidit: Date, inquiens, huic infantem viuum, & non occidatur, hæc eſt enim mater eius. Proinde nec debere nec poſſe nos vniuerſa complere, quæ vel cum quiete animi vel cum commotione decernimus, etiam aliis ſcripturarum teſtimoniis copioſius edocemur, quibus vel viros ſanctos, vel angelos, vel ipſum omnipotentem Deum, ea quæ definierant, frequenter legimus immutaſſe. Nam beatus Dauid cum

Geneſ. 42.

Ibidem.

3. Reg. 3.

* indicio

1. *Reg.* 25. iurisiurandi definitione decreuit, dicens: Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ pertinent ad Nabal vsque mane mingentem ad parietem. Et continuò intercedente Abigail vxore eius, ac pro eodem supplicante, remittit minas, mollit sententiam, & mauult transgressor propositi iudicari, quàm sacramenti sui fidem cum crudelitatis executione seruare, dicens; Viuit Dominus, nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Cuius sicut illam præcipitis sacramenti facilitatem, quæ de perturbatæ mentis commotione descenderat, nequaquam imitandam esse censemus, ita remissionem atque emendationem statuti sectandam esse decernimus. 1. *Cor.* 16. Electionis vas Corinthiis scribens, reditum suum absoluta definitione promittit, dicens: Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertransiero. Macedoniam enim pertransibo, apud vos autem manebo, vel etiam hiemabo, vt vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquanto tempore manere apud vos. Cuius rei etiam in secunda epistola ita meminit: 2. *Cor.* 1. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis, & per vos transirem in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Sed superueniente salubriore consilio, nequaquam se id quod promiserat, executum, euidentissimè confitetur. *Ibidem.* Cùm hoc, inquit, voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me est & non? Denique cur maluerit definitionem sui præterire sermonis, quàm aduentu suo onerosam discipulis inferre tristitiam, etiam cum sacramenti obtestatione declarat. *Ibidem.* Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni Corinthum. Statui enim hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Cùm intraturos se domum Lot Sodomis angeli denegassent, dicentes *Genes.* 19. ad eum, non intrabimus, sed in platea manebimus, continuò eius precibus compelluntur statutum mutare sermonem, sicut scriptura subiungit: Et coëgit eos Lot, & diuerterunt ad eum. Qui vtique si diuersuros se ad eum esse nouerant, inuitantis petitionem simulatoria excusatione renuerunt; sin autem veraciter excusabant, euidenter immutasse sententiam comprobantur. Quæ vtique non ob aliam credimus causam spiritum sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi vt istis erudiamur exemplis, in definitionibus nostris non pertinaciter permanere, sed eas arbitrio nostro debere subiicere, & ita

iudicium noſtrum ab omni legis vinculo liberum conſerua-
re, vt promptum ſit ad ſequendum quocunque vocauerit ſa-
lubre conſiliũ, nec differat aut recuſet ad id quod vtilius diſ-
cretio ſalutaris inuenerit abſque vlla cunctatione tranſire. Et
vt ad ſublimiora adhuc aſcendamus exempla: decumbentem
in lecto regem Ezechiam, grauique ægritudine laborantem,
ex perſona Dei Eſaias propheta adorſus eſt, dicens: Hæc dicit *Iſaiæ 38.*
Dominus, Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues:
Et conuertit, inquit, Ezechias faciem ſuam ad parietem, & o-
rauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, memento
quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde
perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit
Ezechias fletu magno. Poſt quæ rurſus dicitur ad eundem:
Reuertere & dic Ezechiæ regi Iuda, dicẽs, Hæc dicit Domi-
nus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi
lacrymam tuam, & ecce adiiciam ſuper dies tuos quinde-
cim annos, & de manu regis Aſſyriorum liberabo te, & ciuita-
tem hanc protegam propter me, & propter Dauid ſeruum
meum. Quid euidentius hoc teſtimonio, quo miſericordiæ
ac pietatis intuitu mauult Dominus ſuum caſſare ſermonẽ,
& ad præſtitutæ mortis terminos quindecim annis vitam
precantis extendere, quàm per immobilitatem decreti ſui in-
exorabilis inueniri? Similiter etiam loquitur ad Niniuitas *Ionæ 3.*
cenſura diuina: Adhuc triduũ & Niniue ſubuertetur. Moxq́;
pœnitentia eorum ieiuniisq́ue mollitur tam minax & abru-
pta ſententia, atque ad partem miſericordię prona pietate de-
flectitur. Quòd ſi quis velut præſcium conuerſionis eorum,
ſubuerſionem ciuitatis ad hoc eis Dominum aſſerat commi-
natum, vt eos ad ſalutarem pœnitentiam prouocaret, conſe-
quens eſt, vt hi qui fratribus præſũt, abſque reprehenſione
mendacij his qui indigent emendari, aliqua etiam diſtrictio-
ra quàm facturi ſunt, ſi opus fuerit, comminentur. Sin verò
dixerit Deum ſeueram illam ſententiam ſuam pœnitentiæ
eorum conſideratione reuocaſſe ſecundum illud quod per
Ezechielem ait, Si dixero impio, morte morieris, & egerit *Ezech. 33.*
pœnitentiã à peccato ſuo, feceritq́ue iudicium & iuſtitiam,
vita viuet, & non morietur: quibus docemur exemplis, non
debere nos obſtinatè in noſtris definitionibus perdurare, ſed
comminationẽ ex neceſſitate propoſitã, clementi miſeratio-
ne mollire. Quod ne ſolis ſpecialiter Niniuitis crederetur
Dominus præſtitiſſe, etiam generaliter erga omnes eadem ſe
eſſe facturum per Hieremiã Prophetam proteſtatur, & cùm
neceſſe fuerit, incunctanter ſuam ſe ſententiam mutaturum

pro nostris meritis repromittit, dicens: Repētè loquar aduersus gentem & aduersus regnum, vt euellam & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malum quod cogitaui vt facerem ei. Et subitò loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitētiam agam super bonum quod locutus sum vt facerem ei. Ad Ezechielem quoque ait: Noli subtrahere verbum, si fortè audiāt, & conuertatur vnusquisque à via sua mala, & pœnitebit me mali quod cogitaui facere eis propter malitiam studiorum eorum. Quibus testimoniis declaratur, non oportere vt pertinaciter in nostris definitionibus hæreamus, sed ratione eas ac iudicio temperandas, semperque prælegenda ac præferenda esse meliora, & ad illam quæ vtilior diiudicata fuerit partem sine cunctatione aliqua transeundum.

Ierem. 18.

Ierem. 26.

Quòd non secundum immensitatem præscientiæ diuina clementia, sed secundum præsentes actus vel remuneret vnumquemque vel puniat.

CAPVT XXVI.

ILlud etiam præ omnibus inæstimabilis illa censura nos instruit, quod cùm sit ei ante ortum vniuscuiusque præcognitus finis, ita ordinatè ac ratione communi, & humanis quodammodo omnia dispensat affectibus, vt non potentialiter nec secundum præscientiæ suæ ineffabilem notitiam, sed secundum pręsentes hominum actus vniuersa diiudicans, vel respuat vnumquemque vel attrahat, & vel infundat quotidie suam gratiam vel auertat. Quod ita esse etiam illa Saulis manifestat electio, cuius vtique cùm vituperabilem finem præscientia Dei ignorare non posset, de tot millibus Israëlis elegit eum & vnxit in regem, præsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futuræ præuaricationis intendens: ita vt postquam reprobus factus est, velut pœnitudinem gerens electionis suæ Deus, humanis quodammodo de eodem vocibus atque affectibus conqueratur dicens: Pœnitet me quòd constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Et iterum: Verum tamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quòd constituisset regem Saul super Israel. Deniq; hoc * quoniam opere fuerat executus, postea etiam per Ezechielem prophetam Dominus protestatur cum omnibus se hominibus quotidiano gesturum esse iudicio: Etiam si dixero, inquiens, iusto quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate quam

1. Reg. 10.

1. Reg. 15.

*quod iam

Ezech. 33.

quam operatus eſt in ipſa morietur. Sin autem dixero impio, morte morieris,& egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam, pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniuſtum, vita viuet & non morietur, omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei. Deniq; cùm ab illo populo quem ex omnibus gentibus Dominus adoptauit, propter ſubitam vituli præuaricationem miſericordiæ ſuæ auertiſſet aſpectum, interueniens pro eo legiſlator, exclamat: Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum magnum, fecerunt ſibi Deos aureos; & nunc ſi remittis peccatum eorum, remitte; ſin aliàs, dele me de libro quem ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus: Si quis, inquit, peccauerit coram me, delebo eum de libro meo. Dauid quoque dum de Iuda & perſecutoribus Chriſti prophetico ſpiritu quereretur, Deleantur, inquit, de libro viuentium. Et quia non merebantur ad pœnitentiam ſalutarem pro reatu tāti criminis peruenire, ſubiungit: Et cum iuſtis non ſcribantur. Deniq; in ipſo Iuda vis propheticæ maledictionis euidenter impleta eſt. Nam expleto proditionis crimine ſuſpendio ſe necauit, ne ſi poſt illam deletionem nominis ſui conuerſus ad pœnitentiam eſſet, iterum cum iuſtis ſcribi mereretur in cælo. Non ergo eſt ambigendum, etiam Iudæ nomen illo tempore quo electus à Chriſto Apoſtolatus ſortitus eſt gradum, in libro viuentium fuiſſe conſcriptum, ac pariter eum audiſſe cum cæteris, Nolite gaudere quia dæmonia vobis ſubiiciuntur, gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Sed quia philargyriæ peſte corruptus, de aſcriptione cæleſti ad terrena deiectus eſt, competenter de eo ac de ſimilibus eius dicitur per prophetam: Domine omnes qui te derelinquunt, confundantur, recedentes à te in terra ſcribantur, quia dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Et alibi: In conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, & in terram Iſraël non ingredientur.

Exod. 32. — Psalm. 68. — Matth. 27. — Lucæ 10. — Ierem. 17. — Ezech. 13.

Quòd ſancti viri pertinaces ac duri eſſe non poſſunt.

CAPVT XXVII.

NEc illius præcepti vtilitas eſt ſilenda, quòd etiamſi inſtigante ira vel qualibet alia paſſione, ſacramento nos aliquo vinxerimus, quod à nemine quidem monachorum fieri penitus debet, vtriuſque tamen rei cauſa integro mentis eſt penſanda iudicio, & comparanda eſt illa res quam ſtatuimus huic ad quam tranſire compellimur, atque ad eam ſine cunctatione eſt tranſeundū, quę ſuperueniente ſeniorū tractatu,

iuſtior

iustior fuerit iudicata. Rectius enim est nostrum nos prӕterire sermonẽ, quàm rei salubrioris ac piӕ subire iacturam. Denique nunquam rationabiles ac probatos patres duros aut irreuocabiles in huiusmodi definitionibus fuisse reminiscimur, sed velut ceram calore solis, ita eos ratione mollitos, & intercedente salubriore consilio melioribus partibus sine hӕsitatione cessisse. Quoscunque autem vidimus definitionibus suis pertinaciter inhӕrere, irrationabiles semper probauimus, ac discretionis expertes.

Interrogatio, an sit contrarium prӕdictӕ sententiӕ illud quod dicitur, Iuraui & statui, &c. CAP. XXVIII.

GErmanus: Quantum ad hanc rationẽ pertinet quӕ euidenter copiosèque digesta est, nihil oportet monachum definire, ne aut prӕuaricator inueniatur aut pertinax. Et vbi illud psalmistӕ postponimus eloquium, Iuraui & statui custodire iudicia iustitiӕ tuӕ? Quid est enim aliud iurare & statuere, quàm definita immobiliter custodire?

Psalm. 118.

Responsio, in quibus immobilis definitio sit tenẽda, & in quibus, si oportuerit, rescindenda. CAPVT XXIX.

IOseph: Nos non de principalibus mandatis, sine quibus non potest salus nostra omnino subsistere, ista decernimus, sed de his quӕ sine periculo status nostri vel relaxare possumus, vel tenere; vtpura de irremisso rigore ieiunij, de vini siue olei perpetua abstinentia, de progressu cellulӕ penitus cohibendo, de lectionis seu meditationis incessabili iugitate, quӕ sine iactura professionis ac propositi nostri & exerceri cùm libuerit possunt, & cùm necesse fuerit irreprehensibiliter prӕtermitti. Cӕterum super obseruantia illorum principalium mandatorum constantissimè definiendum est, ac pro his etiam mors si necesse fuerit non vitanda, pro quibus immobiliter est dicendum, iuraui & statui. Quod fieri debet pro custodia caritatis, pro qua spernenda sunt vniuersa, ne bonum tranquillitatis illius, perfectioque maculetur. Similiterque iurandum est pro castimoniӕ puritate, nec aliud facere nos oportet pro fide, pro sobrietate atque iustitia, quӕ omnia indemutabili perseuerantia sunt tenenda, & à quibus paululum recessisse damnabile est. De illis verò corporalibus exercitiis quӕ ad modicum dicuntur esse vtilia, ita est vt diximus statuendum, vt si qua superuenerit certior pietatis occasio quӕ illa suadeat relaxari, nulla super his lege teneamur, sed prӕtermissis eis ad vtiliora liberè transeamus. In illis enim

Mors potius oppetenda est, quàm ab obseruatione mandatorum Dei recedatur.

1. Timoth. 4.

enim corporalibus exercitiis si pro tempore relinquantur, periculum non est; ab his verò ad momentum declinasse mortiferum est.

Quemadmodum celanda, aliis committi debeant.

CAPVT XXX.

HOc quoque simili cautione curandum est, vt si quis forsitan sermo, quem esse vultis occultum, de vestro ore fuerit prolapsus, nulla occultationis præcepta sollicitent audientem; magis enim latebit si negligenter atque simpliciter transeatur; quia non quilibet fratrum super diuulgationis eius impugnatione torquebitur, existimans rem vilem aliquam transitoria confabulatione prolatam, & quæ ex hoc ipso sit leuior, quia cautissimo silentij præcepto sensibus audientis commendata non fuerit. Nam si etiam fidem eius aliqua sacramentorum obtestatione deuinxeris, citius illud prodendum esse non ambigas. Maior enim aduersus ipsum vis diabolicæ impugnationis insurget, vt & te mæstificet vel denudet, & illum transgressorem quantocyus sui faciat sacramenti.

Nihil super his quæ ad vsum communis vitæ attinent definiendum.

CAPVT XXXI.

ET idcirco nihil debet abruptè monachus super his dumtaxat quæ ad corporales exercitationes pertinent definire, ne aduersarium ad impugnationem eorum quæ velut sub legis obseruatione custodit magis incitans citius ea violare cogatur. Præfigens siquidem sibi legem vnusquisque sub libertatis gratia constitutus, perniciosa semetipsum obligat seruitute, vt ea quæ licitè, imò etiam laudabiliter cum gratiarum actione præsumere potuisset, si necessitas fortasse compulerit velut transgressor percipere compellatur cum præuaricatione peccati. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Hac *Rom. 4.* beatissimi Ioseph institutione atque doctrina velut diuino oraculo confirmati, in Aegypto residere maluimus. Sed licèt parum deinceps de nostra essemus promissione solliciti, tamen expleto septem annorum numero, sponsionem nostram gratanter impleuimus. Excurrentes namque ad cœnobium nostrum illo iam tempore quo de impetrando ad eremum reditu fiduciam gerebamus, primum Senioribus nostris honorem debitum soluimus: deinde animis eorum qui pro caritatis ardore creberrimis litterarum nostrarum satisfactionibus nequaquam fuerant deliniti, pristinam redintegrauimus

mus caritatem tandemque ad plenum aculeo nostræ sponsionis auulso, his quoque cum gaudio prosequentibus ad Scythiotica solitudinis secreta remeauimus. Hanc vobis ô sancti fratres illustrium patrum scientiam atque doctrinam nostra, vt potuit, elucubrauit inscitia, quam etiamsi incultus forsitan sermo confudit potius quàm digessit, quæso ne laudem insignium virorum reprehensio nostræ rusticitatis euacuet. Tutius siquidem nobis in conspectu nostri iudicis visum est, doctrinæ huius magnificentiam vel incultis sermonibus prodere, quàm silere: quippe cùm & profectui lectoris, si sublimitatem sensuum contempletur, hoc quod imperitia nostri sermonis offenditur obesse non possit, & maior sit nobis vtilitatis cura, quàm laudis. Neque enim hoc quòd sanctorum virorum dicta descripsi, & plenum periculi, & egenum laudis esse non noueram, sed prudens, vt dicitur, laqueo pedem indidi, nec me indubitato discrimini sub incerta spe alieni profectus tradere recusaui: monens omnes ad quorum manus opuscula ista peruenerint, vt quicquid placuerit in eis, patrum, nostrum verò sciant esse quod displicet, omnes quibus amabilis est vita & doctrina sanctorum.

Modesta Autoris Conclusio.

Finiunt Septem Collationes Patrum in Thebaida Aegypti eremo commorantium.

PRAEFA-

PRAEFATIO

D. IOANNIS CASSIANI

IN SEPTEM VLTIMAS collationes Patrum, in vlterioris Aegypti partibus habitantium, ad Iouinianum, Mineruium, Leontium, & Theodorum.



MENSIS iuuante gratia Christi decem Collationibus patrum, quæ exigentibus beatissimis episcopis Helladio ac Leontio, vtcũque digestæ sunt: septem alias beato episcopo Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicaui: Totidem & nunc vobis ô sancti fratres Iouiniane, Minerui, Leonti, & Theodore, credidi deputandas. Posterior siquidem vestrum illam cœnobiorum sanctam atque egregiã disciplinam in prouinciis Gallicanis antiquarum virtutum districtione fundauit, cæteri verò non solum cœnobialem professionem apprimè monachos expetere, verum etiam anachoreticam sitire sublimitatem, vestris institutionibus prouocastis. Ea namque collationes istæ summorum patrum disputatione contextę sunt, & ita in omnibus temperatæ, vt * vtræque professioni, qua non solùm occiduas regiones, verum etiam insulas, maximis fratrum cateruis fecistis florere, conueniant; id est, vt non solùm hi qui adhuc in congregatione laudabili subiectione perdurant, sed etiam illi qui haud longè à vestris cœnobiis secedentes Anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro condicione locorum ac status sui mensura plenius instruantur. Quibus hoc præcipuum contulit præcedens vestri laboris industria, vt parati iam atq; in iisdem exercitiis deprehensi, facilius præcepta seniorum atque instituta suscipiant, ipsosque in cellulas suas autores collationum cum ipsis collationum voluminibus recipientes, & quotidianis quodammodo cum eis interrogationibus ac responsis colloquentes, nõ propriis adinuentionibus arduam istam, & incognitam fermè in hac regione appetant viam, sed periculosam etiam illic vbi iam tritissimi calles, & innumera præcedentium exempla non desunt, anachoreseos disciplinam illorum potius præceptis capere consuescant, quos in omnibus & antiqua traditio, & longæ experientiæ instruxit industria.

* vtrique

COL-

COLLATIO XVIII. PIAMONIS ABBATIS DE TRIBVS GENERIBVS MONACHORVM, ET QVARTO NVPER EXORTO.

Quemadmodum Dyolco venientes, ab Abbate Piamone recepti fuerimus.

CAPVT I.

POST conspectum atq; colloquium trium illorum Senum, quorum collationes sancto fratre nostro Eucherio compellente, vtcunq; digessimus, cùm etiã vlterioris Aegypti partes, in quibus amplior atq; perfectior sanctorũ numerus consistebat, maiore flagrantia desideraremus expetere, ad vicum cui nomen est Dyolcos, vni ex septem Nili fluminis ostiis imminentẽ, non tam itineris necessitate, quàm desiderio sanctorũ illic commorantium compellente, peruenimus. Cùm enim velut cupidissimi mercatores plurima illic celeberrimaque cœnobia ab antiquis audiuissemus patribus instituta, continuò quasi nauigationẽ inquisitionis incertæ, spe maioris lucri persuadente, suscepimus. Vbi cũ diutissimè fluctuantes, ad illos virtutum sublimitate conspicuos mõtes vndique oculos tenderemus, Abbatem Piamonem omniũ Anachoretarũ illic inhabitantium Seniorem, eorundemque presbyterum velut quandam sublimissimã Pharum, primus circumspectantium notauit intuitus. Hic etenim sicut euangelica illa ciuitas in excelsi montis vertice constitutus, nostro protinus refulsit aspectui. Cuius virtutes atq; mirabilia quæ per eum etiã sub conspectu nostro, diuina gratia testimoniũ meritis eius reddente, perfecta sunt, ne vel propositi nostri formã, vel modum huius voluminis excedamus, prætermittenda credidimus. Nõ enim de mirabilibus Dei, sed de institutis studiisq; sanctorum quædã quæ reminisci possibile est, nos spopõdimus tradituros, vt necessariã tantũ perfectæ vitæ instructionem, nõ inutilẽ absque vlla emendatione vitiorum ac superuacuam admirationem legentibus præberemus. Cùm itaq; beatus Piamon summa gratulatione susceptos, humanitate etiam congrua refecisset, intelligens nos nõ eiusdem esse regionis, primum vnde vel cur Aegyptum petissemus sollicitè percunctatus, ac de cœnobio Syriæ ob desiderium perfectionis nos illò aduenisse cognoscens, ita exorsus est.

Matth. 5.

Quomodo

Quomodo rudes monachi exemplo ſeniorum debeant erudiri.

CAPVT II.

QVisquis hominum ò fili cuiuslibet artis peritiam aſſequi concupiſcit, niſi omni cura atque vigilantia eius ſe quam noſſe deſiderat diſciplinæ ſtudiis mancipariт, ac perfectorum quorumque opificij ipſius vel ſciētiæ magiſtrorum præcepta atque inſtituta ſeruauerit, fruſtra inanibus votis eorum ſimilitudinem exoptat attingere, quorum curam atque induſtriam detrectat æmulari. Nouimus enim nōnullos ita ad hæc loca de veſtris regionibus aduenisse, vt cognoſcendi tantummodo gratia fratrum monaſteria circumirent, non vt has regulas, ob quas huc commeauerant, atque inſtituta ſuſciperent, ac ſecedentes in cellulas conarentur ea quæ vel viſu vel traditione perceperant, operibus experiri. Qui mores ſuos ac ſtudia quibus imbuti fuerant retentantes, vt eis exprobrari à nonnullis ſolet, non profectus ſui gratia, ſed vitandæ egeſtatis neceſſitate exiſtimati ſunt prouincias commutaſſe. Non ſolùm enim nihil eruditionis acquirere, ſed ne diutius quidem in his partibus commorari, pertinacis animi obſtinatione potuerunt. Cùm enim nec ieiuniorum morem, neque Pſalmorum ordinem, nec ipſorum denique indumentorum habitū permutaſſent, quid aliud in hac regione ſectari quàm ſola victus ſui compendia crederentur?

Quòd iuniores ſeniorum præcepta diſcutere non debeant.

CAPVT III.

QVamobrem ſi vos quemadmodum credimus, Dei cauſa, ad æmulationem noſtræ cognitionis attraxit, omnibus inſtitutis quibus illic primordia veſtra præuenta ſunt penitus abdicatis, quæcumque ſeniores veſtros agere vel tradere videritis, ſumma humilitate ſectamini. Neque vos moueat, aut ab imitatione retrahat ac diuertat, etiam ſi vobis ad præſens alicuius rei, vel facti ratio, vel cauſa nō liqueat; quia eos qui bene de cunctis ac ſimpliciter ſentiunt, & vniuerſa quæ à ſenioribus tradi gerìue perſpexerint, fideliter imitari magis quàm diſcutere ſtudent, per operis experientiā etiam rerum omnium ſcientia ſubſequetur. Cæterum nunquam rationem veritatis intrabit, quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri; quia videns eum inimicus ſuo potius quàm patrum iudicio confidentem, facilè in id vſque propellit, vt etiam illa quæ maximè vtilia atque ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur & noxia. Atque ita præſumptioni eius callidus hoſtis illudit, vt irrationabilibus definitionibus ſuis pertinaciter inhærendo, hoc ſolummodo ſibi ſanctum eſſe per-

suadeat, quod rectum atque iustissimum suæ tantùm obstinationis errore censuerit.

De tribus generibus monachorum quæ intra Aegyptum sunt.

CAPVT IIII.

QVamobrem ordo atque principium professionis nostræ, quemadmodum, vel vnde descenderit primum debetis agnoscere. Tunc enim poterit quis desideratæ artis efficacius assequi disciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs incitari, cùm autorum & fundatorum eius agnouerit dignitatem. Tria sunt in Aegypto genera monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis euitandum. *Cœnobitæ.* Primum est cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur, cuius generis maximus numerus monachorum per vniuersam *Anachoretæ.* commoratur Aegyptum. Secundum Anachoretarum, qui prius in cœnobiis instituti, iamque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegere secreta, cuius professionis nos *Sarabaitæ.* quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est. de quibus sigillatim per ordinem plenius disseremus. Harum igitur trium professionum fundatores, primùm, vt diximus, debetis agnoscere. Nam profectò ex hoc ipso vel odium professionis illius nasci poterit, quæ vitanda est, vel eius desiderium, quæ sequenda: quia necesse est vnamquamque viam ad illum finem suum pertrahere sectatorem, ad quem autor ipsius inuentorque peruenerit.

Quibus autoribus Cœnobitarum sit instituta professio.

CAPVT V.

ITaque Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus *Actor. 4.* Apostolorum ita describitur: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant ea *Ibidem.* omnibus prout cuique opus erat. Et iterum: Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebãt ante pedes Apostolorum. *Cœnobitica vita toti ecclesiæ principio communis fuit.* Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Talis inquam erat tunc omnis ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis inuenire difficile est. Sed cùm post Apostolorũ excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel

maximè

maximè quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diuersis gentibus confluebat, à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inueterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi vt ab immolaticiis idolorum & fornicatione & suffocatis & sanguine temperarent, atque ista libertas quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius ecclesiæ quæ Hierosolymis cōsistebat perfectionem paulatim contaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero vel aduenarum, primæ illius fidei refrigesceret feruor, non solùm hi qui ad fidem Christi confluxerant, verumetiam illi qui erant ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiā licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis fidem Christi confessionemque sequerentur. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à ciuitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per vniuersum corpus ecclesiæ generaliter meminerant instituta, priuatim ac peculiariter exercere cœperunt, atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestrauerant, disciplina. Qui paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis, ab eo quòd à coniugiis abstinerent, & à parentum se consortio mundique istius conuersatione secernerent, monachi siue monozantes singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Vnde consequens fuit, vt ex communione consortij cœnobitę, cellæque ac diuersoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod nō modò tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inuiolabile vsque ad Abbatis Pauli vel Antonij durauit ætatem. Cuius etiam nūc adhuc in districtis cœnobiis cernimus residere vestigia. *Actor. 15.*

De Anachoretarum ordine ac principio.

CAPVT VI.

DE hoc perfectorum numero, &, vt ita dixerim, fecundissima radice, sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt. Cuius professionis principes hos quos paulo antè memorauimus, sanctū videlicet Paulum vel Antonium, nouimus extitisse. Qui non vt quidam pusil- *Paulus eremita & Antonius Anachoretarum principes.*

pusillanimitatis causa nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus contemplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet prior eorum necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorũ deuitat insidias, eremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa, quam diximus, disciplina aliud perfectionis genus, cuius sectatores Anachoretæ, id est, secessores meritò nuncupantur, eo quòd nequaquam contenti hac victoria qua inter homines occultas insidias diaboli calcauerunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupiẽtes, vastos eremi recessus penetrarę non timeant, ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ qui in eremo tota permansit ætate: Heliæ quoq; & Helisei, atque illorum de quibus Apostolus ita commemorat, Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. De quibus etiam Dominus figuraliter ad Iob, Quis, * ait, est qui dimisit onagrum liberum, & vincula eius resoluit? Posuit habitaculum eius desertum, & tabernacula eius salsuginem? Irridens multitudinem ciuitatis, & querelam exactoris non audiens. Considerauit montes pascuæ suę, & post omne viride quærit. In psalmis quoque: Dicant nunc qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Et post pauca: Errauerunt in solitudine in * inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Quos etiam Hieremias ita describit: Beatus qui tollit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se. Quique illud psalmistæ affectu & opere concinunt; Similis factus sum pelicano solitudinis: Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Hebr. 11. — *Iob 39.* — *autem — *Psalm. 106.* — *siccitate — *Thren. 3.* — *Psalm. 101.*

De Sarabaitarum principio & conuersatione.

CAPVT VII.

CVmque his duabus professionibus monachorum religio Christiana gauderet, cœpisset autem in deterius paulatim hic quoque ordo recidere, emersit post hæc illud deterrimum & infidele monachorum genus, vel potius noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiam & Sapphirã in exordio ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est, quæ inter monachos tamdiu detestabilis execrandaque iudicata est, nec à quoquam vlterius vsurpata, quamdiu illius tam

Actor. 5.

tam districtæ formido sententiæ memoriæ fidelium inserta durauit, qua beatus Apostolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, nõ vlla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit. Illo igitur exemplo quod in Ananiam & Sapphiram Apostolica districtione punitum est, à nonnullorum contemplatione paulatim longa incuria & tẽporis oblitteratione subtracto, emersit istud Sarabaitarum genus, qui ab eo quòd semetipsos à cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Aegyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt, de illorum quos prædiximus numero procedentes, qui Euangelicam perfectionem simulare potius quàm in veritate arripere maluerunt, æmulatione scilicet eorum vel laudibus prouocati, qui vniuersis diuitiis mũdi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo * rem summæ virtutis affectant, vel ne- *resumere virtutes cessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque vlla studiorũ æmulatione festinant, cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subiiciuntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti, suas discunt vincere voluntates, nec vllam sanę discretionis regulam legitima eruditione suscipiũt, sed ad publicam tantummodo, id est ad hominum faciem renunciantes, aut in suis domiciliis sub priuilegio huius nominis iisdẽ obstricti occupationibus perseuerãt, aut construentes sibi cellulas, easque monasteria nuncupantes, suo in eis iure ac libertate consistunt, nequaquàm euangelicis præceptionibus succumbẽtes, vt nulla scilicet quotidiani victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli absque infideli dubitatione consummant, qui cũctis mundi huius facultatibus absoluti, ita se cœnobiorum præpositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius fateantur esse se dominos. Illi autem qui districtionem, vt diximus, cœnobij declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura atque imperio gubernari, sed hoc præcipuè procurantes, vt absoluti à seniorum iugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quò placuerit euagandi, agendíue quod libitum fuerit habeant libertatem, * et- * et iam iam amplius in operibus diurnis, quàm hi qui in cœnobiis degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide eodemque proposito. Hoc enim isti faciunt, non vt fructum sui operis subiiciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias quas recondant. Inter quos quantũ intersit

 aduertite.

aduertite. Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus. Isti verò non solum in crastinū sed etiam in multorum annorum spatia infidelem sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus atque indumentorum sufficientiam præbere eis aut non possit, aut nolit. Illi hoc omnibus expetunt votis, vt ἀκτημοσύνην, id est, nuditatem omnium rerum paupertatemq; possideant, isti vt omnium cōpiarum affluentiam consequātur. Illi ob hoc certatim statutum transcendere canonem diurnis operibus elaborant, vt quicquid monasterij sanctis vsibus redundarit, vel carceribus, vel xenodochio, vel * nosocomio, vel indigentibus pro abbatis dispensetur arbitrio. Isti vt quicquid quotidianæ superfuerit gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certè philargyriæ vitio recondatur. Postremò vt concedamus ab istis hæc quoque quæ non optimo proposito congeruntur, melius quàm diximus posse distribui, nec sic quidem ad meritum virtutis illorum ac perfectionis aspirant. Illi enim tantos monasterio redditus conferentes, eisque quotidie renunciantes, in tanta subiectionis humilitate perdurant, vt quemadmodum sui, ita etiam eorum quæ proprio sudore conquirunt, potestate priuentur, abrenunciationis primæ feruorem, dum quotidie semetipsos laboris sui fructibus nudant, iugiter innouantes. Isti autem in eo ipso quòd aliquid pauperibus largiuntur elati, in præceps quotidie collabuntur. Illos patientia atque districtio, qua tam deuotè in hac quam semel arripuerunt professione perdurant, vt nunquam suas expleāt voluntates, crucifixos huic mundo quotidie viuosque martyres facit; hos arbitrij sui tepor viuos ad inferna demergit. Hæc igitur duo genera monachorum in hac quidem prouincia æquali propemodum numerositate inter se contendunt. Cæterum per alias regiones quas me necessitas catholicæ fidei compulit peragrare, istud tertium Sarabaitarum genus abundare ac propè solum esse cognouimus. Temporibus siquidem Lucij qui Arrianæ perfidiæ episcopus fuit, sub Valentis imperio cùm diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Aegypto ac Thebaida fuerant ob catholicæ fidei perseuerantiam metallis Ponti atque Armeniæ * relegati, licèt cœnobiorum disciplinam in quibusdam ciuitatibus rarissimam viderimus, Anachoretarum tamen apud illos ne ipsum quidem nomeū auditū fuisse comperimus.

*œconomo

*delegati,

De

De quarto genere monachorum.

CAPVT VIII.

SAnè est etiam aliud quartum genus quod nuper cernimus emersisse in his qui Anachoretarum sibi specie atq; imagine blandiuntur, quique in primordiis suis feruore quodam breui, cœnobij perfectionem videtur expetere, sed continuò tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnũt, nec iugum humilitatis ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, ac solitarij sedere desiderant, vt ita scilicet à nemine lacessiti, patientes, mansueti, ac humiles possint ab hominibus æstimari. Quæ institutio, imò tepor, eos quos semel infecerit, ad perfectionem nunquàm permittit accedere. Hoc enim modo non solùm non abscindentur, verumetiã in deterius eorum vitia conualescent, dum à nemine prouocati, vt quoddam lethale & intestinum virus, quanto amplius celatum fuerit, tanto profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reuerentia enim singularis cellæ, nullus iam vitia solitarij audet arguere, quæ ille ignorari maluit quàm curari. Porro virtutes non occultatione vitiorum, sed expugnatione pariuntur.

Virtutes expugnatione, non occultatione vitiorum comparari.

Interrogatio, quid intersit inter cœnobium & monasterium.

CAPVT IX.

GErmanus: Est-ne aliqua inter cœnobium monasteriũq; distantia, an in vtroque nomine res vna censetur?

Responsio. CAP. X.

PIamon: Licèt à nonnullis soleant indifferenter monasteria pro cœnobiis appellari, tamen hoc interest, quòd monasterium nomen est diuersorij, nihil amplius quàm locum, id est, habitaculum significãs monachorum: Cœnobium verò etiam professionis ipsius qualitatem disciplinamque designat. Et monasterium potest etiam vnius monachi habitatio nominari, cœnobium autem appellari non potest, nisi vbi plurimorum cohabitantium degit vnita communio. Dicuntur sanè monasteria, etiam in quibus Sarabaitarum collegia commorantur.

Monasterium. Cœnobium.

De vera humilitate. & quomodo falsam cuiusdam humilitatem prodiderit Abbas Serapion. CAPVT XI.

QVamobrem quoniam de optimo genere monachorum video vos professionis huius arripuisse principia, id est, de laudabili cœnobiorum palæstra, ad excelsa fastigia anachoreticæ tendere disciplinæ, humilitatis patientiæque virtutem, quam vos illic didicisse non dubito, vero sectamini

Vera humilitas non in corporis inclinatione & externis officiis consistit.

**D. Dionys. legit offerret.*

cordis affectu, non eam sicut quidam falsa humiliatione verborum, nec affectata atque superflua in quibusdam officiis corporis inclinatione fingentes. Quod humilitatis figmentum abbas Serapion quodam tempore eleganter irrisit. Cùm enim quidam ad eum summam sui abiectionem habitu ac verbis præferens venisset, eumque senex secundum morem vt orationem * colligeret hortaretur, ille nequaquàm annuēs deprecanti, tantis se subiiciens asserebat flagitiis inuolutum, vt ne vsum quidem huius communis aëris capere mereretur, psiathij quoque ipsius refugiens sessionem, humi potius residebat. Cùm verò etiam ad ablutionem pedum multo minus præbuisset assensum, tum abbas Serapion refectione transacta, collationis consuetudine prouocante, monere eum benignè ac leniter cœpit, ne otiosus ac vagus præsertim iuuenis tam robustus instabili leuitate per vniuersa discurreret, sed vt in cella residens, secundum regulam Seniorum suo potius opere, quàm aliena mallet munificentia sustentari. In quod ne Paulus Apostolus incideret, & quidem cùm ei in Euangelio laboranti hæc præbitio meritò deberetur, diebus tamen ac noctibus maluit operari, vt quotidianum victum vel sibi, vel his qui eidem ministrantes opus exercere non poterant, suis manibus præpararet. Ad hæc ille tanta est tristitia & dolore suppletus, vt amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare potuerit. Cui senex, Hactenus, inquit, ò fili cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens ne confessione tam atrocium criminum, notam existimationis incurreres, quid quæso nunc est quod ad simplicem admonitiunculam nostram, quæ tamen in se non modò nullum opprobrium, sed etiam ædificationis habuit ac dilectionis affectum, tanta te video indignatione permotum, vt eam ne vultu quidem occultare, aut frontis serenitate dissimulare potueris? An fortasse dum te humiliabas, illam expectabas à nostro ore sententiam, Iustus accusator sui est in primordio sermonis? Proinde vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit. Quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ fulgebit indiciis, cùm quis non ipse de se crimina ab aliis non credenda iactauerit, sed ab aliis sibimet arroganter ingesta contemserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerauerit.

Actor. 20.

Prouerb. 18.

Interro-

Interrogatio quemadmodum vera patientia poßit acquiri.

CAPVT XII.

GErmanus: Quemadmodum acquiri vel retineri possit ista tranquillitas optamus agnoscere: vt sicut indicto nobis silentio, oris claustra præcludimus, verborumque licẽtiam coërcemus, ita etiam cordis lenitatem custodire possimus; quòd nonnũquam etiam cùm lingua refrenatur, intrinsecus tamen statum suæ placiditatis amittit. Et idcirco mansuetudinis bonum non aliàs tenere quempiam posse, nisi remotione cellæ ac solitario putamus habitaculo.

Responsio. CAPVT XIII.

PYamon: Patientia vera atque tranquillitas: absque profunda cordis humilitate nec acquiritur nec tenetur. Quæ si de hoc fonte descenderit, nec beneficio cellæ nec perfugio solitudinis indigebit. Non enim patrocinium cuiusquam rei extrinsecus quærit, quæ humilitatis, id est, generatricis atque custodis suæ intrinsecus virtute fulcitur. Cæterũ si mouemur ab aliquo lacessiti, certum est nõ esse in nobis humilitatis fundamenta firmiter stabilita, & ideo ad incursum vel exiguæ tempestatis, ædificium nostrum ruinosa commotione concutitur. Non enim esset laudabilis nec admiranda patientia, si nullis inimicorum iaculis impetita tranquillitatis propositum retineret, sed in eo est præclara atque gloriosa, quòd irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseuerat. Nam in quo vexari frangique aduersitatibus creditur, in eo potius roboratur, & in eo magis acuitur in quo putatur obtundi. A passionibus enim & sustentatione patientiã dici nullus ignorat, ideoque constat patientem pronunciari neminem posse, nisi eum qui vniuersa quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione tolerauerit. Et ideo non immeritò ita à Salomone laudatur: Melior est patiens forti, & qui continet iram capiente vrbem. Et iterum: Lõganimis vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. Cùm ergo quis victus iniuria, iracundiæ igne succenditur, non causa peccati eius acerbitas illatæ contumeliæ extitisse credenda est, sed potius manifestatio infirmitatis occultæ, secundum illam parabolam Saluatoris quam de duabus domibus ponit: vna quæ fundata erat supra petram, & alia quæ super arenam, quibus æqualiter dicit, pluuiarum ac fluminum vel tempestatum turbines irruisse, sed illã quæ in petræ soliditate fundata est nihil penitus detrimenti ex illa tam violenta collisione sensisse; quæ verò in arenarum pendula mobilitate cõstructa est, statim fuisse collapsam. Quam vtique apparet nõ

Patientiam sine humilitate non posse consistere.

Patientia à passionibus dicta est.

Prouerb. 16.

Matth. 7.

propterea corruisse, quia imbrium vel torrentium inundatione pulsata, sed quia super arenam imprudenter est structa. Non enim in hoc differt à peccatore vir sanctus, quia nō similiter & ipse tentatur, sed quia hic etiam magna impugnatione non vincitur, ille autem etiam parua tentatione superatur. Neq; enim esset, vt diximus, iusti alicuius laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus, cùm vtique victoria locum habere non possit absque aduersitate certaminum. Beatus enim vir qui suffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Secundum Apostolum quoque Paulum, virtus non in otio atque deliciis, sed in infirmitate perficitur. Ecce enim, inquit, dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferreā, & in murum æreum, super omnē terram regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus eius, & omni populo terræ, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum vt eruam te, dicit Dominus omnipotens.

Iacob. 1. *2. Corinth. 12.* *Ierem. 1.*

De exemplo patientiæ cuiusdam religiosæ feminæ.

CAPVT XIIII.

HVius ergo patiētiæ volo vobis duo saltem exempla proponere, vnum religiosæ cuiusdam feminæ, quæ patientiæ virtutem tanta auiditate sectata est, vt non solùm tentationum non vitaret incursus, sed etiam occasiones molestiarum sibimet procuraret, quibus frequentius instigata non cederet. Hæc namque cùm Alexandriæ commoraretur, essetque non obscuris orta maioribus, atque in domo quæ sibi fuerat à parentibus derelicta religiosè Domino deseruiret, veniens ad beatæ memoriæ Athanasium episcopum, precabatur vt aliquam sibi alendā viduam daret quę ex ecclesiasticis sumptibus pascebatur. Et vt petitionem eius verbis ipsius exprimamus, Da, inquit, mihi aliquam de sororibus quam repausem. Sacerdos igitur cùm laudasset propositum feminæ quòd eam ad opus misericordiæ vidisset esse prōptissimam, iussit ex omnibus eligi viduam, quæ & honestate morum, & grauitate ac disciplina omnibus præferretur, ne fortè desiderium largitatis, percipientis vitio vinceretur, & quæ mercedem quæreret in egena, damnum fidei prauis eius offensa moribus pateretur. Cui cùm domum adductæ omnibus deseruiret obsequiis, virtutem modestiæ eius ac lenitatis experta, vidensque se ab ipsa momentis singulis gratiarū actione pro officio humanitatis honorari, post dies paucos ad memoratum reuertitur Sacerdotem, Rogaueram, inquiens, vt mihi dari præciperes quam ego reficerē, & cui morigeris famula-

famularer obsequiis. Cumq; ille necdũ propositũ feminæ ac desiderium intelligens, æstimasset petitionem eius dissimulatione præpositi fuisse neglectam, causasque moræ illius non absque animi sui commotione perquirens, protinus agnouisset honestiorem ei cæteris viduam deputatam, occultè præcepit, vt ea illi quæ esset cunctis nequior traderetur, quæ scilicet vel iracundia, vel rixis, vel * violentia seu verbositate, *vinolentia atque etiam vanitate cunctas quibus hæc vitia dominarentur excederet. Quam cùm multo facilius inuentam sibique traditam domi habere cœpisset, atque eadem ei diligẽtia qua priori illi viduæ, vel etiam studiosius ministraret, hoc solum ab ea pro tantis obsequiis recipiebat gratiæ, vt indignis iugiter afficeretur iniuriis, conuiciis quoque ab ea exprobrationibusque continuis vexaretur, obiiciente ei, & maledicis obtrectationibus increpante, eò quòd se non ad refrigeriũ, sed potius ad cruciatum & contumeliam ab Episcopo poposcisset, magisque se de requie ad laborem, quàm de labore transtulisset ad requiem. Cùm ergo assiduitas iurgiorum eò vsq; prorumperet, vt ne ab iniectione quidem manuum procax mulier temperaret, illa autem humilioris obsequij ingeminaret officia, non furentem vincere renitendo, sed semetipsam humilius subiiciendo discebat, vt multimodis indignitatibus lacessita, obiurgantis insaniam humanitatis mansuetudine deliniret. Quibus ad plenum exercitiis confirmata, perfectamque virtutem desideratæ patientiæ consecuta, ad memoratum Sacerdotem, tam pro electionis illius iudicio, quàm etiam pro beneficio exercitationis suæ, gratias relatura perrexit, eo quòd secundum desiderium suum tandem ei magistram patientiæ dignissimam prouidisset, cuius iniuriis iugibus, vt quodam palęstræ oleo quotidie roborata, ad summam animi patientiam perueniret, Tandem, inquiens, dedisti mihi quam repausem; nam illa prior suis me potius honorabat ac refrigerabat obsequiis. Hæc de sexu muliebri dixisse sufficiat, vt commemoratione hac non solum ædificemur, verùmetiam confundamur; qui nisi fuerimus ad ferarum morem retrusi in caueas cellularum, patientiam retinere non possumus.

De exemplo patientiæ Abbatis Pafnutij.

CAPVT XV.

NVnc aliud Abbatis Pafnutij pandamus exemplum: Qui in illius insignis & vbique prædicabilis Scythioticæ eremi, in qua nunc presbyter est, secretis tanto studio semper insedit, vt ei cæteri anachoretæ Bubali cognomen indiderint,

derint, eo quòd ingenito (vt ita dixerim) desiderio, solitudinis semper habitatione gauderet. Itaque cùm tantę in pueritia sua esset virtutis & gratiæ, vt etiam præclari ac summi id temporis viri, grauitatem eius & immobilem constantiã mirarentur, eumque licet minor esset ætate, pro virtutum tamẽ merito senioribus exæquarent, suoque ordini ducerent inserendum, liuor ille qui aduersum Ioseph patriarcham fraternos quondam animos instigauit, quendam de numero fratrũ edacis zeli igne succendit. Qui næuo quodam ac macula pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt opportunitatẽ temporis captaret, quo Pafnutius ad ecclesiam die Dominico processurus abesset à cella. In quam furtim irruens, codicem suum inter eius plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit, ac de concinnata factione securus, ipse quoque velut purę ac simplicis conscientiæ ad ecclesiam venit. Cumque celebrata omnis fuisset ex more sollemnitas, querelam sancto Isidoro qui ante hunc eundemque Pafnutium eiusdem eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit, asserens sibi codicem de cella furto fuisse sublatum. Quæ eius querimonia cũ ita cunctorum fratrum, præcipueque presbyteri, animos permouisset, vt quid primum suspicarentur, quidue decernerent non haberent, summa cunctis admiratione perculsis, de tam inauditi illic facinoris nouitate, ille qui rem detulerat accusator vrgebat, vt retentis in ecclesia omnibus, missi electi quique cunctorum sigillatim fratrum cellulas scrutarentur. Quod cùm tribus senioribus à presbytero fuisset iniunctũ, vniuersorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Pafnutij cellula absconditum codicem inter plectas palmarum quas illi Syras vocant, sicut eum insidiator occuluerat, reppererũt. Quem cùm inquisitores confestim ad ecclesiam delatum coram omnibus protulissent, Pafnutius licèt de conscieñtiæ suæ esset sinceritate securus, tamen velut qui furti crimen agnosceret, satisfactioni se totum tradidit, locumque pœnitentiæ suppliciter postulauit, hoc verecundiæ suæ modestięque prospiciens, ne si maculam furti verbis conaretur abluere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud quàm id quod inuentum fuerat suspicante. Cumque de ecclesia non tam mẽte deiectus, quàm iudicio Dei fidens protinus abscessisset, profusis in oratione iugiter lacrymis, triplicatisq; ieiuniis, summa se etiam in conspectu hominum mentis humilitate prostrauit. Sed cùm duabus fermè hebdomadibus ita se omni cõtritione carnis ac spiritus subiecisset, vt die sab-
bati vel

bati vel Dominico, non ad percipiendam communionem sacram, sed ad prosternendum se in limen ecclesiæ atque ad veniam suppliciter postulandam, matutinus accurreret, nequaquàm passus est eum occultorum omnium testis & cognitor, vel à se amplius conteri, vel ab aliis infamari. Nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste commiserat, per diabolum qui criminis ipsius incẽtor fuerat, publicauit. Arreptus namque dirissimo dæmone cunctas factionis occultæ patefecit insidias, criminationumque ac fraudum idem fuit proditor qui commentor. Ita autem spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari, sed ne ipsius quidem Isidori presbyteri gratia singularis crudelissimum ab eo excluserit vexatorem. Cui tanta erat virtus Domini largitate collata, vt ne vsque ad limina quidem eius quisquam arrepticius qui tardius sanaretur aliquando perductus sit, Christo hanc adolescenti Pafnutio gloriam reseruante, vt illius tantũ orationibus cui insidiatus fuerat purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere se posse crediderat, eius nomen proclamans, & delicti sui veniam & finem supplicij præsentis acciperet. Hæc ergo ille in adolescentia sua futuræ indolis iam tunc indicia præfigurans, lineas quasdam perfectionis illius quæ erat maturitate augenda, adhuc in annis puerilibus designauit. Si igitur ad culmen virtutum eius volumus peruenire, talia nobis exordiorum fundamenta iacienda sunt.

De perfectione patientiæ. CAP. XVI.

DVplex sanè ad narrationem facti huius causa me compulit. Primum, vt hanc immobilitatem viri constantiamque pensantes, quanto minoribus quàm ille est appetitus, inimici impugnamur insidiis, tanto maiorem tranquillitatis atque patientiæ sumamus affectum, deinde vt firma definitione teneamus à tentationum procellis impugnationibusq; diaboli tutos nos esse non posse, si omne præsidium patientiæ nostræ, omnemque fiduciam, non in interioris hominis nostri viribus, sed in cellulæ claustris, aut in solitudinis recessu, sanctorúmue consortio, vel cuiusquam rei quæ extra nos sit præsidio, collocemus. Nisi enim mentem nostram virtute protectionis suæ ille firmauerit qui in Euangelio ait, Regnum Dei intra vos est, frustra aërij hostis insidias, aut auxilio cohabitantium hominum vincere, aut localibus *Luca 17.*
spatiis

ſpatiis declinare, aut munitione tectorum excludere poſſe nos credimus. Nam cùm hæc omnia ſancto Pafnutio non deeſſent, tamen impugnationis aditum aduerſus eum tentator inuenire potuit, neque illum nequiſſimum ſpiritum, ſepta parietum aut eremi ſolitudo, aut tot in illa congregatione ſanctorum merita repulerũt. Sed quia ſanctus Dei famulus non in his quæ extrinſecus ſunt, ſed in ipſum occultorum omnium iudicem ſpem ſui cordis infixerat, tantæ impugnationis machinis nequaquàm potuit cõmoueri. Et ecõtra ille quem ad tantum facinus præcipitauit inuidia, nónne & ſolitudinis beneficio, & munitione remotioris habitaculi, & beati Iſidori abbatis atque presbyteri aliorumque ſanctorum conſortio fruebatur? & tamen quia eum ſupra arenam repperit turbo diabolicus, non ſolùm impegit eius, verumetiam ſubuertit habitaculum? Non ergo quietem noſtram extrinſecus inquiramus, nec opitulari vitiis impatientiæ noſtræ alienam putemus poſſe patientiam. Sicut enim regnum Dei intra nos eſt, ita inimici hominis domeſtici eius. Nemo enim mihi magis quàm ſenſus meus, qui eſt mihi verè intimus domeſticus, aduerſatur. Et idcirco ſi fuerimus ſolliciti, ab inteſtinis hoſtibus lædi minimè poterimus. Vbi enim nobis noſtri domeſtici non aduerſantur, ibi & regnum Dei tranquillitate mentis acquiritur. Nam ſi rationem diligenter diſcutias, lædi ab homine quamuis malignante non potero, ſi ipſe impacifico aduerſum me corde non dimicem. Si autem lædor, non eſt vitium impugnationis alienæ, ſed impatientiæ meæ. Sicut enim grauis ac ſolidus cibus ſano vtilis, ita perniciosus eſt ægrotanti. Non autem lædere ſumentem poteſt, niſi ei ad nocendum vires adiecerit percipientis infirmitas. Si vnquàm ergo ſimilis inter fratres fuerit oborta tentatio, nequaquàm à curſu tranquillitatis excuſſi, blaſphemis ſecularium obtrectationibus aditum reſeremus. Nec peruerſos atque execrabiles quoſque ſanctorum virorum numero inſertos latitare miremur; quia dum in huius ſeculi area conculcamur atque conterimur, neceſſe eſt etiam paleas igni perpetuo deputandas, inter electiſſima frumenta miſceri. Denique ſi vel Satan inter Angelos, vel Iudam inter Apoſtolos, vel Nicolaum prauiſſimæ hæreſeos inuentorem inter Diaconos reminiſcamur electos, hoc quòd nequiſſimi homines ſanctorum ordini deprehenduntur inſerti, mirum eſſe non poterit. Nam licèt hunc Nicolaum quidam aſſerant non illum fuiſſe qui ad opus Miniſterij ab Apoſtolis eſt electus; nihilominus tamen eum de illo diſcipulorum fuiſſe

Matth. 10.

Nihil æquè nobis aduerſum eſt quã internus & domeſticus noſter ſenſus.

Neminẽ lædi niſi à ſeipſo.

Miniſterij, hoc eſt diaconatus.

fuisse numero negare non possunt, quos omnes tales tamque perfectos in tempore illo fuisse manifestum est, quales nunc perpaucos vix in cœnobiis inuenimus. Non ergo ruinam illius supradicti fratris, qui in illa eremo tam lugubri lapsus est casu, neque illam horribilem maculam, quam tamen ille ingentibus pœnitentiæ lacrymis post diluit, sed beati potius Pafnutij nobis proponamus exempla: Ne subuersione illius destruamur, cuius antiquum inuidiæ vitium etiam auxit in peius affectata religio, sed huius humilitatem tota virtute sectemur, quam non illi quies eremi subitò genuit, sed inter homines *acquisitam consummauit atque excoluit solitudo. *acquisita

De inuidiæ malo. CAP. XVII.

SCiendum sanè est, inuidiæ morbum difficilius ad medelam quàm cætera vitia peruenire. Nam eum quem semel veneni sui peste corruperit, pene dixerim carere remedio. Ipsaq; namque est lues de qua figuraliter dicitur per prophetã: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos quibus non est incantatio, & mordebũt vos. Rectè igitur à propheta mortiferis basilisci venenis morsus inuidiæ comparatur, qua primus ille venenorum omnium author & princeps & periit & peremit. Nam antè suus quàm eius cui inuiderat interemptor, priusquàm in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Sicut enim ille qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum vllius curationis admisit, ita & hi qui iisdem se *percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt; quia cùm vtique nõ culpis aliorum quibuslibet, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecùs sibi quasdã superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt. Quarũ quia omnimodis falsæ sunt, vana curatio est, cùm illud mortiferũ virus, quod *nolunt prodere, lateat in medullis. De quibus alibi ille Sapientissimus competenter expressit: Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori. Isti enim sunt taciti morsus quibus solis sapientium medicina non subuenit. Nam vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irritetur; quia, vt idem Salomon ait, nihil sustinet zelus. Quanto enim amplius alius, aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tãto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam

Inuidiæ morbus incurabilis. *Ierem. 8.* *Sap. 2.* *percutiẽtes *non vult prodire, *Eccle. 10.* *Prouerb. 6.*

aut

aut mortem eius cui inuidet concupiscit. Denique illorum vndecim patriarcharum zelus in tantum nulla innoxij fratris subiectione potuit deliniri, vt de his scriptura commemoret, Inuidebant autē ei fratres sui, eo quòd diligeret eum pater suus, & non poterant ei loqui quicquam pacificum, donec zelus eorum qui nulla germani obsequentis atq; subiecti sustinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix posset venditionis fraternæ crimine satiari. Cunctis ergo vitiis perniciosiorem atque ad purgandum difficiliorem esse cōstat inuidiam, quæ ipsis remediis quibus reliqua extinguuntur accenditur. Nam verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur: qui de illata indignatur iniuria, humilitatis satisfactione placatur. Quid illi facias qui hoc ipso magis quòd te humiliorem ac benigniorem sentit offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas quæ præmio delinitur, non iniuriæ læsio aut amor vltionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantùm alienæ prosperitatis irritat? Quis autem est qui se vt satisfaciat inuidenti, à bonis corruere, aut à prosperis alienari, aut calamitate aliqua optet inuolui? Quapropter ne totum quicquid in nobis viuidum est & quasi vitali vegetatione sancti spiritus animatur, vno tanto huius mali morsu basiliscus interimat, diuinum cui nihil impossibile est iugiter imploremus auxiliū. Cætera enim venena serpentum, id est, carnalia peccata vel vitia, quibus vt citò inuoluitur, ita facilè expurgatur humana fragilitas, habent aliqua vulnerū suorū in carne vestigia, quibus quāuis terrenū corpus perniciosissimè contumescat, tamen si theriacæ remediū, aut illam salutariū verborū medelam aliquis peritissimus carminum diuinorum incantator admouerit, ad perpetuam animæ mortem pernicies virulenta non peruenit. Inuidiæ autem quasi à regulo serpente effusum virus, vitam ipsam religionis ac fidei priusquàm vulnus in corpore sentiatur excludit. Non enim aduersus hominem sed planè aduersus Deum blasphemus extollitur, qui nihil in fratre aliud nisi bonum meritum carpens, nō hominis culpam, sed Dei tantùm iudicia reprehendit. Hęc ergo est illa sursum germinans amaritudinis radix, quæ se erigens ad superna, in contumeliam ipsius qui bona homini confert tēdit autoris. Nec quemquam moueat quòd Deus missurum se serpentes regulos, qui eos quorū criminibus offenditur mordeant, comminatur. Nam licèt certum sit Deum autorem inuidiæ esse non posse, æquum tamen & diuino dignum iudicio est, vt dum bona data humilibus conferuntur, & super-
bis ac

Genes. 37.
Hebr. 12.
Ierem. 8.

bis ac reprobis denegãtur, eos qui secundum Apostolum tradi in reprobum sensum merentur, quasi ab ipso missa percutiat & consumat inuidia, secundum illud, Ipsi me ad æmulationem irritauerunt in non Deum, & ego ad æmulationem inducam eos in non gentem. Hac beatus Piamon disputatione desiderium nostrum, quo de primis cœnobij scholis ad secundum anachoreseos gradum tendere cœperamus, ardentius inflammauit. Nam primordia solitariæ commorationis, cuius scientiam postea sumus Scythiæ plenius assecuti, ipso primùm imbuente percepimus. *Deuter. 32.*

Finit Collatio Abbatis Piamonis.

COLLATIO XIX.

ABBATIS IOANNIS

QVÆ EST DE FINE COENOBITAE ET EREMITAE.

De cœnobio Abbatis Pauli & patientia cuiusdam fratris.

CAPVT I.



OST dies admodum paucos maioris doctrinę desiderio pertrahente, rursus ad Abbatis Pauli cœnobium summa spiritus alacritate perreximus: vbi licet plusquàm ducentorum fratrum numerus moraretur, in honorem tamen sollẽnitatis quæ id temporis agebatur, infinita quoque de aliis cœnobiis monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis qui eidem cœnobio præfuerat, anniuersaria depositio sollemniter celebrabatur. Cuius conuentus idcirco facimus mentionem, vt patientiam cuiusdam fratris, quæ sub præsentia totius congregationis huius, immobili eius caruit lenitate, breuiter perstringamus. Nam licèt aliò huius operis tendat intentio, vt scilicet Abbatis Ioannis, qui derelicta eremo illi se cœnobio summa humilitatis virtute subdiderat, proferamus eloquia, nequaquam tamen putamus absurdum, si absque vlla circuitione verborum, magna vt credimus studiosis quibusque virtutum ædificatio conferatur. In ingenti itaque atrio subdiuali illa monachorum multitudine *Anniuersarius depositionis dies.* *Patientia exemplum.*

per duodenarium numerum distinctis ordinibus concidētē, cùm quidam fratrum susceptum ferculum paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum sollicitè discurrebat, exerta manu, palma eum sub omnium percussit intuitu, ita vt sonitus etiam aduersorum vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factum est, vt cunctis qui aderant iuuenis patientiam patefaceret, & omnes qui interfuissent tali spectaculo modestiæ erudirentur exemplo. Quàm maturo autem id senior fecerit consilio, res probauit. Nam memorabilis patientię iuuenis tanta id animi lenitate suscepit, vt non modò nullus fuerit ex eius ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum, sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcunque mutatus. Quod factum non solum nobis, qui nuper de Syriæ monasterio venientes patientiæ huius virtutem tam euidentibus perceperamus exemplis, sed etiam cunctis qui expertes taliū non erant studiorum, ita mirum fuit vt etiam summis viris pręcipua per hoc factum conferretur instructio, quòd scilicet etiamsi patientiam eius correptio paterna non mouerat, ne spectaculum quidē tantæ multitudinis vllo vultum eius ruboris tinxisset indicio.

De humilitate Abbatis Ioannis.

CAPVT II.

IN hoc itaque cœnobio repperimus antiquissimum senem nomine Ioannem, cuius verba pariter & humilitatem qua sanctis omnibus præeminebat, nequaquam silentio prætereunda censuimus, scientes eum hac maximè perfectione viguisse, quæ cùm sit virtutum omnium mater, ac totius spiritalis structuræ fundamentū solidissimum, à nostris penitus exulat institutis. Vnde non mirum est nec ad illorū sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam vsque ad senectā sub cœnobij permanere nō possumus disciplina, sed vix biennio subiectionis iugum sustinere contenti, ad præsumptionē noxiæ libertatis protinus euolamus, cùm tamen ipso illo paruo tempore non secundum illam districtionis regulam, sed pro nostri arbitrij libertate vtcunq; senioris subiiciamur imperio, vt non patientiæ fructū ediscere, sed tēpus adipiscendæ licentiæ exspectare videamur. Hunc igitur senē cùm in Abbatis Pauli cœnobio vidissemus, ætatem primū, & gratiā viri qua erat præditus admirati, demisso in terram vultu precari cœpimus, vt nobis pandere dignaretur, quam ob causam relicta

Humilitas virtutum omniū parens.

licta

licta eremi libertate, & illa profeſſione ſublimi, qua cum præ cæteris eiuſdem vitæ viris fama celebrauerat, ſubire iugum cœnobij maluiſſet. Ille velut imparem ſe anachoreticæ diſciplinæ, & ſublimitate tantæ perfectionis indignum, ad iuniorum ſcholas reuertiſſe dicebat, ſi tamen vel ipſorum inſtituta ſecundum profeſſionis meritum poſſet implere. Cuius *reſponſionis humilitatem cùm refragatio noſtrę deprecationis excluderet, ad extremum ita exorſus eſt.

*profeſſionis

Reſponſio Abbatis Ioannis cur eremum reliquiſſet.

CAPVT III.

ANachoreticam diſciplinam quam me deſeruiſſe miramini, non ſolùm non reſpuo nec refuto, ſed tota potius veneratione complector atque ſuſcipio. In qua poſt triginta annos, quos in cœnobii congregatione *tranſegeram, ita alios viginti expleſſe me gaudeo, vt inter illos qui eam vel mediocriter appetebant, non vſquequaque ſegnitie denotarer. Sed quia deguſtata eius puritas ſollicitudine interdum carnaliũ rerum interpolata ſordebat, recurrere ad cœnobium commodius viſum eſt, vt & promptior arrepti planioris propoſiti cõſummatio ſequeretur, & minus eſſet de præſumptę ſublimioris profeſſionis difficultate periculum. Melius enim eſt deuotum in minoribus, quàm indeuotum in maioribus profeſſionibus inueniri. Et idcirco ſi quid elatius imò liberius fortaſſe protulero, quæſo vt non iactantię vitio, ſed ædificationis veſtræ deprómptum ſtudio cenſeatis, quia vobis tam ſtudioſè quærentibus nihil de veritate exiſtimo ſubtrahendum. Arbitror enim inſtructionis vobis aliquid poſſe conferri, ſi paulíſper humilitate ſepoſita, ſimpliciter omnem propoſiti mei patefecero veritatem. Confido enim quia nec apud vos de libertate dictorum cenodoxiæ notam, neque apud conſcientiam meam de ſuppreſſione veritatis quoddam mendacij crimen incurram.

*tranſieram

De virtute prædicti Senis quam in anachoretica exercuit diſciplina.

CAPVT IIII.

SI quis igitur ſecretis eremi delectatus, obliuioni tradere potuit humana conſortia, ac ſecundum Ieremiam dicere, & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Ego quoque id Domino ſua gratia largiente vel aſſecutum, vel certè aſſequi anniſum fuiſſe me fateor. Itaque pio Domini noſtri munere memini me in huiuſmodi raptum frequẽter exceſſum, vt obliuiſcerer me ſarcina corporeæ fragilitatis indutũ, mentémque meam ita omnes exteriores ſenſus ſubitò reſpuiſſe, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulaſſe, vt

Ierem. 17.

Extaſes frequentès Abbatis Ioannis.

neque oculi neque aures meæ proprio fungerentur officio, & ita diuinis meditationibus ac spiritalibus theoriis animus replebatur, vt sæpe ad vesperam cibum me percepisse nescirẽ, ac sequente die de hesterna absolutione ieiunij penitus dubitarem. Ob quam etiam causam septem dierum cibis, hoc est, septem paximaciorum paria sequestratim in procherio, id est admanuensi sporta die sabbati reponuntur, vt refectio prætermissa non lateat. Qua cõsuetudine illius quoq; obliuionis error excluditur, vt expletum hebdomadæ cursum, ac sollénitatem diei ipsius reuolutã, finitus panum indicet numerus, festiuitasque diei sacræ, & congregationis sollemnitas solitarium latere non possit. Quod si etiam hunc ordinẽ ille quem prædiximus mentis excessus fortè turbauerit, nihilominus quotidiani operis modus, dierũ numerum signans, arcet errorem. Et vt cæteras eremi virtutes silentio prætermittã, non enim est nobis de earum numerositate ac multitudine, sed de solitudinis ac cœnobij fine tractandum, causas potius ob quas illam deserere maluerim, quas etiam vos agnoscere voluistis, breuiter explicabo, omnesque illos quos cõmemoraui solitudinis fructus, quibus ediuerso sublimioribus meritis dixerim postponendos, breui oratione perstringam.

De commodis eremi. CAPVT V.

QVamdiu igitur raritas eorum qui in eremo tunc tẽporis morabantur, libertatem nobis largiendo, diffusiore solitudinis vastitate blandita est, quamdiu maioribus remoti secretis frequentissimè ad cælestes illos rapiebamur excessus, nec tanta visitantium fratrum irruens multitudo, parandæ humanitatis necessitate, sensus nostros * ingentium curarum distentionibus aggrauabat, solitudinis planè tranquilla secreta, & illam conuersationem angelicæ beatitudini comparandam, insatiabili desiderio ac toto animi ardore sectatus sum. Sed cùm maior, vt dixi, numerus fratrum, habitationem illius solitudinis cœpisset expetere, & coangustata vastiori eremi libertate, non modò ignem illum diuinę contemplationis frigescere fecisset, sed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi huius disciplinæ vtcunque implere propositum, quàm in illa tam sublimi professione carnalium necessitatum prouisione torpere; vt si mihi illa libertas ac spiritales denegantur excessus, abiecta tamen crastinæ diei penitus sollicitudine, Euangelici me præcepti consummatio consoletur, & id quod mihi de illa theorica sublimitate subtrahitur, hac obedientiæ subiectione penseţur. Miserum namque est cuiuslibet artis ac studij

*indigentiũ

studij disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minimè peruenire.

De vtilitate cœnobij. CAPVT VI.

QVamobrem quantis nunc in hac conuersatione perfruar commodis, breuiter explicabo: Vos vtrum illa solitudinis lucra his beneficiis valeant compensari, digesta narratione perpendite, per quam etiam hoc probare possibile est, vtrũ fastidio an desiderio illius solitariæ puritatis his maluerim cœnobij angustiis coartari. In hac igitur conuersatione diurni operis nulla prouisio est, venditionis vel coëmptionis nulla distentio, non annui panis ineuitabilis cura, non sollicitudo corporalium rerum, qua non tantùm propriis, verumetiam multorum aduenientium vsibus necessaria præparantur, postremò nulla arrogantia laudis humanæ, quę immundior his omnibus in conspectu Dei, etiam magnos eremi labores frequenter euacuat. Verùm vt in illa anachoretica disciplina illos elationũ spiritalium fluctus & exitiabilis cenodoxiæ pericula prætercam, ad hoc generale cunctorum pondus, id est, communẽ parandi victus sollicitudinem reuertamur, quæ eò vsque mensuram non dico illius antiquæ districtionis excessit, quæ vsum olei penitus nesciebat, sed ne hac quidem nostri temporis remissione cœpit esse contenta, in qua vno olei sextario itidemque lenticulæ modio aduenientium vsibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia, ita vt duplicato nunc ac triplicato modio, necessitas victualis vix queat expediri. Et in tantum apud nonnullos vis noxiæ huius remissionis increuit, vt aceto muriæque permixtis non illam vnam olei admisceant guttam, quam prædecessores nostri, qui eremi instituta maiore abstinentiæ virtute sectati sunt, repellendæ tantum cenodoxiæ gratia instillare consueuerant, sed infringentes Aegyptiacum pro salibus caseum, plus olei quàm necesse est superfundant, & * ita duos cibos propria suauitate distantes, *inter qui sigillatim diuersoque tempore monachos reficere iucundissimè potuissent, sub vnius saporis oblectatione percipiant. In tantum sanè hæc ὑλικῆς χρήσεις, id est, materialium rerum possessio supercreuit, vt sagum quoque, quod absque verecundia referre non possum, sub obtentu humanitatis ac susceptionis huius, anachoretæ in suis habere cellulis cœperint: vt illa pretermittam, quibus attonita anima, ac spiritalibus theoriis semper intenta specialius ingrauatur, concursus scilicet fratrum, susceptionis quoque ac deductionis officia, mutuas visitationes, diuersarumque confabulationum atque oc-

cupationum interminabilem curam; quarum etiam illo tempore quo hæc videntur impedimenta cessare, tamen animum consuetudinariæ inquietudinis assiduitate suspensum, expectatio ipsa distendit. Atque ita fit vt anachoreteos illa libertas hujuscemodi nexibus impedita, ad illam cordis ineffabilẽ alacritatem præpedito non perueniat ascensu, ac fructũ eremiticæ professionis amittat. Qui si mihi in congregatione nunc atque in turbis sito fuerit denegatus, saltem quies animæ cordisque tranquillitas ab omnibus occupationibus absoluta non deerit. Quæ nisi illis quoque qui in solitudine commorantur præsto fuerit, labores quidem anachoreseos sustinebunt, fructu verò ipsius fraudabuntur, qui non nisi quieta mẽtis stabilitate conquiritur. Postremò etiam si mihi in cœnobio constituto ab illa puritate cordis aliquid fuerit imminutum, ero solius euangelici præcepti compensatione contentus, quod certum est omnibus illis eremi fructibus nõ posse postponi, vt scilicet de crastino nihil cogitem, & vsque ad finem subiectus Abbati, illum aliquatenus videar æmulari de quo dicitur, humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem: merearque illius verbum humiliter dicere, Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris.

Philip. 2.
Ioan. 6.

Interrogatio de cænobij vel solitudinis fructu.

CAPVT VII.

GErmanus: Quia te vtriusque professionis non quemadmodum multos principia tantummodo contigisse, sed ipsa fastigia conscendisse manifestum est, quisnam cœnobitæ, quis eremitæ sit finis optamus agnoscere. Nulli namque dubiũ est neminem de his vel fidelius posse vel plenius disputare, quàm illum qui vtramque perfectionem longo vsu & magistra experientia consecutus, meritum earum ac finẽ veridica potest insinuare doctrina.

Responsio. CAPVT VIII.

IOannes; Vnum eundemque hominem in vtraque professione perfectum esse non posse absolutè pronunciare potuissem, nisi me paucorum admodum retardaret exemplũ. Magnum siquidem est in qualibet earum consummatum quempiam reperiri, quanto magis ad plenum vtramque perficere, arduũ ac pæne, vt ita dixerim, homini impossibile esse perspicuum est. Quod tamen si quando prouenerit, non statim ad generalem formulam referri potest. Non enim à parte minima, id est, de consideratione paucorum, sed de his quæ multorum imo omnium subiacent facultati, vniuersalis est re-

est regula proponenda. Si qua verò rarissimè atque à paucissimis obtinentur, ac possibilitatem communis virtutis excedunt, velut supra condicionem humanæ fragilitatis naturamque concessa, à præceptis sunt generalibus sequestranda, nec tam pro exemplo, quàm pro miraculo proferenda. Quamobrem id quod inquiritis secundum mediocritatem sensus mei breuiter intimabo. Finis quidem cœnobitæ est, omnes suas *Scopus Cænobitæ.* mortificare & crucifigere voluntates, ac secundum Euangelicæ perfectionis salutare mandatum nihil de crastino cogitare. *Matth. 6.* Quam perfectionem prorsus à nemine, nisi à cœnobita impleri posse certissimum est. Quem virum Isaias prophe- *Isaiæ 58.* ta describens, ita beatificat atque collaudat: Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatē tuam in die sancto meo, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem, tunc delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini lo- *Eremitæ finis.* cutum est. Eremitæ verò perfectio est, exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo. Quem virum Hieremias pro- *Thren. 3.* pheta describens, Beatus, inquit, vir qui tulit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se. Psalmista quoque, Similis factus sum pelicano solitudinis. Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Ad *Psalm. 101.* hunc igitur finem quē vniuscuiusque professionis esse prædiximus, nisi eorum vterque peruenerit, frustra & ille cœnobij & iste anachoreseos expetit disciplinam. Neuter enim virtutem suæ professionis impleuit.

De consummata ac vera perfectione.

CAPVT IX.

SEd *hæc μερίτικη, id est, non integra & in omnibus cōsum- *hoc mata perfectio, sed pars perfectionis est. Rara est ergo & paucissimis dono Dei concessa perfectio. Is etenim verè & nō ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Et ideo in vtraq; professione per omnia cōsummatum inuenire difficile est, quia nec Anachoreta ἀκτημοσύνην, id est, contemptum ac priuationem materialium rerum, nec Cœnobita theoricā ad integrum potest assequi puritatē, licèt vtrumq; perfectè Abbatē Mosem atque Pafnutiū duosq; Macharios nouerim possedisse. Qui ita erant in vtraque professione perfecti, vt cùm vltra omnes eremi accolas secedentes, insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantū in ipsis

erat, nequaquam inquirerent humana consortia, tamen ita frequentiã ac fragilitates ad se concurrentium sustinebant, vt cùm ad eos visitationis vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam iugem pęne susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didicisse vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quàm vt communibus tantum aduenientum officiis deseruirent, ita vt apud cunctos esset ambiguum, in qua potissimũ professione eorundem maior esset industria: id est, vtrum in illa eremitica puritate, an in ista conuersatione communi, magnanimitas eorum mirabilius appareret.

De his qui imperfecti eremum petunt.

CAPVT X.

SOlent autem nonnulli ita diuturno silentio solitudinis efferari, vt prorsus hominum consortia perhorrescant, & cùm vel paululum à secreti sui solitudine, interueniente fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore & euidentibus pusillanimitatis indiciis ęstuare. Quod vel maximè his euenire consueuit, qui non perfectè in cœnobiis instituti, nec excoctis prioribus vitiis ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerunt. Qui in vtraque parte imperfecti semper ac fragiles, quocunque aura commotionis impulerit, inclinantur. Nam quemadmodum consortio vel interpellatione fratrum impatienter exæstuant, ita in solitudine consistentes eius ipsius quod expetunt silentij non ferunt vastitatem, quippe qui ne ipsam quidem rationem norunt, cuius causa desiderari vel expeti debeat solitudo, sed hanc esse virtutis ac professionis istius existimant summam, vt fratrum consortia declinantes, humanos tantummodo refugiant ac detestentur aspectus.

Interrogatio de remedio eorum qui citò de cœnobiis discedunt.

CAPVT XI.

GErmanus: Quo ergo vel nobis vel cæteris qui eiusdem fragilitatis atque *miseriæ sunt remedio poterit subueniri, qui cœnobialibus disciplinis tenuiter instituti, ante expulsionem omnium vitiorum, habitationem solitudinis cœpimus affectare, vel quo pacto imperturbatæ mentis constantiam, & immobilem patientiæ poterimus apprehendere firmitatẽ, qui ipsas quodãmodo scholas & exercitationis huius palæstram, in qua ad plenum erudiri ac perfici principia nostra debuerant, intempestiuè intermissa cœnobij conuersatione dereliquimus? Qualiter ergo nunc solitariè commorantes, perfectionẽ longanimitatis ac patientiæ consequemur,

*mensuræ

mur, vel quemadmodũ has sibi inesse vel deesse virtutes exploratrix internorum motuũ consciẽtia deprehendet, ne fortè quia ab hominum consortio segregati, nullis eorundẽ irritationibus prouocamur falsa æstimatione decepti, tranquillitatem mentis nos immobilem possidere credamus?

Responsio, quomodo possit solitarius vitia sua agnoscere.

CAPVT XII.

IOannes: In veritate quærentibus medicinam remedia curationum ab illo verissimo animarum medico, deesse non possunt, his præsertim qui valetudines suas, non desperando aut negligendo cõtempserint, nec vulnerum suorum pericula celauerint, aut medelam pœnitẽtiæ procaci mente respuerint, sed pro languoribus ignorantiæ vel errore vel necessitate *contractis, humili tandem & cauta ad cælestem medicũ mente confugerint. Ideoque nosse debemus, quòd si ad solitudinem, vel ad abdita loca nõdum curatis vitiis secedamus, effectus eorum tantummodo reprimatur, non extinguatur affectus. Latitat enim intra nos imò etiã serpit radix omniũ quæ extirpata non fuerat peccatorum, quam adhuc in nobis viuere his deprehendimus indiciis. Verbi gratia: Cùm in solitudine constituti, aduentum fratrum vel breuissimam eorũ moram cum quadam æstuantes animi anxietate suscipimus, inesse adhuc in nobis viuacissimum impatientiæ fomitẽ nouerimus: Cùm verò cuiusquam fratris speramus aduentum, si eo pro necessitate aliqua paululum forsitan demorante, vel tacita indignatio nimiam eius culpauerit tarditatem, & mentem nostram immodicę expectationis sollicitudo turbauerit, iræ atque tristitiæ manifestè in nobis vitia residere conscientiæ nostræ probauit examen. Item si fratre vel codicem ad legendum vel quamlibet aliam ad vtendum speciẽ postulante, aut nos illius petitio contristauerit, aut illum negatio nostra repulerit, dubium non est nos adhuc auaritiæ seu philargyriæ laqueis compediri. Quòd si recordationem feminæ nobis vel cogitatio subita vel sacrę series lectionis attulerit, & in ea quadam nos senserimus titillatione pulsatos, sciamus necdũ extinctum in membris nostris fornicationis ardorem. Si verò de comparatione districtionis nostræ & remissionis alienę vel tenuissima mentem nostram tentarit elatio, certum est dira nos superbiæ peste corruptos. Cùm hæc ergo in corde nostro deprehenderimus vitiorum indicia, manifestè cognoscamus nobis non affectum, sed effectum deesse peccati. Quæ vtique passiones si nos quandoque conuersationi miscuerimus humanæ, protinus de cauernis nostrorum sensuum procedentes,

*constricti.

dentes, probant se non tunc primum cùm eruperint nasci, sed tunc demum quia diu latuerint publicari. Et ita vniuscuiusq; vitij radices inesse defixas sibi certis indiciis etiam solitarius deprehendit, quisquis puritatem suam non hominibus ostẽtare, sed illius conspectui inuiolatam studuerit exhibere, quẽ latere omnia cordis arcana non possunt.

Interrogatio quomodo sanari possit qui non expurgatis vitiis solitudinem ingressus sit. CAPVT XIII.

GErmanus: Argumenta quibus infirmitatum indicia colligantur, & rationem discernendarũ ęgritudinum, id est, quo pacto vitia quæ celantur in nobis, valeant deprehendi, lucidè satis aperteque percepimus. Omnia siquidem quotidiana experientia ac diuturnis nostrarum motibus cogitationũ, ita vt dicta sunt, intuemur. Superest igitur vt quemadmodum probationes causæque morborũ euidentissima nobis ratione patefactæ sunt, ita etiam curationum medela mõstretur. Nulli namque dubium est, illum posse rectissimè de remediis malarum valetudinum disputare, qui earum prius causas atque origines ægrotãtium conscientia attestante deprehenderit. Itaque licet doctrina beatitudinis tuę vulnerum nostrorum arcana nudauerit, quo fit vt sperare aliquid etiam de remediis audeamus, quia tam euidens declaratio morbi spem remedij pollicetur, tamen quia primum, vt ais, in congregationibus initium salutis acquiritur, & sani in solitudine esse non possunt, nisi quos prius cœnobiorum medicina sanauerit, perniciosa rursum desperatione concidimus, ne fortè qui imperfecti cœnobium reliquimus, nequaquam iam perfecti esse in eremo valeamus.

Responsio super eorum medicina. CAP. XIIII.

IOannes: De morborum suorum curatione sollicitis, remedium salutare deesse non poterit, & idcirco eodem modo quo vniuscuiusque vitij deprehenduntur indicia, etiã remedia sunt quærenda. Nam quemadmodum solitariis humanæ conuersationis vitia diximus non deesse, ita virtutum studia & instrumenta sanitatum, omnibus etiam ab humana conuersatione discretis posse suppetere non negamus. Cùm se igitur impatientiæ siue iræ perturbationibus incursari, illis quæ suprà ostẽdimus indiciis vnusquisque deprehẽderit, cõtrariis semetipsum semper obiectionibus exerceat, & propositis sibi multimodis iniuriarum dispendiorumq; generibus velut ab alio sibimet irrogatis, assuefaciat mentem suam in omnibus quæ inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atque aspera sibi quęq; & intolerabilia frequẽter

opponens,

opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate omni iugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium siue ipsius Domini passiones, vniuersa non solum conuiciorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuncians, ad omnem se dolorum tolerātiam præparabit. Cumq; aliquando ad cœtus fratrum aliqua fuerit inuitatione reuocatus, quod non potest non vel raró etiā districtissimis eremi accolis prouenire, si mentem suam etiam pro leuibus quibusq; rebus deprehenderit tacita conscientia fuisse commotam, vt quidam occultorum motuum seuerissimus censor, mox sibi illa durissima iniuriarum genera quibus ad perfectam tolerantiam semetipsum quotidianis meditationibus exercebat, exprobret, atque ita se obiurgans & increpans alloquatur: Túne ille es bone vir, qui dum te in illa solitudinis tuæ exerceres palæstra, omnia superaturū mala constantissimè præsumebas, qui dudum cùm tibi non solum summas conuiciorum acerbitates, verum etiam intoleranda supplicia ipse proponeres, satis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo inuicta illa patientia tua leuissimi verbi *prolusione confossa est? Quomodo domum tuam super illam solidissimam petram tanta vt tibi videbatur mole cōstructam, leuis aura commouit? Vbi est illud quod inani fiducia bellū in pace desiderans proclamabas, Paratus sum & non sum turbatus? Et cum propheta sæpè dixisti: Proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meū: Et, Proba me Domine, & scito cor meū; interroga me, & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est? Quomodo ingentē certaminis apparatum exigua hostis vmbra *conterruit? Tali ergo semetipsum cōpūctionis animaduersione condemnans, inultam animi sui commotiūculam esse non sinat, sed arctiore carnem suam ieiunij ac vigiliarū correptione castigans, ac iugibus continentiæ pœnis culpam suæ mobilitatis excrucians, id quod ad plenum excoquere in cœnobij conuersatione debuerat, in solitudine cōstitutus hoc exercitationis igne consumat. Illud sanè ad obtinendā iugem ac stabilem patientiā constanter atq; immobiliter est tenendum, non licere nobis quibus lege diuina non solū vltio iniuriarū sed etiam memoria prohibetur, cuiuslibet detrimenti vel irritationis obtentu ad iracundiam commoueri. Quod enim animæ grauius potest euenire dispendium, quàm vt per commotionis subitam cæcitatē veri atq; æterni luminis claritate priuata, ab illius qui mitis & humilis est corde cōtēplatione discedat? Quid rogo perniciosius, quídue deformius, quàm

Impatientiæ morbus quomodo curetur.

*prolatione

Psalm. 118.

Psalm. 25.

Psalm. 138.

*contriuit?

quàm vt quis honeſtatis iudicium & regulam ac diſciplinam rectæ diſcretionis amittat, & ea ſanus ac ſobrius perpetret, quæ nec temulentus quidem quis ac ſenſu indigens veniabiliter admiſiſſet? Hæc ergo & cætera his ſimilia detrimenta quiſquis perpenderit, non ſolum vniuerſa damnorum genera, ſed etiam iniuriarum atque pœnarum quæcunque poſſunt à crudeliſſimis irrogari, facili ſuſtentatione deſpiciet: nihil diſpendioſius iracundia, nec pretioſius animi tranquillitate, ac perpetua cordis ſui iudicãs puritate: Ob quam non ſolum carnalium, ſed etiam illarum quæ ſpiritales videntur, rerum ſpernenda ſunt commoda, ſi aliàs acquiri vel perfici, niſi cum huius tranquillitatis perturbatione non poſſunt.

Interrogatio, an ita caſtitas ſicut & cætera paßiones debeat explorari.

CAPVT XV.

GErmanus: Sicut cæterorum vulnerum, id eſt, iræ, triſtitiæ vel impatientiæ, per obiectionem contrariarum rerum medela monſtrata eſt, ita etiam contra ſpiritum fornicationis quod curationis genus nos oporteat adhibere, volumus edoceri, id eſt, vtrum etiam concupiſcẽtiæ ignis propoſitis, ſicut illic, maioribus irritationis augmẽtis poſſit extingui, quod ſatis caſtitati credimus eſſe contrarium, ſi non ſolum exaggerentur in nobis libidinis incentiua, ſed vel prætereũte mentis oculo perſtringantur.

Reſponſio, quibus documentis poſsit agnoſci.

CAPVT XVI.

IOannes: Quæſtionem quæ etiam tacentibus vobis narrationem noſtram fuerat ſecutura, ſagax interrogatio veſtra præuenit, & idcirco efficaciter eam ſenſibus veſtris concipiẽdam eſſe non ambigo, quandoquidem inſtitutionem noſtram acumen veſtri præceſſit ingenij. Sine labore enim cuiuſlibet quæſtionis dilucidatur obſcuritas, cùm abſolutionẽ eius anticipans inquiſitio quò ducenda eſt antecedit. Itaque remediis quidem illorum quę ſuprà diximus vitiorum, non ſolum nihil officiunt, verum etiam multum conferunt humana cõſortia. Nam frequentia impatientiæ ſuæ crebrius patefacta, quanto magis aſſiduum ſuperatis dolorem compunctionis intulerint, tanto velociorem laborantibus conferunt ſanitatẽ. Ob quod etiam in ſolitudine conſiſtentes, cùm irritationum fomes atque materia ab hominibus non poſſit exurgere, tamẽ earundem incitamenta debemus etiam de induſtria retractare, vt aduerſus* ea iugi cogitationum colluctatione pugnantibus nobis medela promptior conferatur. Contra fornicationis vero ſpiritum diuerſa ratio, & diſpar eſt cauſa. Nã quemadmodum

*eam

admodum corpori vsus libidinis carnisque vicinitas, ita etiã menti memoria eius est penitus subtrahenda. Satis enim perniciosum est adhuc infirmis ægrisque pectoribus, vel tenuissimam recordationẽ huius passionis admittere, ita vt nõnunquam eis etiam sub recordatione sanctarum feminarum, vel sub sacræ lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur. Cuius causa Seniores nostri huiuscemodi lectiones sub præsentia iuniorum solent consultissimè præterire. Sanè perfectissimis quibusque & summo iam affectu castimoniæ cõsummatis, probationes quibus examinare se valeát deesse nõ possunt, quibus perfectissima cordis integritas incorrupto cõscientiæ iudicio comprobetur. Erit ergo cõsummatissimo viro similis his quę suprà dicta sunt etiã super hac passione probatio sui, scilicet vt qui se radices morbi huius penitus iam extirpasse cognouerit, explorandæ si volet gratia castitatis, interdum etiam aliquam exploratricem sui imaginem possit admittere. Cæterum ab his qui adhuc minus firmi atque perfecti sunt, hanc examinationem nullatenus conuenit vsurpari, vt coniunctionem femineam, & palpationem quodammodo teneram atque mollem corde pertractent, erit enim eis magis noxia quàm salubris. Quod enim experimentum huiuscemodi hominibus potest in hac ratione suppetere, vbi & in experimento ipsum est quod vitatur, & in ipsa exploratione discrimen. Cùm ergo perfectissima quis virtute fundatus, ad illecebram blandientium cogitationum, nullum mentis assensum, nullam carnis commotionem in se deprehenderit excitari, certissima puritatis suæ capiet documenta, ita vt ad hanc se firmitatem puritatis exercens, castitatis atque incorruptionis bonum non solum mente possideat, sed etiam si corporalem feminæ attactum causa cuiuscumque vt solet necessitatis attulerit, penitus sensum passionis ignoret. Hic Abbas Ioannes cùm horæ nonæ refectionem imminere sensisset, collationem fine conclusit.

Memoria libidinis prorsus eximenda.

Historiæ sanctarum feminarum apud iuniores prætermissæ.

Collationis Abbatis Ioannis de fine Cœnobitæ & eremitæ finis.

COLLA-

COLLATIO XX.

HABITA CVM ABBATE PINVFIO DE POENITENTIAE FINE ET SATISFACTIONE.

De Abbatis Pinufii humilitate & latendi studio.

CAPVT I.



RAECLARI ac singularis viri Abbatis Pinufij de fine pœnitētiæ præcepta dicturus, magnā materiæ partem mihi videor amputare, si humilitatis eius laudem, quam in quarto institutionum libro, qui est super instituendis renūciationibus titulatus, breui sermone perstrinxi, lectoris fastidio consulens, hic silentio prætermittam, cùm præsertim multi illius opusculi notitiam non habentes in hanc possint incurrere lectionem, & omnis dictorum vacillet autoritas, si dicentis meritum subtrahatur. Hic siquidem cùm haud longè à Panephisi Aegypti, vt illic dictum est, ciuitate, Abbas & presbyter ingenti cœnobio pręsideret, tantumq; eum in omni illa prouincia virtutum suarum atq; signorum gloria sublimasset; vt sibi iam videretur retributione laudis humanæ laborum suorum recepisse mercedem, timens ne sibi specialiter inuisa popularis fauoris inanitas, fructum præmij euacuaret æterni, occultè monasterium suum fugiens, ad intima Thabennensium monachorum secreta contendit, vbi non eremi solitudinem, non singularis vitæ securitatem quam etiam imperfecti quique laborem obedientiæ in cœnobiis non ferentes, superba nonnunquam præsumptione sectantur, sed celeberrimo pręelegit cœnobio subiugari. Vbi tamen ne vllo habitus sui proderetur indicio, indutus veste seculari, multis, vt illic moris est, diebus lacrymans pro foribus excubauit, atque ad omnium genua prouolutus, post eorum diuturna fastidia qui ad explorandum eius desiderium in vltima eum iam ætate velut panis egestate compulsum, non sincerè illius propositi sanctitatem expetisse dicebant, tandem vt susciperetur obtinuit. Vbi adolescenti cuidam fratri qui hortum susceperat excolendum, in adminiculum deputatus, cùm non solū omnia quæ idem præpositus imperasset, vel quę iniūcti opetis

Lib. 4. Instit. cap. 30.

Insigne Pinufii Abbatis elogium.

Mos explorandi constantiam animi illorum qui ad cœnobiticam vitam recipi cupiebant.

operis cura poscebat, cum admiratione tam sanctæ humilitatis impleret, verumetiam quædam necessaria opera, quæ propter horrorem sui à cæteris vitabantur, ita furtiuo per noctem labore perficeret, vt diluculo omnis illa cõgregatio tam vtilium operum admirans ignoraret autorem. Cumque ita triennium fermè illic, gaudẽs desideratis tam iniuriosæ subiectionis laboribus, exegisset, accidit vt quidam frater eidẽ cognitus ex illis vnde ille discesserat Aegypti partibus adueniret. Qui cùm indumentorum eius atque officij vilitate promptissimæ cognitionis facilitatem diu hæsitans cohiberet, post explorationem manifestissimam ad eius genua prouolutus, primum stuporem fratribus cunctis, dehinc prodito etiam nomine, quod apud illos quoque præcipuæ sanctitatis fama vulgauerat, etiam dolorẽ compunctionis incussit, quòd scilicet tanti meriti ac sacerdotij virum tam iniuriosis operibus deputassent. Sed postquam flens vbertim, & diabolicæ inuidiæ quasi grauem proditionis suæ imputans * casum, ad monasterium suum honorifica fratrum custodia ambiente perductus est, exiguo illic tempore demoratus, rursus offensus est ipsis honoris sui ac primatus obsequiis, ac furtim ascendens nauem, ad Palæstinam Syriæ prouinciam transmeauit, vbi velut incipiens atque nouitius in illo in quo nos degebamus monasterij receptus habitaculo, in nostra cellula ab Abbate præceptus est commanere. Sed ne illic quidem diu virtutis eius merita latere potuerunt. Nam simili proditione detectus, atque ad monasterium suum cum ingenti honorificentia ac laude reuocatus, tandem quod erat esse compulsus est. *causam,

De aduentu nostro ad Abbatem Pinusium.

CAPVT II.

CVm igitur post non longum tempus nos quoq; Aegyptũ petere sanctę institutionis desiderium compulisset, summo eum affectu ac desiderio perquirentes, tanta eius sumus gratia atque humanitate suscepti, vt nos tanquam pristinos syncellitas etiam cellulæ suæ quam in extrema horti parte construxerat, honoraret hospitio. Vbi cùm satis ardua atque præcelsa, cuidam fratri monasterij regulam subeunti, coram omnib⁹ in synaxi fratrib. præcepta tradidisset (quę in quarto, vt prædiximus, institutionũ libro, quanta potui breuitate cõplexus sum) tam incõprehẽsibilia nobis tamq; mirifica veræ abrenũciationis culmina videbãtur, vt nullo modo illuc humilitatem nostrã crederemus posse conscẽdere. Igitur despetatione deiecti, & ipso etiam vultu intimam cogitationum *Lib. 4. Instit. cap. 32.*

amari-

amaritudinem non celantes,ad beatũ senem,satis anxia mẽte recurrimus. Cui protinus causam tantæ mæstitudinis inquirenti, Abbas Germanus grauiter ingemiscens, ita respondit.

Interrogatio de pœnitentiæ fine, & satisfactionis indicio.

CAPVT III.

QVanto magnificentior atque sublimior incognitæ nobis sermo doctrinæ tuæ iter arduum præcelsissimæ renunciationis aperuit, & quasi remoto oculorum nostrorum caligine conditum cælo culmẽ eius ostendit,tãto maiore desperationis mole deprimimur. Immensitatem siquidem eius cum exiguitate virium nostrarum metientes, & nimiam abiectionem ignauiæ nostræ,cum infinita virtutis ostensæ celsitudine conferentes,paruitatem nostram non solum ad illã non posse proficere,verum etiam ab eo quod est deficere posse sentimus. Nam ponderibus nimiæ desperationis oppressi, quodammodo de infimis ad inferiora prolabimur. Vnum proinde ac singulare præsidium medelę nostris potest conferri vulneribus, vt de fine pœnitẽtiæ & maximè de satisfactionis indicio aliqua discamus, vt certi de remissione præcedẽtium delictorum,possimus etiam ad conscẽdẽda fastigia prędictæ perfectionis animari.

Responsio Abbatis Pinufii. CAP. IIII.

PInufius: Delector quidẽ admodum copiosis humilitatis vestrę fructibus,quos etiã cellulę illius quondã habitatione susceptus non incuriosa æstimatione perspexi, valdeque congaudeo,quia id quod à nobis omnium Christianorum infimis sola forsitan verborum libertate præcipitur,tanta admiratione suscepistis, vt ea (si non fallor) haud segnius quàm à nobis dicta sunt impleatis. Cumque sicut memini laborem operis vestri pæne dictorum nostrorum exequitur industria, ita meritum vestræ virtutis occultatis, tanquam si nulla ad vos eorum quæ quotidie exercetis aura peruenerit. Sed quia idipsum summa laude dignissimũ est, quod velut adhuc rudes incognita vobis esse ista sanctorum instituta testamini,id quod à nobis sedulò postulatis,breuiter vt possumus complectamur. Necesse est enim vt vltra possibilitatem nostrã atque virtutem, antiquæ familiaritatis vestræ pareamus imperio. Itaque de pœnitentiæ exhortatione vel merito multi nõ solũ dictis,verumetiam scriptis plurima vulgauerunt,monstrãtes quanta eius vtilitas,quantaque sit gratia, ita vt Deo præteritis facinoribus offenso,tamque iustissimam pœnã pro tantis criminibus inferenti (si dici fas est) quodammodo obsistat, & quasi inuiti (vt ita dixerim) dexterã suspendat vltoris. Verùm hæc

hæc omnia vobis, vel pro ſapientia ſupernaturali, vel pro indefeſſo ſacrarum ſtudio litterarum, ita cognita eſſe non ambigo, vt de his prima plantatio veſtræ cõuerſationis inoleuerit. Denique non de pœnitentiæ qualitate, ſed de eius fine ac ſatisfactionis indicio ſolliciti, id quod ab aliis prætermiſſum eſt ſagaciſſima interrogatione diſquiritis. Quapropter omni breuitate atque compendio propoſitionis veſtræ deſiderio ſatisfacere nitimur.

De modo pœnitentiæ & indulgentiæ perceptæ argumento. CAP. V.

POenitentiæ plena & perfecta definitio eſt, vt peccata pro quibus pœnitudinem gerimus, vel quibus noſtra cõſciẽtia remordetur, nequaquam vlteriùs admittamus. Indicium verò ſatisfactionis & indulgentiæ eſt, affectus quoque eorum de noſtris cordibus expuliſſe. Nouerit enim vnuſquiſque nec dum ſe peccatis priſtinis abſolutum, quamdiu ſibi ſatisfactioni & gemitibus incubanti, vel illorum quæ egit vel ſimilium criminum ante oculos imago præluſerit, eorumq; non dicam oblectatio, ſed vel recordatio infeſtauerit mentis arcana. Itaq; tunc ſe is qui pro ſatisfactione peruigilat, à criminibus abſolutum, ac de præteritis admiſſis veniam percepiſſe cognoſcat, cùm nequaquam cor ſuum eorũdem vitiorum illecebris ſenſerit vel imaginatione perſtringi. Quãobrem veriſſimus quidam examinator pœnitentiæ & *iudex indulgentiæ in conſcientia reſidet noſtra, qui abſolutionem reatus noſtri ante cognitionis & iudicij diem adhuc nobis in hac carne commorãtibus detegit, & finem ſatisfactionis ac remiſſionis gratiam pandit. Et vt hæc eadem quæ dicta ſunt ſignificantius exprimantur, tum demum præterita nobis vitiorum contagia remiſſa credenda ſunt, cùm fuerint de corde noſtro præſentium voluptatum deſideria pariter paſſioneſque depulſæ.

Pœnitentiæ veræ fructus præcipuus.

*index

Interrogatio an reminiſcenda ſint pro cordis compunctione peccata.

CAPVT VI.

GErmanus: Et vnde nobis gigni poterit humiliationis illa ſancta ſalutariſque compunctio quæ ex perſona pœnitentis ita deſcribitur: Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non operui; dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: vt illud quoq; quod ſequitur efficaciter dicere mereamur, & tu remiſiſti impietatem cordis mei? Vel quomodo in oratione proſtrati, noſmetipſos ad confeſſionis lacrymas valebimus excitare, per quas delictorum veniam conſequi mereamur, ſecundum illud, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: ſi peccatorum noſtrorum memoriam de noſtris cordibus

Pſal. 31.

Pſal. 6.

bus extrudamus. Quam iubemur econtrariò tenaciter custo-
Isaiæ 43. dire, dicente Domino: Et iniquitatum tuarum non recorda-
bor, tu verò memento? Ob quam rem non solùm operans, ve-
rum etiam orans ad peccatorum meorum recordationem mẽ-
tem meam de industria reuocare contẽdo, vt ad humilitatẽ
verã & contritionem cordis efficacius inclinatus, audeam
Psal. 24. dicere cum propheta: Vide humilitatem meam & laborem
meum, & dimitte omnia peccata mea.

Responsio, quousque anteriorum actuum recordatio sit habenda.

CAPVT VII.

Pinusius: Interrogatio vestra, vt iam suprà dictum est, non de pœnitentiæ qualitate, sed de eius fine proposita est, & de satisfactionis indicio, ad quam congruè (vt arbitror) consequenterq; responsum est. Cæterum hoc quod de peccatorum recordatione dixistis, vtile satis ac necessarium est, sed adhuc agentibus pœnitentiam, vt cum iugi pectoris sui contusione
Psal. 50. proclament, Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, &
Psal. 37. peccatum meum contra me est semper. Illud etiam, Et cogitabo pro peccato meo. Dum ergo agimus pœnitentiam, & adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est vt ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cùm verò cuiquam in hac humilitate cordis, & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserentis euulsa, certum est eum ad satisfactionis finem atque indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum. Ad quam tamen obliuionem non aliàs peruenitur, nisi per oblitterationem vitiorum atque affectuum pristinorum, & perfectam cordis atque integram puritatẽ: quam sine dubio nullus eorum qui per ignauiam siue contemptum vitia sua purgare neglexerit, assequitur, nisi qui gemitus atque suspiria mæsta iugitate continuans omnem sordium pristinarum excoxerit labem, & virtute animi atque opere procla-
Psal. 31. mauerit ad Deum: Delictum meum cognitum tibi feci, &
Psal. 41. iniustitiam meam non operui. &, Fuerunt mihi lacrymæ meę
Ierem. 31. panes die ac nocte: vt consequenter mereatur audire: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Illud quoque similiter ad eum voce
Isaiæ 44. Domini dirigatur, Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi
Isaiæ 43. nebulam peccata tua. Et iterum: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recorda-
Prouer. 5. bor. Et ita funiculis peccatorum suorum, quibus vnusquisque
con-

cõſtringitur, abſolutus, Domino cum omni gratiarũ actione
cantabit: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiã laudis. *Pſal. 115.*

Multis modis ad peccatorum expiationem perueniri poſſe.

CAPVT VIII.

POſt illam namque generalem baptiſmi gratiam, & illud *Baptiſmus*
pretioſiſſimum martyrij donum quod ſanguinis ablutio- *martyrium.*
ne conquiritur, multi ſunt pœnitentiæ fructus, per quos ad
expiationem criminum peruenitur. Non enim tantùm ſim-
plici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur, de
quo beatus Apoſtolus Petrus, Pœnitemini, inquit, & conuer- *Actor. 3.*
timini, vt deleantur peccata veſtra. Et Ioãnes Baptiſta, vel ipſe
Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum *Matt. 3. & 4.*
cælorum. Sed etiam per caritatis affectum peccatorum moles *1. Pet. 4.*
obruitur: Caritas enim operit multitudinem peccatorum. Si- *Caritas.*
militer etiam per eleemoſynarũ fructum vulneribus noſtris *Eleemoſynæ.*
medela præſtatur: quia ſicut aqua extinguit ignem, ita elee- *Eccl. 3.*
moſyna extinguit peccatum. Ita etiã per lacrymarum profu- *Lacrymæ.*
ſionem cõquiritur ablutio peccatorum: Lauabo enim per ſin- *Pſal. 6.*
gulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum ri-
gabo: Denique ſubiungit, oſtendens eas non inaniter fuiſſe
profuſas, Diſcedite, inquiens, à me omnes qui operamini ini-
quitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
Nec non per criminum confeſſionem eorum abolitio conce- *Confeſſio.*
ditur: Dixi, enim, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam *Pſal. 31.*
meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et *Iſaiæ 43.*
iterum: Narra tu iniquitates tuas primus vt iuſtificeris. Per *Afflictio carnis ac ſpiritus.*
afflictionem quoque cordis & corporis, admiſſorum ſcelerum *Pſal. 24.*
remiſſio ſimiliter obtinetur. Nam vide, inquit, humilitatem *Iſaiæ 1.*
meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Prę-
cipueq; per emendationem morum: Auferte, inquit, malum *Emendatio*
cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere per- *morum.*
uersè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſ-
ſo, iudicate pupillo, defendite viduã, & venite & arguite me,
dicit Dominus. Et ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, velut
nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut
lana alba erunt. Interdum etiam interceſſione ſanctorum im- *Orationes*
petratur venia delictorum. Qui enim ſcit fratrem ſuum pec- *ſanctorum.*
care peccatum non ad mortem, petat & dabit ei vitam Deus *1. Ioan. 5.*
peccanti non ad mortem. Et iterum: Infirmatur quis ex vobis, *Iacobi 5.*
inducat presbyteros eccleſiæ & orent ſuper eum, vngentes
eũ oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmũ, & *Fidei & miſe-*
alleuabit eũ Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Nõ- *ricordiæ meri-*
nũquam etiam miſericordiæ ac fidei merito labes excoquitur *ta.*

vitiorum, secundum illud: Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Per conuersionem plerumq; & salutem eorũ qui nostris monitis ac prædicatione saluantur. Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluat animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Per indulgentiam nihilominus & remissionem nostram, ad indulgentiam nostrorum facinorum peruenitur. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Videtis ergo quãtos misericordiæ aditus patefecerit clementia Saluatoris, vt nemo salutem cupiens, desperatione frangatur, cùm videat se tantis ad vitam remediis inuitari. Si enim prò infirmitate carnis afflictione ieiuniorũ abolere te peccata non posse causaris, nec potes dicere, Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum: Quia cinerem tamquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam: eleemosynarum ea redime largitate. Indigenti si non habes quod impartias (licèt nullum ab hoc opere necessitas inopiæ ac paupertatis excludat, quandoquidem & illius viduæ duo tantum æra ingentibus diuitum muneribus præferuntur, & pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurũ Dominus repromittit, certè absq; illis morum poteris emendatione purgari. Quòd si perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga vtilitatẽ alienæ salutis impende. Si autem te idoneum huic ministerio non esse cõqueretis, operire peccata poteris caritatis affectu. In hoc quoque si te fragilem fecerit quælibet mẽtis ignauia, oratione saltem atq; intercessione sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu *submissus implora. Postremò quis est qui non possit suppliciter dicere, Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non operui? vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur, Et tu remisisti impietatem cordis mei. Quòd si verecundia retrahente reuelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper; tibi soli peccaui, & malum coram te feci; qui & absque vllius verecundię publicatione curare, & sine improperio peccata donare consueuit. Post istud quoque tam promptum certumque subsidium, aliud quoque adhuc facilius largita est nobis diuina dignatio, ipsamq; remedij opem nostro commisit arbitrio, vt indulgentiam nostrorum scelerum pro nostro pręsumamus affectu, dicentes ei: Dimitte nobis debita nostra, sicut

Studium lucrandi ac docendi alios.
Prouer. 15.
Iacob. 5.
Remissio iniuriarum.
Matth. 6.
Psal. 108.
Psal. 101.
Lucæ 21.
Matth. 10.
* subnixus
Psal. 31.
Consule vigesimam secundam annotationem post finem operis.
Psal. 50.
Matth. 6.

ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quiſquis igitur ad indulgentiam ſuorum criminum deſiderat peruenire, iſtis ſemetipſum aptare ſtudeat inſtrumentis, nec obdurati cordis peruicacia à remedio ſalutari fontem tantæ pietatis auertat; quia etiamſi hæc omnia fecerimus, nō erunt idonea ad expiationem ſcelerum noſtrorum, niſi ea bonitas Domini clementiaq́ue deleuerit. Qui cùm religioſi conatus obſequia ſupplici mente à nobis oblata perſpexerit, exiguos paruoſque conatus immenſa liberalitate proſequitur, dicens, Ego ſum ego ſum *Iſaiæ 43.*
qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor. Ad hunc ergo quem prædiximus ſtatum quiſquis conſcēderit, ſatisfactionis gratiam quotidianis ieiuniis, & mortificatione cordis & corporis aſſequetur; quia, ſicut *Hebr. 9.*
ſcriptum eſt, ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Nec immeritò. Caro enim & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Et ideo quiſquis ab huius ſanguinis effuſione gladiū ſpiritus, quod eſt verbum Dei, voluerit inhibere, abſque dubio *1. Cor. 15.*
illa Ieremiæ prophetæ maledictione plectetur. Nam maledi- *Epheſ. 6.*
ctus, inquit, qui prohibet ſuum gladiū à ſanguine. Hic namq; *Ierem. 48.*
eſt gladius qui illum noxium ſanguinē quo animatur materia peccatorum ſalubriter fundens, quicquid reppererit in membris noſtris carnale terrenúmve concretum, reſecat & abſcindit, ac mortificatos vitiis viuere Deo & ſpiritalibus facit vigere virtutibus; & ita iam non recordatione veteris admiſſi, ſed ſpe futurorum gaudiorum flere incipiet; nec tam de præteritis malis, quàm de véturis cogitans bonis, non ex peccatorum mærore lacrymas, ſed ex æternæ illius lætitiæ alacritate profundet, atque obliuiſcens ea quæ poſteriora ſunt, id eſt, carnalia vitia, ad ea quæ in ante ſunt extendetur, hoc eſt, ſpiritalia *Philip. 3.*
dona atque virtutes.

Quod vtilis ſit profectus, obliuio peccati, & quòd flagitiorum recordatio ſit vitanda. CAP. IX.

CAeterum quod paulò ante dixiſti, te etiam de induſtria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitùs non oportet, quinimò etiamſi violenter irrepſerit, protinus extrudatur. Multum namque retrahit mentem à cōtemplatione puritatis, eius præcipuè qui in ſolitudine commoratur, implicans eam ſordibus mundi huius & præfocans fœtore vitiorum. Dum enim recolis ea quæ ſecundum principem ſeculi huius ſiue per ignorantiam, ſiue per laſciuiam commiſiſti, vt concedā tibi quod in hac cogitatione poſito oblectatio nulla ſubrepat, certè antiquæ putredinis vel ſola contagio, neceſſe eſt vt tetro mentē fœtore corrumpat, & ſpirita-

lem virtutum fragrantiam, id est, suauitatem boni odoris excludat. Cùm ergo præteritorum memoria vitiorum pulsauerit sensum, ita ab ea resiliendum est, sicut refugit vir honestus & grauis si impudicæ ac procacis feminæ in publico aut colloquiis, aut amplexibus appetatur. Qui vtique nisi se à contactu eius festinus abstraxerit, & vel breuissimam moram inhonestæ confabulationis admiserit, etiam si consensum impudendæ respuat voluptatis, infamię tamen ac reprehensionis notam cunctorum prętereuntium iudicio non euadet. Ita igitur etiam nos oportet cùm fuerimus in huiusmodi cogitationes pestifera recordatione deducti, raptim ab earum contem-
Prouerb. 5. platione discedere, & implere illud quod à Salomone præcipi-
*exi, tur, sed *exili, inquit, noli demorari in loco eius, neque intendas oculo tuo in eam: ne videntes nos angeli immũdis ac turpibus cogitationibus inuolutos, non possint de nobis præter-
Psal. 128. euntes dicere, Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Impossibile namque est mentem bonis cogitationibus immorari, cùm principale cordis ad turpes atque terrenos intuitus fuerit deuolutum. Vera est enim
Prouer. 23. illa Salomonis sentẽtia, Oculi tui cùm viderint alienã, os tuũ tũc loquetur praua, & iacebis tamquã in corde maris, & sicut gubernator in magna tempestate: dices autem, Ferierunt me, sed non dolui; & deluserunt me, ego autem nesciui. Derelictis autem non solùm turpibus, sed etiam terrenis cogitationibus vniuersis, erigenda est semper ad cælestia nostræ mentis in-
Ioan. 12. tentio, secundum Saluatoris nostri sententiam. Vbi enim ego sum, inquit, illic & minister meus erit. Solet enim frequenter accidere, vt dum vel suos vel aliorum lapsus, imperitorũ quispiam miserantis retractat affectu, ipse etiam subtilissimi teli voluptario perstringatur assensu, & initium sub specie pie-
Prouer. 16. tatis exortum, obsceno ac noxio fine concludat. Sunt enim viæ quæ videntur hominibus rectæ, nouissima autem earum venient in profundum inferni. Quapropter studendum est nobis vt virtutum potius appetitu & desiderio regni cęlorum, quàm noxiis vitiorum recordationibus nosmetipsos ad compunctionem laudabilem prouocemus; quia necesse est tamdiu quempiam pestilẽtissimis cloacæ fœtoribus præfocari, quamdiu supra eam stare, vel cœnum eius voluerit commouere.

De satisfactionis indicio, & obliuione præteritorum criminum.

CAPVT X.

NOuerimus autem nos, vt sæpè diximus, tunc demum pro pręteritis satisfecisse peccatis, cùm ipsi motus atque affectus per quos pœnitenda commisimus, fuerint de nostris cordibus

cordibus amputari. Quod tamen nullus obtinere posse se credat, qui non prius ipsas causas atque materias, pro quibus in illa collapsus est crimina, omni spiritus feruore succiderit: vt verbi gratia, si in fornicationem vel adulterium perniciosa feminarum familiaritate collapsus est, summa festinatione etiã ipsum earum deuitet aspectum: aut certè, si per abundantiam vini epularumque est nimietate succensus, illicitam ciborum crapulam summa districtione castiget. Et rursum, si in periurium, aut furtum, aut homicidium, aut blasphemiam, pecuniarum desiderio atque amore corruptus incurrit, materiam auaritiæ, illectricem suæ deceptionis abscindat. Si in iracũdiæ vitium, superbiæ passione propellitur, arrogantiæ ipsius fomitem summa humilitatis virtute cõuellat. Et ita vt vnũquodq; peccatum possit extingui, causa atque occasio per quam vel ob quam admissum est, debet primitus amputari. Isto etenim curationum remedio, ad obliuionem quoque admissorum criminum sine dubio peruenitur. *Vitia non posse extirpari nisi primum causis ipsis sublatis, & radicibus euulsis.*

Venialium peccatorum non debet nos capere obliuio, sed mortalium duntaxat.

Caput XI.

Verum ista prædictæ obliuionis definitio super capitalibus tantũ sit criminibus constituta, quæ Mosaica quoq; lege damnantur; quorum sicut per conuersationem bonam abiiciuntur vel consumuntur affectus, ita etiam accipit pœnitentia finem. Cæterùm ab istis minutis in quibus septies iustus cadit, vt scriptum est, & resurgit, numquam deerit pœnitudo. *Prouer. 24.* Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationẽ, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatẽ, aut per fragilitatẽ carnis, singulis diebus vel inuiti vel volentes freq̃uẽter incurrimus, pro quibus & Dauid orans Dominum, purificationem atque indulgentiã deprecatur, dicens, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. *Psal. 18.* Et Apostolus: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malũ, hoc ago. *Rom. 7.* Et quibus idem etiam eiulãs exclamauit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Ibidem.* Tanta enim in his facilitate tamquam naturali lege prolabimur, vt quantalibet circumspectione atque custodia caueãtur, non possint ad plenũ ista vitari. De istis siquidem vnus discipulorum, quem diligebat Iesus, abrupta definitione pronũciat, dicens, Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & verbum eius non est in nobis. *1. Ioan. 1.* Proinde perfectionis culmen pertingere cupienti, non satis proderit ad finẽ pœnitentiæ peruenisse, id est, ab illicitis temperare,

perare, nisi etiã in illis virtutibus indefesso cursu semetipsum semper extẽderit, quibus ad satisfactionis indicia peruenitur. Nec enim à fœtidissimis criminum sordibus quæ abhorret Dominus quenquam abstinuisse sufficiet, nisi etiam illam bonam virtutum fragrantiam qua Dominus delectatur, puritate cordis & apostolicæ caritatis perfectione possederit. Hucusque Abbas Pinufius de satisfactionis indicio ac pœnitentiæ fine disseruit. Qui licèt vt in eius cœnobio residere mallemus sollicito deprecaretur affectu, tamen fama Scythioticæ solitudinis inuitatos, cùm retinere non posset, emisit.

Collationis Abbatis Pinufii de pœnitudinis fine & satisfactionis indicio finis.

COLLATIO XXI.

QVÆ EST PRIMA INTER EAS QVAE CVM BEATO THEONA HABITæ sunt, de remissione quinquagesimæ.

CAPVT I.


RIVSQVAM verba collationis huius habita cùm summo viro Abbate Theona incipiamus euoluere, necessarium reor, vt initium conuersionis eius breui sermone perstringam; quia ex hoc vel meritum viri, vel gratia euidentius poterit patere lectori. Hic igitur adolescens admodum, parentum studio imperioq; connexus est vinculo coniugali. Nam dum pudicitiæ eius religiosam sedulitatem prospiciunt, & ancipitem lapsum lubricæ verentur ætatis, prȩueniendos adolescentiæ motus licito nuptiarum remedio crediderunt. Cùm ergo hic vnius lustri tempus cum coniuge peregisset, venit ad Abbatem Ioannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria volũtate aut ambitione prouehitur, sed is quem cunctorum seniorum cœtus, ætatis prærogatiua & fidei atq; virtutum

Diaconiæ præfectus seniorũ electione cõstituendus.

tutum testimonio excellentiorem omnibus sublimioremque censuerit. Ad hunc, inquam, beatum Ioannem cùm piæ deuotionis studio prædictus tunc iuuenis aduenisset, deferens religiosa munera inter cæteros possessores, qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant, videretq; eos senex cum multis ad se muneribus confluxisse, & deuotioni eorum vicissitudinem cuperet repensare, cœpit eis secundum Apostolum spiritalia seminare, quorum metebat dona carnalia: denique ita sermonem adhortationis instituit. 1. Cor. 9.

Exhortatio Abbatis Ioannis ad Theonam & cæteros qui cum eo venerunt.

CAPVT II.

DElector quidem ô filij carissimi pia vestrorũ munerum largitate, & deuotionem huius oblationis, cuius dispensatio mihi credita est, gratanter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigẽtium vsibus profuturas velut sacrificium Domino bonæ suauitatis offertis, harum scilicet oblatione, plenitudinẽ quoq; fructuum vniuersæq; substantię vestræ, ex qua hæc Domino delibastis, vbertim benedicenda credẽtes, vosq; secundũ mandati illius fidẽ multiplici vbertate bonorum omnium etiam in hoc seculo cumulandos: Honora Deum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de fructibus iustitię tuæ, vt impleantur horrea tua abũdantia tritici, vino autẽ torcularia tua redundent. Quam deuotionẽ fideliter *exequẽtes, scitote vos legis antiquę iustitiam consummasse, sub qua tunc positi & transgredientes eam, reatũ ineuitabiliter incurrebãt, & implentes ad perfectionis apicem peruenire non poterant.

Diaconiæ præfectus munera & oblationes populi recipere solitus.
Decimarum & primitiarũ oblatio maximi meriti sacrificium est.
Prouerb. 3.
* assumentes,

De decimarum & primitiarum oblatione.

CAPVT III.

DEcimæ siquidem præcepto Domini vsibus Leuitarum, oblationes verò ac primitiæ erant sacerdotibus consecratæ; sed primitiarũ hic erat modus, vt quinquagesima pars vel frugum vel animalium, templi vel sacerdotum ministerio præberetur. Quem modum tepidiores quique infideliter minuentes, religiosiores verò etiam cumulantes, illi ex sexagesima, hi autem ex *quadragesima fructuum suorum parte pendebant. Iusti enim quibus lex non est posita, sic probãtur non esse sub lege, vt iustitias legis non solùm implere, verumetiam superare contendant, sitque deuotio eorum legali maior imperio, quæ obseruantiam cumulans præceptorum *voluntaria addat ad debita.

*quinquagesima
1. Timoth. 1.
*voluntariè

Quòd Abraham, Dauid & cæteri sancti mandata legis fuerint supergreßi.

CAPVT IIII.

ITa namq; & Abraham futuræ legis præcepta legimus supergressum, cùm superatis quatuor regibus, de spoliis Sodomorum, quæ sibi velut victori non immeritò debebãtur, & quidem rege ipso cuius spolia retulerat, suppliciter offerente, nihil penitùs acquiescit attingere, sub diuini nominis testificatione proclamans: Extendo manum meam ad Deum excelsum, qui fecit cælum & terram, si à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Sic Dauid præcepta legis cognoscimus supergressum, qui præcipiente Mose vt inimicis talio redderetur, non solùm hoc non fecit, verumetiam dilectione complexus est persequentes, & pro his Domino piè supplicans, etiam lugubriter fleuit, & * vltus est interfectos. Ita Eliam quoque & Ieremiam probamus non fuisse sub lege, qui cum licito vti coniugio absq; reprehẽsione potuissent, perseuerare tamẽ virgines maluerunt. Sic Eliseum ac reliquos eiusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mandata, de quibus Apostolus ita dicit, Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, egẽtes, quibus dignus nõ erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Quid de filiis Ionadab filij Rechab dicam, quos Ieremiæ prophetæ offerenti ex præcepto Domini vinum, ita legimus respondisse? Non bibimus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster pręcepit nobis, dicens, Non bibetis vinum vos & filij vestri, vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris. Vnde etiam ab eodem propheta merentur audire: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. Qui omnes offerre possessionum suarum decimas non contenti, sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potius Deo ac suas animas obtulerunt, pro quibus nulla ab homine fieri commutatio potest, sicut Dominus in euangelio contestatur: Quam dabit homo commutationem pro anima sua?

Genes. 14. *Lege vigesimã tertiam annotationem post finem operis.* *Elias & Ieremias virgines.* *Exod. 21.* *1. Reg. vlt.* *vlulatus *Hebr. 11.* *Ierem. 35.* *Ibidem.* *Matth. 16.*

Quòd sub euangelij gratia degentes, superare debeant mandata legalia.

CAPVT V.

QVapropter scire debemus nos (à quibus nõ iam exigitur legale mandatum, sed quibus euangelicus quotidiè intonat sermo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes,

Matth. 19.

habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me) cùm decimas de substantiis nostris offerimus Deo, adhuc quodámodo sub legis sarcina detineri, & nec dum ad euangelicum illud fastigium peruenisse, quod obtemperantes sibi, non tantùm præsentis vitæ beneficiis, sed etiam futuris præmiis munerat. Lex enim factoribus suis non regnorum cælestium præmia, sed vitæ huius solatia repromisit, dicens, Qui fecerit hęc, viuet in eis. Dominus autem discipulis suis & Apostolis, Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorum. & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Nec immeritò: Non enim tam laudabile est si ab illicitis, quàm si etiam à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur, qui ea nobis propter infirmitatem nostram vtenda permisit. Itaq; si etiam hi qui decimas fructuum suorum fideliter offerentes præceptis Domini antiquioribus famulantur, nec dum possunt euangelicum culmen ascendere: illi qui ne hæc quidem faciunt, quãtum ab eo absint manifestissimè peruidetis. Nam quemadmodum poterunt euangelicæ gratiæ esse participes, qui consummare etiam leuiora legis præcepta contemnunt? Quorum * facilitatem vsq; adeò imperiosa legislatoris verba testantur, vt etiã maledictum non implentibus proponatur: Maledictus enim, inquit, qui non permãserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Hic autẽ pro excellentia & sublimitate mãdatorum dicitur, Qui potest capere, capiat. Illic legiferi violenta compulsio, præceptorum indicat paruitatem. Cõtestor enim, inquit, vobis hodie cælum & terram, quòd si non custodieritis præcepta Domini Dei vestri, peribitis à facie terræ. Hic magnificentia sublimium mãdatorum, ipsa non tam imperantis, quàm adhortantis condicione signatur, Si vis perfectus esse, fac hoc aut illud. Ibi inexcusabile etiam recusantibus Moyses pondus apponit. Hic cõsilium tantùm volentibus & ad perfectionem festinantibus, Paulus occurrit. Non enim generaliter præcipiendum erat, nec, vt ita dixerim, canonicè ab omnibus exigendum, id quod propter mirificam sublimitatem non potest passim ab omnibus apprehendi, sed consilio potius prouocãtur omnes & gratia, vt hi qui magni sunt, possint virtute perfectionis non immeritò coronari: qui autem parui sunt, & mensuram ætatis plenitudinis Christi implere non possunt, licet fulgore maiorum velut siderũ tecti latere videantur, tamen à tenebris male-

Lex vetus & noua quid differant.
Leuit. 18.
Matth. 5.
Matth. 19.
* infelicitatẽ
Deuter. 27.
Matth. 19.
Deuter. 4.
Matth. 19.

maledictionum quæ in lege sunt, alieni, nec præsentium malorum cladibus abdicantur, nec supplicio plectuntur æterno. Non ergo Christus ad illa virtutum excelsa fastigia quenquã præcepti necessitate cõstringit, sed liberi arbitrij prouocat potestate, & salubritate consilij, & desiderio perfectionis accendit. Vbi enim præceptum, ibi necessitas; & vbi necessitas, ibi & difficultas; vbi difficultas, ibi & negligentia; vbi negligentia, ibi & peccatum; vbi peccatum, consequenter & pœna. Custodiẽtes verò hæc ad quæ præfixæ legis seueritate coguntur, pœnam potius quæ ab illa intentabatur effugiunt, quàm mercedem aut præmia consequantur.

Vide annotationem vigesimamquartam post finem operis.

Quòd euangelij gratia sicut perfectis tribuit regna cælorum, ita veniabiliter sustentet infirmos. CAP. VI.

ITaque sicut fortes ad sublimia atque præcelsa euangelicus sermo sustollit, ita nõ patitur infirmos ad ima demergi: perfectis quidem tribuẽs beatitudinis plenitudinem, veniam verò impartiens fragilitati. Lex enim consummantes præcepta sua, in vtriusq; meriti velut quodã meditullio collocauit, quãtum à transgressorum damnatione secernens, tãtum separans à gloria perfectorum. Quod quidem quàm infimum quamq; miserabile sit, vel ex præsentis vitæ statu & cõparatione perspicite, in qua miserrimum ducitur, si hoc tãtum quis studeat ac laboret, ne reus modò inter honorificos homines, & non etiam locuples ac honorabilis & gloriosus habeatur.

Quòd in nostra situm sit potestate, vtrum sub euangelij gratia, an sub legis velimus terrore consistere. CAP. VII.

QVamobrem in nostra hodie situm est potestate, vtrum sub euangelij gratia, an sub legis velimus terrore consistere. Cuilibet enim parti pro qualitate actus sui vnũquemq; necesse est aggregari. Nam aut supergredientes legem, suscipit Christi gratia, aut certè inferiores velut debitores suos sibique obnoxios lex retentat. Reus namque legalium præceptorum nequaquam euãgelicam perfectionem valebit attingere, quãuis Christianum se, & Domini gratia liberatum inaniter glorietur. Non solùm enim hic credendus est adhuc esse sub lege, qui ea quæ lex præcipit, detrectat implere, sed etiam ille qui ea tantùm quæ lex iubet obseruare contentus est, ac nequaquam vocationi & gratiæ Christi condignos exhibet fructus, vbi nõ dicitur, Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo, sed, Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me: vbi ob perfectionis magnificentiam discipulo postulanti, ne breuissimum quidem horæ spatium prò patris conceditur sepultura,

Deuter. 12.
Matth. 19.
Luca 9.

tura, * nec humanæ caritatis officium diuini amoris virtuti præfertur.

*& humanæ caritatis officium diuini amoris virtute præfertur.

Quemadmodum Theonas coniugem suam vt & ipsa renunciaret exhortatus sit. CAPVT VIII.

QVibus auditis, beatus Theonas inextinguibili* desiderio euangelicæ perfectionis accensus, semen verbi fecundo corde conceptum, quasi profundis atq; edomitis condidit sulcis, in eo vel maximè humiliatus atque compunctus, quòd cum senex non solùm euangelicam perfectionem non attigisse dixisset, sed etiam vix legis ipsius adimplesse mandata. Siquidem cùm decimas frugum suarum solitus esset diaconię annis singulis dependere, primitiarum rationem ne audisse quidem se arbitraretur; quam tamen etiamsi similiter implesset, longè nihilominus secundum Senis sententiam se ab euãgelica perfectione distare suppliciter fatebatur. Domum itaq; reuertitur mæstus, illaque affectus tristitia quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operaretur, ac de sua iam volũtate & definitione non dubius, erga salutem coniugis, omnem mentis sollicitudinem curamque conuertit, eamque ad desiderium quo fuerat ipse succensus, cœpit exhortatione simili prouocare, & vt Deo pariter in sanctimonia & castitate seruirent, diurnis nocturnisq; fletibus admonere, dicens conuersionem melioris vitæ nequaquã esse protelãdam, quia necessitati subitæ mortis vana spes immaturæ nõ pręiudicaret ætatis, quippe quæ infãtes, pueros, adolescẽtes, pari, vt senes, sorte pręriperet.

*documentũ

2. Cor. 7.

Mors omni ætati insidiatur.

Quemadmodum non acquiescente vxore sua ad monasterium peruolarit. CAPVT IX.

CVmque huiusmodi obsecrationibus iugiter persistenti coniunx durissima non præberet assensum, seque diceret solatio maritali pro ætatis suæ flore penitùs abstinere nõ posse, ac proinde siquid deserta ab eo criminis admisisset, illi potius adscribendum, qui coniugij fœdera dirupisset. Ad hæc ille cùm diu condicionem naturæ prætendisset humanæ, quam fragilem & incertam periculosum esset carnalibus desideriis & operibus diutius implicari: adiiciens astruebat, non licere cuiquam eius se boni extorrem facere quod didicisset, maiorisque esse noxæ despicere cognitam bonitatem, quàm incognitam non amare; proinde se iam reatu etiam præuaricationis inuolui, si inuentis tam præclaris tamque cælestibus donis terrena ac sordida prætulisset. Ad omnem sanè aiebat ętatem, omnemq; sexum perfectionis magnificentiam pertinere, & vniuersa ecclesiæ membra ad conscendẽdam sublimium meritorum celsitudinem prouocari, dicente Apostolo: Sic currite vt

De hoc acto Abbatis Theonæ cõsule Annotationem vigesimamquintam in fine operis.

1. Cor. 9.

rite vt comprehẽdatis: nec propter lentorum & segnium moras, paratos atque alacres debere subsistere, cùm rectius sit vt desides à præcurrentibus incitentur, quàm vt properantes à residentibus obligentur. Proinde statutum sibi dicebat decretumque esse renunciare seculo ac mori mundo, vt viuere possit Deo; & si hanc beatitudinem nequeat obtinere, vt cum socia sua in cõsortium transeat Christi, mallè se *vel cum vnius membri dispendio saluum fieri, & velut debilem introire in regnum cælorum, quàm cum soliditate corporis condemnari. Adiiciebat autem etiam ista dicens, Si Moyses pro duritia cordis dimitti permisit vxores; quare hoc non sinat Christus pro desiderio castitatis, præsertim cùm idem Dominus inter cæteras affectiones (id est, patrum, matrum ac filiorum, quibus omnem reuerentiam, non solùm lex, sed etiam ipse præceperat exhibere, tamen pro nomine suo ac desiderio perfectionis non solùm contemnenda simpliciter, sed etiam odio habenda esse decernens) coniũgat eis similiter etiam vxorum nomen dicens, & omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut vxorẽ aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. In tantũ ergo perfectioni quam prædicat nihil patitur comparari, vt illam quoq; necessitudinẽ soluat patris ac matris, quæ secundũ Apostolũ primũ obtinet in repromissione mandatũ, honora scilicet patrem & matrẽ, quod est mandatũ primũ in repromissione, vt bene sit tibi & sis lõgæuus super terrã, eamq; despici pro suo amore præcipiat. Euidenter itaq; sicut eos euãgelicus sermo condẽnat, qui nõ interueniẽte adulterij crimine, vxoria vincula dirumpũt, ita ob amorem Christi & desiderium castitatis, his qui iugum carnale reiecerint, etiam centupla præmia repromittit. Quapropter si fieri potest, vt ad hanc optatissimam mihi partem accepta tandem ratione flectaris, scilicet vt Domino seruiẽtes, pœnam gehennæ pariter euitemus, caritatem coniugij non refuto, imo etiã maiore adhuc dilectione complector, agnosco enim & veneror adiutricem meam, Domini mihi sententia deputatam, & indirupto eidem fœdere caritatis in Christo cohærere non respuo, nec à me separo, quod Dominus mihi * primæ statim condicionis lege coniunxit, dummodo sis & ipsa quod conditor esse te voluit. Si verò non ad adiutorium esse volueris, sed in deceptionem, & adminiculum te non mihi, sed aduersario malueris exhibere, atq; ob hoc attributum putas coniugij sacramẽtum, vt te huic quæ ingeritur fraudans saluti, *insuper etiam me à discipulatu retrahas Saluatoris, ita illam Abbatis Ioan-

*vult Matth. 18. Deuter. 24. & Matt. 19. Exo. 20. & Matth. 19. Luce 14. Matth. 19. Ephes. 6. Matth. 19. * prima *arbiter

Ioannis,imo Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam; vt me à spiritali bono nulla carnalis auellere possit affectio. Qui enim,inquit,non odit patrem & matrem, & filios,& fratres,& sorores, & vxorem, & agros,adhuc autem & animam suam,non potest meus esse discipulus. *Luca 14.* Cùm ergo his atque huiusmodi verbis muliebris non flecteretur intentio, & in eadem obstinationis duritia permaneret, si ego, inquit, beatus Theonas te abstrahere à morte non possum, nec tu me separabis à Christo: Tutius est autē mihi cum homine, quàm cum Deo habere diuortium. Aspirante itaque gratia Dei, definitionis suæ executionem instanter aggressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderij sui passus est ardorem: nam confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium peruolauit. Vbi in breui tanto splendore sanctitatis & humilitatis enituit, vt beatæ memoriæ Ioanne ad Dominū ex hac luce migrante, sancto quoque Helia, viro qui haud minor decessore suo fuit similiter decedente, tertius Theonas vniuersorum prælectus iudicio, in diaconiæ eis dispensatione successerit. *Theonas ad diaconiæ præfecturam communi suffragio deputatur.*

Exponit Cassianus quorsum exemplum istud in medium produxerit.

CAPVT X.

NEmo autem existimet nos hæc ad prouocāda coniugiorum diuortia texuisse, qui non solùm nuptias minimè condemnamus, verum etiam Apostolicam sequentes sententiam, dicimus honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus; *Hebr. 13.* sed vt lectori initium conuersionis, quo tantus ille vir Deo dicatus est, fideliter panderemus. A quo bona gratia hoc primum deposco, vt siue hoc ei placeat siue displiceat, me quoquomodo à calumnia alienum esse concedens, in suo hoc facto, aut laudet, aut reprehendat auctorem. Ego autem qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione complexus sum, æquum est, vt sicut mihi de eorum qui hoc factum probant laude nihil vendico, ita eorum qui id improbant non pulser inuidia. Habeat ergo suum de illo, vt diximus, vnusquisq; iudicium, sed moneo vt ita censuram sui castiget examinis, ne se æquiorem aut sanctiorē diuino credat esse iudicio, quo in eum etiā Apostolicarum collata sunt signa virtutum, vt taceam de tantorum patrum sententia, à quibus factum eius non solùm minimè reprehensum, verum etiam vsque adeò collaudatum esse manifestū est, vt eum summis ac sublimissimis viris diaconiæ electione prætulerint. Et puto tot spiritaliū virorū Deo

auctore

*probatum auctore*prolatum non erraſſe iudicium, quod etiam tanta ſignorum, vt ſuprà iam dictum eſt, admiratio confirmabat.

Quæſtio cur in Aegypto totis diebus quinquageſimæ non ieiunetur, nec genua in oratione curuentur. CAP. XI.

SEd iam tempus eſt vt promiſſæ diſputationis ordinē proſequamur. Igitur Abbas Theonas cùm diebus quinquageſimæ nos in noſtra cellula viſitaſſet, veſpertina orationum ſollemnitate tranſacta, humi paululum conſidentes, cœpimus diligentius percunctari, cur apud eos tanta obſeruantia caueretur, ne quis penitùs totis quinquageſimæ diebus vel genua in oratione curuaret, vel vſq; ad horam nonam ieiunare præſumeret: eoque id diligentius ſcrutabamur, quòd nequaquam hoc tanta cautione ſeruari in Syriæ monaſteriis videramus.

Reſponſio de natura eorum quæ bona, vel mala, vel media ſunt.

CAPVT XII.

Ab inſtitutis maiorum, & receptis conſuetudinibus non eſſe recedendū.

AD hæc Abbas Theonas tali vſus eſt ſermonis exordio: Oportet quidem nos auctoritati patrum, cōſuetudiniq; maiorum vſque ad noſtrum tempus per tantam annorum ſeriem protelatæ, etiam non percepta ratione cedere, eamq; vt antiquitùs tradita eſt iugi obſeruantia ac reuerētia cuſtodire. Verumtamen quoniam cauſas huius rei & rationem vultis agnoſcere, accipite breuiter ea quæ à ſenioribus noſtris tradita ſuper hac inſtitutione comperimus. Verumtamen antequā ſcripturæ diuinæ auctoritas proferatur, ſi placet, de natura ipſius ieiunij & qualitate pauca dicamus, vt diſputationem noſtram ſubſequens ſcripturarum confirmet auctoritas. Diuina ſapientia per Eccleſiaſten omni rei, id eſt, vniuerſis ſeu proſperis, ſeu quæ aduerſa putantur & triſtia, tempus eſſe proprium deſignauit, dicens, Omnibus tempus eſt, & tempus omni rei ſub cælo. Tempus pariendi & tempus moriēdi, tempus plantandi & tempus euellendi quod plantatum eſt, tempus occidendi & tempus ſanandi, tempus deſtruendi & tempus ædificandi, tempus plorandi & tempus ridendi, tempus plangēdi & tempus ſaltandi, tempus mittendi lapides & tempus colligendi lapides, tempus amplectendi & tempus longè fieri ab amplexibus, tempus acquirendi & tempus perdendi, tempus cuſtodiendi & tempus expellendi, tempus dirumpēdi & tempus ſarciendi, tempus tacendi & tempus loquendi, tempus amandi & tempus odiendi, tempus belli & tempus pacis. Et infrà, quia tempus eſt, inquit, omni rei & omni facto. Nihil igitur ex his eſſe bonum perpetuum definiuit, niſi cùm fuerit horum quid opportunè & competenter expletum, ita vt hæc eadem quæ nunc opportunè geſta bene cedunt, ſi importuno vel in-

Eccl. 3.

vel incongruo tempore præſumantur, inutilia inueniantur & noxia, abſque his dumtaxat quæ per ſe principaliter vel bona, vel mala ſunt, nec aliquando poſſunt in contrarium deriuari; vt eſt iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia, cæteræq́; virtutes: ſiue ediuerſo vitia, quorũ definitiones in aliam partem cadere omnino mutarive nõ poſſunt. Si qua verò in vtrumq; affectum poſſunt aliquãdo tranſire, vt pro qualitate vtentium vel bona inueniantur vel mala, hæc nõ abſolutè pro ſua natura, ſed pro perpetrantis affectu & opportunitate temporis, vel vtilia interdum, vel noxia ſentiuntur.

Quale bonum ſit ieiunium. CAP. XIII.

QVamobrem nunc quærendum eſt, quid ſuper ieiuniorũ ſtatu decernere debeamus, vtrúmnã ſimiliter & ipſum bonum eſſe eo modo quo iuſtitiam, prudentiam, fortitudinem, aut temperantiam diximus, quæ in partem contrariam penitùs tranſire nõ poſſunt: an medium quid, quod interdum factum poſſit prodeſſe, interdum prætermiſſum condemnare non poſſit, quodq́; nonnumquam egiſſe reprehenſibile ſit, nonnumquam prætermiſiſſe laudabile. Si enim in illa definitione virtutum, etiam ieiunium cenſeamus, vt inter principalia bona ciborum abſtinentia collocetur, erit profectò eorum mala & criminoſa perceptio. Quicquid enim principali bono contrarium eſt, ſine dubio principale malum eſſe cenſendum eſt. Quod definiri à nobis ſcripturarum ſanctarum non permittit auctoritas. Si enim tali ſenſu ac propoſito ieiunemus vt peccatum contrahi in eſcarum participatione credamus, non modò nullos fructus pro abſtinentia conſequemur, ſed etiam reatum maximum ac ſacrilegij crimen ſecundum Apoſtolum contrahemus, abſtinentes à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciẽdum quod cum gratiarum actione percipitur. Qui enim putat quid commune eſſe, illi commune eſt; & idcirco ob ſolam perceptionem eſcæ neminem legimus condemnatum, niſi fortè iunctum quid fuerit, vel poſtea ſubſecutum per quod meruerit condemnari.

1. Tim. 4. *Rom. 14.*

Quod non ſit principale bonum ieiunium. CAP. XIIII.

ITaque hoc medium eſſe etiam ex hoc manifeſtiſſimè declaratur, quia ſicut iuſtificat cuſtoditum, ita non condemnat irruptum, niſi fortè præcepti trãſgreſſio magis quàm eſcarum perceptio puniatur. Principali autem bono ita nullum oportet vacuum eſſe tempus, vt ſine eo cuiquam eſſe non liceat, quia neceſſe eſt ceſſatione eius in malum corruere negligentem.

Nec rursum principali malo vllum conceditur tempus, quia quod noxium semper est numquam poterit si admissum fuerit nō nocere, vel in partem vnquam laudabilem commutari. Ac proinde ea quibus qualitates statutas videmus & tempora, & quæ sic obseruata sanctificant, vt omissa non polluant, media esse manifestum est, vtputa nuptias, agriculturam, diuitias, solitudinis remotionem, vigilias, sacrorum lectionem, meditationemque librorum, ipsaq; ieiunia, de quibus principium sermonis exortum est. Quæ omnia diuina præceptio, vel sanctarum auctoritas scripturarum, non ita incessabiliter obtinenda, nec iugiter custodienda decreuit, vt ea paululum intermisisse nefarium sit. Quicquid enim imperatiuè decernitur, mortem irrogat non impletum; quæcumque verò suadentur potius quàm iubentur, facta prosunt, infecta non puniunt. Et idcirco aut omnia hæc, aut certè quædam, pro causa, pro loco, pro modo, pro tempore, circumspectè agere nos maiores nostri & prouidè obseruare iusserunt: quia si cōgruè horum aliquid actitetur, aptum atque conueniens; si incongruè, ineptum esse constat ac noxium: ac si velit quis in fratris aduentu, in quo Christum debet humanitate reficere, & gratissima susceptione complecti, austeritatem ieiunij custodire, nónne inhumanitatis potius crimen incurrit, quàm laudem aut meritum religionis acquirit? Vel si cùm defectio & imbecillitas carnis reparationem virium escę perceptione deposcit, non acquiescat aliquis rigorem abstinentiæ relaxare, nónne magis crudelis sui corporis homicida, quàm salutis prouisor est æstimandus? Ita etiam cùm tempus festiuitatis escarum congruum fotum & refectionem necessariæ absolutionis indulget, si quis ieiuniorum rigidam obseruantiam indiruptè voluerit retentare, necesse est vt non tam religiosus, quàm inconditus atq; irrationabilis habeatur. Sed & illis hæc nihilominus reperiūtur aduersa, qui humanam laudem ieiuniis aucupantur, & inani ostentatione palloris, famam sanctitatis acquirunt, quos euangelicus sermo in præsenti suam recepisse
Matth. 6. mercedem pronunciat: vel quorum per prophetam Dominus ieiunium detestatur, ex quorū persona cùm sibi obiiciens antè
Isaiæ 58. dixisset, Quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliauimus animas nostras, & nescisti? confestim subiiciens prodidit causas cur non mererentur audiri: Ecce, inquit, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsq; in hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi,

elegi,per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum,& saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocaui ieiunium,& diem acceptabilem Domino? Deinde infert, docens,quomodo acceptabilis fiat continentia ieiunantis, atq; euidenter enunciat per se solum ieiunium non posse prodesse , nisi has quæ subiiciuntur causas habuerit consequentes. Nónne hoc est, inquiens,ieiunium quod elegi? Dissolue*colligationes impietatis,solue fasciculos deprimentes. *obligationes Dimitte eos qui confracti sunt,liberos,& omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum,& egenos vagosque induc in domum tuam.Cùm videris nudum, operi eum,& carnem tuã ne despexeris.Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis,& Dominus exaudiet; clamabis, & dicet ecce adsum. Videtis ergo ieiunium nequaquam principale bonum à Domino iudicari,eo quòd nõ per seipsum,sed per alia opera bonum ac placitum Deo fiat , & rursum ex accidentibus causis , non solùm vanum,verumetiam odibile censeatur, dicente Domino, Cùm ieiunauerint non exaudiam preces eorum. *Ierem.14.*

Quòd ea quæ sua natura bona sunt , non debeant propter ea quæ media sunt exerceri, sed potius è conuerso ea quæ media sunt ad ea quæ principaliter bona sunt acquirenda suscipi debeant. CAP. XV.

NOn enim misericordia, patientia,& caritas,vel illa prædictarum præcepta virtutum , in quibus vtique bonum est principale,propter ieiunia sunt tenenda, sed potius ieiunia propter illa. Elaborandum est enim vt virtutes illæ quæ verè bonæ sunt,ieiuniis acquirantur,non vt ad ieiuniorum terminum tendant illarum gesta virtutum. Ob hoc ergo est vtilis carnis afflictio, ob hoc ei adhibenda est inediæ medicina, vt per illam ad caritatem in qua immobile ac sine vlla temporis exceptione perpetuum bonum est, peruenire possimus. Neq; enim medicinæ,aurificinæ,vel cæterarum quæ in hoc mundo sunt artium disciplina, propter instrumenta quæ ad opus eius pertinent exercetur, & non potius ferramenta propter artis studium præparantur: quæ sicut vtilia sunt peritis, ita superflua his qui artis ipsius nesciunt disciplinam. Et sicut his qui ad efficiendum opus suum eorum ministerio fulciuntur, plurimũ prosunt; ita illis qui cuius rei gratia instituta sint ignorantes, sola eorum possessione contenti sunt, penitus prodesse non possunt, quia vtilitatis * eorum summam in retentione eorũ tantùm,non in operis cõsummatione constituunt. *suâ Illud ergo est optimum principaliter propter quod fiunt illa quæ

media sunt, ipsum verò præcipuum bonum, non ob aliam causam, sed propter suam tantùm agitur bonitatem.

Quomodo à cæteris bonis principale discernatur bonum.

CAPVT XVI.

QVod quidem à cæteris quæ media esse prædiximus, his secernitur modis, si per se bonum sit, & non per aliud aliquid, si propter se necessarium sit, & nō propter aliud, si immutabiliter semperque sit bonum, ac perpetuò suam retinens qualitatem numquam in partem possit transire contrariam, si ademptio vel cessatio eius non possit summam non inferre perniciem, si id quod illi contrarium est, similiter principale sit malum, nec in partem bonam possit aliquando transire. Quæ definitiones quibus principalium bonorum natura discernitur adscribi ieiuniis omnino non possunt. Neq; enim ex semetipsis bona, aut propter se necessaria sunt, quæ propter acquirendam cordis & corporis puritatem salubriter exercentur, vt aculeis carnis obtusis, mens pacifica suo concilietur auctori, nec immutabiliter semperque sunt bona, quia plerumq; eorum intermissione non lædimur, imò etiam in perniciem interdum animæ importunius celebrata vertuntur. Sed nec principale malum est id quod illi videtur aduersum, id est, ciborum naturaliter iucunda perceptio, quæ nisi intemperantia atque luxuria, vel alia quædam vitia subsequantur, mala non Matth. 15. potest definiri; quia nō quod intrat in os, coinquinat hominē, sed quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem. Principali itaque derogat bono, nec perfectè aut sine peccato illud exequitur, quisquis hoc nō propter idipsum, sed propter aliud aliquid facit. Omnia enim huius gratia facienda sunt, ipsum verò propter se solum est expetendum.

De ratione & vtilitate ieiunij. CAP. XVII.

TAlem igitur definitionem super ieiunij qualitate iugiter retinentes, ita illud totis viribus animi appetamus, vt tamen tunc demum id nobis congruū nouerimus, si in eo temporum ratio, si qualitas, si mensura seruetur; nec ita vt in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis & Apostolicam caritatem peruenire possimus. Igitur ex hoc ipso ieiunium cui non solùm specialia præfixa sunt tempora, quibus vel exerceri debeat vel pretermitti, sed etiam qualitas modusque propositus est, non principale bonum, sed medium quiddam esse manifestum est. Cæterùm hæc quæ præcepti auctoritate, vel mandantur vt bona, vel interdicuntur vt noxia, numquam ita exceptioni temporum subiacent, vt interdum, aut quæ vetita sunt fieri debeant, aut quæ imperata

perata sunt prætermitti. Nec enim vllus iustitiæ, patientię, sobrietati, pudicitiæ, caritati, statutus est modus, nec rursum iniustitiæ, impatientiæ, furori, impudicitiæ, inuidiæ atque superbiæ libertas aliquando permissa est.

Non semper congruum esse ieiunium. CAP. XVIII.

QVamobrem his de ieiunij qualitate præmissis, subdenda adhuc sanctarum scripturarum videtur auctoritas, per quam approbetur manifestiùs ieiunium perpetuò custodiri nec debere nec posse. In euangelio ieiunãtibus Pharisæis vnà cum discipulis Ioannis Baptistæ, cùm Apostoli, vtpotè amici & conuiuę cęlestis illius sponsi, nec dum ieiuniorum obseruãtiam custodirent, discipuli autem Ioannis qui summam iustitiæ se de ieiuniis possidere credebant, quippe illius sectatores qui eximius pœnitentię prædicator ita cunctis populis formã suo præbebat exemplo, vt non solùm varia escarum generã, quæ humanis vsibus suggerũtur abnueret, verumetiam communem panis ipsius esum penitùs ignoraret, Domino conqueruntur, dicentes, Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Quibus respondens Dominus euidenter ostendit, non omni tempore congruum esse ieiunium & necessarium, cùm aliqua vel festiuitatis tempore vel interueniens caritatis occasio, indulgentiam refectionis admiserit: Numquid possunt, inquiens, filij sponsi lugere quãdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quæ verba licet ante resurrectionem dixerit corporis sui, tamen propriè quinquagesimę tempus ostendunt, in quo post resurrectionem per quadraginta dies Domino cum discipulis epulante, ieiunare illos quotidianæ eius præsentiæ gaudium non sinebat.

Marci 2.

Ibidem.

Interrogatio cur totis quinquaginta diebus ieiunium relaxetur.

CAPVT XIX.

GErmanus: Quare igitur tota quinquagesima abstinentiæ rigorem prandiis relaxamus, cùm vtique Christus quadraginta tantùm diebus post resurrectionem cum discipulis suis fuerit commoratus?

Responsio. CAP. XX.

THeonas: Non incongruè interrogatio vestra rationem integerrimæ veritatis meretur agnoscere. Post ascensionem Saluatoris nostri, quæ quadragesimo resurrectionis eius acta est die, Apostoli reuersi de monte Oliueti, in quo se ad patrem pergens præbuit intuendũ, sicut etiam Actuum Apostolorũ lectio contestatur, ingressi Hierosolymam, decem diebus aduentum Spiritus sancti expectasse referuntur, quibus

Actor. 1.

expletis quinquagesima eum die cum gaudio susceperunt, & ita est per hæc festiuitatis huius numerus euidēter impletus. Quem in veteri quoq; testamento legimus figuraliter adumbratum, in quo consummatis hebdomadibus septem, primitiarum panis per sacerdotes Domino iubebatur offerri, qui veracissimè per Apostolorum prædicationem, qua in illo die concionati leguntur ad populum, oblatus Domino comprobatur, verus scilicet primitiarum panis, qui nouę doctrinæ institutione prolatus, quinque millibus virorum escæ suæ munere satiatis, primitiuum de Iudæis Christianorum populum Domino consecrauit. Et idcirco hi quoq; decem dies cum superioribus quadraginta pari sollemnitate sunt ac lætitia celebrādi. Cuius festiuitatis traditio, per Apostolicos viros ad nos vsque transmissa eodem tenore seruanda est. Ideo namque in istis diebus nec genua in oratione curuātur, quia inflexio genuum velut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Vnde etiam per omnia eandem in illis sollemnitatem quam die Dominica custodimus, in qua maiores nostri, nec ieiunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reuerentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.

Deuter. 16.

Dominici diei festiuitas à ieiunio & genuū inflexione libera esse debet.

Interrogatio vtrum abstinentia ieiunij relaxata non obsit corporis castitati.

CAPVT XXI.

GErmanus: Potest-ne hæc caro insolitis blandimentis tam longè festiuitatis illecta non aliquid sentuosum de illo quamuis absciso vitiorum fomite germinare, aut mens præsumptis vltra consuetudinem dapibus onerata, non erga famulum corpus rigorem dominationis suæ inflectere, præsertim cùm in nobis viridior ætas, citò ad rebellionem subdita possit membra compellere, si vel escas solitas abundantius, vel certè insolitas licentiùs præsumamus?

Responsio de seruando continentiæ temperamento.

CAPVT XXII.

THeonas: Si vniuersa quæ gerimus rationabili mentis appendamus examine, & de puritate cordis nostri nō aliorum iudicium, sed nostram semper consciētiam consulamus, certum est istam refectionis intercapedinem iustæ districtioni obesse non posse, si modò, vt dictum est, æquam indulgentiæ continentiæq; mensuram pari lance perpendens, vtramq; similiter nimietatem mens incorrupta castiget, & vtrum spiritum nostrum deliciarum deprimat pondus, an verò alteram hoc est corporis partem, maior abstinentiæ inclinet austeritas, vera discretione distinguat, illam vel comprimens, vel subleuans portionem, quam vel extolli senserit, vel grauari. Nihil

enim Dominus noster ad cultum atq; honorem suum absque iudicij moderatione vult fieri, quia honor regis iudicium diligit. Et idcirco sapientissimus Salomon, vt in neutram partem vergente iudicio declinemus, admonet dicẽs, Honora Deum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ. Etenim residet in conscientia nostra incorruptus quidam ac verus iudex, qui nonnumquam super statu puritatis nostræ cunctis errantibus, solus ipse non fallitur. Omni enim cautione atq; sollertia iugi, si circũspecti cordis seruetur intentio, quomodo iudicio nostræ discretionis errante, aut incõsideratę continentiæ cupiditate succẽsi, aut desiderio nimiæ remissionis illecti, substãtiam virium nostrarum iniquæ trutinæ examinatione libremus, sed in altera quidem lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero conscientię iudicio vtraque pendamus, vt in neutram partem vnius rei affectu præpõderante peruersi, vel ad immodicam districtionẽ, vel ad nimiam remissionẽ, æqualitatis librã propensius inclinemus, & illud nobis vel pro remissionis vel pro districtionis nimietate dicatur, Nónne si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti? Illas etenim ieiuniorum victimas, quas nobis violenta viscerum conuulsione inconsideratè extorquentes, Domino rectè offerre nos credimus, ille qui diligit misericordiam & iudicium, execratur dicens, Ego Dominus diligẽs iudicium, & odio habens rapinã in holocaustum. Illos etiam qui oblationum, id est, officiorũ atq; actuum suorum præcipua ad fotum carnis atq; vsus proprios pręsumentes, reliquias eorum Domino ac minimam deferunt portionem, velut operarios fraudulentos sermo diuinus ita condemnat, Maledictus qui facit opus Domini fraudulẽter. Non ergo immeritò eum qui se ita iniquo fallit examine increpat Dominus dicens, Verùtamen vani filij hominum, mendaces filij hominũ in stateris, vt decipiãt. Et idcirco beatus Apostolus vt discretionis moderamina retinentes, in neutram partem illecti nimietate vergamus, admonet dicẽs, Rationabile obsequium vestrum. Quam rem etiam legislator similiter interdicit, ita præcipiens: Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius: Salomone quoque parem super hoc sententiã proferente: Pondus magnum & pusillum, & mensurę duplices, immunda sunt apud Dominum vtraque, & qui facit ea in adinuẽtionibus suis compedietur. Proinde non solùm illo quo diximus, sed etiam hoc modo studendum est nobis, vt nec iniqua pondera in cordibus nostris, nec in horreis cõscientiæ nostræ mẽsuras duplices habeamus; id est, ne ea ipsi quæ districtionis

Psal. 98. *Prouerb. 3.* *Isaia 61.* *Ierem. 48.* *Psal. 61.* *Rom. 12.* *Leuit. 19.* *Prouerb. 20.*

regulam molliunt, remissiore indulgentia præsumentes, eos quibus verbū Domini prædicamus, districtioribus præceptis & grauioribus quàm ipsi perferre possimus ponderibus obruamus. Quod cùm facimus, quid nisi duplici pondere atque mensura præceptorum Domini mercem frugemque vel appendimus vel metimur? Si enim aliter ea nobis, aliter nostris fratribus dispensemus, rectè increpamur à Domino, eo quòd stateras dolosas ac mensuras duplices habeamus, secundum
Ibidem. illam sentētiam Salomonis qua dicitur, Abominatio est Domino pondus duplex, & statera dolosa nō est bona in conspectu eius. Hoc etiam modo reatum dolosi ponderis duplicisq; mensuræ euidenter incurrimus, si districtiora quædam quæ priuatim per nostras cellulas exercere consueuimus, humanæ laudis cupiditate coram fratribus ostentemus, abstinentiores scilicet & sanctiores apparere affectantes humano conspectui quàm diuino. Qui morbus præcipuè non modò vitandus, verumetiam abominandus est nobis. Sed interim à quæstione proposita paulò longius euagati, ad eandem à qua discessimus reuertamur.

De refectionis tempore atque mensura. CAP. XXIII.

IGitur prædictorum dierum ita est custodiēda sollemnitas, vt corporis atque animæ cultui prosit magis remissio indulta, quàm noceat; quia nec illius festiuitatis gaudium aculeos carnis obtūdere, nec immitis ille aduersarius dierum nouit reuerentia mitigari. Vt ergo & diebus festiuis statutæ cōsuetudo sollemnitatis conseruetur, & saluberrimus parcimoniæ modus minimè transcendatur, sufficit vt indulgentiam remissionis eò vsque progredi patiamur, vt cibus qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est, sexta hora pro festiuitatis tempore capiatur, ea ratione dumtaxat, vt escarum solitus modus vel qualitas non mutetur, ne puritas corporis, vel integritas mentis, abstinentia quadragesimæ diligentius acquisita, quinquagesimę remissione depereat; nihilque nobis prosit obtinuisse ieiuniis, quod mox amitti cogat incitata saturitas: præsertim cùm etiam hostis nostri non ignota versutia, tunc præcipuè munitionem nostræ puritatis impugnet, cùm eius custodiam senserit sollemnitatis celebritate laxatā. Quamobrem vigilantissimè prouidendum est, ne vmquam mētis nostræ vigor, blandis seductionibus eneruetur, ne, veluti suprà iam dictum est, castimoniæ puritatem quadragesimę labore quæsitam, quinquagesimæ requie ac securitate perdamus. Et idcirco nulla penitus in ciborum qualitate vel modo admittatur adiectio, sed ab escis quarum continentia diebus ieiunij

ieiunij pro integritate pudicitiæ vtebamur, etiam diebus celeberrimis similiter temperemus, ne lætitia festiuitatis perniciosissimam nobis carnalium incentiuorum suscitãs pugnam, vertatur in luctum, illamque nobis excellentiorem quæ gaudio incorruptionis exultat festiuitatem mentis eripiat, & incipiamus post breuem carnalis lætitiæ vanitatem, amissam cordis pudicitiam longo pœnitentiæ mærore deflere. Studẽdum quinimo est, vt non frustra ad nos illa propheticæ adhortationis commonitio dirigatur, Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua. Si enim continentiæ iugitatem interiecta dierum sollemnitas non mutarit, spiritalibus feriis iugiter perfruemur, & ita nobis à seruili operatione cessantibus, erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. *Nahum 1.* *Isaia 66.*

Interrogatio de diuersa obseruatione quadragesimæ. CAP. XXIIII.

GErmanus: Quid causæ est vt sex hebdomadibus quadragesima celebretur, licet in quibusdam prouinciis religionis forsitan propensior cura, adiecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cùm neuter numerus die Dominico sabbatoq; subtracto, quadraginta dierũ impleat summã? Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadib. tantũmodo cõcluduntur.

Responsio ad propositam interrogationem, qua etiam docet quadragesimæ ieiunium vicem decimarum totius anni complecti. CAP. XXV.

THeonas: Licet quorundam pia simplicitas huius rei amputet quæstionem, tamen quia etiam illa quæ alius interrogatione indigna duxisset scrupulosius perscrutantes integrã obseruãtiæ nostræ ac mysterij veritatem desideratis agnoscere, euidentissimam huius etiam rei percipite rationem, vt manifestius approbetis nihil irrationabile nostros tradidisse maiores. Lege Mosaica vniuerso populo generalis est promulgata præceptio: Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo. Itaque qui substantiarum nostrarum omniumq; fructuũ decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est vt ipsius quoque conuersationis nostræ, & humani vsus operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profectò in supputatione quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierum numerus quibus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem verò hebdomadibus si dies Dominici & sabbata subtrahantur, quinq; & triginta supersunt dies ieiuniis deputati, sed adiecta illa vigiliarum die qua vsque in gallorum cantum illucescente Dominica ieiunium sabbati protelatur, non solùm sex & triginta dierum numerus adimpletur, verũetiam pro decimis quinq; dierum qui residui videbãtur, si illud quod superest adiectum *Exod. 22.*

noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omnino nihil deerit.

Quomodo etiam primitias nostras Domino debeamus offerre. CAP. XXVI.

QVid verò de primitiis dicã, quas ab omnibus qui Christo fideliter famulantur quotidiè certum est exhiberi? Nam cùm expergefacti à somno, & quasi rediuiua post soporem alacritate surgentes, priusquam motum sensus vllius corde concipiant, vel memoriam aut curam rei familiaris admittant, cogitationum suarum ortus atque principia, diuinis consecrãt holocaustis, quid nisi primitias verè suorum fructuum, per summum sacerdotem Iesum Christum, pro vsu vitæ huius & imagine quotidianæ resurrectionis exoluunt? Quique etiam à somno excitati, hostiam iubilationis suæ Deo similiter offerentes, primo linguæ suæ motu ipsum inuocant, ipsius nomen laudesq; concelebrant, atq; ad canẽdos ei hymnos, primò labiorum claustra reserantes, immolant Deo sui oris officia. Cui etiam pari deferunt modo prima manuum suarum gressuumq; libamina, cùm è cubilibus consurgentes in oratione consistunt, & priusquam in propriis causis membrorum suorum fungantur officio, nihil sibi de ministerio eorum antè decerpunt, sed ad ipsius honorem promouent gressum, atque in eius laudatione defigunt, & ita cunctorum motuum suorum primitias protensione manuum, incuruatione genuum, & totius corporis prostratione persoluunt. Illud enim quod decantatur in psalmo aliàs implere non possumus, Præueni in maturitate & clamaui: &, Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua: &, Manè oratio mea præueniet te: nisi vt post quietem somni in hãc lucem, vt suprà diximus, velut è tenebris & imaginaria morte reuocati, de vniuersis officiis mentis & corporis nihil omnino in nostris præsumere necessitatibus audeamus. Nullus namque est alius quem aut propheta præuenerit matutinus, aut nos præuenire similiter debeamus, nisi aut nosmetipsos, id est, occupationes nostras & affectus, curasq; mortales, sine quibus esse non possumus, aut suggestiones subtilissimas inimici, quas nobis adhuc quiescẽtibus ac sopore demersis, per phãtasias inanium somniorum inferre conatur, quibus nos mox euigilaturos occupet & inuoluat, vt primitiarum nostrarum opima deflorans primus ipse decerpat. Quamobrem omni nobis cautione curandum est, si tamẽ vim prædicti versiculi opere volumus adimplere, vt ita primos matutinarũ cogitationũ ortus sollers vigilantia tueatur, ne quid ex eis festina præsumptio liuentis attaminet inimici, nostrasq; primitias tamquam viles iam atq; commu-

nes à

Matutina sui-ipsius commendatio qualis esse debeat.

Psal. 118.
Ibidem.
Psal. 87.

nes à Domino faciat reprobari. Qui si præuentus à nobis peruigili mentis circumspectione non fuerit, anticipationis nequissimæ consuetudinem non deponens quotidiè nos fraudibus suis præuenire non desinet. Et idcirco si placitas & acceptabiles Deo primitias ex fructibus nostræ mẽtis optamus offerre, non mediocrem sollicitudinem debemus impendere, vt omnes nostri corporis sensus, matutinis præcipuè horis tamquam sacrosancta Domini holocausta in omnibus illibata atq; intacta seruemus. Quod deuotionis genus multi etiam secularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem vel diluculo consurgentes, nequaquam familiaribus ac necessariis mundi huius actibus implicantur, priusquam cunctorum actuum suorum operationumque primitias, ad ecclesiam concurrentes diuino studeant sacrare conspectui.

Cur diuerso dierũ numero quadragesima à plerisq; obseruetur.

CAPVT XXVII.

PORro quod dicitis, diuerso more, id est sex vel septem hebdomadibus per nonnullas prouincias quadragesimam celebrari, vna ratio idemq; ieiuniorũ modus diuersa hebdomadarum obseruatione concluditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum obseruantiã præfixerunt, qui putant die quoq; sabbati ieiunandum. Sex ergo in hebdomada ieiunia persoluunt, qui eosdem sex & triginta dies sexies reuoluta consummant.

Quare vocetur quadragesima, cùm triginta & sex tantummodo diebus ieiunetur. CAPVT XXVIII.

VNa ergo quemadmodum esse diximus ratio, idemq; est ieiuniorum modus, licet in hebdomadarũ numero discrepare videatur. Sed profectò cùm rationem huius rei humana oblitterasset incuria, tempus hoc quo anniuersariæ, vt dictum est, decimæ Deo triginta & sex semis ieiuniis offerũtur, quadragesimæ nomen accepit, quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri, quòd Moyses, vel Helias, vel ipse Dominus noster Iesus Christus quadraginta diebus ieiunasse traduntur. Ad cuius numeri sacramẽtum illi quoque quadraginta anni quibus Israël est in solitudine commoratus, & quadraginta similiter mansiones quibus eam mysticè pertransisse describitur, non incongruè coaptatur. Et fortasse ipsa decimatio rectè quasi ab vsu telonei quadragesimæ nomen accepit. Ita enim illa publica vulgò vocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regis commodis deputatur, quãtum & à nobis à rege omnium seculorum pro vsu vitæ nostræ legitimum quadragesimæ vectigal exigitur. Sanè licèt ad propositam non pertineat quęstionẽ, tamẽ quia se obtulit narrationis

occasio,

occasio, ne hoc quidem prætereundum puto, quòd frequentissimè seniores nostri idcirco illis diebus maximè impugnari omne monachorum genus antiqua inimicæ gentis consuetudine testabantur, & ad transmigrãdum de suis sedibus acrius perurgeri, eo quòd secundum illam similitudinem qua tunc Aegyptij filios Israël violentis afflictionibus opprimebant, nunc quoque verum Israël, id est, monachorum plebem intellectuales Aegyptij durissimis ac lutulentis operibus incuruare conentur, ne per amicam Deo quietem terram Aegyptiam deserentes, ad eremum virtutum salubriter transeamus: ita vt aduersum nos Pharao infremens dicat, Otiosi sunt, & idcirco vociferãtur dicẽtes, Eamus & sacrificemus Domino Deo nostro: Opprimãtur laboribus & solliciti sint in operibus suis, & non sint solliciti in verbis vanis. Nam vtique vanitas impiorũ sanctum Domini sacrificium, quod non nisi in eremo liberi cordis offertur, summam esse astruit vanitatem: abominatio est enim peccatori religio.

Quadragesimæ diebus maximè oppugnãtur spiritales athletæ.

Exod. 5.

Eccl. 13.

Quòd perfecti supergrediantur legem quadragesimæ. CAP. XXIX.

HAc igitur quadragesimæ lege qui iustus atque perfectus est, non tenetur; nec exigui huius canonis subiectione contentus est, quem profectò illis qui per totum anni spatium deliciis vel negotiis secularibus implicãtur ecclesiarum principes statuerunt; vt vel hac legali quodãmodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerẽtur, ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent. Cæterum iusti quibus lex non est posita, quique spiritalibus officiis non exiguam illam, id est, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt à decimarum legalium functione, idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coarctarit, audent stationem ieiunij absque vlla disceptatione laxare. Nõ enim ab eis decimarum exiguitas mutilatur, *qui omnia sua Domino secum pariter obtulerunt. Quod profectò absq; summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntariè offerens Deo, inexcusabiliter soluere decimas suas legis necessitate compellitur. Quapropter liquidò cõprobatur perfectum esse non posse famulum legis, qui vel illa quæ prohibentur cauet, vel illa quæ præcipiuntur exequitur, sed illos verè esse perfectos qui etiam his quæ à lege concessa sunt non vtuntur. Et hac ratione cùm de Mosaica lege dicatur, Nihil enim ad perfectum perduxit lex, nõnullos sanctorum in veteri testamento perfectos legimus extitisse, quia transcendentes legis imperium sub euangelica perfectione vixerunt, scientes quòd

Lege annotationem vigesimamsextam post finem operis.

1. Timoth. 1.

*quia

Hebr. 7.

quòd iustis non est lex posita, sed iniustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis. *1.Tim.1.* *Vide annotationem vigesimãseptimam post finem operis.*

De causa & initio quadragesimæ. CAP. XXX.

SCiendum sanè hanc obseruantiam quadragesimæ, quamdiu ecclesiæ illius primitiuę perfectio inuiolata permansit, penitùs non fuisse. Non enim præcepti huius necessitate nec quasi legali sanctione constricti, arctissimis ieiuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali ieiunio concludebant. Verùm cùm ab illa Apostolica deuotione descendens quotidiè credentium multitudo suis opibus incubaret, nec eas vsui cunctorum secundum Apostolorum instituta diuideret, sed priuatim impendiis suis consulens non seruare tantùm, sed etiam augere cõtenderet, Ananiæ & Sapphiræ exemplum non contenta sectari, id tunc vniuersis sacerdotibus placuit, vt homines curis secularibus illigatos, & pęne (vt ita dixerim) continentię vel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica ieiuniorum indictione reuocarẽt, & velut legalium decimarum necessitate compellerent, quæ vtique infirmis prodesse possit, & perfectis præiudicare non possit, qui sub gratia euangelij constituti, voluntaria legem deuotione transcendunt, vt ad illam Apostolicæ sentẽtiæ beatitudinem possint peruenire, Peccatum enim in vobis non dominabitur, nõ enim estis sub lege, sed sub gratia. Verè enim dominationem in illo non potest exercere peccatum, qui dominatur affectibus peccatorum. *Actor.4.* *Actor.5.* *Rom.6.*

Interrogatio quemadmodum intelligi debeat quod ait Apostolus, peccatum in nobis non dominabitur. CAP. XXXI.

GErmanus: Quia non potest fallax hæc Apostolica esse sententia, quæ securitatem non solùm monachis, sed etiã omnibus Christianis generaliter repromittit, nimium nobis videtur obscura. Cùm enim cunctos qui euangelio credunt à iugo & dominatione peccati liberos atque alienos esse pronunciat, quomodo pæne in omnibus baptizatis viget dominatio peccatorum, secundum sententiam Domini qui ait, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati? *Ioan.8.*

Responsio de differentia gratiæ & legalium præceptorum.

CAPVT XXXII.

THeonas: Quæstionem nobis rursus non modicam inquisitio vestra commouit; cuius vim licet sciam ab inexpertis nec tradi posse nec percipi, tamen inquantum potero verbis absoluere & breuiter expedire tentabo, si modò intellectus vester ea quæ dicimus etiã operibus subsequatur. Quęcumq; enim non per doctrinam, sed per experiẽtiam cognoscuntur,

ſcuntur, ſicut tradi ab inexperto nequeunt, ita nec mente concipi vel teneri, niſi ab eo qui ſimili ſtudio fuerit atque inſtitutione fundatus. Et idcirco neceſſarium reor, vt primùm diligentius inquiramus, quidnam ſit propoſitum vel voluntas legis, vel quæ gratiæ diſciplina atque perfectio, vt conſequenter ex his, ſiue dominationem peccati, ſiue expulſionem eius poſſimus agnoſcere. Itaq; lex principaliter iubet expeti copulam nuptiarum dicens, Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Ieruſalem, & maledicta ſterilis quę non peperit. Ecótrario gratia ad incorruptionis perpetuæ puritatem, & caſti-
Lucæ 23. moniam nos beatæ virginitatis inuitat. Beatæ, inquiens, ſteriles quę non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. &, Qui
Lucæ 14. non oderit patrem, & matrem, & vxorem, non poteſt meus
1. Cor. 7. eſſe diſcipulus. Et illud Apoſtoli: Reliquum eſt, vt & qui ha-
Exod. 22. bent vxores, tamquam non habentes ſint. Lex dicit: Decimas
Matth. 19. tuas & primitias non tardabis offerre. Gratia, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Lex talionem conuiciorum, & iniuriarum non prohibet vltionem
Exod. 21. dicens, Oculum pro oculo, dentem pro dente: Gratia congeminationem iniuriarum vel cędis quę fuerint irrogata, noſtra patientia vult probari, & ad duplicis diſpendij tolerantiam pa-
Matth. 5. ratos eſſe nos præcipit: Qui te percuſſerit, inquiens, in dexte-
Leuit. 19. ram maxillam, præbe ei & alteram; & illi qui vult tecum iudi-
Matth. 5. cio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Illa, inimicos odio habendos. Hæc ita diligẽdos eſſe decernit, vt pro ipſis etiam Deo ſemper cenſeat ſupplicandum.

Quòd leuiora ſint euangelij præcepta quàm legis.

CAPVT XXXIII.

QVisquis igitur hoc euangelicæ perfectionis culmẽ aſcenderit, iſte profectò ſupra omnem legem tantarum virtutũm meritis ſublimatus, & vniuerſa quæ per Moyſen præcepta ſunt quaſi parua deſpiciens, tantum ſub gratia Saluatoris ſe eſſe cognoſcit, cuius adiutorio ſe ad illum ſublimiſſimum
Rom. 5. ſtatum intelligit perueniſſe. Non ergo dominatur in eo peccatum, quia caritas Dei quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, omnẽ alterius cuiusq; rei excludit affectum, nec poteſt aut vetita concupiſcere aut imperata contemnere, cuius totum ſtudium, totumque deſiderium diuino amori ſemper intentum, vſque adeo vilium rerum oblectatione non capitur, vt etiam his quæ conceſſa ſunt non vtatur. In lege autem in qua coniugiorum iura ſeruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantũ feminæ
Legis Moſaicæ & euangelicæ gratiæ differentia.
man-

mancipatur,tamen nequaquam poſſunt carnalis cõcupiſcen-
tiæ aculei non vigere,& difficile eſt vt ignis cui etiam ſtudioſè
pabula ſuggeruntur , ita præfixis terminis includatur, vt non
etiam extra euagatus*amburat quicquid attigerit. Cui etiam * adurat
ſi ſua illa ita ſemper occurrat obiectio, vt exæſtuare extrinſe-
cus non ſinatur,tamen etiã dum cohibetur incendit;quia vo-
luntas ipſa culpabilis eſt , & ad velociſſimos adulteriorum ra-
ptatur exceſſus conſuetudo concubitus.Cæterùm quos gratia
Saluatoris ſancto incorruptionis amore flãmauerit,ita omnes
carnalium deſideriorum ſpinas Dominicæ caritatis igne con-
ſumunt , vt nec tepens fauilla vitiorum refrigerium integri-
tatis imminuat. Legis ergo famuli licitorũ vſu ad illicita pro-
labuntur, gratiæ participes dum licita contemnunt, illicita nõ
nouerunt.* Sicut autem viuit in coniugij amatore peccatum, * Si
ita etiam in eo qui decimas ſuas & primitias tãtùm redimere
contentus eſt : neceſſe eſt enim eum dum tardat aut negligit,
aut in qualitate earum , aut in quantitate , aut in quotidiana
diſtributione peccare. Qui enim iubetur ea quæ ſua ſunt in-
fatigabiliter indigentibus miniſtrare, quamlibet ea ſumma fi-
de ac deuotione diſpenſet, tamen difficile eſt vt non laqueos
peccatorum frequenter incurrat. In illos verò qui conſilium
Domini non ſpreuerunt, ſed omnem ſubſtantiam ſuam pau-
peribus prerogantes,ſumpta ſua cruce largitorem cæleſtis gra-
tiæ ſubſequuntur, peccatum non poteſt dominari. Non enim
eum diſpenſantem ſacratas iam Chriſto opes & quaſi alienas
pia diſtributione pecunias,infidelis ſeruandi victus cura mor-
debit , nec eleemoſynæ hilaritatem abiget mæſta cunctatio;
quia quod ſemel totum obtulit Deo,id iam alienum ſine pro-
priæ neceſſitatis recordatione aut anguſti victus timore diſ-
pergit,qui certus eſt, cùm ad deſideratam peruenerit nudita-
tem, multo magis à Deo ſe quàm volucrem cæli eſſe paſcen-
dum. Econtrariò is qui ſubſtantiam retinens mundialem,aut
decimas fructuum ſuorum atque primitias,aut partem pecu-
niarum conſtrictus legis antiquæ ſanctione diſtribuit , licèt
peccatorum ſuorum ignem maximè hoc eleemoſynę rore ex-
tinguat,impoſſibile tamen eſt, quantauis opes ſuas magnani-
mitate diſpenſet,vt ſe ad plenum eruat à dominatione pecca-
ti,niſi fortè per gratiam Saluatoris , cùm re etiam ipſum affe-
ctum depoſuerit poſſidendi.Pari modo non poteſt non cruẽ-
to peccati imperio famulari,quicumq; oculum pro oculo,dẽ- *Exod. 21.*
tem pro dente, ex præcepto legis eruere, aut inimicum ſuum
odio mauult habere;quia neceſſe eſt eum dum talionis viciſſi-
tudine vlciſci ſuam optat iniuriam, dum contra inimicos odij
ama-

amaritudinem seruat, furoris atque iræ perturbatione semper accendi. Quicumque verò sub euangelicæ gratiæ illuminatione versatur, ac malum non resistendo superans, sed sufferendo dexteram percutienti maxillam, etiam alteram præbere voluntarius non moratur, & volenti aduersum se de tunica litigium commouere, remittit & pallium, quiq; diligit inimicos suos, & orat pro calumniantibus se, hic peccati repulit iugum, ac vincula dirupit. Non enim viuit sub lege, quę non interimit seminaria peccatorum. (Vnde non immeritò de ipsa beatus Apostolus, reprobatio, inquit, fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et Dominus per prophetam, Et dedi, inquit, eis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in eis) sed sub gratia, quæ non ramos tantùm nequitiæ amputat, sed ipsas penitùs radices noxiæ voluntatis euellit.

Matth. 5. *Hebr. 7.*

Quemadmodum quis probetur esse sub gratia.

CAPVT XXXIIII.

QVisquis ergo perfectionem euangelicæ studuerit tenere doctrinæ, hic sub gratia constitutus peccati dominatione non premitur. Hoc est enim esse sub gratia, ea quæ gratia mandat implere. Quicumque verò perfectionis euangelicæ plenitudini subiectus esse noluerit, non ignoret se quamuis baptizatus sibi videatur ac monachus, non esse sub gratia, sed sub legis adhuc vinculis præpeditum peccati pondere prægrauari. Propositum namque est eius qui omnes à quibus receptus fuerit gratia adoptionis assumit, non destruere, sed superædificare; nec euacuare, sed adimplere Mosaicas sanctiones. Quod nonnulli penitùs ignorantes, & consiliorum atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptiuæ libertatis securitate soluuntur, vt non solùm Christi præcepta tamquam ardua non attingant, verumetiam ipsa illa quæ illis incipientibus paruulisque Mosaica lege mandata sunt, velut antiquata contemnant, illud quod Apostolus execratur noxiâ libertate dicentes, Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit, nec sub lege, quia etiam ipsa illa paruula legis mandata non suscipit, hic duplici peccatorum oppressus imperio, ob hoc solum gratiam Christi percepisse se credit, vt per noxiam libertatem ab eo fieret alienus, in illud incidens quod Apostolus Petrus ne incurramus enunciat: Quasi liberi, inquit, agite, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Beatus quoque Apostolus Paulus, Vos enim, inquit, in libertatem vocati estis

Lutheranicæ libertatis descriptio. *Roman. 6.* *1. Pet. 2.* *Galat. 5.*

estis fratres, id est, vt absoluti sitis à dominatione peccati, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, id est, frustrationem legalium mandatorum credatis esse licentiam vitiorum. Hæc verò libertas, quia nusquam nisi ibi sit tantum vbi Dominus commoratur, Paulus apostolus docet: Dominus, inquiens, spiritus est, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Quapropter nescio vtrum hunc beati Apostoli sensum, sicut hi qui experti sunt sapiunt, exprimere atque elucidare potuerim: vnum scio apertissimè illum etiam sine expositione cuiusquam omnibus reserari, qui πρακτικὴν, id est, actualem perfectè tenuerint disciplinam. Non enim laborabunt vt quod iam operando didicerūt, intelligant disputādo. 2. Cor. 3.

Interrogatio, cur interdum ieiunantes carnalibus incentiuis acrius vrgeamur.

CAPVT XXXV.

GErmanus: Obscurissimam quæstionem & multis etiam vt putamus incognitam apertissimè reuelasti. Vnde vt hoc quoque profectui nostro adiicias deprecamur, vt cur interdum etiam propensius ieiunantibus nobis & exhaustis atque defectis, vehementiores pugnæ corporis excitentur diligenter edisseras. Nam plerumque etiam expergefacti è somno, cùm deprehenderimus nos corporalis veneni contagium pertulisse, ita deiicimur cōscientia, vt ne ad ipsam quidem orationem consurgere fiducialiter audeamus.

Responsio, quòd hæc quæstio futuræ collationi debeat reseruari.

CAPVT XXXVI.

THeonas: Studium quidem vestrum, quo perfectionis viam non transitoriè, sed principaliter atque perfectè desideratis attingere, infatigabiliter huic disputationi nos prouocat inhærere: nec enim de exteriore castimonia & circumcisione manifesta, sed de illa quæ in occulto est diligenter inquiritis, scientes in hac visibili carnis cōtinentia, perfectionis plenitudinem non inesse, quę haberi vel per necessitatem, vel per hypocrisim etiam ab infidelibus potest, sed illam cordis voluntariam & inuisibilem puritatem, quam beatus Apostolus ita prædicat, non enim qui in manifesto Iudæus, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in occulto Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est, qui solus scilicet cordium secreta rimatur: tamen quia satisfieri desiderio vestro ad plenum nō potest, breue enim quod superest spatium noctis, ad indagandam hanc obscurissimam non sufficit quæstionem, congruum reor vt interim differatur. Sensim enim Rom. 2.

hæc & corde ab omni cogitationum strepitu penitus absoluto, vt à nobis proferri, ita vestris debent mentibus intimari; quæ sicut propter conscientiæ purificationem oportet inquiri, ita nisi ab eo qui donum integritatis expertus est, tradi assignarique non possunt. Non enim quæritur quid inanium argumenta verborum, sed quid interna conscientiæ fides & maior vis veritatis inculcet. Et idcirco de emũdationis huius scientia atque doctrina, nec proferri aliquid nisi ab experto, nec trãsfundi quicquam potest, nisi in cupidissimum valdeq; sollicitum virtutis ipsius amatorem, qui non eam vacuis nudisque sermonibus suscitando, sed totis animi viribus annitendo optet attingere: scilicet non studio loquacitatis infructuosæ, sed desiderio puritatis internæ.

Collationis primæ Abbatis Theonæ de remissione Quinquagesimæ finis.

COLLATIO XXII.

QVÆ EST SECVNDA ABBATIS THEONÆ DE NOCTVRNIS ILLVSIONIBVS.

CAPVT I.



POST dies fermè septẽ, Quinquagesimæ sollẽnitate transacta, cũ in ipso noctis initio, id est, post synaxin vespertinã, promissæ disputationis expectatione suspensi, sancti Theonæ cellulam fuissemus ingressi, alacer Senex hilari vultu ac blando nos prior sermone compellãs, Mirabar, inquit, ardentissimũ studium vestrũ his septem diebus absolutionẽ propositæ quæstionis potuisse differre, & debitori suo præcipuè nõ roganti, dilationẽ tanti temporis præstitisse. Iustissimũ proinde est, vt quia vltrò mihi benignitas vestra tam largas cõcessit inducias, ego quoq; morã in debiti redditione non faciam. Grata namq; est huius fœnoris occupatio, quæ maiora dum soluitur augmenta cõquirit; & non solũ percipientem ditat, verũ etiam nihil minuit largienti. Duplices siquidẽ congregat quæstus rerũ spiritalium dispensator. Lucrũ enim non solũ in illius qui audit profectu, verum etiã in sua disputatione cõsequitur, nõ minus semetipsum ad desideriũ perfectionis accendens, dũ instruit auditorẽ. Quamobrẽ vester ardor, meus profe-

Qui alium doctrina veritatis imbuit, seipsum quoque ad perfectionis studium accendit.

profectus est; vestra sollicitudo, mea compunctio est. Nam vtique & ipse nunc mête torperem, nihilque in meo corde de his quæ expetitis pertractarem, nisi me vester feruor atque expectatio ad rerum spiritalium recordationem suscitaret quodámodo dormitantem. Et idcirco proferatur in medium quæstio si videtur, cuius pridem pro angustia temporis absolutionem procrastinare maluimus.

Repetitio propositæ interrogationis cur maiorem abstinentiam maior interdum carnis impugnatio subsequatur. CAP. II.

HOc enim ni fallor inquisitio vestra complexa est, cur interdum remissius ieiunantes, leuioribus carnis huius aculeis titillemur, & nonnunquam districtius abstinentes, afflicto exhaustoque corpore, incentiuis acrioribus vrgeamur, ita vt quemadmodũ patefecit vestra cõfessio, expergefacti reperiamus nos humorum naturalium egestione respersos.

E tribus causis corporalis pollutio fieri solet. CAP. III.

HVius ergo infestationis triplicẽ causam nostri prodidere maiores, quæ modũ temporis constituti intẽpestiuis irrumpat excessibus. Aut enim superflua escarũ nimietate cõgeritur, aut per incuriã mentis elabitur, aut inimici illudentis insidiis prouocatur. Primũ igitur gastrimargiæ, id est, voracitatis vel gulæ vitiũ, hanc redundantiam obsceni humoris extrudit. Nam & cũ districtioris abstinẽtiæ tempore statum polluit puritatis, non de præsenti vt putatis inedia, sed de nimietate præteritæ saturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluuiẽ concretum fuerat in medullis, necesse est vt per pruritũ, aut certè per ignorantiã, quamuis magno ieiunio tabefacti corporis egeratur. Quamobrẽ non solũ lautioribus epulis abstinendũ, sed etiã à vilioribus cibis æquali est continentia tẽperandum; imò ipsius etiã panis & aquæ satietas est cauenda, vt possit diu in nobis acquisita corporis puritas permanere, atq; imitari quodámodo intemeratam spiritus castitatem, licet nos necesse sit confiteri, interdũ etiam absque vlla mentis industria, vel per temperiem corporum, vel per ætatis maturitatem, quosdam rarius sordidari, vel certè fluxus istius egestione non pollui. Sed alterius meriti est, qui pacem inerti * felicitate consequitur, alterius qui triumphum gloriosis virtutibus promeretur: Huius enim potentia vitiorũ omniũ debellatrix digna miraculo est: illũ quẽ facultas boni in sua tuetur ignauia, censendũ magis dixerim securitate quã laude. Secũda impuri illius profluuij causa est, si mẽs spiritalibus studiis atq; exercitiis vacuata, nec disciplinis interioris hominis instituta, quendã sibi segnitiei sitũ per consuetudinẽ cõtinui torpo-

1. Gastrimargia nocturnæ pollutionis causa.

Panis quoque & aquæ saturitatem vitandam esse.

* facilitate. *D. Dionys. legit* securitate.

2. Assiduus torpor & acedia.

corporis obduxerit, aut cùm sordidarum cogitationum inimicitias non cauendo, ita illam cordis sublimissimam puritatem segniter concupiscit, vt omnem perfectionis & castimoniæ summam in sola credat exterioris hominis castigatione consistere. Cuius erroris atque socordiæ vitio consequenter eueniet, vt nō solùm multimoda cogitationum peruagatio inuerecundè atque procaciter secretū mentis irrumpat, sed etiam pristinarum omnium passionum intra eam semina perseuerent. Quæ quamdiu in eius abditis delitescunt, quamuis rigido corpus ieiunio castigetur, tamen nihilominus dormiētem illecebrosis phātasmatibus inquietant:* quarum ante legitimi temporis cursum, non iam ex naturæ necessitate, sed adhuc ex fraude nequitiæ spiritalis, obsceni eliciantur humores, qui non tam inanitate carnis quàm mentis circumspectione atque virtute si penitus inhiberi nequeunt, saltem ad illam egestionis simplicem qualitatem, auxiliante gratia Dei, perducuntur. Ideoque in primis discursus sunt sensuum coërcendi, ne mens istis excessibus assuefacta, ad fœdiora incitamenta luxuriæ somnians pertrahatur. Tertia causa est, cùm per ordinatam quidem atque sollicitam continentiæ disciplinam, contritione cordis & corporis perpetuam castimoniæ puritatem optamus acquirere, sed nos vtilitati carnis ac spiritus egregiè consulentes, fraudulentissimi hostis ita impugnat inuidia, vt dum deiicere fiduciam conscientiæ nostræ, nosque velut reatu aliquo humiliare conatur, illis præcipuè diebus quibus maiore integritatis merito desideramus diuino tantummodo placere conspectui, absque vllo quidem carnis pruritu, mentísue consensu, nec per illusionem phantasmatis alicuius, sed tamen simplici fluxus illius egestione nos polluit, vt à sacrosancta communione deterreat, licet in quosdam incipientium & quorum corpora necdum longa ieiuniorum castigatione tenuata sunt, ob hoc diabolica factione hæc euenire credatur illusio, vt cùm eos intensioribus ieiuniis studere cognouerit, omnes eorum conatus hac arte subuertat; vt dum se non solum nihil ad puritatem corporis districtiore ieiunio profecisse, verum etiam grauius sentiunt fuisse pollutos, magistram incorruptionis ac puritatis altricem, abstinentiæ districtionem tanquam æmulam perhorrescant. Quapropter nosse debemus non idcirco nos tantum ab vnoquoque vitio debere purgari, quia suis perturbationibus nostrum occupet sensum, sed quia contentum non sit solum absque aliorum consortio dominari, sed intromisso omnium vitiorum diriore collegio, subditam sibi mentem

[Margin: * quibus]

[Margin: 3. *Dæmonum fraudulentæ illusiones.*]

mentem multiplicata captiuitate populetur. Et idcirco gastrimargia vincenda est, non propter se tantum, ne scilicet onerosa nos voracitate corrumpat, nec propter hoc solum, ne carnalis concupiscentiæ nos igne succendat, sed ne etiam iracundiæ vel furoris atque tristitiæ, cęterarumque omniũ passionum faciat esse mancipia. Nam cùm nobis esca ac potus vel minus, vel negligentius, vel tardius ministratur, si gulæ dominatione deprimimur, consequens est, vt etiam iracundiæ stimulis incitemur. Et rursus, voluptuosis saporibus demulceri absque philargyriæ peste non possumus, per cuius superfluos apparatus magnis luxuria gaudet impendiis. Philargyria vero, cenodoxia, atque superbia, & omnium multitudo vitiorum indiuidua societate iunguntur, atque ita vnumquodque vitium si vigere in nobis vel solum cœperit, etiam cæteris suggerit incrementa. *Gastrimargia superãda quãta cura adhibẽri debeat.*

Interrogatio an ad sacrosanctam communionem accedere liceat, nocturna illusione pollutum. CAP. IIII.

GErmanus: Dispensatione Dei credimus hanc quęstionem in medium fuisse prolatam, vt illud quod verecundia interrogandi fiduciam cohibente, nunquam potuimus edoceri, nũc opportunitate collationis causæque ipsius ordine prouocati, sciscitari fiducialiter audeamus. Si igitur eo tempore quo accedi oportet ad sacrosancta mysteria, senserimus nos somnij illusione pollutos, præsumenda est, an vitanda illa salutaris escæ sacrosancta perceptio?

Responsio, quando reatum contrahat hæc passio dormienti.

CAPVT V.

THeonas: Omni quidem industria quantum in nobis est studere debemus, vt immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus, & vigilantissima circumspectione præcauendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipuè in qua nos ad communionem salutaris conuiuij præparamus nocte, fraudetur. Verùm si hòstis ille nequissimus vt nobis cælestis remedij subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita dumtaxat vt nullo reprehensibili interueniente pruritu, nullo cõtaminetur oblectationis assensu, sed egestionem aut naturali necessitate propulsam, aut certè impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam, ad impedimentum nostræ sanctificationis *obtenderit, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin verò nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, conuenientes conscientiam nostram illud Aposto- * obtuderit,

1. Cor. 11. licum formidemus: Qui manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem primum semetipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non discernens corpus Domini: id est, nequaquam illum cęlestem cibum à communium escarum vilitate secernens, nec talem esse diiudicans quem nō nisi pura liceat mente vel carne præsumere. Deniq; infert: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiūt multi, spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac specialiter dicens præsumptione generari. Multi enim qui* eum illicita vsurpatione præsumunt, infirmantur fide, & imbecilli sunt mente, passionum scilicet languoribus inuoluti, & dormiunt somno peccati, ab hoc sopore lethali nequaquam salutari sollicitudine resurgentes. Deinde sequitur: Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramentorū quotiescunque peccati vulnere præuenimur, iudicaremus indignos, impenderemus vtique studium, vt per pœnitudinis emendationem ad ea dignè possemus accedere, & non tanquam indigni seuerissimis infirmitatum flagris castigaremur à Domino, vt vel sic compuncti ad remedia nostrorum vulnerum recurramus, ne digni præsentis seculi breuissima correptione non habiti, in futuro simul cum huius mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Leuitico euidenti denunciatione præcipitur:

* cum

Leuit. 22. Omnis mundus manducabit carnes, & anima quæcunque comederit de carnibus sacrificij salutaris quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino. In Deuteronomio quoque à spiritalibus castris immundus similiter mysticè segregatur: Si fuerit, inquit, inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam ablutus aqua sit, & post solis occasum regredietur in castra.

Deuter. 23.

Quòd nonnunquam pollutio corporis culpa vacet, & inimici factione contingat, exemplo ostenditur. CAP. VI.

VErùm vt manifestius approbetur, quòd etiam inimici factione nonnunquam hæc eliciatur impuritas: Nouimus fratrem, qui cùm castimoniam cordis & corporis summa circūspectione atque humilitate promeritam, iugiter possideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quoties tamen se ad percipiendam communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cùm multo se tempore à sacrosanctis mysteriis trepi-

dus

dus abstineret, tandem hanc ad seniores detulit quæstionem, remedium impugnationis ac doloris sui medicabili eorum consilio consecuturum se esse confidens. Sed cùm primã causam morbi eius spiritalium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abundanti ciborum præsumptione descendere, eamque memorato fratri deprehenderent non inesse, atque hanc illusionem nequaquam vitio saturitatis constaret emergere, eo quòd nec fratris nota districtione sollẽnium dierum quibus illa pollutio contingebat specialis exceptio, hoc illos pateretur opinari: ad secundam huius valetudinis causam illico transtulerunt inquisitionis indaginem, discutientes ne animæ forsitan culpa, caro exhausta ieiunio, impuris illusionibus vrgeretur, quibus etiam districtissimi viri, cùm paululum elati de sui corporis fuerint puritate, per superbiæ vitium polluuntur, quod scilicet donum præcipuum Dei, id est, corporis castitatem, humanis se viribus obtinuisse crediderint. Interrogatus igitur vtrum industriam suam ita capacẽ huius crederet esse virtutis, vt ope diuini non egeret auxilij, summa hunc impium sensum execratione detestans, cùm se humiliter astruxisset, ne ceteris quidẽ diebus corporis puritatem retinere potuisse, nisi diuina in omnibus gratia fuisset adiutus: Illi confestim ad causam tertiam recurrentes, occultas diabolicæ factionis insidias peruiderunt, probantesque nec animæ culpam esse, nec carnis, sacrosanctis eum epulis debere misceri confidentissimè censuerunt, ne scilicet si in hac * obstinatione durasset, versutis maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis & corporis Christi particeps esse non posset, & per hanc fraudem medicina remedij salutaris in perpetuũ fraudaretur. Quo facto ita omnis diabolicæ factionis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegente, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret: in quo inimici dolus euidenter apparuit, & exposita est pariter ac probata sententia Seniorum, quæ plerumque hunc impurissimum fluxum, nec carnis, nec animæ vitio, sed aduersarij factiosa docuit ludificatione propelli. Vt ergo fallax imaginatio somniorum, illectrix egestionis impuræ, vel in perpetuum, vel certè (vt secundũ humiliorẽ siue cõmunẽ dixerim statũ) certis mẽsibus ignoretur, post illam fidem, qua de Dei specialiter gratia puritatis donum iugiter sperare nos conuenit, escæ potusq; est nimietas castiganda. Horum namque redundãtia istiusmodi humores propẽsius gigni necesse est, qui quoniam concreti nõ possunt non egeri atq; ab ipsius naturæ lege propelli, sub occasione cuiuscũq; pruritus atq; illusionis emergũt.

*abstinentia

Sacrosanctæ eucharistiæ vis & efficacia.

Escarum verò satietate subtracta, cõsequens est illas quoque immundas egestiones tardius generari, & ita fit vt quemadmodum fluxus earum, ita etiam illusio dormiẽtes vel rarius, vel subtilius inquietet; quia non solùm egestio ex imaginatione, sed imaginatio ex egestionis nimietate descẽdit. Quapropter si volumus ab illusionum istarum illecebris liberari, omni virtute nobis est enitendum: Primùm, vt fornicationis passione deuicta iuxta beatum Apostolum, non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius. Secundò, vt ipso quoque illecebroso corporis motu sedato penitus ac sopito, nequaquã exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Tertiò, vt interiore quoque homine nostro, ab illa libidinis titillatione omnimodis ac medullitùs mortificato, exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & ita per hunc profectum peruenientes ad perpetuam quietem corporis nostri, exhibeamus etiam mẽbra nostra non iam arma libidini, sed iustitiæ Deo. In qua nobis castimoniæ puritate fundatis, peccatum in nobis iam non dominabitur. Non enim sumus sub lege, quæ dum licita nuptiarum iura commendat, etiam illum cuius ministerio opus illicitæ fornicationis expletur, in nostris medullis nutrit ac reseruat ardorem: sed sub gratia, quæ dum incorruptionem virginitatis insinuat, etiam istum innoxium ac simplicem corporis motum, & ipsius quoque liciti coitus interimit voluptatem, atque ita cunctis impurissimæ colluuionis humoribus arefactis, egregij ac laudabiles eunuchi qui per Isaiã prædicantur effecti, * merebimur illam quæ promittitur eis beatitudinem possidere. Hæc enim, ait Dominus, eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius quàm filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Qui sunt isti filij & filiæ, quibus intantùm isti præferuntur eunuchi, vt etiam locum ac nomen melius accepturi esse dicantur, nisi illi sancti qui in veteri testamento in coniugiorum copula permanentes, per obseruantiam mandatorum in adoptionem filiorum Dei non immeritò peruenerunt? Quod etiam nomen est illud quod eis velut præcipuum quiddam vice remunerationis summæ promittitur, nisi hoc quod Christi vocabulo dicimur esse censendi? De quo nomine alibi per Prophetam ait: Et seruos meos vocaui nomine alio, in quo qui benedicendus est super terram, benedicetur in Deo, Amen; & qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen. Et iterum: Et vocabitur, inquit, tibi no-

Quomodo corporalis pollutio prohiberi atq; impediri debeat.
Rom. 6.
Ibidem.
Ibidem.
Virginitatis commendatio tempore noui testamenti.
* merebuntur
Isaiæ 56.
Isaiæ 65.
Isaiæ 62.

tibi nomen nouum quod os Domini nominauit. Quique pro hac cordis & corporis puritate, etiam illa præcipua ac singulari beatitudine perfruentur, vt illud canticum iugiter canant, quod nemo alius sanctorum canere potest, nisi isti soli qui sequuntur agnum quocunque vadit? Virgines enim sunt, & cum mulieribus se non coinquinauerunt. Proinde si ad hanc sublimissimam virginum gloriam volumus peruenire, omni virtute incorruptionem mentis ac spiritus excolamus, ne in illarum insipientium virginum numero collabamur, quibus idcirco non est reputata virginitas, quia à commixtione carnali immunes sese tantummodo seruauerunt, & ob hoc virgines quidem, sed fatuæ nuncupantur, quia deficiente in vasis earum oleo puritatis internæ, claritas ac splendor corporalis virginitatis extinguitur, interioris enim * fotu ac pabulo puritatis, subministrari necesse est etiam exteriori homini castitatem, eamque iugiter ad perseuerantiam incorruptionis perpetuæ animari. Et ideo fatuæ illæ virgines gloriosum sponsi thalamum cum illis prudentibus non merentur intrare, quæ integrum spiritum suum & animam & corpus sine querela in die Domini nostri Iesu Christi non seruauerunt. Illi namque sunt veri atque incorrupti virgines Christi, illi admirabiles atque egregij reputantur eunuchi, non qui metuunt, sed quibus non libet fornicari, nec qui impudicitiæ reprimunt frena, sed qui ipsam quoque minimam mentis titillationem & tenuissima libidinis incitamenta vicerunt, & eò vsque extenuauerunt illum carnis (vt ita dixerim) sensum, vt non solùm ex commotione eius nulla oblectatione, sed ne exigua quidem titillatione tangantur.

Apocal. 14.

Matth. 25.

* potu

Quòd nunquam dignum se communione Dominica quispiam debeat iudicare.

CAPVT VII.

TAnta autem cor nostrum humilitatis debemus vallare custodia, vt hanc definitionem perpetua sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum peruenire, vt si hæc quæ suprà dixi per Dei gratiam omnia fecerimus, indignos tamen nos communione sacri corporis esse credamus. Primùm quia cælestis illius mannę tanta maiestas est, vt nemo hac lutea carne circumdatus per suum meritum eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circumspectus in huius mundi potest esse conflictu, vt eum saltem rara vel leuia peccatorum tela non feriant; quia impossibile est, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut obliuione pecce-

tur. Nam etsi ad tam præcelsum quis virtutum culmen ascẽderit, vt Apostolicum illud non iactanter exclamet, Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sciat se tamen absque peccato esse non posse. Neq; enim frustra idem Doctor adiunxit, sed nõ in hoc iustificatus sum: id est, nõ si ego iustũ me esse credidero, veram confestim gloriã possidebo, vel quia me cõscientia mea nullius peccati reprehẽsione compungit, idcirco nullius sordis contagione fuscatus sum, multa enim etiam meam conscientiam latent, quæ cùm sint mihi incognita atque obscura, Deo nota atque manifesta sunt: Ideo subiiciens, Qui autem me, inquit, iudicat, Dominus est, id est, ab illo solo quem secreta cordium non latent, verum iudicij in me proferetur examen.

Obiectio Germani Abbatis, ex his quæ de sacræ Eucharistiæ perceptione dicta sunt. CAPVT VIII.

GErmanus: Suprà dictum est non nisi sanctos cælestium sacramentorum esse debere participes, nũc adiicitur impossibile esse homini, vt immunis penitus sit à delicto. Si nullus ergo liber à noxa, nullus est sanctus, & consequens est vt homo cui sanctitas deest, mysteriorum Christi particeps esse non possit, & regnum etiam cælorum sperare non debeat, quod solis sanctis Dominus pollicetur.

Responsio quòd multi sancti esse possint, nemo tamen absque peccato nisi Christus. CAPVT IX.

Sanctum est & immaculatum, diuersa sunt.

THeonas: Multos quidem esse sanctos ac iustos negare non possumus, sed inter sanctum & immaculatum multa distãtia est. Aliud est enim esse quempiam sanctum, id est, diuino cultui consecratũ, hoc enim nomen non solũ hominibus, sed etiam locis & vasculis templi atq; lebetibus, attestante scriptura, commune est. Aliud est autem esse absque peccato, quod vnius Domini nostri Iesu Christi singulariter conuenit maiestati, de quo etiam Apostolus velut præcipuum quid ac speciale pronunciat dicens: Qui peccatum non fecit. Satis enim vilem atq; indignã eius præconiis laudẽ quasi incomparabile ac diuinum ei aliquid assignauit, si etiam nos illibatam ab omni peccato possumus transigere vitam. Rursus Apostolus ad Hebræos, Non enim habemus, inquit, pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Si igitur etiam terrenæ humilitatis nostræ cum illo excelso diuinoque pontifice hæc potest esse communio, vt etiam nos absque vlla peccati offensione tentemur, cur Apostolus hoc in illo velut

1. Petr. 2. *Hebr. 4.*

vnicum

vnicum ac singulare* suspiciens, eius meritum ab hominibus tanta diuisione discreuit? Hac ergo sola ab omnibus nobis exceptione distinguitur, quia nos non absq; peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum quamuis fortis atque bellator sit, hostilibus tamen telis plerumque non pateat? Quis velut impenetrabili carne circũdatus, tantis prœliorum periculis sine periculo misceatur? Ille autem solus speciosus forma præ filiis hominum, cõditionem mortis humanæ cum vniuersa carnis fragilitate suscipiens, nullius vmquam est sordis maculatus attactu. * suscipiens. Psalm. 44.

Quòd solus filius Dei absq; vllo peccati vulnere vicerit tentatorẽ. CAP. X.

TEntatus est enim secundum similitudinem nostram gastrimargiæ primum vitio, vt ei callidus ille serpens eo ordine quo Adam antè seduxerat, esurienti, escæ desiderio, conaretur illudere: Si filius, inquiens, Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Sed nullum recipiens ex hac tentatione peccatũ, cùm ei facultas indubitata suppeteret, respuit cibum quem ei deceptionis artifex ingerebat, dicens: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tentatus est etiam cenodoxia secundùm similitudinem nostram, cùm ei dictũ est, Si filius Dei es, mitte te deorsum: sed subdola diaboli suggestione captus non est, & vanissimũ seductorẽ etiam scripturarum obiectione confutans, Non tentabis, inquit, Dominũ Deum tuum. Tentatus est etiam tumore superbiæ secundum similitudinem nostram, cùm ei à diabolo promitterentur omnia regna mundi & gloria eorum, sed irrisa atq; obiurgata est nequitia tentatoris. Respondit enim ei: Vade retro satanas: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. His autem testimoniis edocemur, vt fraudulentis suggestionibus inimici nos quoque similiter autoritate scripturarum debeamus obsistere. Rursum tentatus est superbia secundum similitudinem nostram, vt idem insidiarum artifex regnũ, quod ab ipso oblatum antè respuerat, per homines ei moliretur ingerere, sed absque peccato insidias tentantis irrisit. Cùm enim cognouisset Iesus, quòd venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Tentatus est secundũ similitudinem nostram, cùm verberatus flagris, cùm palmis cæsus, cũ sputorũ horrore respersus est, cùm ad extremũ pertulit crucis exquisita supplicia, sed nullis vnquã non dicam contumeliis, verùm ne suppliciis quidẽ ad tumorẽ vel leuissimæ indignationis impulsus est, quia in patibulo cõstitutus misericorditer proclamauit: Pater ignosce eis, nõ enim sciũt quid faciũt.

Hebr. 4. Genes. 3. Matth. 4. Deuter. 8. Matth. 4. Deuter. 6. Matth. 4. Deuter. 6. Scriptura sacra autoritate contra dæmonem pugnandum est. Ioann. 6. Matth. 26. & 27. Luce 23.

Quod

Quòd in similitudine carnis peccati solus venerit Christus.

CAPVT XI.

Rom. 8. *Galat. 4.*

QVemadmodum verò & illud accipietur, quòd cum Apostolus in similitudine carnis peccati venisse commemorat, si etiam nos nulla peccati labe pollutam habere possumus carnē? Nā & hoc de illo qui solus est absq; peccato tanquā singulare memoratur, Misit Deus filium suū in similitudinem carnis peccati; quia veram atq; integram suscipiens substantiam carnis humanæ, non ipsum peccatum in ea, sed similitudinem peccati suscepisse credendus est. Similitudo enim non ad carnis veritatem, secundum prauum quorundam hæreticorum sensum, sed ad peccati est imaginem referenda. Erat enim in ipso vera quidem caro, sed absque peccato, similis scilicet peccatrici. Illud siquidem ad humanæ substantiæ pertinet veritatē, hoc verò ad vitia refertur & mores. Habebat similitudinem carnis peccati, cùm velut homo ignarus ac pro cibo sollicitus percontaretur, Quot panes habetis? sed sicut peccato nequaquā caro illius, ita nec anima ignorantiæ subiacebat. Denique statim euangelista subiungit: Hoc autem dicebat Iesus tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Habebat carnem similem peccatrici, cùm velut sitiens à Samaritana muliere posceret potum, sed non erat peccati sorde polluta, quia econtrario mulier prouocata est petere aquam viuam, quæ illam nunquam sitire permitteret, sed fieret in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. Habebat carnis istius veritatem cùm dormiret in naui, sed ne pariter nauigantes * peccati similitudine fallerentur, surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Communi cum omnibus sorte peccato subditus videbatur, cùm diceretur de ipso, Hic homo si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est: sed peccati non habuit veritatem, quia blasphemam cogitationem arguens Pharisæi, statim mulieris peccata dimisit. Peccatricem cum cæteris gerere putabatur carnem, cùm velut homo in mortis discrimine constitutus, & imminentium suppliciorum terrore perculsus oraret: Pater si possibile est, transeat à me calix iste: Et, Tristis est anima mea vsque ad mortem: sed peccati contagium nesciebat illa tristitia, quia vitæ autor mortem formidare non poterat. Ait enim: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam à me ipso; potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.

Contra Marcionitas, Manichæos & Valentinianos.

Marci 6.

Ioann. 6. *Ioann. 4.*

Matth. 8.

* peccato simili

Lucæ 7.

Matth. 26. *Ibidem.*

Ioann. 10.

Quòd

Quòd iusti & sancti omnes nõ fuerunt in similitudine, sed in veritate peccati.

CAPVT XII.

IN hoc ergo ille homo qui natus ex virgine est, magna à cunctis qui ex vtriusque sexus commixtione producimur, distantia segregatur, quòd cùm omnes non similitudinem, sed veritatem peccati in carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem peccati & veræ carnis assumptionẽ suscepit. Denique licet scriptum de eo in Isaia propheta Pharisæi apertissimè meminissent, quia peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius; tamen ita similitudine carnis peccati fallebantur, vt dicerent, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et ad illum qui illuminatus fuerat cæcum: Da gloriam Deo, nos enim scimus quia hic homo peccator est. Et ad Pilatum: Nisi esset hic homo peccator, non eum tradidissemus tibi. Huius ergo rei quæ illi tantum singularis ac propria est, æqualitatem sibi blasphemiæ superbiæque crimine vendicabit, quisquis se esse sine peccato ausus fuerit profiteri. Consequens enim est, vt similitudinem carnis peccati, & non veritatem peccati habere se dicat.

Isaia 53. Matth. 11. Ioann. 9. Ioann. 18.

Quòd non sint tam grauia peccata sanctorum, vt eis auferant meritum aut nomen sanctitatis. CAP. XIII.

CEterum iustos & sanctos viros non esse immunes à culpa, manifestè scriptura pronunciat, dicens: Septies in die cadit iustus & resurgit. Quid enim aliud est cadere, quàm peccare? Et tamen cùm dicatur septies cadere, nihilominus pronunciatur iustus, nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter iusti & peccatoris hominis lapsum. Aliud est enim admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione quæ peccato non caret præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare, aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturę aliquantisper à summa perfectione recedere. Hæc enim sunt septem lapsuum genera, in quibus sanctus licet nonnunquam cadat, tamen iustus esse non desinit; quæ quamuis leuia esse videantur ac parua, tamen faciunt eum sine peccato esse non posse. Habet enim pro quibus quotidianam gerens pœnitudinem & veniam veraciter debeat postulare, & pro suis indesinenter orare peccatis, dicens, Dimitte nobis debita nostra. Et vt euidentissimis probemus exemplis & errasse nonnullos sanctorum, & tamen à sua

Prouerb. 24. Venialiũ peccatorum septẽ genera. Matth. 6.

ſua non diſceſſiſſe iuſtitia, certè ille beatiſſimus & Apoſtolorum eximius Petrus, quid aliud credendus eſt fuiſſe quàm
Matth.16. ſanctus, præſertim id tẽporis quo ei à Dño dicebatur, Beatus es Simõ Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcũque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis? Quid hac Dominica laude præclarius? quid hac poteſtate ac beatitudine poteſt eſſe ſublimius? & tamen poſt paululum,
*vtilitatis cùm ignorans myſterium paſſionis, tantæ * vtilitati humani generis inſcius obuiaret, dicens, Abſit à te Domine, non erit
Ibidem. tibi hoc, meretur audire, Vade poſt me ſatanas, ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Nũquid nam cùm his eum verbis ipſa æquitas increparet, aut nequaquam cecidiſſe, aut in ſanctitate atque iuſtitia non
Matth.26. permanſiſſe credendus eſt? Quid illo etiam tempore nunquid ruinam manifeſtè negandus eſt pertuliſſe, quo imminente perſecutorum metu, ter Dominum negare compulſus eſt? Sed confeſtim pœnitudine ſubſequente, amariſſimis lacrymis maculam tanti criminis abluendo, ſanctitatis atque iuſtitiæ meritum non amiſit. De ipſo igitur ac de eius ſimilibus ſanctis illud etiã quod à Dauid canitur, debemus accipere: A
Pſalm.36. Domino greſſus hominis diriguntur, & viã eius volet nimis. Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Cuius enim greſſus à Domino diriguntur, quid aliud poteſt eſſe quàm iuſtus? Et tamen de hoc ipſo dicitur, cùm ceciderit non collidetur. Quid eſt cũ ceciderit, niſi cùm lapſum peccati alicuius incurrerit? Non collidetur, inquit, id eſt, nequaquã diu opprimetur incurſione peccati, ſed licet ad præſens videatur eliſus, tamen diuino quod implorat erectus auxilio, celeri reſurrectione ſtabilitatem iuſtitiæ non amittit; vel etiã ſi ad præſens per fragilitatẽ carnis aliquid admiſerit, ſuppoſitione manus Dominicæ reparabit. Nec enim ſanctus eſſe deſinit poſt ruinam, qui cùm ſe fiducia operum ſuorum iuſtificari non poſſe cognoſcat, & tantis peccatorum nexibus credat ſola Domini gratia liberandum, cum
Rom.7. Apoſtolo proclamare non deſinit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Quomodo intelligendum ſit illud Apoſtoli, Non enim quod volo bonum facio.

CAPVT XIIII.

Rom.7. NAm cùm Apoſtolus Paulus inæſtimabilem abyſſum puritatis, reſiſtentibus cogitationum æſtibus, penetrari ab homine

homine non posse cognoscens, diu velut per profunda iactatus, antè dixisset, non enim quod volo bonum facio, sed quod odi malum hoc ago. Et rursum: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati quæ est in membris meis, omni vel sua vel naturæ ipsius fragilitate perspecta, tã immensæ altitudinis vastitate conterritus, ad tutissimum portum diuini confugit auxilij, & quasi de nauigij sui, oneribus mortalitatis oppressi, naturali infirmitate desperans, ab eo cui impossibile nihil est, naufragiorum deposcit remedia, cum quodam miserabili vociferans eiulatu: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Statimq; absolutionem quam desperauit de imbecillitate naturæ, de Dei benignitate præsumpsit, confidenter adiungens: Gratia Dei per Christum Dominum nostrum.

Obiicit Germanus, ex peccatorum persona Apostolum hæc dixisse.

CAPVT XV.

GErmanus: Multi hoc Apostolicum ita intelligi debere definiunt, vt hoc eum non ex sua, sed ex peccatorum persona dixisse confirment, eorum scilicet qui volentes semetipsos à corporalibus illecebris ac voluptatibus abstinere, obstricti vitiis pristinis, & oblectatione carnalium passionum captiuati, semetipsos cohibere non possunt, dum inolita consuetudine vitiorum, velut immiti quadam tyrannidis dominatione depressi, ad libertatem pudicitiæ respirare non possunt. Quomodo enim beato Apostolo quem ad summum perfectionis totius culmen certum est peruenisse, illud poterit conuenire quod dicit, Non enim quod volo bonum facio, *Rom. 7.*
sed quod odi malum hoc ago. Illud etiam quod subiungit, Si autem quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum? Nec non etiam hoc, Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis. In quo igitur hæc personæ Apostolicæ possunt coaptari? Quid enim est boni quod ille non potuerit implere? Et econtrario, quid illud est mali quod nolens & odiens, tamen cogente natura inuitus admiserit? Ad quam verò peccati legem electionis vas, in quo Christus Dominus loquebatur, potuit captiuus abduci?

2.Cor. 10. Qui cùm omnem inobedientiam, & omnem extollentem se aduersus Deum altitudinem captiuasset, de semetipso cum
2.Tim. 4. fiducia proclamabat, Bonum agonem certaui, cursum consummaui, fidē seruaui; de cetero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

Dilatio propositæ quæstionis. CAP. XVI.

THeonas: Intrantem me tutissimum silentij portum, rursus ad immensum profundissimę quæstionis pelagus reuocare conamini, sed opportunitatem fide stationis amplexi, hic interim cursu tam longæ collationis emenso, taciturnitatis ancoram iaciemus, vt crastina die, si tamen nulla vis tempestatis obstiterit, flatu prosperi spiritus explorato, disputationis vela pandamus.

Collationis secundæ Abbatis Theonæ de nocturnis illusionibus finis.

COLLATIO XXIII.

QVÆ EST TERTIA ABBATIS THEONÆ, DE EO QVOD DICIT APOSTOLVS, NON ENIM QVOD VOLO BONVM FACIO, SED QVOD NOLO MALVM HOC AGO.

CAPVT I.



REVERSA igitur luce, cùm ad perscrutandam abyssum Apostolicæ quæstionis summa à nobis Senex compelleretur instantia, ita effatus est: Testimonia quibus probare conamini, Apostolum
Rom. 7. Paulum non ex sua, sed peccatorum dixisse persona, Non enim quod volo bonum facio, sed quod odi malum hoc ago. Vel illud: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in membris meis peccatum: Vel quod sequitur: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege

lege peccati, quæ est in membris meis, econtrario euidenter ostendunt peccatorum personæ hæc non posse omnimodis conuenire, sed ad solos quæ dicta sunt attinere perfectos, & eorum tantùm qui Apostolorum merita subsequuntur congruere sanctitati. Cæterum quo pacto personæ peccatorum hoc poterit conuenire quod dicit, Non enim quod volo bonũ facio, sed quod odi malum hoc ago? Sed nec illud quidem, Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum? Quis enim delinquentium nolens se adulteriis fornicationibusque contaminet? Quis inuitus proximo tendat insidias? Quis ineuitabili necessitate cogatur, vt falso testimonio hominem opprimat, furtóve decipiat, aut alterius spolia concupiscat, vel sanguinem fundat? Quinimo, vt scriptum est, humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam à iuuentute sua. *Genes.7.* Intantum enim omnes vitiorum amore flagrantes desiderant implere quæ cupiunt, vt etiam peruigili cura opportunitatem committendi sceleris aucupētur, ac de ignominia sua & criminũ cumulo gloriantes, secundum sententiam obiurgantis Apostoli* laudem sibi quandam de confusione conquirant. *Philipp.3.* ** fidem* Quos etiam Ieremias propheta non solum non nolentes, nec cum requie cordis & corporis flagitiorum eos crimina perpetrare, verum etiam intantum eos asserit laboriosis conatibus, vt ad effectum eorum perueniant desudare, vt à lethali scelerum appetitu nec obsistentibus arduis difficultatibus reuocentur, dicens: Vt iniqua agerent laborauerunt. *Ierem.9.* Illud quoque quis dixerit peccatoribus conuenire, Itaque ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati, *Rom.7.* quos nec mente nec carne Deo seruire manifestum est? aut quemadmodum hi qui peccant corpore, mente seruiunt Deo, cùm vitiorum fomitem caro ex corde cōcipiat, & ipse autor vtriusq; naturæ, fontem atq; originem peccatorũ ex eo pronũciet emanare? de corde, inquiens, procedunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta, & cætera huiusmodi. *Matth.5.* Quamobrem euidenter ostenditur hoc nullo modo de peccatorum posse intelligi personis, qui non solum non oderunt, sed etiam diligunt mala; & intantum Deo nec mente nec carne deseruiunt, vt antè delinquant mente quàm corpore; & priusquam carnis expleant * voluptatē, præueniantur mentis cogitationumq; peccato. ** voluntatem,*

Docet in Apostolis multa quidem fuisse bona, sed boni ipsius complementum solo voto ac desiderio ipsos habuisse. CAP. II.

SVperest igitur vt virtutem sensus ex intimo dicentis metiamur affectu, & quid beatus Apostolus dixerit bonum,

quídve comparatione eius pronunciauerit malum, non nuda significatione verborum, sed eodem quo ille discutiamus intuitu, intellectum quoque eius secundum dignitatem pronunciantes ac meritum perscrutemur. Tunc enim sententias Deo inspirante prolatas, secundum propositum ac voluntatem eius comprehendere poterimus, cùm eorum à quibus promulgatæ sunt statim ac meritum perpendentes, non verbo, sed experimentis parem induerimus affectum, pro cuius qualitate sine dubio vel concipiuntur vniuersi sensus, vel sententiæ proferuntur. Quamobrem, quid sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuerit perficere cùm vellet, diligentius indagemus. Multa enim nouimus bona quæ beatum Apostolum omnesque illius meriti viros, & habuisse per naturam, & acquisisse per gratiam negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga * humanitas, circũspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia; quæ omnia in Apostolo Paulo eiusq; consortibus ita plena atque perfecta fuisse dubium non est, vt virtutum potiùs quàm verborum magisterio ab eis religio doceretur. Quid quòd iugi ecclesiarum omnium cura, ac peruigili sollicitudine semper exusti sunt? Quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus vri, cum infirmantibus infirmari? Cùm ergo tantis Apostolus abundauerit donis, quid illud est boni cuius perfectione caruerit, non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est, profecerimus affectum. Omnes itaque quas eum diximus habuisse virtutes, quamuis velut gemmæ splendidissimæ atque pretiosæ sint, tamen si præclaro illi atque præcipuo margarito, quod ille euangelicus negotiator inquirens, vniuersis quæ possedit venditis, comparare desiderat, conferantur, ita eorum meritum reuilescit atque cõtemnitur, vt eis sine cũctatione distractis vnius tantũ boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditorem.

Consule lector vigesimãoctauam annotationem post finem operis.

* humilitas,

2. *Cor.* 11.

Matth. 13.

Quod sit verè bonum quod Apostolus se perficere non posse testatur.

CAPVT III.

QVid ergo est vnum quod illis tantis tamque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, vt spretis abiectisque omnibus solum debeat possideri? Nimirum illa pars optima, cuius magnificentiam ac perpetuitatem cum relicto susceptionis atque humanitatis officio, Maria præelegisset, ita prædicatur à Domino: Martha Martha sollicita es & turbaris circa multa, paucis verò opus est, aut etiam vno. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vna ergo & sola est

Lucæ 10.

la eſt theoria, id eſt, contemplatio Dei, cui meritò omnia iu-
ſtificationum merita, vniuerſa virtutum ſtudia poſtponũtur,
& illa quidem omnia quæ in Apoſtolo Paulo fuiſſe prædi-
ximus, non ſolùm bona & vtilia, verum etiam magna atque
præclara ſunt. Sed ſicut, verbi gratia, ſtanni metallum, quod
alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contempla-
tione viliſſimum, & rurſum auri comparatione meritũ eua-
neſcit argenti, aurum quoque ipſum gemmarum collatione
contemnitur, & ipſarum nihilominus quamuis inſignium
multitudo gemmarum vnius margaritæ candore ſuperatur,
ita & illa omnia merita ſanctitatis, quamuis non ſolum ad
præſens bona & vtilia ſint, verumetiam donum æternitatis
acquirant; tamen ſi diuinæ contemplationis meritis confe-
rantur, vilia atque (vt ita dixerim) vendibilia cenſebuntur. Et
vt hanc eandem comparationem etiam ſcripturarum con-
firmet autoritas, nónne de vniuerſis quæ à Deo creata ſunt
generaliter ſcriptura pronunciat, dicens, Et ecce omnia quæ *Geneſ. 1.*
fecit Deus erant bona valdè? Et iterum, Vniuerſa quæ fecit *Eccli. 39.*
Deus bona in tempore ſuo? Hæc igitur quæ in præſenti non
ſolum bona ſimpliciter, verum etiam cum additamento val-
dè bona pronunciantur; ſunt enim reuera in hoc mundo *Quæ bonitas in creaturis conſideranda.*
commorantibus nobis, aut ad vſũm vitæ, aut ad corporis me-
dicinam, aut ad aliquam cauſam ignotæ nobis vtilitatis ac-
commoda, vel certè in eo etiam valdè bona, quod faciunt nos
inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intel-
lecta conſpicere, ſempiternam quoque virtutem eius, ac diui- *Rom. 1.*
nitatem, ex tanta tamque ordinata molitione fabricæ mun-
dialis & omnium quæ in ea ſunt ſubſiſtentia cõtemplari; hæc
tamen omnia nec boni nomen tenebunt, ſi futuro illi ſeculo
comparentur, vbi bonorum nulla immutatio, nulla eſt veræ
beatitudinis formidãda corruptio. Cuius mũdi beatitudo ita
deſcribitur: Erit lux lunę ſicut lux ſolis; & lux ſolis ſeptẽplici- *Iſaiæ 3.*
ter ſicut lux ſeptẽ dierũ. Magna igitur hæc & præclara intui-
tu atque mirifica, ſi futuris ex fide repromiſſionibus confe-
rantur, continuò vanitas apparebunt, dicente Dauid, Omnia *Pſalm. 101.*
ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis
eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non
deficient. Ergo quia nihil eſt per ſemetipſum ſtabile, nihil
immutabile, nihil bonũ niſi deitas ſola, omnes verò creaturæ
vt beatitudinẽ æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non
hoc per ſuam naturam ſed per creatoris ſui participationem
& gratiam conſequuntur, tenere hoc meritum bonitatis
creatori ſuo collatæ non poſſunt.

Bonitatem humanam atque iustitiam non esse bonam si diuinæ bonitati ac iustitiæ conferatur. CAP. IIII.

QVòd si etiam manifestioribus adhuc testimoniis huius sententiæ rationem voluerimus astruere, nónne cùm multa pronunciari bona in euangelio legerimus, & arborem bonam & thesaurum bonum, & bonum hominem & bonum seruum, quia non potest, inquit, arbor bona malos fructus facere, & bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, &c, Euge serue bone & fidelis; & vtique hos omnes secundum se bonos esse non dubium sit: si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronunciabitur bonus, dicente Domino, Nemo bonus nisi solus Deus. Cuius intuitu etiam ipsi Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali esse dicuntur, Domino ita ad eos loquẽte: Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est dabit bonum spiritum petentibus se? Denique sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur, ita etiam iustitia nostra diuinæ collata iustitiæ panno menstruatæ similis deputatur, dicente Isaia propheta, Sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et vt aliquid adhuc euidentius inferamus, legis quoque ipsius præcepta vitalia quæ dicitur ordinata per angelos in manu mediatoris, & de qua idem Apostolus, Itaque lex, inquit, sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum, si perfectioni euangelicæ conferantur, minimè bona diuino pronunciantur oraculo, ait enim: Et dedi eis præcepta non bona, & iustitias in quibus non viuent in eis. Apostolus quoque ita noui lumine testamenti gloriam legis affirmat obtũdi, vt eam euangelici comparatione fulgoris nec glorificatam esse pronunciet, dicẽs: Nam nec gloriosum, est id quod glorificatum est, propter excellentem gloriam. Quam comparationem etiam in parte contraria, id est, in peccatorum meritis compensandis scriptura conseruat, vt eos qui multo minus impij sunt, peiorum collatione iustificet, dicens: Iustificata est Sodoma ex te. Et iterum: Quid enim peccauit soror tua Sodoma? Et iustificauit animam suam auersatrix Israël, comparatione præuaricatricis Iudæ. Ita igitur & vniuersarum merita virtutum quæ superiùs comprehendi, cùm per se bona atque pretiosa sint, tamen theoricæ claritatis comparatione fuscantur. Multos etenim sanctos quamuis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos, à contemplatione summi illius boni retrahunt ac retardant.

Matth. 7. Matth. 12. Matth. 25. Lucæ 18. Matth. 7. Isaiæ 64. Galat. 3. Rom. 7. Ezech. 20. 2. Cor. 3. Ezech. 16.

Neminem

Neminem ſummo illi bono intentum eſſe iugiter poſſe.

CAPVT V.

NAm quis eripiens inopem de manu fortiorum eius, & egenum & pauperem à diripientibus eum, quis conterens molas iniquorum, & de medio dentium eorum rapinas extorquens, in ipſo interceſſionis opere diuinæ maieſtatis gloriam quieta mente * ſuſpiciat? Quis alimoniam pauperi- * *ſuſcipiat?*
bus adminiſtrans, aut aduenientiũ turbas beneuola humanitate ſuſcipiens, in eo temporis puncto quo pro neceſſitatibus fratrum ſollicita mente diſtenditur, immenſitatem ſupernæ beatitudinis ſpeculetur; & cùm præſentis vitæ angoribus curiſque concutitur, futuri ſeculi ſtatum eleuato à terrenis contagiis corde proſpiciat? Vnde beatus Dauid ſolum hoc bo- *Pſalm. 72.*
num homini eſſe definiens, Deo iugiter inhærere deſiderat, dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Quod etiàm Eccleſiaſtes à nemine iuſtorum ſine querela perfici poſſe pronuncians: Quia non eſt homo iuſtus, ait, in terra qui faciat bonum, & non *Eccleſ. 7.*
peccet. Quis enim vnquam quamuis præcipuus omnium iuſtorum atq; ſanctorũ huius corporis vinculis colligatus, ſummũ hoc bonũ ita poſſidere potuiſſe credendus eſt, vt nũquam à diuina contemplatione diſcedens, ne paruo quidem tempore ab eo qui ſolus bonus eſt terrenis cogitationibus putetur abſtractus, qui nũquam vllam cibi, vllam indumẽti, aliarúmve carnalium rerum geſſerit curam, nũquam de fratrum ſuſceptione, de loci commutatione, de cellulæ ſtructione ſollicitus, aut opem aliquam humani concupierit adiumenti, aut inopiæ ſterilitate vexatus, illam ſententiam Dominicæ increpationis incurrerit, Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini? Denique *Matth. 6.*
ipſum illum Apoſtolum Paulum qui omnium ſanctorum laborem, paſſionum numeroſitate tranſcenderat, nequaquam hoc implere potuiſſe confidenter aſtruimus, ipſo in actibus Apoſtolorum diſcipulis atteſtante: Ipſi ſcitis quoniam ad ea *Actor. 20.*
quæ mihi opus erant & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt *2. Theſſ. 3.*
manus iſtæ. Vel cùm Theſſalonicenſibus ſcribens, In labore & fatigatione nocte & die operatum ſe fuiſſe teſtatur. Quibus licet magna eidem meritorum ſtipendia pararentur, tamen mens eius quamuis ſancta atque ſublimis, non poterat non ab illa cæleſti theoria, intentione terreni operis aliquandodiuelli. Denique cùm ſe tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, & econtrario theoriæ bonum corde penſaret, ac velut in vna lance tantorum laborum profectum, in altera dele-

ctationem diuinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato, dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium vnitatis & inseparabilis Christi societas, etiam ad resolutionem carnis inuitat, anxius tandem proclamat & dicit: Quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & cum Christo esse, multo enim melius: Permanere autem in carne necessarium magis propter vos.

Philipp. 1.

Quantopere Apostolus fratrum salutem sitiuerit.

CAPVT VI.

CVm igitur multis modis boni huius excellentiam, cunctis etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamen caritatis, sine qua nemo Dominum promeretur contemplatione submittitur, ac propter illos quibus adhuc lac velut nutricula, vberibus euangelicis immulgebat, diuulsionem à Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam non recusat. Etenim ad electionem huius potissimum rei, illa nimia pietatis virtute compellitur, qua pro salute fratrum suorum si esset possibile etiam vltimum anathematis malum optasset incurrere. Optarem enim, inquit ipse, ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem; qui sunt Israëlitæ: hoc est, vellem ego non solùm temporalibus, verum etiam perpetuis addici pœnis, dummodo omnes si fieri posset homines Christi consortio fruerentur. Certus etenim sum vtiliorem Christo & mihi omnium salutem esse, quàm meam.

Rom. 9.

Quòd lippis similes sunt qui se credunt ab omni peccato immunes esse.

CAPVT VII.

BOnum ergo hoc summum (id est, Dei conspectu frui, & Christo iugiter inhærere) vt perfectè Apostolus possit adipisci, dissolui optat à corpore, quod caducũ & multis fragilitatis suę necessitatibus impeditũ non potest à Christi cõsortio non auelli. Impossibile est enim etiã menti quæ tã crebris curis distẽditur, tam molestis, tã variis angoribus præpeditur, diuino frui semper intuitu. Quod enim tam pertinax sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus, vniuersorũ mortalium consortia declinauit, vt nũquàm cogitationibus superfluis laberetur, & intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum ab illa quæ verè sola & bona est Dei cõtemplatione deciderit? Quis tantum spiritus vnquàm potuit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus in ipsa quoque orationis intentio-

Philipp. 1.

tentione translatus, repentè de cælestibus ad terrena corruerit? Quis nostrum vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel inuitus offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis inquã tam * exercitus ac vigilans est, vt dum psalmum Deo canit, nunquã à scripturæ sensu eius animus abducatur? Quis tam familiaris Deo, tãq; coniunctus, qui Apostolicum illud imperium, quo sine intermissione orare nos præcipit, vel vno die se gaudeat executum? Quæ licet omnia nonnullis qui sunt crassioribus vitiis inuoluti, leuia atque à peccato pæne aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauissima est. Velut si in aliquam magnã domum multis instrumentis, vasculis, sarcinis, impeditã, vnum integra visuũ acie perspicacẽ, alterũ cui oculorũ lumen obtuderit lippitudo, pariter ponamus ingressos, nónne * cũ ille cui ad vidẽda omnia hebes erit obtutus, nihil illic aliud esse æstimet nisi armaria, lectos, scamna, præsepia, & quicquid non tam oculis speculãtis quàm manibus palpantis occurrerit, econtra hic qui clarissimo luminum vigore etiam occulta rimatus est, multa illic minutissima & quæ vix possint etiam numero cõprehendi inesse pronunciet, quę si aliquando in vnum cumulum congregentur, paucorum quæ ille palpauerat magnitudinem numerositate compẽsent, aut etiam fortasse transcendant. Ita igitur sancti atque (vt ita dicam) Videntes, quibus perfectionis est studium, etiam illa quæ velut tenebrosus animi nostri non intuetur aspectus, in semetipsis sagaciter deprehendunt, acerrimeque condemnant, vsque adeò vt qui sicut nostræ videtur incuriæ, ne tenuis quidem peccati næuo puræ candorem conscientiæ fuscauerunt, multis sibi maculis videantur aspergi, si non dicam vanæ cogitationis improbitas in atria mentis irrepserit, sed vel psalmi qui dicendus est recordatio orationis tempore intentionem supplicantis auerterit. Si enim, inquiunt, cùm sublimi homini non dicam pro vita ac salute nostra, sed etiam pro alicuius lucri commodo supplicamus, totam in eum & mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod fortè ineptum aut incongruum verbum misericordiam audientis auertat, tum deinde si nobis in foro aut iudicum secularium tribunalibus constitutis, assistente etiã è contra aduersario in media prosecutione atq; conflictu, tussis, screatus, risus,

* exertus

1. Thess. 5.

Venialia peccata non leuiter æstimanda esse.

* et

Quanta mentis attentione orandum sit.

risus, oscitatio, somnus, obrepserit, quanta in perniciem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidia? Quanto magis cùm illi occultorum omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamus, præsertim cùm ediuerso callidus seductor pariter & criminator assistat, intenta atque sollicita oratione iudicantis pietas imploranda est? Nec iniustè non solum leui peccato, sed etiam grauissimo crimine impietatis astringitur, qui precem Domino fundens, subitò à conspectu eius quasi ab oculis non videntis nec audientis, * cogitationis improbæ vanitatem secutus abscesserit. Illi autem qui oculos cordis sui contegunt crasso velamine vitiorum, ac secundum sententiam Saluatoris, videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vix in recessibus pectoris sui etiam illa quæ magna sunt & capitalia crimina contemplantur, nullas autem cogitationum subreptiones, sed neque illos in se lubricos occultosque pruritus qui mentem tenui atque subtili suggestione compungunt, nec captiuitates animæ suæ possunt purgatis obtutibus intueri, sed inuerecundis semper cogitationibus euagantes, nec dolere norunt cùm ab illa contemplatione, quæ singularis est, distrahuntur, nec habent quòd se doleant amisisse, quippe qui mentem suam ingruentibus, vt libitum est, cogitationibus expandentes, nihil habēt propositum quod principaliter teneant, vel quod omnimodis concupiscant. Hæc sanè nos in hunc errorem causa præcipitat, quia ἀναμαρτησίας, id est, impeccantiæ ipsius virtutem penitus ignorantes, existimamus nullam omnino culpam ex istis otiosis ac lubricis cogitationum excursibus nos posse contrahere, sed hebetudine stupefacti & velut oculorum cæcitate percussi, nihil in nobis nisi crimina capitalia contemplamur, eaque tantummodo credimus euitanda, quæ legum quoque secularium seueritate damnantur, à quibus si nos immunes vel paululum senserimus, nihil nobis inesse peccati protinus arbitramur. Proinde ab illo videntium numero segregati, quia minutias multarum sordiũ quæ intra nos aggestæ sunt non videmus, nequaquam salubri compunctione mordemur, si sensum nostrum interpellauerit ægritudo tristitiæ, nec dolemus vanæ gloriæ subtili suggestione pulsati, nec de emissa tardius vel tepidius oratione deflemus, nec reputamus ad culpam cur psallentibus vel orantibus nobis aliquid aliud quàm ipsa oratio vel psalmus occurrerit, nec illud horremus, quód multa quæ vel loqui vel agere coram hominibus pudet, non erubescimus vel ad horam corde concipere, quod

* cogitationis improbæ vanitate secutus

Matth. 13.

re, quod diuino patere nouimus conſpectui, nec pollutionem turpium ſomniorum larga fletuum ablutione purgamus, nec lugemus quod in ipſa eleemoſynæ pietate, cùm vel fratrum neceſſitatibus ſubuenimus, vel alimoniam pauperibus miniſtramus, ſerenitatem noſtræ hilaritatis obnubilat auara cunctatio; nec feriri nos vllo credimus detrimento, cùm derelicta memoria Dei, ea quę ſunt temporalia atque corporea cogitamus, ita vt nobis Salomonis illud aptetur eloquium, Ferierunt me, ſed nõ dolui; & deluſerunt me, ego autẽ neſciui. *Prouer. 23.*

Peccatorum fœditatem & magnitudinem perpauci cognoſcunt.

CAPVT VIII.

E Cõtra hi qui ſummam totius voluptatis & gaudij & beatitudinis ſuæ, in diuinarum ac ſpiritalium rerum tantùm contemplatione conſtituunt, cùm ab ea inuiti vel paululum violentis cogitationibus abſtrahuntur, velut quoddam in ſe ſacrilegii genus præſenti pœnitudinis puniunt vltione, ac viliſſimam creaturam, ad quam ſit detortus mentis intuitus, creatori ſuo ſe prætuliſſe lugentes, pæne dixerim impietatis ſibi crimen aſcribunt: & licet ad conſpiciendam diuinæ gloriæ claritatem, oculos ſui cordis ſumma alacritate conuertant, tamen etiam breuiſſimas carnalium cogitationum tenebras non ferentes, quicquid ab illo vero lumine mentis aſpectum retrahit execrantur. Denique cùm hunc beatus Apoſtolus Ioannes affectum cunctis vellet infundere: Filioli, *1. Ioan. 2.* inquit, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Dei in ipſo; quia omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ eſt, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt, & mundus perit & concupiſcentia eius; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Faſtidiunt ergo ſancti vniuerſa in quibus mundus iſte verſatur, ſed impoſſibile eſt vt non ad ea vel breui cogitationum rapiantur exceſſu, nullusque etiam nunc hominum (excepto Domino & Saluatore noſtro) naturalem peruagationem mentis, ita defixus ſemper in Dei contemplatione continuit, vt nunquàm ab ea raptus mundanæ cuiuſquam rei delectatione *Iob 25.* peccaret, dicente ſcriptura: Sidera ipſa non ſunt munda in *Iob 15.* conſpectu eius. Et iterum: Si in ſanctis ſuis non confidit, & in Angelis ſuis repperit prauitatem; ſiue, vt emendatior tranſlatio habet, Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius.

Recedere à Deo, perniciosum & præsens exitium est.

CAPVT IX.

REctè igitur sanctos qui memoriam Dei stabiliter retinentes, quasi per extensas in sublime lineas suspenso ferũtur incessu, schœnobatis, quos vulgo funambulos vocant, dixerim comparandos, qui summam suę salutis ac vitę in angustissimo funiculi illius tramite collocantes, atrocissimam se mortem protinus incursuros esse non ambigunt, si vel exigua pes eorum titubatione deuiauerit, aut modum illius salutaris directionis excesserit. Qui dum arte mirifica aëreos gressus per inania moliuntur, si illam angustiorem vestigio semitam, non cauta atque sollicita moderatione seruauerint, terra quæ omnibus velut naturalis est basis, & solidissimum cunctis ac firmissimum fundamẽtum, fit illis præsens ac manifesta pernicies, non quia illius natura mutetur, sed quia illi in eam præcipiti carnis pondere dilabuntur. Ita etiam indefessa illa Dei bonitas, immutabilisque substantia ipsa quidem neminem lædit, sed nos declinando à summis atque ad ima tendendo, nobis ipsis consciscimus mortem, immo ipsa declinatio mors efficitur declinanti. Væ enim, inquit, eis quoniã recesserunt à me. Vastabuntur, quoniam præuaricati sunt in me. Et iterum: Vę eis cùm recessero ab eis. Arguet namque te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Funiculis namque suorum peccatorum vnusquisque constringitur. Ad quos satis competenter à Domino increpatio ista dirigitur: Ecce, inquit, omnes vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. Et iterum: Qui incendit, inquit, malitiam, peribit ab ea.

Osee 7.
Osee 9.
Ierem. 2.
Prouerb. 5.
Isaia 50.

Quòd hi qui ad perfectionem tendunt in veritate humilientur, & Dei gratia semper se sentiant indigere. CAP. X.

CVm ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægrauatos, ab illa mentis sublimitate decidere, & inuitos, imò verò etiam nescientes in legem peccati mortisq; traduci, atque, vt cætera prætermittam, illis saltẽ quæ superius comprehendi, bonis quidem ac iustis, sed tamen terrenis, à conspectu Dei operibus auocari, habẽt profectò pro quibus ad Deum iugiter ingemiscant, habent pro quibus in veritate humiliati atq; compuncti, non verbis tantummodo, sed affectu semetipsos pronuncient peccatores, & veniam veraciter pro omnibus quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, ac gratiã Domini iugiter postulantes, veras

veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant, quippe qui videant iisdem ipsis se pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam vsque ad vltimum vitæ suę finem æstibus inuolutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis viribus desideratum finem obsistente carnis sarcina non posse contingere, neque illi præcipuo summoque bono secundum cordis sui desiderium posse cõiungi, sed ab eius intuitu captiuos ad mundana traduci, ad gratiam Dei qui impios iustificat, Roman. 7. conuolantes, cum Apostolo protestantur: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum. Sentiunt enim se bonum istud quod volunt non posse perficere, sed illud quod nolunt quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus & curam corporalium rerum semper incurrere.

Expositio illius sententiæ, Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, &c. CAP. XI.

ET condelectantur quidem legi Dei secundum interiorem Roman. 7. hominem, qui visibilia vniuersa transcendens, conatur Deo soli semper vniri, sed vident aliam legem in membris suis, id est, in natura humanæ condicionis insertam, quæ repugnat legi mentis eorum, & captiuum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens scilicet eum relicto illo principali bono terrena cogitatione submitti. Quæ quamuis necessaria atque corpori vtilis videatur, cum dispensatione religiosæ cuiuspiam necessitatis impenditur, comparatione tamen illius boni quod sanctorum omnium oblectat intuitum, mala vtique ab eis ac fugienda decernitur, qui per eam quoquomodo vel ad modicum tempus ab illius perfectę beatitudinis gaudio retrahuntur. Verè enim lex peccati est quam humano generi præuaricatio sui induxit autoris, per illius noxam in quem * lata est æquissimi iudicis illa sententia, *locuta Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit Genes. 3. tibi, & in sudore vultus tui edes panem tuum. Hæc inquam est lex membris omnium inserta mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, eamque à diuino arcet intuitu, qua maledicta terra in operibus nostris, post agnitionem boni & mali cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare, quarum aculei naturalia virtutum semina præfocant, ne illum panem nostrum qui de cęlo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus.

Expo-

Expositio illius, Scimus autem quoniam lex spiritalis est, & reliqua.

CAPVT XII.

OMne igitur humanum genus huic generaliter legi sine vlla exceptione subiicitur. Nullus enim est quãuis sanctus qui suprà dictum panem non cum sudore vultus sui, & sollicita cordis intentione percipiat. Cæterum communi isto pane multi, vt videmus, diuites sine vllo vultus sui sudore vescuntur. Quam etiam legem beatus Apostolus spiritalem asserit dicens: Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Spiritalis enim est lex hæc quæ iubet nobis vt in sudore vultus nostri comedamus illum panem verum, qui de cælo descendit, sed nos carnales fecit venundatio illa peccati. Quid rogo istud cuiúsve peccatum est? Sine dubio Adæ, cuius pręuaricatione, &(vt ita dicam) negotiatione damnosa, fraudulentoque commercio venditi sumus. Omnem enim prolem suam serpentis persuasione seductus, illiciti cibi perceptione distractam, iugo perpetuæ seruitutis addixit. Hic namque mos solet inter vendentem ementemque seruari, vt is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretij pro iactura propriæ libertatis & addictione perpetuę seruitutis à suo consequatur emptore. Quod etiam inter Adam atque serpentem manifestissimè videmus impletum. Ille enim à serpẽte pretium libertatis suæ esu interdictæ arboris capiens, à naturali libertate discessit, illique maluit semetipsum perpetua dedere seruitute, à quo vetiti pomi lethale pretium fuerat assecutus: qua deinceps condicione constrictus, non immeritò omnem posteritatis suæ progeniem perpetuo eidem cuius effectus est seruus subdidit famulatu. Quid enim aliud seruile coniugium potest procreare quàm seruos? Quid ergo? Numquid emptor iste versutus & callidus, domino vero atque legitimo ius dominationis eripuit? Non ita est. Neque enim sic ille omne peculium Dei, vnius fraudis dolositate peruasit, vt potentiam dominij sui verus dominator amitteret, qui ipsum quoque emptorem quamuis refugam atque rebellem, tamen iugo reprimit seruitutis; sed quia qui omnibus rationabilibus creaturis arbitrij libertatem creator indulserat, eos qui se contra fas edacis concupiscentiæ transgressione vendiderant, inuitos ad ingenitam libertatem reuocare nõ debuit. Abhorret siquidem ab illo iustitiæ & pietatis autore, quicquid bonitati æquitatique contrarium est. Malum enim fuerat si concessæ libertatis beneficium reuocasset, iniustum si liberum hominem potentia sua opprimens atque captiuans, libertatis acceptæ

Rom. 7.

Ioann. 6.

Quomodo homo dicatur venundatus.

Diabolo venũdati, non sunt diuinæ potestati subtracti.

tis acceptæ priuilegium assequi non siuisset, cuius salutem in futura tūc secula reseruauit, vt recto ordine compleretur statuti temporis plenitudo. Oportebat enim eius sobolem tamdiu sub habita condicione durare, quousque eandem originalibus vinculis liberatam, in antiquum libertatis statum, prioris domini gratia pretio sui sanguinis reformaret, quam pietatis instinctu potuit etiam tunc saluare, sed noluit, quia eum decreti sui irrumpere sanctionem æquitas non sinebat. Vis nosse causam venditionis tuæ? Audi ipsum redemptorem tuum per Esaiam prophetam apertissimè proclamantē: Quis est iste liber repudij matris vestræ quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Vis etiam euidenter agnoscere cur te jugo seruitutis addictum redimere potētiæ suæ virtute noluerit? Audi quid ad superiora, quibus eisdem famulis peccatorum causam voluntariæ venditionis exprobrat, adiecerit. Nūquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum? Sed quid huic potentissimæ misericordiæ eius semper obstiterit, idem propheta demonstrat: Ecce, inquit, non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.

Isaiæ 50. *Ibidem.* *Isaiæ 59.*

Expositio illius, Scio autem quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. CAPVT XIII.

QVia ergo carnales nos fecit, & spinis ac tribulis condemnauit illa Dei prima maledictio, nosque ita iniquo pater noster venumdedit commercio, vt bonum quod volumus agere nequeamus, dum diuulsi à memoria summi Dei, ea quę fragilitatis humanæ sunt cogitare compellimur, dum * puritatis amore flagrantes, incentiuis naturalibus quæ penitus ignorare velimus etiam inuiti plerumque compungimur, scimus quia non habitat in carne nostra bonum, id est, huius quam diximus theoriæ atque puritatis perpetua iugisque tranquillitas. Sed factum est in nobis istud pessimum ac lugubre diuortium, vt cùm mente legi Dei seruire velimus, nūquam scilicet volentes à claritate diuina dimouere conspectum, tamen carnalibus tenebris circumfusi quadam lege peccati ab eo quod bonum esse nouimus cogamur auelli, scilicet ad curas cogitationesque terrenas, ab illa mentis celsitudine decidentes, ad quas nos lex peccati, id est, illa sententia

* natura

Rom. 7.

Dei

Dei nõ immeritò cõdemnauit, quã primus peccator excepit, & inde est quòd beatus Apostolus, cùm apertissimè fateatur ineuitabili se vel omnes sanctos peccati huius necessitate constringi, tamen neminem eorum ob hoc esse damnandum audenter enunciat, dicens: Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu. Lex enim vitę in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis: id est, quotidiana gratia Christi omnes sanctos suos ab hac lege peccati & mortis (in quam iugiter vel nolentes coguntur incurrere) cum remissione debitorum suorum à Domino precatur absolui. Videtis ergo non ex persona peccatorum, sed ex illorum qui verè sancti atque perfecti sunt, hanc beatum Apostolum promsisse sententiam, Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malũ hoc ago. &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.

Roman.6. *Roman.7.*

Obiectio quòd neque infidelibus neque sanctis competere videatur illud Apostoli, non enim quod volo facio bonum.

CAPVT XIIII.

GErmanus: Neque eorum qui capitalibus criminibus implicantur, neque Apostoli vel illorum qui ad eius profecere mensuram, hoc dicimus congruere posse personis, sed de his propriè hoc intelligi debere censemus, qui post Dei gratiam agnitionemque veritatis à carnalibus se vitiis abstinere cupientes, antiqua adhuc consuetudine velut naturali lege in mẽbris suis violentissimè dominante, ad insolitam passionum concupiscentiã pertrahuntur. Vsus enim ac frequentia delinquẽdi, velut lex efficitur naturalis, quæ mẽbris humanæ infirmitatis inserta, affectus animę nec dum plenis virtutũ studiis eruditæ, sed adhuc rudis ac teneræ (vt ita dixerim) castitatis, captiuos rapit ad vitia, ac morti eos antiqua lege subiiciens, iugo peccati dominantis addicit, non sinens eos bonum quod diligunt puritatis adipisci, sed potius malum quod execrantur exercere compellens.

Responsio ad obiectionem propositam. CAPVT XV.

THeonas: Non parum vestra proficit opinio. Si quidem etiam vos ipsi astruere iam cœpistis in illorum persona qui omnino peccatores sunt, hoc penitus stare nõ posse, illis autem qui se à vitiis carnalibus abstinere cõtendunt, propriè conuenire. Quos quoniam à peccatorum iam numero segregastis, consequens est vt etiam fidelium atque sanctorũ paulatim cœtibus inseratis. Quæ enim genera peccatorum istos diciris posse cõmittere, quibus si fuerint post gratiam baptismatis

matis inuoluti, rursum per quotidianam Christi gratiam liberentur? Aut de quo mortis corpore Apostolus dixisse credendus est, Quis me liberabit de corpore mortis huius, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum? *Rom. 7.* Nónne manifestum est sicut vos quoque ipsos veritas compulit confiteri, non de illis capitalium criminum membris, per quæ stipendium æternæ mortis acquiritur, id est, homicidij, fornicationis, adulteriorũ, ebrietatis, furtorum, atq; rapinarum, sed de illo prædicto cui gratia Christi quotidiana succurrit corpore memorari? Quisquis enim post baptismum & scientiam Dei, in illud mortis corpus irruerit, sciat se nõ quotidiana gratia Dei, id est, facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus noster erroribus nostris donare consueuit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis ac pœnali dolore purgandũ, aut certè pro his in futurũ æterni ignis suppliciis addicendũ, ita eodem Apostolo pronunciante: Nolite *1. Cor. 6.* falli, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Aut quæ est ista lex militans in membris nostris quæ repugnat legi mentis nostræ; cumque nos resistentes, atque captiuos in legem peccati ac mortis abduxerit, eique nos fecerit carne seruire, nihilominus mente legi Dei seruire permittit? Nec enim hic puto legem peccati flagitia designare, aut hoc de his suprà dictis intelligi posse criminibus, quæ si quis facit, legi Dei mente non seruit; à qua necesse est eum animo ante discedere, quàm aliquid eorum carne committat. Quid est enim seruire legi peccati, nisi ea quæ à peccato imperantur implere? Quod ergo peccati genus est, quo cùm se tanta sanctitas atque perfectio sentiat captiuari, gratia tamen Christi non ambigat liberandum dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore *Rom. 7.* mortis huius, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum? Quam, inquam, legem membris nostris inesse firmabitis quæ abstrahat nos à lege Dei, & captiuans lege peccati, infelices nos potius faciat quàm nocentes, vt non æternis suppliciis addicamur, sed quasi de interrupto beatitudinis gaudio suspiremus, & auxiliatorem qui nos ad id retrahat inquirentes cum Apostolo proclamemus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Abduci namque captiuum in legem peccati, quid est aliud quàm in effectu peccati atque opere permanere? Aut quod aliud principale dabitur bonum, quod sancti explere non possint,

nisi id

nisi id ad cuius comparationem, vt suprà diximus vniuersa nec bona sunt? Et quidem nouimus multa esse in hoc mundo bona, præcipueque pudicitiam, continentiam, misericordiam, temperantiam, pietatem, sed hæc omnia & summo illi bono paria esse non possunt, & perfici non dicam ab Apostolis, sed etiam à mediocribus possunt, & à quibus impleta non fuerint, aut æterno supplicio puniuntur, aut grandi, vt suprà dictum est, labore pœnitentiæ, non quotidiana Christi gratia liberantur. Superest igitur, vt hanc Apostoli sententiam soli sanctorum personæ rectè fateamur aptari, qui in hanc quam prædiximus incurrentes quotidie peccati, non criminum legem, de statu salutis suæ certi, non præcipitantur in facinus, sed, vt sæpe dictum est, de contẽplatione diuina ad miseriam cogitationum deuoluti corporalium, veræ illius beatitudinis bono plerumque fraudantur. Si enim se in hanc membrorum suorum legem quotidianis sentirent sceleribus illigari, non vtique de felicitatis amissione, sed de innocentia causarentur; nec diceret Apostolus Paulus, Infelix ego homo; sed impurus aut scelestus ego homo: nec de corpore mortis huius, hoc est de condicione mortali, sed à flagitiis atq; criminibus carnis huius vellet absolui. Sed quia se pro cõdicione fragilitatis humanę senserat captiuatũ, id est, abductũ ad sollicitudines curasq; carnales, quæ lex peccati & mortis operatur, ingemiscẽs super hac quã inuitus incurrerat lege peccati, confestim recurrit ad Christum, & præsentissima gratiæ eius redemtione saluatur. Quod ergo lex illa peccati, quæ spinas ac tribulos cogitationum curarumque mortalium naturaliter gignit, etiam in Apostolici pectoris terra sollicitudinis germinarit, ista lex gratię mox auellit. Lex enim, inquit, spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. *Rom. 8.*

Quid sit corpus peccati & mortis.

CAPVT XVI.

HOc ergo ineuitabile corpus est mortis, in quod perfecti quique, qui gustauerũt quàm suauis est Dominus, quotidie reuoluti, sentiunt cum Propheta quàm malum sibi & amarũ sit discedere à Domino Deo suo. *Ierem. 2.* Hoc est corpus mortis, quod à cælesti eos intuitu retrahens ad terrena deducit, quod psallentes eos atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negotia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, quod æmulantes angelicam sanctitatem, & volentes Domino iugiter inhærere, perfectionem tamen huius boni, quia mortis corpus obsistit,

inuenire non possunt, sed faciunt malum quod nolunt, id est, traducuntur mente etiam ad illa quæ ad profectum virtutum perfectionemque non pertinent. Denique vt hoc de sanctis atque perfectis sibique similibus, se dixisse beatus Apostolus euidenter exprimeret, digito quodammodo semetipsum tactuque designans, continuo infert. Itaque ego ipse, id est, qui hæc pronuncio, meæ non alterius conscientiæ latebras pando. *Rom. 7.* Hoc sanè locutionis genere familiariter vti Apostolus solet, si quando vult se specialiter designare, sicut ibi: Ego ipse Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi: *2. Cor. 10.* Et rursum: Nisi quòd ego ipse non grauaui vos: *2. Cor. 12.* Et iterum, Sed esto, ego ipse non grauaui vos: *Ibidem.* Et alibi: Ego ipse Paulus dico vobis, si circũcidamini Christus vobis nihil proderit, *Galat. 5.* Et ad Romanos, Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. *Rom. 9.* Potest autem non absurdè etiam sic accipi, vt expressius cum emphasi pronunciet: Itaque ego ipse, id est, quem nostis esse Apostolum Christi, *Rom. 7.* quem tota suspicientia veneramini, quem creditis summum atque perfectum esse, & in quo loquitur Christus, cùm mente seruiam legi Dei, carne tamen legi peccati seruire me fateor, hoc est, distentione conditionis humanæ interdum de cælestibus ad terrena deuoluor, & ad curas humilium rerum mentis meæ altitudo prolabitur, per quam peccati legem ita momentis singulis me sentio captiuari, vt quamuis immobili circa legem Dei desiderio perseuerem, nullo tamen modo vim huius captiuitatis euadere me posse sentio, nisi confugero semper ad gratiam Saluatoris.

Quòd sancti omnes veraciter immundos se & peccatores esse confessi sunt.

CAPVT XVII.

ET idcirco quotidianis suspiriis sancti omnes pro hac substantiæ suæ fragilitate compuncti, dum cogitationum varietates, & conscientiæ suæ latebras ac penetralia perscrũtantur, suppliciter clamant: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Psalm. 142.* Et illud: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis fiduciam habebit se mundum esse à peccato? *Prouerb. 20.* Et iterum: Non est iustus homo in terra qui faciat bonum & non peccet. *Ecclesi. 7.* Et ita infirmam hominum imperfectamque iustitiam, ac misericordia Dei semper indignam esse senserunt, vt vnus ex his cuius iniquitates & peccata Deus misso de altari ignito verbi sui carbone purgauit, post illam mirificam contemplationẽ Dei, post intuitum sublimium Seraphin, & reuelationem

Isaiæ 6. sacramentorum cælestium dicat: Væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Qui sicut arbitror labiorum suorũ immunditiam nec tunc quidem fortasse sensisset, nisi veram perfectionis & integram puritatem contemplatione Dei meruisset agnoscere, cuius intuitu pollutionem suam sibi antè incognitam repentè cognouit. Cùm enim ait, væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum, de suorum hoc labiorum, non de populi pollutione confessum id quod sequitur manifestat, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Sed etiam cùm orans peccatorum quasi vniuersalium immunditiam confitetur, non iniquorum tantùm, sed etiam iustorum plebem generali supplicatione complectitur dicens, Ecce tu iratus es & nos peccauimus, in ipsis fuimus semper & saluabimur, facti sumus vt immundus omnes nos, tanquàm pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Rogo quid euidentius hac potest esse sententia, qua non vnam tantùm, sed vniuersas iustitias nostras propheta complexus, & circumspiciens omnia quæ vel immunda vel horrenda iudicantur, quia nihil in hominum conuersatione sordidius neq; impurius potuit reperire, panno menstruatæ eas comparare maluit?

Isaiæ 64.

Etiam iustos & sanctos sine peccato non esse.

CAPVT XVIII.

FRustra ergo manifestissimæ veritati spinosæ obiectionis acumen opponitur, sicut paulo antè dixistis, si nemo sine peccato, nullus est sanctus; & si nemo sanctus, nullus ergo saluabitur. Hoc enim prophetæ testimonio potest nodus huius quæstionis absolui. Ecce, inquit, tu iratus es, & nos peccauimus, id est, cum elatione nostri cordis vel negligentia, aduersatus tuo nos auxilio denudasti, confestim nos vorago absorbuit peccatorum, velut si quis splendidissimo solis diceret elemento, Ecce tu occubuisti, & nos illico tenebrosa contexit obscuritas. Et tamen cùm hic sanctus peccasse se dicat, & non solùm peccasse, sed etiam in ipsis semper permansisse peccatis, non desperat penitus de salute, sed subiicit: in ipsis fuimus semper & saluabimur. Hanc ego sententiam, Ecce tu iratus es & nos peccauimus, illi Apostolicæ comparabo, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Rursum id quod propheta subiungit, in ipsis fuimus semper & saluabimur, consequentibus Apostoli congruit verbis, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Similiter etiam illud eiusdem prophetæ, væ mihi quia vir pollutus

Isaiæ 64.

Rom. 7.

Isaiæ 6.

lutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, videtur suprà dictos sapere sermones, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Itemque quod sequitur in propheta, Et ecce volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius carbunculus siue calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit: Ecce hoc tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur, tale est vt Pauli videatur ore prolatum, qui ait, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Videtis ergo quemadmodum omnes sancti non tam ex persona populi, quā ex sua, & peccatores se veraciter fateātur, & tamē nequaquā de sua salute desperent, sed iustificationis plenitudinem, quam pro condicione fragilitatis humanæ consequi se posse diffidūt, de gratia Domini & miseratione præsumūt. *Ibidem.*

Ex Dominicæ precationis formula ostendit neminem sine peccato viuere.

CAPVT XIX.

NEminem verò in hac vita quamuis sanctum, immunem esse à debitis peccatorum, etiam magisterium nos docet Saluatoris, qui discipulis suis perfectæ orationis formulam tradens, inter reliqua illa sublimia sacratissimaque mandata, quæ quoniam non nisi sanctis perfectisque sunt tradita, malis & infidelibus conuenire non possunt, hoc iussit interseri, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si ergo vera hæc & à sanctis profertur oratio, sicut indubitanter credere nos oportet, quis tam contumax, & præsumptor, tam superbia diabolici furoris elatus poterit inueniri, qui sine peccato se esse pronunciās, non solùm maiorem se Apostolis credat, verum etiam ipsum quasi ignorantiæ aut vanitatis arguat Saluatorem, vt scilicet aut nescierit esse posse aliquos immunes à debitis, aut frustra docuerit eos quos scierit orationis istius remedio non egere? Sed cùm regis sui præcepta seruantes, omnes omnino sancti quotidie dicant, dimitte nobis debita nostra, si verum dicunt, verè nemo est immunis à culpa; si autem fallunt, æquè verum est eos mendacij non carere peccato. Vnde etiam ille sapientissimus Ecclesiastes vniuersos actus & humana studia mente percurrens, sine vlla exceptione pronunciat, Quia non est iustus homo in terra qui faciat bonum & non peccet: id est, nemo in hac terra tam sanctus, tam diligens, tam intentus, vel potuit vnquam vel poterit inueniri, qui vero illi ac singulari bono ita iugiter valeat inhærere, vt non quotidie ab eo distractus se sentiat delinquere. Qui tamē *Matth. 6.* *Eccles. 7.*

cùm pronuncietur immunis à noxa esse non posse, iustus esse nihilominus non negatur.

Quòd in ipso quoque orationis tempore peccatum declinari vix possit.

CAPVT XX.

QVisquis itaque τὸ ἀναμάρτητον, id est, impeccantiam naturæ ascribit humanæ, non inanibus verbis, sed conscientiæ suæ testimonio nobiscum ac probatione confligat, & tunc demum se absque peccato esse pronunciet, cùm se ab hoc summo bono senserit non auulsum: imò verò quisquis considerans conscientiam suam, vt non dicam amplius, vnam saltem synaxim sine vlla verbi, vel facti, vel cogitationis interpellatione se deprehenderit celebrasse, absque peccato se esse pronunciet. Proinde quia his omnibus otiosis ac superfluis rebus, volucrem humanæ mentis excursum fatemur carere non posse, per hoc vtique consequenter sine peccato nos non esse veraciter confitemur. Nam quantauis circumspectione vnusquisque cor suum seruare contendat, numquam id secundum desiderium spiritus sui, repugnante carnis conditione custodiet. Quantò enim magis profecerit mens humana, & ad synceriorem contemplationis peruenerit puritatem, tantò se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet, quia necesse est vt dum animus ad sublimiorem se extendit intuitū, & maiora quā agit prospiciens concupiscit, illa in quibus est, vt inferiora semper ac viliora despiciat.

Quòd licet agnoscamus nos sine peccato non esse, non debeamus tamen nos à Dominica communione suspendere.

CAPVT XXI.

Quo quisque perfectior est eo se magis inquinatum ac sordidum reputat.

PLurima siquidem denotat syncerior obtutus, paritérque sibi maiorem reprehensionis dolorem irreprehensibilis vita, & multiplicat gemitus atque suspiria emendatio morum, & æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo in quo profecerit gradu potest esse contētus, & quātò quis fuerit mente purgatior, tantò se sordidiorem videns magis humilitatis quàm elationis inuenit causas, quantoque perniciùs ad sublimiora contenderit, tantò amplius præuidet sibi superesse quo tendat. Denique ille Apostolorum eximius quem diligebat Iesus, recumbens supra pectus eius, hanc quasi ex Dominico protulit corde sententiam: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Itaque dicentes nos non habere peccatum, veritatem, id est, Christum non habentes in nobis, quid aliud proficimus, nisi vt nos hac ipsa professione ex peccatoribus sceleratos atq; impios approbemus? Postremò si cordi est veriùs explorare,

1. Ioann. 1.

vtrum possibile sit humanæ substantiæ τὸ ἀναμάρτητον, id est, impeccantiam possidere, à quibus manifestiùs discere poterimus, quàm ab his qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis,& quibus verè crucifixus est mundus? *Galat. 5.* *Galat. 6.* Qui cùm de cordibus suis non solùm radicitus vitia vniuersa conuulserint, verumetiam peccatorum memoriam ac cogitationes conentur excludere, nihilominus tamen quotidie fideliter profitentur, ne vna quidem hora macula se carere peccati. Nec tamen ex eo debemus nos à Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis ac magis est & propter animæ medicinã & purificationẽ spiritus auidè festinandũ: verumtamẽ ea humilitate mentis ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nec anniuersaria quidem dignè est præsumenda communio, vt quidam faciunt qui in monasteriis consistentes, ita sacramentorum cælestium dignitatem & sanctificationem ac meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos atque immaculatos debere præsumere, & non potius vt sanctos mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profectò maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt, quia vel tunc cùm ea percipiunt dignos se eius perceptione diiudicant. Multo enim iustius est, vt cum hac cordis humilitate qua credimus& fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinũ pręsumamus quàm vt vana persuasionę cordis elati, vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus. Quapropter vt hæc intelligere & fructuosè tenere possimus, misericordiam Domini, vt nos ad perficienda hæc adiuuet attentiùs imploremus, quæ nequaquam ita vt cæteræ humanæ artes præcedente quadam ratione verborum, sed actu potius & experientia præeunte discuntur, quæque rursum, nisi tam collationibus spiritalium virorum frequenter examinata fuerint & polita, quàm documentis & quotidiana experientia sollicitè ventilata, aut obsolescunt incuria, aut otiosa obliuione depereunt.

Collationis tertiæ Abbatis Theonæ finis.

COLLATIO XXIIII. ET POSTREMA, QVÆ EST ABBATIS ABRAHÆ DE MORTIFICATIONE.

Capvt I.



VARTA atque vicesima iſta collatio Abbatis Abrahæ Chriſto fauente producitur, omnium Seniorum traditiones concludens, qua veſtris orationibus conſummata, illorum vigintiquatuor ſeniorũ, qui in ſancta Apocalypſi coronas ſuas agno offerre dicuntur numero myſticè congruente, cunctarum promiſſionum noſtrarum debitis nos credimus liberandos. Si qua proinde gloria hi vigintiquatuor Seniores noſtri ob inſtitutionis ſuæ meritum fuerint coronati, illi qui pro ſalute mundi immolatus eſt agno ſubiectis capitibus ornaturi: ipſe enim & illis tam eximium ſenſum, & nobis qualemcunque ſermonem, quo tanta profunditas promeretur propter honorem nominis ſui donare dignatus eſt. Et neceſſe eſt vt ad autorem bonorum omnium muneris ſui merita referantur, cui hoc ipſo debetur amplius quo magis ſoluitur. Igitur ad hunc Abraham cogitationum noſtrarum impugnationem anxia cõfeſſione detulimus, quia ad repetendam prouinciam noſtram, atque ad reuiſendos parẽtes quotidianis animi æſtibus vrgebamur. Hinc etenim nobis maxima deſideriorum naſcebatur occaſio, quòd tanta religione atque pietate parentes noſtros præditos recordabamur, vt eis nequaquàm noſtrum propoſitum præponeremus, hoc iugiter mente voluentes, quòd profectum magis ex illorũ eſſemus aſſiduitate capturi, nullaq; nos corporaliũ rerum ſollicitudine, nulliſq; proſpiciẽdi victus diſtentionibus occupãdos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem noſtræ neceſſitatis explentibus. Inſuper etiam ſpe inanium gaudiorum animum paſcebamus, credẽtes fructum nos maximum percepturos de conuerſione multorum, qui velut noſtro eſſent ad viam ſalutis exemplo ac monitis dirigendi, tum præterea ipſorum locorum ſitus, in quibus erat maioribus noſtris*habita poſſeſſio, ipſarumq; amœnitas regionũ iocunda ante oculos pingebatur, quàm gratæ & congruæ ſolitudinis ſpatiis

Apocal. 4.

* auita

nis ſpatiis tenderetur, ita vt non ſolùm delectare monachum poſſint ſecreta ſiluarum, ſed etiam magna victus præbere compendia. Quæ omnia prædicto Seni cùm ſecundum fidem conſcientię noſtræ ſimpliciter panderemus, nec iam impugnationum vim tolerare nos poſſe, niſi nobis per illius medicinam Dei gratia ſubueniſſet, profuſis lacrymis teſtaremur, tacitus ille diuque cunctatus, atque ad extremum grauiter ingemiſcens, ita reſpondit.

Quomodo noſtros Senex patefecerit errores.

CAPVT II.

NEcdum vos deſideriis renunciaſſe mundanis, nec mortificaſſe concupiſcentias priſtinas, cogitationum veſtrarùm prodit infirmitas. Nam ſicut deſidiam cordis veſtri deſideriorum veſtrorum peruagatio proteſtatur, hanc peregrinationem ac parentum abſentiam, quam mẽte potius ſuſcipere debuiſtis, carne tantummodo ſuſtinetis. Sepulta enim hæc omnia, ac de cordibus veſtris euulſa penitus iam fuiſſent, ſi vel rationem ipſius abrenunciationis, vel principalem ſolitudinis cauſam, in qua conſiſtimus, cœpiſſetis. Ideoque vos illa otij ægritudine ſentio laborare quæ in Prouerbiis ita notatur, In deſideriis eſt omnis otioſus. Et iterum: Deſideria occidunt pigrum. Nam & nobis poterant hæc quę commendaſtis carnalium commodorum non deeſſe compẽdia, ſi credidiſſemus ea noſtro conuenire propoſito, aut talem ex illis amœnitatum voluptatibus fructum nobis iudicaſſemus poſſe conferri, qualis iſte eſt qui de hoc locorum ſqualore & corporis contritione conquiritur. Nec ſumus ita parentum ſolatio deſtituti, vt deſint qui de ſuis ſubſtantiis ſuſtentare nos gaudeant, niſi nobis illa ſententia Saluatoris occurrens, quicquid ad fotum huius pertinet carnis excluderet, qua dicitur, Qui non reliquerit ſiue oderit patrem, & matrem, & filios, & fratres, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quòd ſi parentum quoque eſſemus præſidio deſtituti, certè vel potentum mundi iſtius obſequia deeſſe non poſſent, qui promptiſſima largitate neceſſitatibus noſtris cum omni gratiarũ actione ſubminiſtrare gauderẽt, quorũ munificẽtia ſuſtẽtati, parandi victus ſollicitudine careremus, niſi nos vehementer illa prophetica maledictio deterreret; Nã maledictus, inquit, homo qui ponit ſpem ſuam in homine: Et, Nolite confidere in principibus. Potuimus etiãm cellulas ſaltem noſtras ſuper Nili fluminis alueũ collocãres, aquã habere pro foribus, ne eã è quatuor milibus paſſuũ noſtris cogeremur deferre ceruicibus, niſi nos ad-

Prouer. 21.

Quanta in ſolitudinis amatoribus & religioſis ſui abnegatio, & rerum omnium ac commodorũ temporalium abrenunciatio eſſe debeat.

Luca 14.

Ierem. 17.

Pſalm. 145.

1. Cor. 3. tolerantiam laboris istius indefessos beatus Apostolus reddens hoc iugiter animaret eloquio: Vnusquisque, inquiens, propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Nec ignoramus esse nonnulla in regionibus nostris amœna secreta, in quibus pomorum copia, & hortorum gratia, vel vbertas, necessitatem victus nostri minimo labore corporis expedirent, nisi impingendam nobis illam exprobrationem, quæ ad *Lucæ 16.* illum in Euangelio directa est diuitem, vereremur: Quia recepisti consolationem tuam in vita tua. Sed despectis illis omnibus & cum vniuersa mundi huius voluptate cõtemptis, his tantùm squaloribus delectamur, vniuersisque delitiis horrendam solitudinis istius præferimus vastitatem, neque huic arenarum amaritudini quantasuis vberis glebæ diuitias comparamus, non temporalia huius corporis lucra, sed *Non satis est monachum semel renunciasse nisi assiduè renunciationem suam prosequatur.* æterna spiritus emolumenta sectantes. Parum est enim renunciasse monachum semel, id est, in primordio conuersionis suæ contempsisse præsentia, nisi eis quotidie renunciare perstiterit. Vsque in finem namque huius vitæ illud nobis dicendum est cum propheta, Et diem hominis non desideraui, tu scis. Vnde & Dominus in Euangelio; Si quis vult, inquit, *Ierem. 17.* post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam *Luca 9.* quotidie, & sequatur me.

De qualitate locorum quæ ab Anachoretis expeti debeant. CAP. III.

ET idcirco ei qui de interioris hominis puritate peruigilem sollicitudinem gerit, expetenda sunt loca, quæ mentem eius nulla ad culturæ distentionem vbertatis suæ fœcunditate sollicitent, nec de cellulæ fixa atque immobili statione perturbent, atque ad aliquod subdiuale opus prodire compellant, & ita velut in apertum effusis cogitationibus omnem mentis directionem ac subtilissimũ certè illius destinationis intuitũ per diuersa dispergat, quæ à nemine prorsus quamuis sollicito ac vigilanti vel caueri poterunt vel videri, nisi qui animum suum atque corpus iugiter intra parietum septa concluserit, vt ita quis velut piscator egregius, victum sibi Apostolica arte prospiciens, in tranquillissimi cordis sui profundo, agmina cogitationum natantia intẽtus atque immobilis capter, & tanquam de prominenti scopulo curiosè profunda prospectans, quas ad se hamo attrahere debeat salutari, quas verò tanquam malos ac noxios pisces negligat ac refutet, sagaci discretione diiudicet.

Quæ à solitariis operationum genera debeant eligi. CAP. IIII.

IN hac ergo vnusquisque custodia iugiter perseuerans, efficaciter illud implebit, quod per Abacuc prophetam satis euidenter

denter exprimitur: Super cuſtodiam meam, inquit, ſtabo, & aſcendam ſuper petram & ſpeculabor vt videam quid loquatur in me, & quid reſpondeam ad arguentem me. Quod quanti laboris ac difficultatis ſit, experimentis illorum qui in illa calami ſiue Porphirionis eremo commorantur manifeſtiſſimè comprobatur. Nam cùm longiore ſolitudinis interuallo ab vniuerſis vrbibus & habitaculis hominum quàm eremus Scythi diuidantur (ſeptem ſiquidem vel octo manſionibus vaſtiſſimæ ſolitudinis deſerta penetrantes vix ad cellularum ſuarum ſecreta perueniunt) tamen quia illic agriculturæ dediti, clauſtris minimè cohibentur, cùm ad hæc ſqualida in quibus degimus, vel ad illa Scythiotica venerint loca, tantis cogitationum æſtibus, tanta animi anxietate vexantur, vt quaſi rudes & qui ſolitudinis exercitia ne leuiter quidem aliquando contigerint, commorationem cellæ & quietis ſilentia tolerare non poſſint, atque ex eis ſtatim excuſſi, tanquã expertes & nouitij perturbentur. Non enim ſedare interioris hominis motus & cogitationum ſuarum tempeſtatibus obuiare, iugi ſollicitudine ac perſeueranti intẽtione didicerunt, qui ſubdiualibus quotidie operibus deſudantes, tota die ſub aërea inanitate, non ſolùm corpore, verumetiam mente peruolitant, & cogitationes ſuas cum mobilitate corporea paſſim in aperta diffundunt. Et idcirco multiuolam animi ſui ſentiunt vanitatem, nec eius lubricos poſſunt coërcere diſcurſus, nec contritionem ſpiritus ferentes, intolerabilem ſibi, ipſam ſilentij ſui æſtimant iugitatẽ, ac laborioſis ruris operibus indefeſſi vincuntur otio, & quietis ſuæ diuturnitate laſſantur. *Abacuc. 2.*

Quòd euagatione corporis grauetur magis quàm releuetur cordis anxietas.

CAPVT V.

NEc mirum ſi in cella quis reſidens quaſi intra arctiſſimũ clauſtrum cogitationibus congregatis, anxietatum multitudine ſuffocetur, quæ de carceribus habitaculi cum homine prorumpentes, cõtinuò velut equi effrenes in diuerſa peruolitant. Sed cùm ad præſens de ſuis velut ſtabulis euagentur, capitur ſtatim aliquod vel breue, vel triſte ſolatium, cùm verò corpore ad cellam propriam remeante, rurſus quaſi ad ſedem ſuam cuncta cogitationum caterua recurrerit, grauiores excitat ſtimulos ipſa inueteratæ licentiæ conſuetudo. Hi ergo qui necdum poſſunt vel nolunt voluntatum ſuarum inſtigationibus reluctari, cùm acedia pectus inſolitum vehementiùs impugnante, intra cellam fuerint anxiati, ſi progrediendi ſæpiùs libertatem ſibi remiſſa diſtrictionis lege

concesserint, acriorem aduersum se pestem hoc vt putant remedio suscitabunt, sicut gelidissimæ aquæ haustu vim internarum febrium quidam restinguere posse se credunt, cùm vtique accendi ex hoc ignem illum constet potius quàm sedari, si quidem momentaneam illam releuationem multo grauior consequetur afflictio.

Quo pacto monachus cogitationes custodire debeat, similitudine demõstrat.

CAPVT VI.

QVamobrem ita monachi omnis intentio in vnum semper est defigenda, cunctarumque cogitationum eius ortus ac circumitus in idipsum, id est, ad memoriam Dei strenuè reuocandi, velut si quis absidis cameram volens in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam iugiter circũducat, ac secundum certissimam normam omnem rotunditatis parilitatem, & structuræ colligat disciplinam. Qui verò eam absque illius medietatis examine consummare, quamuis summa artis aut ingenij præsumptione, tentauerit, impossibile est vt æqualitatem circumitus illius sine errore custodiat, aut quantum veræ rotunditatis pulchritudini errando subtraxerit solo deprehendat aspectu, nisi ad illum indicem veritatis semper recurrens, atque eius arbitrio interiorem operis sui ambitum exterioremque castigans, tam excelsę magnitudinis molem vnius puncti lege concludat. Ita etiam mens nostra nisi solam Domini caritatem, velut centrum immobiliter fixum, per vniuersa operum molitionumque nostrarum momenta circumagens, probabili (vt ita dixerim) circino caritatis omnium cogitationum vel aptauerit vel repulerit qualitatẽ, nequaquàm structuram illius artificij spiritalis, cuius Paulus est architectus, probabili arte molietur, nec
1. Cor. 3. pulchritudinem domus illius possidebit, quam beatus Dauid
Psalm. 25. in corde suo Domino cupiens exhibere, Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; sed indecoram in corde suo atque indignam spiritu sancto domum, continuoque lapsuram imprudenter attollet, non glorificandus beati cohabitatoris hospitio, sed ruina constructionis suæ lugubriter opprimendus.

Interrogatio cur obesse nobis parentum vicina habitatio putaretur quæ in Aegypto consistentibus non obesset.

CAPVT VII.

GErmanus: Satis vtili ac necessario præcipitur instituto hoc operum genus quod intra cellam exerceri potest. Etenim non solum exemplo beatitudinis vestræ Apostolicarum virtutum imitatione fundata, verùm etiam experientiæ no-

tiæ nostræ testimoniis commoditas huius rei nobis sæpe cõperta est. Sed parentum vicinia quam nec vos nimium respuistis, cur tantopere à nobis debeat vitari non satis claret. Cùm enim vos in omni perfectionis via irreprehensibiliter incedentes, non solùm propriis residere regionibus, sed nec longè à viculis suis quosdam recessisse cernamus, cur id quod vobis noxium non est, nobis putetur aduersum?

Responsio quomodo non omnibus conueniant omnia.

CAP. VIII.

ABraham: Nonnunquàm mala ex bonis rebus sumi videmus exempla. Nam si eadem quis agere, non eodem affectu atque proposito, aut dissimili virtute præsumpserit, profectò exinde laqueum deceptionis & mortis incurrit, vnde aliis æternæ vitæ fructus acquiritur. Quod ille quoque 1. Reg. 17. manu fortis puer, bellicosissimo illi giganti in certamine cõparatus, haud dubiè pertulisset, si * virilibus atque fortissimis (* viribus) Saulis armis fuisset indutus: & quibus ætas robustior, innumerabiles cateruas hostium prostrauisset, hæc indubitatam primæuo potuerunt inferre perniciem, nisi prudenti discretione congrua adolescentiæ suæ armorum genera delegisset, & aduersus hostem teterrimum non lorica & clypeo, quibus cæteros videbat instructos, sed illis quibus ipse dimicare poterat telis fuisset armatus. Quamobrem mensuram virium suarum conuenit vnumquemque nostrum diligentius antè pensare, atque ad eius modulum arripere quam libuerit disciplinam; quia quamuis omnes vtiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ esse non possunt. Nõ enim quia bona est ἀναχώρησις, vniuersis eam congruam comprobamus. A multis enim non solum infructuosa, sed etiam perniciosa sentitur. Nec quia institutionem cœnobiorum, vel curam fratrum sanctam atque laudabilem merito profitemur, idcirco ab vniuersis eam expetendam esse censemus. Ita etiã xenodochij vberrimus fructus est, sed ab omnibus expeti sine patientiæ non potest detrimento. Proinde primum regionis vestræ, atque huius inter se pensanda sunt instituta, deinde vires hominum iugi vel virtutum, vel vitiorum assiduitate collectæ, diuersa inuicem lance trutinandæ. Fieri etenim potest vt quod alterius gentis homini arduum atque impossibile est, hoc aliis insita consuetudo quodammodo verterit in naturam, sicut nationes quædam ingenti plagarum diuersitate disiunctæ magnam vim frigoris vel ardorem solis absque corporis perferunt tegumento, quæ vtique alij illam cæli inclementiam non experti, quantiuis roboris fuerint, sustentare

Anachoresis alijs salutaris, alijs perniciosa esse potest.

non

non possunt. Ita etiam vos qui summo animi & corporis nisu, in hac regione dumtaxat, quasi naturam patriæ vestræ in multis impugnare conamini, diligenter expendite, vtrum in illis * torpidis (vt fama est) regionibus, & velut frigore nimiæ infidelitatis obstrictis, hanc (vt ita dixerim) nuditatem sustentare possitis. Nostris enim istam propositi fortitudinem naturaliter quodammodo indidit sanctæ conuersationis antiquitas, quorum si constantiæ atque virtuti pares esse vos cernitis, viciniam parentum fratrumque vestrorum similiter fugere non debetis.

* turbidis

Abbatis Apollo mortificatio.

CAPVT XI.

VT verò ad certum districtionis examen vestrarũ virium quantitatem metiri congrua ęstimatione possitis, cuiusdam vobis Senis, id est, Abbatis Apollo factum breuiter indicabo, vt si vos intimum vestri cordis examen huius proposito atque virtuti haud inferiores esse censuerit, absque iactura profectus vestri professionisque periculo, patriæ inhabitationem ac parentum viciniam præsumatis: certi quòd districtionem humilitatis huius, quam vobis in hac prouincia non solùm voluntas, sed etiam necessitas peregrinationis extorquet, propinquitatis affectus aut locorum oblectatio non possit euincere. Ad hunc igitur quem prædiximus senem, cùm germanus suus intempesta nocte venisset, implorans, vt de monasterio suo paulisper egressus, ad euellendum bouem, quem cœno palustri eminus inhærere flebiliter querebatur, ei esset auxilio, quia eum solus nequaquam posset eruere, Abbas Apollo pertinaciter obsecranti: Cur, ait, iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens propiorem quàm me habueras, non rogasti? Cumque ille eum mortem olim sepulti fratris oblitum, & ex nimia continentiæ ac solitudinis iugitate velut impotem mentis existimans, respondisset: Quẽadmodum poteram de sepulchro eum qui ante annos quindecim obiit inuocare? Abbas Apollo: Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti huic mũdo fuisse defunctum, nullaque iam posse de huius cellæ sepulchro, quę ad pręsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? quem intantum Christus ab intentione mortificationis arreptę, vel modicum ad extrahendum bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuissimi quidem momenti inducias pro patris indulserit sepultura, quæ multo vtique celeriùs, honestiùs, & religiosiùs fuerat exhibẽda. Rimamini itaque nunc arcana pectoris vestri, prudenterque coniicite, an talem etiam vos iuxta parentes

Lucæ 9.

tes vestros districtionem mentis iugiter retentare possitis. Cumque vos in hac animi mortificatione consimiles eidem senseritis, tum demum scitote parentum fratrumque viciniam, vobis quoque similiter noxiam non futuram, vt scilicet eis, quamuis in proximo constitutis, velut mortuos vos esse credatis, ita vt nec illos vestris * foueri solatiis, nec vos illorum sinatis obsequiis relaxari. *fouere

Interrogatio an obsit monacho, si à parentibus necessaria ipsi suggerantur.

CAPVT X.

GErmanus: Super hoc planè iam nullum ambiguitatis locum vlteriùs reliquisti. Certi etenim sumus tam præsentis huius habitus vilitatem, quàm quotidiana hæc nudipedalia in illorum vicinia nullatenus exercere nos posse, sed ne labore quidem illic simili ea quæ sunt ad victum necessaria prouisuros, sicut hic etiam aquam ceruicibus nostris ex tribus millibus exhibere compellimur; nec nostra enim nec illorũ verecũdia, hęc nos corã illis agere omnino patietur.. Sanè quid proposito nostro oberit, si illis subministrantibus vniuersa, nos sollicitudine parandi victus penitus absoluti, lectioni tantùm & orationi operam dederimus, vt isto quo nunc distrahimur labore sublato, spiritalibus tantùm studiis intentiùs excubemus?

Responsio ex D. Antonij sententia desumta.

CAPVT XI.

ABraham: Non meam contra hoc vobis, sed beati Antonij sententiam proferam, qua ille ita cuiusdam fratris, hoc quo dicitis tepore torpentis segnitiem confutauit, vt etiam nodum vestræ propositionis abscinderet. Nam cùm ad prædictum virum quidam, vt dixi, veniens, Anachoreticam disciplinam minimè diceret admirandam, maioris pronuncians esse virtutis, si ea quæ perfectionis sunt inter homines quispiam quàm in eremo positus exerceret, beatus Antonius vbinam ipse consisteret, percunctatur. Cumque ille se iuxta parentes suos habitare dixisset, & eorum præbitione ab omni cura & sollicitudine * diurni operis absolutum, lectioni tantum & orationi, absque vlla distentione spiritus indesinenter gloriaretur insistere. Rursum beatus Antonius: Dic, inquit, fili, vtrum in eorum damnis vel aduersis casibus contristeris, parique etiam modo super eorum prosperitate congaudeas? Ille vtriusque rei se participem esse confessus est. Cui Senex: Noueris te, inquit, etiam in futuro seculo eorum sorte censendum, cum quibus in hac vita in lucri detrimentíve consortio, vel gaudio vel mœrore concuteris. Nec hac contentus * diuturni

senten-

sententia beatus Antonius, maiorem insuper campum disputationis ingressus est: hæc, inquiens, conuersatio atque hic tepidissimus status, non hoc solo, quo dixi, te feriunt detrimento (licet id tu ipse non sentias, dicens quodammodo secundū illam Prouerbiorum parabolam, Ferierunt me, sed non dolui; & deluserunt me, ego autem nesciui: Vel illud quod dicitur in propheta, Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit) quòd scilicet diebus singulis mentem tuam pro casuum varietate mutantes, indesinenter ad terrena demergunt, verum etiam quòd fructum manuum tuarum, & iusta laboris proprij mercede defraudent, non permittentes te horum præbitione suffultum, secundum beati Apostoli regulam, quotidianum tibi victum tuis manibus præparare, quem ille vltima Ephesiorum ecclesiæ principibus præcepta promulgans, se etiam sanctis euangelicę prædicationis studiis occupatum, non solùm sibi, verumetiam his qui erant erga ministerium suum necessariis obsequiis præpediti, præbuisse se memorat, dicēs: Ipsi scitis quoniam ea quę mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Quod tamē vt se fecisse pro forma nostræ vtilitatis ostenderet, alibi ait: Non otiosi fuimus inter vos, neque gratis panem ab aliquo māducauimus, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus: non quia non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

Prouerb. 23. Osee 7. Actor. 20. 2. Thess. 3.

De vtilitate operationis & otij detrimento.

CAPVT XII.

ET ideo cùm etiam nobis parētum præsidia non deessent, tamen hanc cunctis opibus prætulimus nuditatem, & quotidiana corporis alimenta nostris maluimus sudoribus præparare, quàm secura parentum præbitione fulciri, laboriosissimæ huic pęnuriæ illam quam prædicas otiosam Scripturarum meditationem, atque infructuosam lectionis instātiam postponentes, quam procul dubio libentissimè sectaremur, si hoc esse vtilius vel exemplis suis Apostolica tradidisset autoritas, vel instituta seniorum salubriter præfinissent. Noueris autem te etiam ex hoc non leuius quàm illo quo suprà diximus affici detrimento, quia cùm sis sani corporis ac robusti, stipe sustentaris aliena, quæ iustè solis est debilibus attributa. Nam vtique omne hominum genus absque illo tantùm genere monachorum, quod secundum præceptum Apostoli quotidianis manuum suarum laboribus viuit, agapem alienæ operationis expectat. Vnde non solùm eos qui

semet-

semetipsos, vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel fundorum suorum fructibus gloriantur, sed ipsos etiam reges mundi huius, agape certum est sustentari. Hoc deniq; maiorum nostrorum definitio habet: Quicquid ad necessitatem quotidiani victus insumitur, quod opere manuum nostrarum effectum partumque non fuerit, ad agapem referri debere sanxerunt, secundum Apostolum, qui otiosis penitus interdicens opem largitatis alienæ, Qui, inquit, non operatur, nec manducet. 2. Thess. 3. His beatus Antonius aduersus quendam vsus verbis, etiam nos magisterij sui informauit exemplo, vt parentum perniciosissima blandimenta, & omnium qui victui necessariam * subministrant agapem, * seminant insuper etiam omnem amœnæ habitationis gratiam deuitemus, squalentesque naturali amaritudine arenas, & perustas salsa inundatione regiones, nullique ob idipsum hominum iuri dominioque subiectas, cunctis mundi huius opibus præponamus, vt non solùm frequentias hominum obtentu inuiæ solitudinis declinemus, sed etiam nequaquam nos ad qualiscunque culturæ distentionem vberis soli natura sollicitet, per quam mens ab illa principali obseruatione cordis distracta, spiritualibus studiis redderetur effeta.

Abbatis Macharij fabula de tonsoris mercede composita, ad illusiones diaboli cognoscendas. CAP. XIII.

NAm quòd alios quoque saluare vos posse confiditis, & spe maioris lucri ad reuisendam patriam festinatis, audite etiam super hoc quandam Abbatis Macharij fabulam, iocundissimè atque aptissimè figuratam, quam & ille cuidam similibus desideriis æstuāti, medicinam opportunissimæ narrationis ingessit. Erat, inquit, in ciuitate quadam peritissimus tonsor, qui denariis ternis vnumquemque detondens, tenuem vilemque mercedem sui operis acquirendo, ex hac eadem quantitate necessaria suo victui quotidie comparabat: centumque denarios, expleta omni corporis cura, marsupio suo diebus singulis inferebat. Sed cùm indesinenter hunc conderet quæstum, audiuit in quadam longè posita ciuitate, singulorum solidorum singulos homines tonsori præbere mercedem. Quo ille cōperto, Quamdiu ero, inquit, hac mēdicitate contentus, vt trium denariorum stipem cum labore conquiram, cùm possim illò pergens ingenti solidorum quæstu diuitias congregare? Itaque sumens artis suæ protinus instrumēta, expensis in sumptu omnibus quæ hic multo tēpore collecta seruarat, ad vrbē illam quæstuosissimā cū summo labore peruenit. Vbi cū ea qua ingressus est die secundū id quod compere-

compererat ab vnoquoque mercedem sui operis recepisset, ad vesperam se videns grandem solidorum numerum conquisisse, ad macellum lætus intendit, escas refectioni suæ necessarias coëmpturus. Quas cùm cœpisset magno solidorum precio comparare, expensis in perexiguo victu vniuersis quos acquisierat solidis, ne vnius quidem denarij intulit lucrum. Cumque ita singulis diebus acquisitionem suam vidisset insumi, vt non solùm nihil redigeret, sed vix ipsam quotidianæ substantiæ necessitatem posset explere, apud semetipsum recogitãs, reuertar, inquit, ad ciuitatem meam, illumque repetam tenuissimum quæstum, ex quo mihi expleta omni corporis cura, quod ad sustentationem senectutis accresceret, quotidiana exuberantia conferebat. Quod quamuis paruum videretur & tenue, non mediocrem tamen summam, iugi pariebat augmento. Quæstuosior quippe mihi fuit ille nummorum quàm iste solidorum imaginarius quæstus, ex quo non solùm nihil exuberat quod recondam, sed etiam vix ipsa quotidiani victus necessitas sustinetur. Et idcirco rectius nobis est, hunc solitudinis huius tenuissimum fructum indirupta iugitate sectari, quem nullæ seculares curæ, nullæ mundanæ distentiones, nulla cenodoxiæ ac vanitatis arrodat elatio, nullæ sollicitudines diurnæ necessitatis imminuãt. Melius
Psalm.36. est enim modicum iusto, super diuitias peccatorum multas, quàm affectare lucra illa maiora, quæ etiam si parata fuerint quæstuosissima conuersione multorum, necessitate tamen mundanæ conuersationis, & quotidianis distentionum diminutionibus absumentur. Melior namque est secundum sententiam Salomonis, pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore & præsumptione spiritus. Quibus illusionibus atque dispendiis omnes admodum infirmos necesse est implicari, qui cùm etiam de sua salute sint dubij, ipsique adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, ad conuertendos alios & regendos, diabolicis illusionibus instigantur, quique etiam si potuerint lucri aliquid ex quorundam conuersione conquirere, impatientia sua atque inconditis moribus quicquid acquisierint perdunt. Illud namque eis quod
Eccles.4.
Aggai 1. Aggæus propheta describit, eueniet: Et qui mercedes congregat, mittet eas in sacculum pertusum. Verè enim lucra sua in pertusum sacculum condit, qui quicquid per aliorum conuersionem videtur acquirere, intemperantia cordis sui & quotidiana animi distentione disperdit. Itaque fiet vt dum vberiora lucra per aliorum credunt institutionẽ parare se posse, etiam sua correctione priuentur. Sunt
enim

enim qui se diuites ferunt, nihil habentes, & sunt qui se humiliant in multis diuitiis. & melior est vir in ignobilitate seruiens sibi, quàm qui dignitatē sibi acquirit, & indiget pane.

Interrogatio, vnde nobis talium cogitationum error irrepserit?

CAPVT XIIII.

GErmanus: Satis congruè nobis his comparationibus disputatio tua cogitationum nostrarum manifestauit errores, quorum causas & curationes similiter optamus agnoscere, & vnde acciderit nobis ista deceptio, pariter cupimus edoceri. Nulli etenim dubium est neminem admodum posse remedia malis valetudinibus adhibere, nisi eum qui ipsas morborum origines antè prædixerit.

Responsio de tripartito animæ motu. CAP. XV.

ABraham: Omnium vitiorum vnus fons atq; principium est, secundum qualitatem verò partis illius, & (vt ita dixerim) membri quod in anima fuerit vitiatum, diuersa vocabula passionum corruptionumque sortitur. Quod nonnunquam etiam morborum corporalium probatur exemplo, quorum cùm vna sit causa, in diuersa tamen ægritudinum genera pro qualitate membrorum quę fuerint occupata, distinguitur. Etenim cùm arcem corporis, id est, caput, vis noxij humoris obsederit, cephalalgiæ procreat passionem; cùm verò aures oculósve inuaserit, in ophthalmicū vertitur morbum: cùm se in articulos quosque & ad manuum summa transfuderit, articularis atque chiragrica dicitur valetudo: cùm autem ad pedum ima defluxerit, podagra mutato nomine nuncupatur: totque vocabulis vna atque eadem noxij humoris origo distinguitur, quot membrorum cœperit portiones. Eodem modo de visibilibus ad inuisibilia transeuntes, animę nostræ partibus, atque (vt ita dixerim) membris vim cuiusque vitij inesse credamus. Quam cùm sapientissimi quique tripartitę definiant esse virtutis, necesse est vt aut rationabile, aut irascibile, aut concupiscibile eius, aliquo corrumpatur incursu. Cùm ergo aliquem ex his affectibus vis noxiæ obsederit passionis, pro illius causis etiam vitio nomen imponitur. Nam si rationabilem eius partem vitiorum pestis infecerit, cenodoxię, elationis, inuidiæ, superbiæ, præsumptionis, contentionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulnerauerit sensum, furorem, impatiētiam, tristitiam, acediam, pusillanimitatē, crudelitatem parturiet. Si cōcupiscibilem corruperit portionem, gastrimargiam, fornicationem, philargyriam, auaritiam, & desideria noxia terrenaque germinabit.

Corruptam rationalem animæ partem principio curandam esse.

CAPVT XVI.

ET idcirco si fontem vitij huius & originem vultis agnoscere, rationabilem mētis vestræ atque animæ portionem noueritis esse corruptam, ex qua vel præsumptionum, vel cenodoxiæ solent vitia pullulare. Proinde hoc primum animæ vobis (vt ita dixerim) membrum rectæ discretionis iudicio & humilitatis virtute curādum est, quo vitiato dum non solùm ad perfectionis iam peruenisse fastigia, sed etiam docere alios posse vos creditis, & ad eruditionem cæterorū sufficientes atq; idoneos iudicatis, per elationem cenodoxiæ quam patefecit

*vanitatem vestra confessio, peruagationum * vanitati raptamini: quas amputare deinceps absque difficultate poteritis, si veræ discretionis, vt dixi, humilitate fundati, quàm laboriosum quamque difficile sit vnicuique nostrum saluare animam suam mentis vestræ contritione discatis, & intimo cordis affectu, non modò longè vos ab illa docendi præsumptione submotos, verum etiam adhuc egere doctoris agnoscatis auxilio.

Quòd infirmior pars animæ diabolicis tentationibus prima succumbat.

CAPVT XVII.

ADhibete ergo huic membro vel parti animæ vestræ, quā specialiter diximus vulneratam, veræ humilitatis medelam; quæ quoniam cæteris animæ virtutibus in vobis, quantum apparet, infirmior est, necesse est vt diabolicæ infestationi prima succumbat. Quemadmodum ingruentibus quibusdam injuriis, quæ vel ex accidenti labore, vel de aëris corruptione gignuntur, fieri etiam in corporibus humanis solet, vt illa quæ fuerint infirma, casibus istis prima consentiant atque succumbant; cumque peculiarius in eis morbus insederit, reliquas quoque partes corporis eadem peste tabefaciat: ita & animam vniuscuiusque nostrum flante quodammodo pestilenti halitu vitiorum, illa maximè passione necesse est attentari, in qua tenerior atq; infirmior eius portio, validis inimici non tam fortiter resistit impulsibus, & ex illis periculum captiuitatis incurrere, in quibus faciliori proditioni aditum reserat incauta custodia. Sic namque Balaam populum Dei posse

Num. 24. decipi, certa ratione collegit, dans consilium vt ex illa parte qua infirmari nouerat filios Israël, perniciosi eis laquei tenderentur, non dubitans eos oblata copia feminarum, fornicationis ruina protinus collapsuros, quia concupiscibiles animæ eorum partes sciebat esse corruptas. Ita ergo vnumquemque nostrum nequitiæ spiritales versuta malignitate pertentant, illis præcipuè affectibus animæ insidiosos laqueos perstruentes,

tes,quibus eam senserint ægrotare : vt verbi gratia, cùm viderint rationabiles animæ nostræ partes esse vitiatas,illo nos ordine decipere moliũtur, quò Achab regem ab illis Syris deceptum scriptura commemorat, qui dixerunt: Scimus quoniam reges Israël misericordes sunt;ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israël,& dicemus:Seruus tuus Benadab dicit: Viuificetur anima mea. Quibus ille non vera pietate,sed vana misericordiæ laude permotus,si adhuc, inquit, viuit frater meus est. Et hoc exemplo, etiam nos rationabilis illius partis errore deceptos,inde incurrere offensam Dei faciunt,vnde consecuturos mercedem ac recepturos nos pietatis præmia credebamus,similique nobis etiam increpatione dicatur:Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius,& populus tuus pro populo eius. Siue cùm immũdus spiritus dicit, Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, per rationabilem proculdubio affectum,quem lethalibus apertum norat insidiis,laqueum deceptionis ac mortis intendit.Sic etiam Herodem per irascibilem animæ portionem, ad illam tantorum infantium necem callidissimus hostis impegit,eo quòd istam propensius in eo norat esse vitiatam. Quod etiam de Domino nostro idem spiritus opinatus, cùm in his eum tribus animæ affectibus tentasset,in quibus omne hominum genus nouerat captiuari, nihil tamen versutis profecit insidiis. Nam concupiscibilem mentis eius aggressus est partem , dicens, Dic vt lapides isti panes fiant . Irascibilem, cùm eum ad expetendam præsentis seculi potestatem, & regna mundi huius instigare conatus est. Rationabilem,cùm ait: Si filius Dei es,mitte te deorsum.In quibus idcirco nihil eius profecit illusio,quia nihil secũdum coniecturam suam,quam falsa opinatione conceperat, repperit in eo esse vitiatum. Vnde etiam nulla pars animæ eius, inimici insidiis attentata consensit. Ecce enim, inquit, venit princeps mundi huius,& in me inueniet nihil.

3. Reg. 20. *Ibidem.* *3. Reg. 22.* *Matth. 2.* *Matth. 4.* *Ioan. 14.*

Interrogatio, an vtili desiderio secretioris solitudinis retraheremur ad patriam.

CAPVT XVIII.

GErmanus: Inter cætera illusionum errorumque nostrorum genera, quæ nos ad desiderium patriæ nostræ , sicut beatitudo tua sollerti mentis perspicit intuitu, vana spiritaliũ commodorum pollicitatione flammauerant , etiam hæc vel maxima extitit causa, *quòd interdum à fratribus frequentati,iugi secreto, ac diuturno silẽtio,secundũ desiderium nostrũ nequaquam possimus inhærere. Per quod necesse est cursum

*vt

atque mensuram quotidianæ continentiæ, quam pro castigatione corporis indiruptam perpetuò cupimus retentare, nonnullis fratribus superuenientibus, intercidi. Quod sine dubio nullatenus in nostra prouincia credimus euenturum, in qua aut nullum, aut certè rarissimum professionis huius virum inueniri possibile est.

Responsio, quòd perfectos viros etiam in remotissimis solitudinibus latentes ab hominibus Deus velit frequentari. CAP. XIX.

ABraham: Irrationabilis atque inconsideratæ districtionis, imò potius summi teporis indicium est, nequaquam ab hominibus frequentari. Qui enim in hac quam arripuit via nimium tardis passibus graditur, ac secūdum anteriorem hominem conuersatur, ęquum est vt ad eum, non dicam sanctorum, sed ne hominum quidem vllus adueniat. Vos autem si
1. *Ioan.* 4. vera atq; perfecta Domini nostri dilectione flagratis, & Deū qui vtique caritas est, pleno spiritus feruore sectamini, ad quęlibet loca inaccessibilia fugeritis, necesse est ea ab hominibus frequentari; quantoque vos propiores Deo amoris diuini ardor effecerit, tanto ad vos maior sanctorum fratrum confluet multitudo. Non enim potest, secundum sententiam Domini,
Matth. 5. ciuitas abscondi supra montem posita: Quia diligentes me,
1. *Reg.* 2. inquit Dominus, glorificabo, qui autem me cōtemnunt, erūt ignobiles. Verumtamen nosse debetis hanc esse subtilissimam diaboli calliditatem, hanc occultissimam foueam, in quam miserabiles & incautos quosque præcipitat; vt dum eis maiora promittit, necessaria quotidiani fructus emolumenta subripiat, abstrusiores scilicet & vastiores solitudines expeti debere persuadens, easque velut miris amœnitatibus consitas in eorum corde depingens, ignota etiam quædam, & quæ penitùs nusquam sunt loca velut cognita ac præparata, nostræque potestati iam dedita, & absque vlla difficultate possidenda confingit. Homines quoque regionis illius tractabiles, & ad viam salutis sequaces esse mentitur, vt dum illic vberiores fructus animæ pollicetur, præsentia lucra fraudulenter auertat. Nam cùm vnusquisque hac vana spe à seniorum salutari contubernio separatus, atque omnibus quæ sibimet frustra in suo corde depinxerat, fuerit destitutus, velut de profundissimo sopore consurgēs, nihil ex his quæ somniauerat expergefactus inueniet. Itaque eum diabolus maioribus vitæ huius necessitatibus & inextricabilibus laqueis irretitū ne respirare quidem ad hæc quæ sibi ipse promiserat, aliquando permittit, eumque non iam illis quas antè vitauerat raris ac spiritalibus fratrum visitationibus, sed quotidianis secularium incursionibus obligatum,

gatum, ne ad mediocrem quidem anachoreseos quietem ac disciplinam vnquam redire patietur.

Quòd vtilis sit remissio in aduentu fratrum.

CAPVT XX.

ILla quoque remissionis atq; humanitatis intercapedo gratissima, quæ nonnumquam pro aduentu fratrum interuenire consueuit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quàm sit vtilis ac salubris tam corpori quàm spiritui vestro paucis patienter attendite. Sæpe accidit, non dicam nouitiis & infirmis, sed etiam experientissimis atque perfectis, vt nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabatur. Et idcirco à prudentibus atq, perfectis, cùm intercesserit etiam fratrum crebra visitatio, non solùm toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectēda. Primùm quod prouocat nos auidiùs semper solitudinis desiderare secreta; nam quodammodo cursum nostrum dum interpolare creditur, infatigabilem iugemque conseruat; qui si nullo interdum obice tardaretur, vsq; ad finem contendere indefessa pernicitate non posset. Deinde quod necessitatem reficiendi corpusculi cum fructu humanitatis indulget, maiora nobis conferens lucra, cum iucundissimo corporis laxamento, quàm illa sunt quæ per abstinentiæ fatigationē fuerant acquirenda. Super qua re aptissimam comparationem antiqua narratione vulgatam breuiter indicabo.

Idem demonstrat D. Ioannis euangelistæ auctoritate.

CAPVT XXI.

FErtur beatissimus euangelista Ioannes cùm perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio venientem subitò conspexisse. Qui miratus quòd vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parua & humilia se oblectamenta submitteret: Tune es, inquit, ille Ioannes cuius fama insignis atque celeberrima, me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamētis tam vilibus occuparis? Cui beatus Ioānes: Quid est quod manus tua gestat? At ille: Arcus, inquit. Et cur, ait, non eum tensum vbique semper circumfers? Cui ille respondit: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat, & cùm oportuerit vt fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuę tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit beatus Ioānes, animi te offendat, ô iuuenis, tam parua hæc breuisque laxa-

tio, quæ nisi remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum releuet ac relaxet, irremisso vigore lentescens, virtuti spiritus, cùm necessitas poscit, obsecundare non poterit.

Interrogatio qualiter intelligendum sit quod in euangelio dicitur, Iugum meum suaue, & onus meum leue est. CAP. XXII.

GErmanus: Quoniam nobis illusionum cūctarum remedia contulisti, & diabolicæ quibus quatiebamur insidiæ, per doctrinam tuam Domino donāte detectæ sunt, hoc quoq; nobis similiter precamur edisseri quod in euangelio dicitur, Iugum meum suaue, & onus meum leue est. Satis enim propheticæ illi sententiæ videtur aduersum qua dicitur, Propter verba labiorum tuorū ego custodiui vias duras. Quippe cùm etiam Apostolus dicat, Omnes qui volūt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. Quicquid autem durum & persecutionibus est refertum, nec leue potest esse nec suaue.

Psal.16. *2.Tim.3.*

Responsio cum expositione sententiæ. CAP. XXIII.

ABraham: Verissimam Domini ac Saluatoris nostri esse sententiam experientiæ ipsius facili probabimus documento, si perfectionis viam legitimè & secundum volūtatem Christi fuerimus aggressi, & mortificantes omnia desideria nostra ac voluntates noxias abscindētes, non solùm nihil residere nobis de mundi huius substantia * siuerimus, per quam vtique cùm libitum fuerit vastandi nos ac dilacerandi potestatem inimicus inueniet; sed etiam nostri ipsius non esse nos dominos senserimus, illud Apostolicum in veritate complentes, Viuo autem iam nō ego, viuit verò in me Christus. Quid enim graue poterit esse, quid durum ei qui iugum Christi tota mente susceperit, qui vera humilitate fundatus, semper ad Dominum respiciens, in omnibus quæ sibi fuerint irrogatæ lætatur iniuriis, dicens, Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in passionibus, in angustiis pro Christo; cùm enim infirmor, tunc potens sum? Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui perfecta nuditate gloriosus, voluntariè pro Christo vniuersas huius mundi respuit facultates, omnesque eius concupiscentias generaliter arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat, euangelici illius præcepti meditatióne, cunctorum dispendiorum æstus despiciens & excludēs, Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Super cuius rei priuatione tristabitur, qui omnia quæ ab aliis auferri possunt, sua non esse cognoscit, illud inuicta virtute proclamans, Nihil intulimus

** nouerimus,* *Galat.2.* *2.Cor.12.* *Philip.3.* *Matth.16.*

tulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre 1.Tim.6.
quid poſſumus? Cuius autem inopiæ neceſſitate eius ſupera- Matth.10.
bitur fortitudo, qui peram in via, æs in zona, veſtem in tem-
pora habere non nouit, ſed cum Apoſtolo gloriatur in ieiuniis 2.Cor.12.
multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate? Quis labor,
quódve tam arduum ſenioris præceptum, tranquillitatem pe-
ctoris eius poterit perturbare; qui nullam habens propriam
voluntatem, omnibus quæ ſibi fuerint imperata, non ſolum
patienter, ſed etiam gratanter occurrit, noſtrique Saluatoris
exemplo non quærit ſuam; ſed patris facere voluntatem, di-
cens & ipſe ad patrem ſuum, Verumtamen non ſicut ego vo- Matth.26.
lo, ſed ſicut tu? Quibus etiam iniuriis, qua perſecutione terre-
bitur, imò quod ei non etiam iucundum poteſt eſſe ſuppli-
cium, qui in omnibus plagis cum Apoſtolis ſemper exultans, Actor.5.
optat vt dignus habeatur pro nomine Chriſti cõtumeliã pati?

Cur amarum iugum & graue onus Domini ſentiatur. CAP. XXIIII.

VT autem nobis è contrario iugum Chriſti non leue nec ſuaue videatur, contumaciæ noſtræ eſt iuſtius adſcribẽdum, qui diffidentia atque incredulitate deiecti, contra illius imperium imò conſilium qui ait, Si vis perfectus eſſe, vade, vende ſiue dimitte omnia tua, & veni ſequere me: inepta peruerſitate pugnamus, terrenarum ſcilicet facultatum materias retentantes: quarum cùm nexibus animum noſtrum diabolus teneat illigatum, quid ſupereſt niſi vt cùm voluerit nos à ſpiritalibus gaudiis ſeparare, earundem imminutione ac priuatione mæſtificet? id verſutis fraudibus elaborans, vt cùm iugi illius ſuauitas & oneris leuitas, vitioſæ concupiſcentiæ prauitate nobis fuerit aggrauata, ipſius facultatis atque ſubſtantiæ, quam nobis pro requie ac ſolatio reſeruamus, vinculis irretitos, ſecularium curarum flagris ſemper excruciet, ex nobiſmetipſis quo dilaceremur *ſculpens. Funiculis namq; peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur, audiens per prophetam, Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis. Per hæc ſiquidem, vt Salomon teſtis eſt, vnuſquiſq; per quæ peccauerit & punietur. Ipſæ enim nobis tormento ſunt quibus vtimur voluptates, & oblectamenta huius carnis atque deliciæ, carnificum vice in ſuum retorquentur auctorẽ: quia neceſſe eſt eum qui facultatibus priſtinis opibuſque ſuffultus eſt, nec integrã humilitatem cordis, nec mortificationẽ plenam noxiarum ſuſcipere *voluntatum. His autem virtutũ patrocinantibus inſtrumentis, omnes vitæ præſentis anguſtiæ, & cuncta quæ inimicus poteſt inferre diſpẽdia, nõ modò

Matth.19. — * exſculpens — Prouerb.5. — Iſaiæ 50. — Sapien.11. — * voluptatũ.

patientissimè, verum etiam iucundissimè sustinentur, quibus rursum exulantibus elatio tam perniciosa succrescit, vt etiam pro leuissima contumelia mortiferis impatientiæ ictibus vul-
Ierem.2. neremur, dicaturque nobis per Ieremiam prophetam: Et nũc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Et nũc quid tibi vis cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide quàm malum & amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem meum apud te, dicit Dominus. Quòd ergo iugi Dominici mirifica suauitas amara sentiatur, quid est nisi quia eum auersionis nostræ amaritudo corrumpit? Quòd diuini oneris tam iucunda leuitas ingrauescit, quid est nisi quia eum à quo sustinebamur contumaci præsumptione contemnimus, quippe cùm euidenter idipsum scriptura testetur, dicens, Nam si ambularent semitas rectas, inuenissent vtique semitas iustitiæ? Leues nos, inquam, esse manifestum est, qui semitas Domini rectas ac leues, prauis durisque desideriorum cautibus asperamus, qui viam regiam Apostolicis ac propheticis silicibus communitam, sanctorũq; omnium atque ipsius Domini vestigiis complanatam, amentissimè deserentes, deuia quæque ac dumosa sectamur, & præsentiũm oblectationum illecebris obcæcati, per obscuros impeditosque vitiorum sentibus calles, laceratis cruribus, & dirupta illa nuptiali veste reptamus non modò acutissimis veprium aculeis configendi, sed etiam virulentorum serpentum vel scorpionum illic latentium ictibus vulnerandi. Tribuli e-
Ierem.18. nim & laquei in viis prauis, qui autem timet Dominum, abstinebit se ab eis. De talibus & alibi Dominus per prophetam: Oblitus est mei, inquit, populus meus, frustra libantes & impingentes in viis suis, in semitis seculi, vt ambularent per eas in itinere non trito. Viæ enim, secũdum sententiam Salomonis, nihil operantium, stratæ sunt spinis, fortium verò tritæ sunt: & ita ab itinere regio deuiantes, ad illam metropolim ciuitatem, vbi noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt peruenire. Quod etiam Ecclesiastes
Eccl.10. satis significanter expressit, Labor, inquiens, stultorum affli-
Galat.4. get eos qui non cognouerunt ire in ciuitatem, illam scilicet Ierusalem cælestem, quæ est mater omnium nostrum.

Quid nobis vtilitatis conferant tentationes.

CAPVT XXV.

Matth.11. QVisquis autem in veritate huic mundo renuncians super se tulerit iugum Christi, & didicerit ab eo quotidianis iniuriarum exercitiis eruditus, quia mitis est & humilis corde, in

de,in cunctis tentationibus manebit ſemper immobilis, omniaque illi cooperabuntur in bonum. Verba enim Dei,ſecundum Abdiam prophetam, bona ſunt cum eo qui rectè gradi- tur. Et iterum: Quæ rectæ viæ Domini, & iuſti incedunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis. Maiora igitur nobis per colluctationem tentationum, laudis contulit præmia, benigna erga nos gratia Saluatoris,quàm ſi omnem à nobis neceſſitatem certaminis abſtuliſſet. Etenim ſublimioris præſtantiorisque virtutis eſt, paſſionibus ærumnisque vallatum, manere ſemper immobilem,& aduerſum ſe ſæuientibus cunctis, certum de præſidio Dei atque intrepidum perdurare, humanisq; incurſibus velut armis inuictæ virtutis accinctum, glorioſiſſimè de*impatientia triumphare, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem,quia virtus in infirmitate perficitur. Ecce enim dedi te,inquit Dominus,in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, regibus Iuda,& principibus, & omni populo terræ, & belligerabunt aduerſum te,& nõ præualebunt, quia ego tecum ſum,vt eruam te, dicit Dominus. Ergo ſecundum veram Domini traditionem ,via regia ſuauis ac leuis eſt,licet dura & aſpera ſentiatur. Piè enim ac fideliter ſeruientes,cùm tulerint iugum Domini ſuper ſe, & didicerint ab eo, quia mitis eſt & humilis corde, iam quodammodo terrenarum paſſionum deponentes ſarcinam,non laborem,ſed requiem animabus ſuis Domino præſtante reperient, ſicut per Ieremiam prophetam ipſe teſtatus eſt,dicens, State ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona,& ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris;fient namque eis continuò praua in directa,& aſpera in vias planas, & guſtãtes videbunt quàm ſuauis eſt Dominus,audientesque Chriſtum in euãgelio proclamãtem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos,depoſitis ponderibus vitiorum,ea quę ſequuntur intelligent, quia iugum meum ſuaue eſt , & onus meum leue. Habet ergo refrigerium via Domini,ſi ſecũdum legem ipſius teneatur. Sed nos ſumus qui dolores nobis atque tormenta, turbulentis diſtentionibus procuramus, dum malumus vias ſeculi huius prauas atque peruerſas , etiam cum ſummo diſcrimine ac difficultate ſectari. Cùm verò hoc modo graue nobis ac durum iugum Domini fecerimus, blaſphemo iam ſpiritu, vel de ipſius iugi, vel de Chriſti qui illud imponit, duritia atq; aſperitate cauſamur,ſecundum illud, Inſipientia viri corrumpit vias eius. Deum autem cauſatur corde ſuo. Et ſecundum Aggęum prophetam,cùm dixerimus, Quia

Roman. 8.
Michæ. 7.
Ozeæ 14.
*patientia
2. Cor. 12.
Ierem. 1.
Matth. 11.
Ierem. 6.
Iſaiæ 40.
Pſal. 33.
Matth. 11.

via Domini non dirigit, congruè respondetur nobis à Domino: Numquid via mea non dirigit? Nónne magis viæ vestræ sunt prauæ? Et reuera si comparare volueris splendentem virginitatis florem, & suauè olentem castimoniæ puritatem, teteris ac fœtidis libidinum volutabris: quietem securitatemque monachorum, periculis & ærumnis quibus mundi huius homines implicantur; paupertatis nostræ requiem, edacibus diuitum tristitiis ac peruigilibus curis, in quibus nō absq; summo vitæ periculo diebus ac noctibus consumuntur, suauissimū iugum Christi onusq; leuissimum facillimè cōprobabis.

Ezech. 18.

Quomodo perfectè abrenunciantibus, centuplum in hoc mundo repromittatur.

CAPVT XXVI.

PRoinde etiam illa retributio premiorum, qua perfectè renunciantibus in hac vita centuplum Dominus repromisit, dicens, Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in præsenti, & vitam æternam possidebit, rectè atque verissimè eodem sensu absque vlla fidei perturbatione suscipitur. Multi enim *occasionem huius sentētiæ nacti crasso intellectu, hæc in illo mille annorum tempore carnaliter sanctis restituenda confirmant, cùm vtique illud seculum quod post resurrectionem futurum dicunt, præsens intelligi non posse fateantur. Multò ergo credibilius multoq; manifestius est, eum qui aliquid secularium vel affectuum vel bonorum Christo suadente contempserit, à fratribus atque consortibus propositi sui qui ei spiritali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere caritatem. Hanc siquidem quam inter parentes ac filios atque germanos, coniuges vel propinquos, siue societas copulæ seu consanguinitatis necessitudo coniungit, satis breuem esse cōstat ac fragilem. Denique etiam boni ac pij cùm adoleuerint filij, à parentum domibus nonnumquam ac substātiis excluduntur, communio quoq; consortij cōiugalis interdum etiam honesta causa interueniente diuellitur, fratrum dirimit caritatem contentiosa diuisio. Monachi soli perpetuæ cōiunctionis retinent vnitatem, atque indiscretè possident vniuersa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credunt esse quæ sua sunt. Si ergo istis quibus carnalis caritas copulatur affectibus, dilectionis nostræ gratia conferatur, profectò centuplo hæc dulcior atq; sublimior est. Recipietur sanè etiam de continentia coniugali maior centuplo suauitas, ab illa quæ eis inuicem per commixtionem sexuum præbebatur. Pro lætitia quoque

Matth. 19.

*occasione

Monachis omnia communia.

quoque illa quam in vnius agri ac domus possessione quis habuit,cẽtuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur,qui in adoptionem transiens filiorum Dei, vniuersa quæ æterni sunt patris,vt propria,possidebit,& affectu atque virtute ad imitationem veri illius filij proclamabit, Omnia quæ habet pater, mea sunt: nec iam cum illa pœnali distentionis ac sollicitudinis cura,sed securus ac lætus velut in propriis vbiq; succedet, audiẽs quotidiè sibimet ab Apostolo prædicari,Omnia vestra sunt,siue mundus,siue præsentia,siue futura. Et à Salomone: Fidelis viri totus mundus diuitiarum. Habes ergo istam centupli retributionem, in magnitudine meriti, & in discretione tam incomparabilis qualitatis expressam. Neque enim si pro æris, aut ferri, aut vilioris cuiusquam metalli certo pondere, tantundem ponderis,sed auri quispiam reddidisset,non etiam amplius quàm centuplum restituisse videretur; ita cùm pro contemptu voluptatum atque affectuum terrenorum, spiritale gaudium & pretiosissimæ caritatis iucunditas repensatur, etiamsi ipse sit numerus, centuplo tamen hæc maior atque præclarior est. Et vt hoc euidentius crebra repetitione reddatur,vxorem antea in passionem fragilis desiderij possidebam, hanc eandem in honore sanctificationis & vera Christi dilectione possideo.Vna est mulier,sed cẽtuplum creuit meritum caritatis. Si autem & pro iræ & furoris perturbatione iugem lenitatem patientiæ, pro sollicitudinis ac distentionis angore, securitatis quietem, pro infructuosa huius seculi pœnalique tristitia, salutaris tristitiæ fructum, pro vanitate lætitiæ temporalis,gaudij spiritalis appenderis vbertatem,retributionem *in horum affectuum commutatione centuplam peruidebis. Et si vniuscuiusque vitij breui ac lubricæ voluptati contrariarum virtutum merita conferantur,centuplo hæc esse meliora multiplicata iocũditas approbabit. Centenarius enim numerus de sinistra transfertur in dexteram; & licet eandem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis *magnitudinem supercrescit. Fiet enim vt qui hædi formam gerere videbamur in læua, ouis meritum translati consequamur ad dexteram. Nunc ad quantitatem earum rerum quas pro cõtemptu mundi & aliorum commodorum nobis in hoc seculo Christus restituit,transeamus,prҿcipuè secundum euãgelium Marci ita dicentis, Nemo est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter me,& propter euangelium,qui non accipiet centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus,

& in

Ioan.16.
1.Cor.3.
*ad horum affectuum comparationem
*magnitudine
Marci 10.

& in seculo futuro vitam æternam. Centuplam namque fratrum, parentúmve recipiet quãtitatem, quisquis patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine caritate contempta, in omnium qui Christo deseruiunt dilectionem sincerissimam transit, pro vno scilicet tot inueniens patres, fratresque, feruentiore ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monachorum habitacula tãquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suæ domus iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiæ superadijci aliquid fas est, plus quàm centuplum recipit, qui decem vel viginti seruorum ministeria infida & coacticia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus matribusque ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresque innumeros, domos quoque, & agros, seruosque fidelissimos, absque vllo sollicitudinis labore conquiritis, qui vos vt proprios dominos submissè suscipiunt, amplectuntur, fouent, venerantur officiis. Sed hoc, inquam, sancti ministerio meritò ac fiducialiter perfruẽtur, qui prius in seruitutem fraternitatis semetipsos suaque omnia voluntaria deuotione subdiderint. Recipient enim secundum sententiam Domini liberè id quod ipsi aliis dependerunt. Qui enim hæc humilitate sincera consortibus suis antè non detulerit, quomodo deferri sibi ab aliis patienter admittet, cùm grauari se eorum obsequiis intelligat potius quàm foueri, qui accipere mauult fratrum quàm *deferre famulatum? Hæc tamen omnia nõ cum remissa securitate nec cum inerti oblectatione percipiet, sed secundum verbum Domini, cum persecutionibus, id est, cum pressuris seculi huius, ac summis angoribus passionum, quia sicut ille sapientissimus contestatur, qui *suauis & sine dolore est, in egestate erit. Regnum etenim cælorum non desides, non remissi, non delicati, non teneri, sed violenti diripiunt. Qui ergo hi violenti sunt? Nempe illi qui non aliis, sed *voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni se præsentium rerum voluptate fraudãtes, voce Dominica egregij direptores pronunciantur, & per huiuscemodi rapinam regnum cęlorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum, secundum sentẽtiam Domini, vim patitur, & violenti diripiunt illud. Isti profectò sunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Homo enim, vt scriptum

*recipere
*sanus
Prouer. 21.
*volupta-tibus
Matth. 11.

ptum est, in doloribus laborat sibi, & vim facit perditioni suę. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, & (vt expressius dicam) executio desideriorum voluntatumque nostrarum; quas si quis ab anima sua subtraxerit ac mortificauerit, gloriosam profectò & vtilem perditioni suę vim facit, abnegans dũtaxat ei iucundissimas voluntates, quas per prophetam sermo diuinus frequenter incusat, dicens, Quia in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Et iterum: Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem. Cui etiam quãta beatitudo promittatur, confestim propheta subiungit: Tunc, inquiens, delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui: os enim Domini locutum est. Et idcirco Dominus noster atque Saluator, vt nobis amputandarum volũtatum nostrarum formam traderet, Non veni, inquit, facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et iterum: Non sicut ego volo, sed sicut tu. Quam virtutem illi specialiter exercent, qui in cœnobiis commorantes, senioris reguntur imperio, qui nihil omnino arbitrio suo agunt, sed voluntas eorum ex voluntate pendet Abbatis. Postremò vt iam disputationis huius sermo claudatur, nõnne obsecro etiam in hoc centuplam gratiam euidentissimè qui fideliter Christo deseruiunt consequuntur, dum pro nomine eius à summis principibus honorantur; ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in persecutionum angustiis iudicibus cunctis ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro condicione seruili, si in seculari conuersatione mansissent? Per Christi autem militiam nobilitatis nemo status contumeliam commouere, nemo obscuritatem generis audebit opponere, quin potius illis ipsis vilissimæ condicionis opprobriis, quibus confundi & dehonestari cæteri solẽt, Christi famuli gloriosius nobilitantur. Quod euidentius in Abbate Ioanne, qui in illa eremo, quæ *Lyco oppido adiacet, commoratur, possumus approbare. Qui perobscuris maioribus natus, ita pro Christi nomine vniuerso pæne humano generi admirabilis factus est, vt eum ipsi quoque rerum præsentium domini, qui mundi huius atque imperij gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis regibusque terrori sunt, velut dominum venerarentur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes, imperij sui apicem & statum salutis, bello-

Isaiæ 58.
Ioan. 6.
Matth. 26.
*Liquo

bellorumque prouentus illius orationibus meritisque committerent. Tali beatus Abraham de illusionis nostræ vel origine, vel medela disputatione disseruit, atque oculis quodammodo nostris cogitationum, quas diabolus auctor ingesserat, propalauit insidias, nosque ad desiderium veræ mortificationis accendit, quo etiam multos licet incompto hæc omnia sermone digesta sint credimus inflammandos. Nam licet summorum patrum flagrantissimos sensus tepida eloquij nostri fauilla contexerit, plurimorum tamen algorem qui remotis verborum cineribus viuacitate latentium sensuum suscitare voluerint, calefaciendum putamus. Sed ad vos ô sancti
Lucæ 12. fratres, non vtique hunc ignem quem Dominus venit mittere in terram, & quem nimium ardere desiderat, ita spiritu præsumptionis elatus emisi, vt quasi feruentissimum propositum vestrum caloris huius adiectione succenderem, sed vt magis vobis maior apud filios esset auctoritas, si id quod ipsi non mortuo verborum sono, sed viuo doceris exemplo, etiam summorum atq; antiquissimorum patrum præcepta confirment. Superest vt me periculosissima hactenus tempestate iactatum, nunc ad tutissimum silentij portum spiritalis orationum vestrarum aura comitetur.

Collationum per D. Ioannem Cassianum Eremitam conscriptarum finis.

D. IOANNIS CASSIANI OPERVM

TOMVS ALTER.

D. IOANNIS CASSIANI IN LIBROS DE INCARNAtione Christi, contra Nestorium hæreticum, ad Leonem Romanæ vrbis Episcopum, Præfatio.

Modestia Cassiani.



*ABSOLVTIS dudum Collationum spiritalium libellis, sensu magis quàm sermone insignibus (quia alto sanctorum virorũ sensui sermo nostræ imperitiæ impar fuit) cogitaram, & propemodũ constitueram post illum proditæ inscitiæ pudorem, ita me in portu silentij collocare, vt excusarem quantum in me esset, per taciturnitatis verecundiam, loquacitatis audaciam. Sed vicisti propositum, ac sententiã meã laudabili studio, & imperiosissimo affectu tuo, mi Leo * venerande, ac suspicienda caritas mea Romanæ ecclesiæ ac diuini ministerij decus, producens me ex illo præmeditati silentij recessu, in publicum formidandúmque iudicium; & noua subire cogis, adhuc de præteritis erubescentem: cúmque etiam minoribus impar fuero, par maioribus à te esse compellor. Ego enim ne in illis quidem opusculis, quibus per ingenioli nostri oblatiunculam Domino sacrificauimus, moliri aliquid aut vsurpare tentassem, nisi episcopali tractus imperio. Creuit itaque per te oris nostri & styli dignitas. Nam qui iussi antea de Dominicis studiis locuti sumus, nunc id exigis vt de ipsa incarnatione Domini ac maiestate dicamus. Ita qui prius in sancta templi velut per sacerdotalem manum introducti sumus, nunc ductu tuo atque subsidio quasi in sanctorum sancta penetramus. Magnus honor, sed periculosa * progressio: quia obtineri sacrorum penetralium ac diuini præmij palma non potest, nisi hoste superato. Exigis itaque, ac iubes, aduersum recentem hæresim, ac nouum fidei hostem conserere imbecilles manus, & contra pestiferi serpentis graues hiatus aperto, vt aiunt, ore consistere: scilicet vt insurgentem in ecclesias Dei sinuosis tractibus draconẽ vis prophetica, & sermonis euangelici diuina virtus, me quasi incantatore irrũpat. Pareo obsecrationi tuæ, pareo iussioni: malo enim de me ipso tibi, quàm mihi credere, maximè quia id tecum amor Iesu Christi Domini mei præcipit, qui hoc ipsum etiã in te iubet. Superest, vt effectum imperati negotij ab ipso postules, per quem imperasti. Tua enim iam hic magis causa quàm mea vertitur, tuũ magis iudiciũ quàm meum officium periclitatur. Me enim, siue par sim tuo imperio, siue non sim, ipsa aliquatenus obedientiæ ratio atque humilitatis excusat: nisi quòd hoc plus meriti est in obsequio meo, si minus est in possibilitate. Facilè enim cuiuslibet iussioni ex abũdantia satisfacimus: illius officium grande est & mirabile, qui etiam idem in voto habet quod in viribus non habet. Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est: ora & obsecra, ne imperitia mea periclitetur electio tua, & opinioni tantæ nobis non respondentibus, etiam si ego per obedientiæ veniam bene pareo, tu tamen per inconsiderantiam iudicij malè imperasse videaris.

*veneranda

*professio:

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE CHRISTI, CONTRA NESTORIVM,

LIBER I.



RADVNT fabulæ poëtarum, desectis quondam hydram capitibus, numerosius renascentem per sua damna creuisse: ita vt nouo inauditoque miraculo, multiplicato mortibus suis monstro, lucri genus esset amissio, scilicet dum quicquid ferrum secantis abscinderet, totum id fœcunditas prodigiosa geminaret, donec laborans atque æstuans cœptæ illius desectionis industrius appetitor, cassatis toties inefficaci opere virtutibus, fortitudinem belli armaret arte cõsilij, & admotis, vt aiunt, ignibus multiplicem portentuosi corporis prolem feruenti gladio desecaret: ac sic ambustis intrinsecus medullis, cùm rebelles venas improbæ fœcunditatis exureret, tandem parturitio monstruosa cessaret. Ita ergo etiam hæreses in ecclesiis, illius quam poëtarum commenta finxerunt, hydrę similitudinem gerunt, & istæ enim aduersum nos linguis feralibus sibilant; & istæ virus lethale iaciunt, & istæ sectis capitibus renascuntur. Sed quia resurgente morbo non debet cessare medicina, & quanto maior fuerit ægritudo, tãto instantior debet esse curatio. Potens est enim Dominus Deus noster, vt quod de morte hydræ illius, gẽtilium falsitas finxit, hoc in ecclesiarũ bellis veritas peragat, & ignitus sancti spiritus gladius. Ita in extinguenda nouella hæresi omnes penitus medullas perniciosæ generationis exurat; vt tandem prodigiosa fœcunditas emorientibus venis parere desistat.

CAP. I. *Hæresis hydræ poëticæ comparatur.*

NON noua enim sunt hęc in ecclesiis mõstruosi seminis germina: semper has Dominici agri seges lappas sentesq; tolerauit, & assiduum in ea suffocatricis zizaniæ germẽ emersit. Hinc enim Hebionitæ, hinc Sabelliani, hinc Arriani, hinc denique Eunomiani, & Macedoniani, hinc Fotiniani, & Apollinaristæ, cæterique ecclesiarum vepres, & enecantes bonæ fidei frugem tribuli pullularunt. Quorũ primus Hebion, dum incarnationem Dominicã nimis asserit, diuinitatis eam coniunctione nudauit. Sabellij autem post hunc ex dissimilitudine hæreseos superioris schisma prorumpens, dum in

CAP. 2. *Varia hæreseõ mostra ex sese inuicem pullulantia describit.*

Hebion. *Sabellius.*

patre ac filio & spiritu sancto distantiam nullam esse contendit, sacram & ineffabilem trinitatem, quantum in ipso fuit, blasphema confusione permiscuit. Secuta est deinde hunc quem diximus, Arrianæ peruersitatis impietas: Quæ ne videretur sacras miscere personas, diuersas esse dixit, atque dissimiles in trinitate substantias. Eunomius autem post hunc quidem, sed eiusdem admodum prauitatis, licèt similem sibi diuinam esse asseruit trinitatem, diuersam tamen à *seipsa esse contendit, admittens similitudinem, excludens parilitatem. Macedonius quoque irremediabili in spiritum sanctũ impietate blasphemans, licèt eiusdem substantiæ patrem & filium dixerit, sanctum tamen spiritum creaturam vocans, reus totius diuinitatis fuit; quia lædi in trinitate aliquid non potest sine totius trinitatis iniuria. Fotinus autem quamuis Iesum, qui ex virgine natus est, Deum dixerit, malè tamen cum principio hominis principium esse Dei confinxit. Apollinaris vero hominem vnitum Deo inconsideratè intelligẽs, humanam eum non habuisse animam malè credidit: Quia non minoris erroris est Domino Iesu Christo impropria addere, quàm propria derogare. Quod enim de illo non ita dicitur vt est, etiam si honor videatur, iniuria est. Ita singuli ex similitudine hæreseos hæresim procreantes, omnes quidẽ à se diuersa, sed omnes tamen fidei aduersa senserũt. Nuper quoque id est, in diebus nostris emersisse hæresim venenosam, *& maximè Beligarum vrbe conspeximus, certi erroris, incerti nominis: quia cùm recenti capite ex antiqua Ebionitarum stirpe surrexerit, dubiũ admodum est, antiqua magis dici, an recens debeat. Noua enim assertoribus, sed vetusta erroribus fuit. Solitarium quippe hominem Dominũ nostrum Iesum Christum natum esse blasphemans, hoc quod ad Dei postea honorem potestatemque peruenerit, humani meriti, non diuinæ asseruit fuisse naturæ: ac per hoc eum diuinitatem ipsam non ex proprietate vnitæ sibi diuinitatis semper habuisse, sed postea pro præmio laboris passionisque meruisse: Cùm vtique Dominum Saluatoremque nostrũ nõ Deum natum, sed à Deo blasphemaret assumptum: confinis scilicet huic hæresi quæ nunc extat, & quasi germana ac consanguinea, quæque tam Ebionitis quàm his recentibus cõsentanea, tempore quidem inter vtrosque media, sed vtrisque tamen peruersitate coniuncta. Sint quamuis eius nonnulla alia his quæ iam diximus consimilia, sed longum est vniuersa memorare. Neque enim nunc ad dicendum commemorationem prĉteritorum, sed confutationem nouorum sumpsimus.

Illud

Arrius. — *Eunomius.* — *se esse — *Macedonius.* — *Fotinus.* — *Apollinaris.* — *ex maxima Veligarum

CAP. 3. *Pelagianorum pestilentem errorem notat.*

ILLVD sanè vnũ prætereundũ nõ arbitramur, quod peculiare ac proprium supradictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit: quòd dicentes quidam solitarium hominem Iesum Christum sine vlla peccati cõtagione vixisse, eò progressi sunt, vt assererent homines si velint, sine peccato esse posse. Consequens enim existimabant, vt si homo solitarius Iesus Christus sine peccato fuisset, omnes quoque homines sine Dei adiutorio esse possint, quicquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. Ac sic nullam facerent inter omnem hominem ac Dominum nostrum Iesum Christũ esse distantiam; cùm idem vtique homo nisu atque industria sua mereri possit, quod Christus studio ac labore meruisset. Quo factum est, vt in maiorẽ quoq; ac monstruosiorẽ insaniã prorumpentes, dicerent Dominũ nostrũ Iesum Christum hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemtionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse: videlicet vt disciplinam eius sequentes homines, dum per eandem viam virtutis incederent, ad eadem virtutum præmia peruenirent: Euacuãtes quantum in ipsis fuit omne sacri aduentus donum, & omnem diuinæ redemtionis gratiam: cùm idem dicerent homines consequi posse viuẽdo, quod præstitisset Deus pro humana salute moriendo. Addiderunt quoque Dominum Saluatoremque nostrũ post baptisma factum esse Christum, post resurrectionem Deum: alterum adsignantes vnctionis mysterio, alterum merito passionis. Vnde aduertit nouus nunc iam, non nouæ hæreseos autor, qui Dominum Saluatoremque nostrum solitariũ hominem natum esse contendit, idem se omnino dicere quod Pelagianistæ antè dixerunt: & consequens errori suo esse, vt qui vtique sine peccato solitarium hominem Iesum Christũ vixisse asserit, omnes quoq; per se homines sine peccato posse esse blasphemet: nec necessariam quoque exemplo illius dicãt redemptionem Domini fuisse, cùm ad cæleste regnum suo tantum homines nisu (vt aiunt) valeant peruenire. Nec dubium id est, re ipsa penitus declarante. Hinc enim illud est, quod intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fouet, & scriptis suis causas illorum adserit: quod subtiliter his, vel, vt verius dixerim, subdolè patrocinatur, & consanguineæ sibi improbitati improbo suffragatur affectu, sciens scilicet eiusdem se esse sensus, eiusdem spiritus, & ideo dolens *cognitam sibi hæresim ab ecclesia esse disiunctam, [quam scit sibi vtiq; peruersitate coniunctam].

*cognatam

CAP. 4.

SED tamen quia illi qui de hac pestilẽtium spinarũ stirpe

Leporius vnà cum aliis nonnullis Pelagianismũ recãtat.

descenderant, diuina ope iam ac pietate sanati sunt, orandus quoque etiam nunc Dominus Deus noster est, vt quia consentaneæ sibi in quibusdã sunt pristina illa hæresis, & hęc noua, similibus malorum initiis, similẽ bonorũ exitũ largiatur. Leporius enim tunc monachus, modò presbyter, qui ex Pelagij, vt suprà diximus, institutione, vel potius prauitate descẽdẽs, apud Gallias adsertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos, fuit à nobis admonitus, à Deo emendatus: ita malè conceptam persuasionẽ magnificè condemnauit, vt non minus pæne admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorũ fides: quia primũ est errorẽ penitus nõ incurrere, secundũ bene repudiare. Is ergo in se reuersus, nõ solum in Africa, vbi tunc erat atque nunc est, tam errorẽ suũ cum dolore, quàm sine pudore confessus est: sed etiã ad omnes admodum Galliæ ciuitates, flebiles confessionis ac planctus sui litteras dedit: scilicet vt vbi deuiatio eius prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur: & qui testes erroris antea fuerant, iidem postea correctionis essent.

CAP. 5.

Publicum peccatum publica confessione diluendum esse Leporij exemplo confirmat, simul ex eius sententia docens quid de verbi incarnatione sentiendũ sit.

Ex cuius confessione, vel potius deploratione, nonnulla inserenda existimauimus, duplici ex causa: vt correctio eorũ & nobis testimonio, & his qui nutant, exẽplo esset: quorumq; errorem sequi non erubuissent, eorum emendationem sequi non erubescerent: ac sicut simili ægritudine infirmarentur, ita simili remedio sanarentur. Is ergo agnita opinionis suæ peruersitate, & inspecta fidei luce scribens ad episcopos Gallicanos, ita exorsus est: Quid in me primum ô domini mei venerandi, & beatissimi sacerdotes, accusem nescio, & quid in me primum excusem, non inuenio. Sic imperitia & superbia, sic stulta simplicitas cum persuasione noxia, sic feruor cũ intemperantia, sic, vt verius dicam, cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt, vt tot & tãtis simul sit & obedisse confusio, & hæc eadem ab animo potuisse cedere mihi stupenda gratulatio. Et post pauca subiungit: Si ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei, sensu nostro & propria ratione sapientes, * quasi in inferiora se Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum esse dicamus, vt seorsum quæ Dei sunt, soli Deo demus; & seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputemus, quartam manifestissimè introducimus in trinitate personã, & de vno filio Dei nõ vnũ, sed facere incipimus duos Christos, quod à nobis iam ipse Dominus & Deus Christus auertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum vnicum filiũ Dei, qui sibi ante secula natus ex patre est, nobis à tempore despi-

*quasi inferiora

de spiritu sancto,& Maria semper virgine factum hominem, Deum natum. Et confitentes vtramque substátiam carnis ac verbi, vnum eundemq́ue Deum atque hominem inseparabilem, semper pia fidei credulitate suscipimus: & ex tempore susceptę carnis, sic omnia dicimus quæ erant Dei, transisse in hominem, vt omnia quæ erant hominis, in Deum venirẽt. Et hac intelligẽtia verbum factum sit caro, non vt conuersione, aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat, sed vt potentia diuinæ dispensationis verbum patris nunquam à patre discedens, homo propriè fieri dignaretur; incarnatusq́ue sit vnigenitus secreto illo mysterio quo ipse nouit; nostrum namque est credere, illius nosse. Ac sic ipse Deus verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit: & adsumtus homo totum accipiendo quod Dei est, aliud quàm Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur, & immixtus, diminutio eius est accipienda substantiæ: nouit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri: nouit in se ita suscipere vt nihil ei crescat augmenti, sicut seipsum totum nouit infundere vt nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ secundum experimentorum visibilia documenta facientes coniecturam de æqualibus se inuicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemq́ue commixtum & tali confusione carnis & verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, vt conflatili quodammodo genere duas naturas in vnam redactas arbitremur esse substantiam: huiusmodi enim commixtio partis vtriusque corruptio est. Deus enim, * qui capabilis non capax est, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui vbique simul totus est, & vbique diffusus est, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ est mixtus humanæ. Et post pauca: Nascitur ergo nobis propriè de spiritu sancto, & Maria semper virgine Deus homo Iesus Christus filius Dei. Ac sic in alterutrum vnum fit verbum & caro: vt manente in sua perfectione naturaliter vtraque substantia, sine sui præiudicio & humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent: Nec alter Deus, alter homo, sed idem ipse Deus qui & homo; & vicissim homo qui & Deus Iesus Christus vnus Dei filius nuncupetur & verè sit: & ideo id agendum nobis semper est & credendũ, vt Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei Deũ verũ, quẽ cum patre semper, & ęqualẽ patri ante secula cõfitemur, eundem à tempore susceptæ carnis factũ Deum hominẽ nõ negemus: nec quasi per gradus & tẽpora proficientẽ in Deum,

*qui capax non capabilis est,

alterius status fuisse ante resurrectionem credamus, alterius post resurrectionem, sed eiusdem semper plenitudinis atque virtutis. Et item paulò post: Sed quia verbum Deus in hominem dignanter hominem suscipiẽdo descendit, & per susceptionem Dei homo ascendit in verbum, totus Deus verbũ factus est totus homo. Non enim Deus pater homo factus est, nec spiritus sanctus, sed vnigenitus patris: ideoque vna persona accipienda est carnis & verbi: vt fideliter sine aliqua dubitatione credamus vnum eundemque Dei filium, inseparabilem semper geminæ substantiæ, etiam gigantem nominatum in diebus carnis suæ, & verè semper omnia gessisse quæ sunt hominis, & verè sẽper possedisse quæ Dei sunt. Quoniã & sic crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.

Psalm. 18.

CAP. 6.

Concors catholicorũ doctrina vti orthodoxa fides amplectenda est.

HANC ergo eius confessionem, id est, catholicorũ omniũ fidem, & omnes Africani episcopi, vnde scribebat, & omnes Gallicani, ad quos scribebat, comprobauerunt. Neque vllus adhuc omnino extitit cui fides hæc sine infidelitatis crimine displiceret; quia professio impietatis est probatã negare pietatem. Sufficere ergo solus nunc ad confutandam hæresim deberet consensus omniũ: quia indubitatæ veritatis manifestatio est autoritas vniuersorum, & perfecta ratio facta est vbi nemo* dissensit. Ita vt qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quã damnanda peruersitas: quia præiudicium secum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuersitatis impugnat: & audientiæ locum non habet, qui à cunctis statuta conuellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quicquid cõtra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quod à veritate dissentit: Ac per hoc sufficere ei etiam id solum conuenit ad sentẽtiam damnationis, quod discrepat à iudicio veritatis. Sed tamen quia rationi non obest sermo rationis, & semper veritas ventilata plus rutilat, meliusque est errantes disputationis curatione corrigi, quàm censuræ seueritate damnari: curãda est, quantum in nobis est, per diuinam opem in nouis hæreticis vetus hæresis, vt recepta per sacram misericordiam sanitate, medela potius eorum det sanctę fidei testimonium, quã damnatio iustæ seueritatis exemplum. Adsit tantum disputationi ac sermoni de se habito ipsa veritas, & pietate illa qua Deus ad homines venire dignatus est, humanis erroribus opituletur, qui ad hoc se vel maximè in terris, atque in homine nasci voluit, vt falsitati amplius locus esse non posset.

*dissentit.

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE DOMINI.

LIBER II.

CAP. I. *Posteriorum hæreticorum errores in autoribus atque inuentoribus suis damnatos & confutatos esse.*



VONIAM libello primo quædam præmisimus, quibus nouum hęreticum ex antiquis hęreseos stirpibus pullulare approbaremus, sufficere quidē ei ad excipiendam iustæ damnationis sententiam, debet priorum hæreticorum iusta damnatio. Quia cùm easdem radices habeat, atq; iisdē *erroribus emergat, satis iam in autoribus suis ipse damnatus est, maximè cùm idipsum quod ipsi asserūt, etiam hi qui proximè ante hos malè secuti sunt, bene condemnarint, vt sufficere his abunde iam in alterutrum suorum exempla debeant, vel horum scilicet qui emendati, vel eorum qui condemnati sunt. Si enim corrigi queunt, habēt in suorum correctionibus medelam; si corrigi non queunt, habent in suorū damnatione sententiam. tamen ne præiudicio magis aduersum eos quàm iudicio vti velle existimemur, ipsam eorum in medium pestiferam propositionem, vel potius blasphemātem amentiam proferamus: sumentes in omnibus scutum fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, scilicet vt resurgens vetusti draconis caput, idem diuini sermonis gladius, etiam nunc in nouis anguibus desecet, qui prius in antiquis serpentibus amputauit. Nam cùm idem horum error sit qui illorum fuit, pro desectione istorum haberi debet desectio illorum: & quia renascentes colubri pestiferos in ecclesia Domini flatus agunt, & tabescere quosdam sibilis suis faciunt, iungenda est propter nouas infirmitates antiquis curationibus recens medela: vt etiam si illud quod prius actū est, non valet ad languoris * damnationē, hoc tamen quod nunc agimus, valeat ad languentium sanitatem.

*scrobibus

Ephes. 6.

*curationē,

CAP. 2. *Virginē Deiparam non tantum χριςοτόκον, verumetiam θεοτόκον, & Christum verè Deū esse demonstrat.*

DICIS itaq;, quisquis es ille hæretice, qui Deū ex virgine natum negas, Mariam matrem Domini nostri Iesu Christi θεοτόκον, id est matrē Dei, appellari non posse, sed χριςοτόκον, hoc est Christi tantum matrem, non Dei: nemo enim, inquis, antiquiorem se parit. Ac de hoc quidem tam stulto argumento, quo natiuitatem Dei carnali intelligentia æstimandam putas, & mysterium maiestatis humanis credis censendū esse rationibus,

rationibus, postea si Deus adnuet, disputabimus: nunc interim & Christum Deum, & Mariam matrem Dei diuinis testibus approbemus. Audi itaque loquentem ad pastores de Dei ortu angelum Dei: Natus est, inquit, vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Ne solum vtiq; in Christo hominẽ intelligeres, & Domini tibi & Saluatoris nomẽ adiecit, scilicet vt quẽ Saluatorẽ esse cognosceres, Deũ nequaquã esse dubitares: & cùm saluandi virtus nõ nisi diuinæ competeret potestati, diuinæ esse eũ potentiæ nõ ambigeres, in quo potentiam saluandi esse didicisses. Sed hoc incredulitati tuæ parum fortasse videatur: quia eum angelus Dominum potius & Saluatorẽ, quàm Deũ aut Dei filiũ nominauit: cũ vtique impiissime Deum neges, quem Saluatorẽ esse fatearis. Audi quoq; archangelũ Gabrielẽ Mariæ virgini prædicantem: Spiritus, inquit, sanctus veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo & quod nascetur in te sanctũ, vocabitur filius Dei. Vides quemadmodum natiuitatem Dei indicaturus, diuinitatis opera præmiserit. Spiritus enim sanctus, inquit, veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Pulcherrimè loquẽs Angelus, diuinitate verborũ, maiestatem diuini operis explicuit. Spiritus enim sanctus, virginis interiora sanctificans, & in his potentia diuinitatis suæ spirãs, humanæ se inseruit miscuitq; naturæ: atque id quod alienũ à se fuerat, suum fecit, virtute id sua scilicet, ac maiestate præsumẽs. Ac ne ad introitũ diuinitatis humana fortasse infirmitas non subsisteret, venerandã omnibus virginẽ virtus Altissimi roborauit, vt corporeã imbecillitatẽ circumfusa vmbræ suæ protectione firmaret. & ad consummandũ cõceptus sacri inenarrabile sacramentũ humana infirmitas nõ deficeret, quam diuina obũbratio sustineret. Spiritus ergo, inquit, sanctus veniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi. Si nasciturus itaq; de sancta virgine homo tantũmodo solitarius erat, quid tanto agebatur sacri aduentus nuntio? quid tanto diuinitatis ipsius apparatu? Si vtique homo ex homine, & caro tantũmodo nascebatur ex carne, iussio quippe tantum ad id potuerat, aut voluntas diuina sufficere. Si enim ad fabricandos cælos, fundandam terram, creandũ mare, sedes denique & thronos, & angelos, & archãgelos, & principatus, & potestates: si ad creãdam postremò omnẽ cælestem militiam, & ad illa innumera diuinorum exercituum millium millia, sola sibi tantũ voluntas Dei imperiũq; suffecit (quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt) cur id ad conceptionem (vt tu ais) vnius hominis parũ visum est, quod satis ad procreationem diuino-

Lucæ 2. *Lucæ 1.* *Psalm. 32.*

diuinorũ omnium fuit? & id potentia ac maiestas Dei, in ortu vnius infantuli parum credidit, quod ad condicionẽ terrenorũ omniũ cælestiumque suffecit. Sed illud vtiq; est, quòd illa omnia opera acta fuerant per iussionẽ Dei, natiuitas autẽ agẽda nõ erat, nisi per aduentum: quia & concipi ab homine Deus nisi se donante, & nasci nisi se illabente non poterat: & ideo archangelus superuenturam virgini maiestatem sacram indicabat: videlicet vt quia agi tanta res per hominũ officium non valebat, ipsius adfuturã *deceret maiestatẽ in conceptu, qui erat futurus in partu. Et ideo descendit verbũ filius, adest maiestas spiritus sancti, virtus obumbrauit patris: vtique vt in sacramento sacræ conceptionis, omnis esset cooperatio trinitatis. Ideo inquit: & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Bene addidit, ideo, vt ostenderet scilicet ideo hæc secutura, quia fuerant illa prǫmissa: & quia Deus superuenisset in conceptione, ideo Deus futurus esset in partu. Rationẽ ergo tantæ rei puellæ reddidit nescienti, dicens: Vtique quia spiritus sanctus superueniet, & quia virtus Altissimi obũbrabit: Ideo & quod nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei. Hoc est dicere: Ne ignores, inquit, hunc tantæ rei apparatum, hoc tanti mysterij sacramentum, ideo in te tota veniet maiestas Dei: quia ex te nascetur filius Dei. Quid hic vltrà adhuc ambigi, aut quid amplius dici potest? Deum dixit superuenturũ, Dei filiũ nasciturũ. Tu quære nunc, si placet, quomodo aut Dei filius Deus non sit, aut quomodo quæ Deũ edidit, theotocos, id est, Dei mater esse non possit? Sufficere ergo hęc tibi sola immo sufficere hæc tibi summa deberent.

*dicerot

SED quia testimonia sacrę natiuitatis abũdè suppetunt: vtpote quæ idcirco omnia scripta sunt, vt ipsius testes essent inspiciamus in pauxilla aliqua portione, etiã ad nunciationẽ de Deo veteris testamẽti :. vt intelligas futurũ ex virgine Dei ortũ, non tunc tantũ cùm factus est nunciatũ, sed etiã ab ipso admodum mundi ortu esse prædictum: reuera vt quia ineffabile opus agendum erat, tolleret quandoque incredulitatẽ rerum præsentium præmissa semper adnunciatio futurorum Ait itaque Isaias propheta: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus. Quis est hic incredulæ ambiguitati locus? Concepturam Propheta virginem dixit, virgo concepit: filium nasciturum: filius natus est: vocandum Deum, vocatur Deus. Hoc enim appellatur nomine quod natura. Vnde cum vocandum eum Dei spiritus Deum dixerit, probat se ab spiritu Dei vacuum, qui se à consortio reddit diuinæ nuncupa-

CAP. 3. *Prosequitur idem argumẽtũ veteris scripturæ testimoniis.*

Esa. 7.

עִמָּנוּאֵל

nuncupationis alienum. Ecce ergo, inquit, virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus. Sed illud est forsitan quo se infidelis vertat tergiuersatio, vt dicat hoc quod vocandum eum Deum propheta dixerat, non tam ad maiestatem diuinitatis, quàm ad appellationẽ nominis pertinere. Sed quid facimus, quód appellatus hoc nomine in euangeliis Christus omnino non est? & tamen mentitus esse per prophetã, Dei spiritus dici non potest. Quid ergo illud est? vt intelligamus vtiq; prophetiam illam diuinitatis nomen tunc prædixisse, non carnis. Nam cùm aliud in Euangelio homo vnitus Deo nomen acceperit, necesse est vtique hoc vocabulum hominis fuisse, illud diuinitatis. Sed pergamus vlterius: & alia ad veritatem probandam veritatis testimonia conuocemus. Vbi enim de Deo agitur, nulla re diuinitas melius quàm suis testibus approbatur. Ait ergo idem propheta alibi: Filius natus est nobis, paruulus datus est nobis, cuius principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij angelus, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Sicut superius vtique vocandũ eum Emmanuel propheta dixerat, ita hic vocandum eum & magni consilij nuncium, & Deum, fortem, & patrem futuri seculi, & pacis principem dicit: Cùm vtique nullo loco eum in Euangeliis vocatum his nominibus legerimus: Vt intelligamus scilicet non carnis esse hæc vocabula, sed diuinitatis: atque illud in Euangeliis nomen esse hominis suscepti, hoc ingenitæ potestatis. Et quia nasciturus in homine Deus erat, ita nomina ipsa per dispensationem sacrã fuisse diuisa, vt & carni hominis nomen inderet, & diuinitati Dei. Vocabitur ergo, inquit, magni consilij nuncius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Non hic, quisquis es ô hæretice, non hic propheta ille diuino spiritu plenus, exemplo assertionis tuæ, illum qui natus est, cõflatili statuæ & figmẽto insensibili comparauit. Filius enim, inquit, natus est nobis, paruulus datus est nobis, cuius principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij nuncius, Deus, fortis. Ne hunc quem annunciabat, alium quàm illum qui in carne natus est intelligeres, nomen natiuitatis adiecit dicens, paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. Vides quot cognominibus ad demonstrandam corporalis ortus proprietatem propheta vsus sit? & natum enim eum, & paruulum nominauit, scilicet vt euidentius significationem natæ sobolis, nomen exprimeret paruitatis: præuidens absque dubio diuinus spiritus hanc blasphemantium hæreticorum peruersitatem,

Esa. 9.

ſitatem, his omni mundo Deum qui naſcebatur, rerum ipſarum vocabulis demonſtrauit: vt etiam ſi blaſphemare hæreticus quæreret, blaſphemię tamen locum penitus inuenire nõ poſſet. Filius ergo, inquit, natus eſt nobis, paruulus datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius magni conſilij nuncius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Paruulum hunc qui natus eſt, & pacis principem eſſe docuit, & futuri ſeculi patrem, & Deum fortem. Quis eſt tergiuerſandi locus? ſeparari paruulus hic qui natus eſt, à Deo qui in eo natus eſt, non poteſt. hunc enim quem natum dixit, patrem futuri ſeculi nominauit: hunc quẽ paruulum nuncupauit, Deum fortem prædixit. Quid eſt hæretice? quò te conferas? ſepta & concluſa ſunt omnia: non eſt vſquam penitus exeundi locus. Supereſt vt errorem quem voluntas noluit intelligere, tandem incipiat vel neceſſitas cõfiteri. Sed non contenti his quæ ſufficiunt, quid etiam per alium prophetam ſpiritus ſanctus dixerit inquiramus: Si affiget, inquit, homo Deum ſuum, quia vos affigitis me? vt euidentiora vtique fierent quæ prophetabantur, quod de paſſione Domini noſtri propheta cecinit, quaſi ipſius de quo dicebat ore prædixit; Si affiget homo Deum ſuum, quia vos affigitis me? Nónne tibi quæſo dixiſſe hoc Dominus Deus noſter quaſi ad crucem ductus videtur? Cur queſo redemtorem veſtrum me non agnoſcitis? Cur Deum indutum pro vobis carne neſcitis? Saluatori veſtro necem paratis? autorem vitæ ad mortem ducitis? Deus veſter ſum quem ſuſpenditis, Deus veſter quem crucifigitis. Quis rogo hic error, aut quæ inſania eſt? Si affiget homo Deum ſuum, quia vos affigitis me? Vides quomodo vox hæc ipſarum quodammodo quæ actæ ſunt rerum vox ſit? Nunquid expreſſius quicquam aut manifeſtius quæreres? Vides quomodo teſtimonia ſacra natum in carne Dominum Ieſum Chriſtum, ab ipſis quodammodo incunabulis vſque ad crucem, quam pertulit, proſecuta ſint? Cùm vtique illum quem alibi legis Deum in carne naſci, hic Deũ in cruce videas affigi. Et ideo à propheta, & illic vbi natus eſt, Deus dicitur; & illic vbi crucifixus eſt, Deus euidẽtiſſimè nominatur: ne ſcilicet in aliquo dignitati diuinitatis præiudicaret carnis aſſumtio, & honorẽ maieſtatis infringeret vel humilitas corporis, vel contumelia paſſionis: cùm vtique augere in nobis affectum eius & cultum debeat vel dignatio tam humilis natiuitatis, vel pietas tã benigna patiẽtis: quia maximum vtique & immaniſſimum ſcelus eſt, vt ideo apud nos minus honoris habeat, quia plus amoris impendit.

Malach. 3.

SED

CAP. 4. *Ex Apostolo Paulo eiusdem doctrinæ testimonia profert.*

Sed his omissis, quæ explicari ideo nullo modo possunt, quia sicut immensitas beneficiorum illius, ita & relatio modum non habet: tempus est vt fortissimũ de eo, ac manifestissimum testem eius Apostolum Paulum consulamus: fidelissimè enim nobis omnia de Deo dicere potest, è cuius semper pectore locutus est Deus. Testatur ergo in hunc modum de gratia atque aduentu Domini Dei nostri, missus ad destruẽdũ gentilis superstitionis errorem electus gentium magister: *Ad Tit. 2.* Apparuit, inquit, gratia Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè & piè & iustè viuamus in hoc mũdo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Apparuit, inquit, gratia Dei Saluatoris nostri. Bene congruo ad ostendẽdũ nouæ gratiæ & generationis aduentũ sermone vsus est. Dicens enim, apparuit, ortũ nouæ gratiæ ac natiuitatis expressit: quia exinde apparere donum gratiæ nouæ cœpit, ex quo Deus in mũdo natus apparuit. Digna ergo & congrua hanc nouæ gratiæ lucem verbi proprietate, quasi digito indicãte mõstrauit. Hoc enim rectissimè apparuisse dicitur, quod subita quasi apparitionis luce monstratur. *Matth. 2.* Sicut in Euangeliis apparuisse stellam Magis orientalibus legimus: & in Exodo, *Exod. 3.* Apparuit, inquit, Mosi angelus in igne flammæ rubi. In omnibus enim & his & aliis visionibus sacris, hoc vtendum vel maximè verbo scriptura existimauit; vt apparuisse hæc diceret, quæ insolita claritate fulgerent. Ita ergo & Apostolus sciens aduentum cælestis gratiæ quæ ortu sacræ natiuitatis apparuit, verbo eam fulgidæ apparitionis expressit: vt apparuisse vtique id diceret, quod nouæ lucis splendore radiaret. Apparuit ergo gratia Dei Saluatoris nostri. Nũquid causari hic aliquid quasi de ambiguitate nominũ potes, vt dicas aliud esse Christũ, aliud Deũ? vt Saluatorem à maiestate nominis sui distrahas, & *Dominum [*Deum] à diuinitate secernas? Ecce hic *vir [*vas] Dei ex Deo loquitur, & apparuisse ex Maria gratiam Dei, euidentissima prædicatione testatur. Ac ne fortè non ex Maria Deum apparuisse *diceres [*dicens], nomen statim addidit Saluatoris: scilicet vt eum natum ex Maria Deum crederes, quem Saluatorem natum negare non possis; iuxta illud: *Luca 2.* Quia natus est vobis hodie Saluator. O admirabilem, & verè à Deo datum gentibus magistrum; qui sciens futuram hanc hæreticæ prauitatis insaniam, quæ in litem vocabula Dei verteret, & calumniari Deo de suis nominibus non timeret; ne Saluatoris vocabulum hæreticus à diuinitate secerneret, nomẽ Dei antè præmisit:

miſit: ſcilicet vt præmiſſum Dei nomen omnia ſibi quæ ſequerentur nomina vindicaret: neque vllus in ſequentibus ſolitarium eſſe hominē Chriſtũ crederet, quem in primo ſtatim vocabulo Deũ eſſe didiciſſet. Expectantes, inquit idem Apoſtolus, beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Vidit profectò ille diuinæ ſapientiæ doctor, ad inſidioſas calliditates diabolicæ captionis, ſimplicē tantũmodo non ſufficere doctrinã, niſi ſanctã fidei prædicationem munimine cautionis armaſſet. Et ideo cùm ſuperius nomen Dei Saluatoriſque poſuiſſet, hic addidit, Ieſu Chriſti: ſcilicet ne ad ſignificandum Dominũ Ieſum Chriſtũ ſufficere tibi forſitan nomē ſolũ nõ crederes Saluatoris: & nõ eundē Ieſum Chriſtũ Deũ eſſe intelligeres, quē Saluatorem Deũ eſſe cognouiſſes. Quid ergo ait? expectantes, inquit, beatam ſpē, & aduentũ glorię magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Nihil hic de nominibus Domini noſtri deeſt, & Deũ hic, & Saluatorē, & Ieſum & Chriſtum vides. Sed omnia hæc videns, omnia in Deo eſſe perſpicis. Audiſti enim Deũ, ſed Saluatorē. Audiſti Deum, ſed Ieſum. Audiſti Deum eſſe, ſed Chriſtum. Separari hoc appellationis diuerſitate non valet, quod diuinitas vnitate cõiunxit. Quicquid libet de his requiſieris, idem inuenies. Saluator Deus eſt, Ieſus Deus eſt, Chriſtus Deus eſt: omne hoc quod audis plurale eſt nũcupatione, ſed vnũ eſt poteſtate. Quia cũ & Saluator Deꝰ ſit, & Ieſus Deus, & Chriſtꝰ Deus, intelligere apertũ eſt, quòd omnia hæc diſtinguũtur appellatione ſed iũgũtur maieſtate. Et cùm euidētiſſimè audias quod vnus in ſingulis nũcupatur Deꝰ: intelligere vtiq; apertè potes, quòd eſt in omnibus vnus Deus. Ac ſic nõ licet tibi iã ex diſſimilitudine Dominicę nũcupationis quęrere diſcrepãtiã poteſtatis, & pro varietate appellationis diuerſitatē facere perſonę. Nõ licet dicere, Chriſtꝰ ex Maria natus eſt, & nõ Deus, apoſtolus enim proclamat Deus. Nõ licet dicere, Ieſus ex Maria natus eſt, & non Deus: Apoſtolus enim teſtatur, Deus. Non licet dicere, Saluator natus eſt, & non Deus: Apoſtolus enim confirmat, Deus. Nihil eſt quò te cõferas: quicquid de Dominicis vocabulis ſumpſeris, Deus eſt quod nominatis. Nihil eſt quod dicas, nihil eſt quod afferas, nihil quod improba falſitate confingas. Potes habere in incredulitate impia quod non credas, non habes in calũniandi occaſione quod deneges.

CAP. 5 *Ex gratiæ diuinæ muneribus quæ per Chriſtum accipimus, colligit ipſum verè Deum eſſe.*

QVANQVAM quia de diuina hac Saluatoris Dñi noſtri gratia pauló ſuperius loqui cœpimus, volo vt de eadem re adhuc ex lectionibus ſacris aliqua dicamus. Legimus in

Actibus

Actibus apostolorũ apostolum Petrum eos qui Euangelium recipientes, nihilominus tamen iugum vetustæ legis portandum esse censebant, ita redarguentem; Quid, inquit, tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi: Donũ certæ gratiæ huius per Iesum Christum datum Apostolus dicit. Responde mihi nunc si placet, gratiam hanc quæ ad salutem omnium data est, ab homine, an à Deo datam existimes? Si ab homine, reclamat tibi vas Dei Paulus, dicens: Apparuit gratia Dei saluatoris nostri. Diuini esse gratiam hanc docet muneris, non imbecillitatis humanæ. Et sanè etiam si sacrum testimonium non suppeteret, ipsa rei veritas testimonio erat: Quia præstare rem perpetui & immortalis boni, fragilia & terrena non possunt: nec dare quisquam alteri valet quo ipse indiget: aut tribuere illius rei copiam, cuius rei inopiam sustinere fateatur. A Deo ergo necesse est gratiam datam non neges: Deus ergo est qui dedit, data autem est per Dominum nostrum Iesum Christum: ergo Dominus Iesus Christus Deus. Si autem est ille, vtique vt est, Deus: ergo illa quę Deum peperit, theotocos, id est, genitrix Dei. Nisi fortè ad tam ridiculam blasphemiæ contradictionem tendere velis, vt illam ex qua Deus natus est, Dei matrem neges: cùm illum qui natus est, Deum negare non possis. Sed videamus tamen quid de hac eadem Domini nostri gratia etiam Euangelium Dei senserit. Gratia, inquit, & veritas per Iesum Christũ facta est. Si solitarius homo Christus, quomodo hæc facta per Christum? Vndę in eo virtus diuina, si in eo sola vt ais humana conditio? Vnde cælestis largitas, si terrena paupertas? Nemo enim potest tribuere quod non habet. Dans ergo diuinam gratiã Christus, habuit quod dedit. Neque enim potest harum diuersissimarum inter se rerum quis differentiam sustinere, vt simul & patiatur indigentiam inopis, & habeat munificentiam largientis. Et ideo sciens apostolus Paulus omnes diuitiarum cælestium thesauros in Christo esse, rectè ad ecclesias scribit: Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Qui scilicet sæpius iam docuerat eundem Deum esse quem Christum: cunctamque in illo maiestatem deitatis esse, & omnem in eo corporaliter plenitudinem diuinitatis habitare, rectè vtique iam sine adiectione nominis Dei solam precatur gratiam Christi. Quia cùm eandem docuerit sæpius gratiam Dei esse quam Christi, plenissimè nunc solam precatur gratiam Christi: quia in gratia Christi

Margin notes: Actor. 15. — Tit. 2. — Ioan. 1. — 1. Corint. 16.

Christi omnem scit Dei gratiam contineri. Gratia ergo, inquit, Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Interrogo te quisquis es ó hæretice, scribens hæc ad ecclesias Paulus, quid his precabatur ad quos scribebat? Gratia enim, inquit, Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Si homo solitarius Iesus Christus, ergo & ille optans dari ecclesiis gratiam Christi, gratiam dari hominis optabat: & dicens, gratia Christi vobiscum, hoc dicebat, gratia hominis vobiscum, gratia carnis vobiscũ, gratia imbecillitatis corporeæ, gratia fragilitatis humanæ. Aut cur omnino nomen gratiæ ipsius nominaret, si gratiá hominis optaret? quia optandi ratio non subsistebat, vbi non erat quod optaretur: nec precandum erat vt eius gratia his contingeret, qui substantiam, vt ais, ipsius quæ optabatur gratiæ non haberet. Ergo vides hæc stulta esse penitus & ridicula: imo potius non ridicula, sed deflenda: ea enim quæ quibusdam facilioribus sunt ridicula, piis ac fidelibus flenda sunt. Quia in stultitia vestræ infidelitatis illi effundunt lacrymas caritatis, & in insipientia impietatis alienæ illi habent lacrymas pietatis suæ. Resipiscamus ergo aliquando, & respiremus: quia sensus hic non sapientia tantum, sed etiam spiritu caret: cùm sit vtique & spiritali sapientia vacuus, & spiritu salutis alienus.

Deplorandos potius quàm irridendos esse hæreticorũ errores.

CAP. 6.

Diuinæ gratiæ conferendæ facultatem non accessisse in Christo tẽporis progressu, sed ab ipso ortu illi congenitam fuisse.

SED dicas forsitan gratiá hanc Domini nostri Iesu Christi, de qua Apostolus scribit, non cum ipso natam, sed postea ei illapsu diuinitatis infusam: quia & homo ipse à te Dominus noster Iesus Christus, quẽ solitariũ dicis, non cũ Deo natus, sed postea à Deo dicatur assumtus: ac per hoc totũ, homini illi gratiá, quando & diuinitatẽ datam. Neq; nos aliud dicimus quam quòd diuina gratia cum diuinitate descẽderit: quia & diuina gratia Dei sit & largitio quodammodo ipsius diuinitatis, ac donũ munificentia gratiarũ. Temporis ergo inter nos forsitan putetur magis quàm rei esse distantia: quia diuinitatẽ quam nos cum Domino Iesu Christo natá, tu postea dicas infusam. Sed illud est quòd natá cum Domino diuinitatẽ negans, nec postea fideliter confiteri potes: quia non potest vna eademq; res in parte esse impia, & in parte probari pia: & eadẽ in portione fidei, & in portione esse perfidiæ. Primum ergo illud à te requiro: Dominum nostrum Iesum Christum, qui ex Maria virgine natus est, hominis tantùm filium, an etiam Dei dicas filium? Nos enim, id est catholicorum omnium fides, nos inquam omnes vtrunque hoc & credimus, & intelligimus, & scimus, & confitemur: quòd & hominis est filius, quia ex homine natus est: & Dei filius, quia ex diuinitate

conceptus. Tu ergo vtrūque hoc,id est Dei filium atque hominis,an tantùm hominis esse asseris? Si tantùm hominis,reclamant tibi Apostoli,reclamant Prophetæ,reclamat denique ipse per quem est facta conceptio spiritus sancti: Obruitur impudentissimum os tuum cunctis diuinorum apicum testimoniis:obruitur sacris voluminibus sanctis testibus:obruitur
Lucæ 1. denique ipso Dei Euangelio quasi diuina manu. Et Gabriel ille magnus,qui in Zacharia vocem incredulam virtute verbi sui coërcuit,multo magis in te blasphemam atque impiam suo ipso ore damnauit, dicens ad Mariam virginē Dei matrem: Spiritus, inquit,sanctus veniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vides quòd vt secundum carnem hominis fieret filius Iesus Christus,antè est filius Dei prædicatus? Paritura enim Dominum virgo Maria, sancto in se spiritu descendēte, & virtute altissimi cooperante concepit. Ac per hoc intelligis,quòd Domini Saluatorisq; nostri inde est origo,vnde conceptus;& cùm descendente in virginem totius diuinitatis plenitudine natus sit, filius esse hominis non potuerat, nisi prius Dei filius fuisset,& ideo missus ad annunciandā sacri ortus natiuitatem angelus Dei,cùm sacramētum conceptionis antè dixisset,partui ipsi nomen imposuit,dicens: Ideo & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei: [hoc est, illius filius nuncupabitur,quo generante est generatus.] Dei ergo filius Iesus Christus: quia & à diuinitate genitus, & à diuinitate conceptus. Si autem Dei filius, ergo indubitanter Deus: si autem Deus,ergo gratia Dei non carens: neq; enim
Ioan. 1. ea re vnquàm caruit quam ipse fecit. Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est.

CAP. 7. *Perfectam ab æterno fuisse, esse & fore in Christo diuinitatem, maiestatem, potentiam, virtutem, &c.*

OMNIS ergo in eo gratia, omnis virtus,omnis potētia, omnis diuinitas, omnis denique diuinitatis ac maiestatis ipsius plenitudo cū eo atq; in eo semper fuerūt,siue in cęlo,siue in terra,siue in vtero,siue in ortu: nihil vnquam Deo de Deo defuit:semper enim cum Deo deitas,non loco vnquā ab eo, non tempore separata:vbique enim Deus totus, vbique perfectus,non diuisus,non demutatus,non imminutus est: quia nec addi vnquam Deo nec detrahi quicquam potest: sic enim imminutionem deitatis nō habet, sicut nec augmentū. Idem ergo in terris fuit, qui & in cælis:idem in humilibus, qui in excelsis: idem in hominis exiguitate, qui in Dei maiestate. Et ideo bene Apostolus Christi gratiam nominans, Dei gra-
1.Corinth. 16. tiam nominabat: Quia Christus totum erat quod Deus, omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis diui-

diuinitatis venet plenitudo. Inde enim illi omnis diuinitatis perfectio, vnde & origo. Neque enim vnquam sine Deo fuerat homo ille qui vtique hoc ipsum quod erat, à Deo cœperat. Hoc itaque primum, velis nolis, negare non potes, quod Dominus Iesus Christus, filius Dei sit: Archangelo vtique clamante in Euangeliis: quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Hoc autem posito, scito te quicquid de Christo legeris, de Dei filio legere: quicquid de Domino aut Iesu legeris, ad Dei filium pertinere. Omnia enim hæc illius nomina, Dei filium nominant: omnia hæc eius vocabula, filium Dei clamant. Et ideo tu in his omnibus quæcunq; audieris, nomen diuinitatis agnoscens, cùm in omnibus videas te Dei filium intelligere debere, argumentare si placet, quomodo Deum valeas à Dei filio separare. *Luca 1.*

D. IOANNIS CASSIANI

DE INCARNATIONE DOMINI,

LIBER III.

CAP. I. Christũ eundẽ hominem ac Deum secundũ carnem ex Israël & virgine Maria editum esse.



SCribens Romanis diuinus ille ecclesiarũ magister, cùm argueret, imo defleret Iudæorum, id est fratrum suorum infidelitatẽ, his verbis vsus est: Optabam, inquit, anathema esse ipse ego à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundũ carnem, qui sunt Israëlitæ, quorũ adoptio est filiorum, & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequiũ, & promissiones: quorũ patres ex quibus Christus secundũ carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. *Rom. 9.* O affectum, & fidelissimi Apostoli, & piissimi propinqui: qui inæstimabili caritate mori vult, & pro cognatis vt proximus, & pro discipulis vt magister! Et quæ tandem causa vt mori vellet? vna vtique, vt illi viuerẽt. Vita autem eorum in quo continebatur? in hoc scilicet, vt ipse ait, vt Deum Christum secundum carnem natum ex sua carne cognoscerent. Et ideo vtique Apostolus plus dolebat, quia eum illi ex Israël natum non intelligerent, qui ex suis editum plus amare deberent. Ex quibus Christus, inquit, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Eum scilicet ex illis Christum natum ait secundũ carnem, qui sit super omnia Deus benedictus in secula. Christũ vtique secundum carnẽ natũ ex illis non negas: sed idem qui

ex illis natus est, Deus est. Quid circumis? quid tergiuersaris? Christũ ex Israël natum secundum carnem Deũ esse Apostolus dicit. Tu doce quando non fuerit. Ex quibus Christus, inquit, secũdum carnem, qui est super omnia Deus. Vides quia hoc Apostolus vnitate coniunxerit, separari omnino non potest Deus à Christo. Sicut enim ex illis Christus Apostolus prædicat, ita Deũ in Christo esse confirmat. Aut vtrumq; hoc neges necesse est, aut vtrumque fatearis. Natus secundũ carnem Christus ex illis dicitur: sed idem in Christo Deus ab Apostolo prædicatur. Vnde & alibi: Deus enim erat in Christo, mundũ reconcilians sibi. Diuidi hoc ab alterutro nequaquam potest. Aut Christum ex illis editum denega, aut ex virgine Deum in Christo editum confitere. Qui est, inquit, super omnia Deus benedictus in secula.

2. Cor. 5.

CAP. 2. *Dei appellatio aliter Christo aliter hominibus tributa est.*

SVFFICERE quidẽ fidelibus ad indicandã maiestatem diuinitatis nomẽ Dei abunde potuit: sed addẽdo, super omnia Deus benedictus, blasphemiã perfidæ assertionis exclusit: ne quis scilicet impiorum, vocabulum Dei interdũ etiam hominibus temporariè, dono diuinæ dispensationis indultũ, ad iniuriam summæ diuinitatis assumeret, & contumeliosis Deo comparationibus coaptaret, sicut vtique illud vbi ad Moysen dicit Deus: Dedi te Deum Pharaoni; aut illud, Ego dixi, dij estis. cũ vtiq; euidentissimã indulti nominis habeat significationẽ. Nam vbi dicit, ego dixi, nõ tam nomẽ est potestatis, quã sermo dicẽtis. Sed & illud vbi dicit, Dedi te Deum Pharaoni, nõ diuinitatẽ accipientis, sed potestatẽ dantis exposuit. Nam cùm dixerit, dedi, in illo vtique significata est Dei potestas qui dedit, non diuinitatis natura in eo qui accepit. De Deo autem ac Domino nostro Iesu Christo cùm dicitur, qui est super omnia Deus benedictus in secula, & res statim probatur in verbo & verbi res demonstratur in nomine: quia Dei nomen in Dei filio non significatio est adoptionis indultæ, sed veritas proprietasque naturæ.

Exod. 7. *Psalm. 86.*

CAP. 3. *Explicat illud Apostoli, Nos ex hoc neminẽ nouimus secundũ carnẽ, &c.*

ITAQVE inquit idẽ Apostolus, Nos neminẽ ex hoc nouimus secundũ carnẽ, & si cognouimus secundũ carnẽ Christũ, sed nunc iam nõ nouimus. Bene sibi cũcta sacri sermonis scripta conueniunt, & in omni penitus sui parte etiã vbi verborũ specie non consonant, rerum tamẽ virtute concordant: sicut in hoc quod ait, & si cognouimus Christũ secundũ carnem, sed nũc iam nõ nouimus: testimoniũ enim dicti pręsentis, cõfirmatio superioris est, quo dixit, ex quibus Christus secundũ carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Illic enim posuit, ex quibus Christus secundũ carnẽ: hic autẽ, & si

2. Cor. 5. *Rom. 9.*

& si cognouimus Christum secundũ carnem. Illic, qui est super omnia Deus: hic autẽ, Christum secundum carnem nunc iam non nouimus. Species verborũ est alia, sed rei virtus vna: eundem enim quem illic secundum carnẽ natũ Deum super omnia prædicat, hic secundum carnẽ se iam non nosse confirmat. Ideo scilicet, quia eundẽ quem natum in carnẽ nouerat, Deũ in secula confitetur, & ideo à se eum ignorari secundũ carnẽ, quia sit super omnia Deus benedictus in secula; ac per hoc & illud ibi qui est super omnia Deus: & hoc dicit, Nõ nouimus iam Christũ secundum carnẽ: Quia est Deus benedictus in secula. Ascendit ergo quodammodo, quasi in altiorẽ gradũ doctrinæ apostolicæ prædicatio; & licet sibi sensu in vtroq; conueniat, sacramentũ tamen perfectæ fidei, quasi sententia expressiore confirmat, dicens: Et si cognouimus secũdum carnẽ Christum, sed nunc iam non nouimus: videlicet, quia prius eum & hominẽ scimus & Deũ, nunc tantũ Deũ. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo iam nouimus nisi virtutẽ diuinitatis: quia totum in eo virtus est maiestatis diuinæ, vbi esse desiit infirmitas imbecillitatis humanę. Omne ergo penitus hoc testimonio mysteriũ & sumtæ carnis, & perfectę diuinitatis exposuit. Dicens enim, Et si cognouimus Christum secundũ carnem, sacramentum nati in carne Dei locutus est. Adiiciens autẽ, Nunc iam non nouimus; vim depositę infirmitatis explicuit. Ac per hoc cognitio illa carnis ad significationẽ pertinet hominis: ignoratio autẽ ad honorẽ diuinitatis. Hoc est enim dicere, Cognouimus Christũ secundũ carnẽ, quamdiu quod secundũ carnẽ agnosceretur fuit, nũc iã non nouimus postquã esse desiuit. Natura enim carnis in spiritalẽ est translata substantiã: & illud quod fuerat quondam hominis, factũ est totum Dei. Et ideo non nouimus Christũ secundũ carnem: quia absorpta per diuinam maiestatẽ infirmitate corporea, nihil sacro resedit corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis possit agnosci. Ac per hoc quicquid fuerat prius substantiæ duplicis, factum est virtutis vnius. Cùm vtique non sit dubium, Christum qui crucifixus est ex infirmitate nostra, totum viuere ex maiestate diuina.

CAP. 4. *Ex ea quæ ad Galatas est epistola profert testimoniũ quo probat infirmitatẽ carnis in Christo per diuinitatẽ absorptã esse. Gala. 1.*

QVOD scilicet Apostolus omni scriptorum suorũ corpore prædicans, bene etiã ad Galatas scribẽs ait: Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominẽ, sed per Iesum Christum & Deũ patrem. Vides quã bene sibi in prioribus pręsentibusq; conueniat. Illic enim dicit, nunc iam non nouimus Christum secundum carnẽ: hic ait, nõ ex hominibus, neq; per hominẽ, sed per Iesum Christũ. Patet quemadmodum etiam

hic idẽ quod in ſuperioribus doceat. Dicens enim, miſſum ſe non per hominẽ, hoc dicit nõ nouimus Chriſtũ ſecundũ carnem: & ideo non per hominẽ miſſum, ſed per Ieſum: quia per Chriſtũ miſſus, non per hominẽ miſſus ſum, ſed per Deũ; nomẽ enim in eo iam hominis non cadit, in quo totũ ſibi diuinitas vindicauit. Et ideo cùm dixiſſet miſſum ſe nõ ab hominibus neque per hominẽ, ſed per Ieſum Chriſtũ; bene addidit, & Deũ patrẽ: hoc eſt, miſſum ſe à Deo patre & à Deo filio eſſe deſignans. In quibus vtique licet propter myſterium ſacræ & ineffabilis generationis, duplex ſit perſona, generantis & geniti; vna tamen eſt virtus mittentis Dei. Et ideo ille miſſum ſe à Deo patre & Deo filio dicens, in perſonis quidem dualem oſtendit numerũ, ſed in miſſione vnam docuit poteſtatem.

CAP. 5. *Sicut blaſphemia eſt Chriſto adimere diuinitatem, ita quoque verum hominẽ illum eſſe negare, blaſphemũ eſt.* *Galat. 1.*

SED per Chriſtũ, inquit, Ieſum, & Deum patrẽ, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Præclarus vtique & admirabilis magiſter, ſciens Dominum Ieſum Chriſtũ ſicut verũ Deum, ita & verum hominẽ prædicandum, ita ſemper maieſtatẽ diuinitatis in eo prædicat, vt incarnationis confeſſionẽ penitus nõ relinquat: excludens vtique & phantaſma Marcionis incarnatione vera, & paupertatẽ Hebionis diuinitate perfecta: ne ſcilicet per alterutram blaſphemiæ peruerſitatem Dominus Ieſus Chriſtus aut homo penitus ſine Deo, aut Deus ſine homine credatur. Bene ergo Apoſtolus miſſum ſe ſicut à Deo patre, ita & à Deo filio prædicans, confeſſionem ſtatim Dominicæ incarnationis adiunxit, dicens: Qui ſuſcitauit eum à mortuis: verum ſcilicet incarnati Dei corpus ſuſcitatũ à mortuis docens, iuxta illud: Et ſi cognouimus Chriſtũ ſecundum carnem: bene addens, ſed iam non nouimus. Hoc enim ſe in eo noſſe dicit ſecundum carnem, quòd ſit à mortuis ſuſcitatus. In eo verò ſe eum iam non noſſe ſecundum carnẽ, quòd ceſſante carnis fragilitate, in ſola eum nouerit Dei eſſe virtute. Fidelis ſcilicet prædicandæ Dominicæ diuinitatis, & ſatis idoneus teſtis: qui in principio vocationis ſuę cælitus caſtigatus, maieſtatem ſuſcitati à mortuis Domini noſtri Ieſu Chriſti, non fide tantùm animi ſui crederet, ſed etiam oculis corporalibus approbaſſet.

CAP. 6. *Ex apparitione Chriſti quæ Apoſtolo perſequenti eccleſiam facta eſt, vtramque naturam in eo fuiſſe demonſtrat.* *Actor. 26.*

VNDE etiam apud Agrippam regem & cæteros mundi iudices diſſerẽs, ita ait: Dum irem Damaſcum cum poteſtate & permiſſu principis ſacerdotum, die media in via vidi rex de cælo ſupra ſplendorẽ ſolis circumfulſiſſe me lumen, & omnes qui mecũ ſimul erant: omneſque nos cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem dicentẽ mihi Hebraica lingua, Saule Saule, quid me perſequeris? durũ eſt tibi contra ſtimulũ calcitrare.

citrare. Ego autem dixi: quis es Domine? Dominus autẽ dixit ad me: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Vides quòd eum Apoſtolus, quem in tanto maieſtatis fulgore viderat, rectè iam ſe ſecundũ carnẽ non noſſe dicebat. Cùm enim iubar illud diuini luminis quod ſuſtinere nõ potuit, in ipſa ſui proſtratione vidiſſet, vox hæc ſecuta eſt, Saule Saule, quid me perſequeris? Cui quærenti quis eſſet, ita euidẽti Dominus perſonæ ſuæ ſignificatione reſpondit: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quẽ tu perſequeris. Te te inquam hæretice nunc interrogo, te appello: credis de ſe Apoſtolo, aut non credis? aut ſi parum id æſtimas, credis de ſe Domino, aut nõ credis? Si credis, finita quæſtio eſt. Hoc enim neceſſe eſt quod nos credimus credas. Nos enim iuxta Apoſtolum, & ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnẽ, ſed nunc iam non nouimus. Nos Chriſtum contumeliis non afficimus, nos carnem à Deo non ſeparamus, & totum quod Chriſtus eſt, eſſe in Deo credimus. Tu ergo ſi idem quod nos credimus credis, eadem neceſſe eſt fidei ſacramenta fatearis. Si autem à nobis diſſides: ſi neque eccleſiis, neque Apoſtolo, neque ipſi denique de ſe Deo credis: oſtende nobis in hoc quod Apoſtolus vidit, quid ſit caro, & quid ſit Deus. Ego enim hic diſcernere nihil valeo. Video ineffabilem illuminationem; video inexplicabilem claritatem; video ſplendorem humanæ fragilitati intolerabilem, & ſupra id quod ferre mortales oculi queunt, inæſtimabilem maieſtatem Dei luce fulgentem. Quæ hic diuiſio, quæ hic diſcretio eſt? In voce Ieſum audimus, in maieſtate Deum cernimus: quid eſt aliud, niſi vt in vna eademq́ue ſubſtantia Deum & Ieſum eſſe credamus? Volo tamen de hoc eodem adhuc aliquid apud te loqui. Dic mihi quæſo: Si tibi nunc perſequenti fidem catholicam id appareret quod ignoranti Apoſtolo tunc apparuit: ſi te inopinantem atque ſecurum fulgor ille circumdaret, & perculſum atque perterritum ſplendor immenſi luminis conſterneret, iaceresq́ue in tenebris oculorum atque errorum tuorum: quas tibi immenſas & ineffabiles anguſtias pauor mentis augeret? Dic mihi obſecro: cùm te imminentis mortis formido premeret, & terror comminantis deſuper maieſtatis vrgeret; audires quoque illud in tanta mentis confuſione dignum perfidia tua nomen, Saule Saule quid me perſequeris? & quærenti tibi quis eſſet, reſponderetur à cælo, Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris: quid diceres? Neſcio, non ad plenum adhuc credo: deliberare amplius mecum volo, quem te eſſe exiſtimem qui è cælo loqueris, qui me fulgore tuæ diuinitatis

obruis, cuius vocem audio & maiestatẽ ferre nõ possum. Tractandum mihi de hoc negotio est, credendum tibi sit, an non credendum, Christus sis tu an Deus: si Deus solus sis, an in Christo: si Christus solus sis, an in Deo. Discretionem hanc subtiliter obseruari, & diligenter considerari volo, quid credẽdus sis, quid iudicandus sis. Nolo enim aliquid de officio meo perdere: vt cùm te vt hominem despiciam, aliquid tibi diuini honoris impendam. Si ergo vt Paulus tunc Apostolus iacuit,
*obũbratus, prostratus humi iaceres: & fulgore diuini luminis * obrutus, extremos spiritus ageres: hęc forsan diceres, hac otiosa loquacitatis garrulitate gannires. Sed quid facimus? quod aliud tũc Apostolo visum est. Et cùm tremens ac semianimis concidisset, dissimulandum vltrà non censuit, deliberandum amplius non putauit; suffecitque ei quòd ineffabilibus experimentis quem ignorans hominem esse credidit, admonitus Deũ esse cognouit: non dissimulauit, nõ distulit: nec malè conceptum errorem infideli amplius deliberatione suspendit: sed audito è cælis Iesu Domini sui nomine, subdita vt famulus, trepida
conseruus vt flagellatus, deuota vt conuersus voce respondit: Quid faciam Domine? Itaque paratissima, ac deuotissima fide id statim meruit: vt quem fideliter credidit, eo ipso iugiter non careret: & ad quem corde transierat, is in cor eius ipse transi-
2. Corinth. 13. ret: dicente ipso de se Apostolo: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christi?

CAP. 7. *Aliis rursum Apostoli testimoniis Christũ Deum esse pronunciat.*

QVO loco volo hæretice, vt mihi differas, hunc quem loqui Apostolus intra se dicit, homo sit an Deus? Si homo, quomodo in corde eius corpus loqui poterat alterius? Si Deus, ergo iam non homo Christus, sed Deus: quia cùm locutus in Apostolo Christus sit, & loqui in eo non potuerit nisi Deus: ergo locutus in eo est Christus Deus. Vides itaque, nihil esse hic iam quod dici queat, nec disiunctionem, aut diuisionem aliquam inter Christum fieri & Deum posse: quia totus in Christo Deus, & totus in Deo Christus. Nulla hic recipi disseparatio potest, nulla discisio: vna tantùm est simplex, vna tantùm pia, vna tantùm sana confessio, adorare, amare, & colere Christum Deum. Vis autem adhuc plenius & cumulatius scire nullam inter Deum & Christum esse distantiam? & eundem penitus Deum intelligendum esse quem Chri-
2. Corinth. 5. stum? audi Apostolum ad Corinthios loquentem: Omnes enim nos, inquit, manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bo-
Rom. 14. num, siue malum. Alio autem loco ad Romanam ecclesiam scribens, Omnes, inquit, astabimus ante tribunal Dei. Scriptũ est

eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus: quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo. Vides ergo vnũ atq; idem tribunal Dei futurum eſſe quod Chriſti? Intellige ergo indubitanter Chriſtum Deum: & vbi vides inſeparabilẽ penitus Chriſti ac Dei eſſe ſubſtantiam, inſeparabilem quoque agnoſce eſſe perſonam. Niſi fortè quia Apoſtolus in alia nos manifeſtandos Epiſtola ante tribunal Chriſti, in alia ante tribunal Dei dixit, duo fortè tribunalia facias, & alios iudicãdos à Chriſto, alios à Deo cenſeas. Sed hęc friuola & furioſa ſunt, & inſanientibus inſaniora. Agnoſce ergo omniũ Dominum, agnoſce vniuerſitatis Deum, agnoſce in tribunali Dei tribunal Chriſti, agnoſce in tribunali Chriſti tribunal Dei. Ama vitam, ama ſalutem tuam, ama à quo creatus es: metue à quo iudicandus es. Velis enim nolis, manifeſtandus ante tribunal Chriſti es, & ſepoſita impietatis blaſphemia, ac verborum infideliũ cantilena, ſi aliud putas tribunal Dei eſſe quàm Chriſti, venies ante tribunal Chriſti, & inuenies vtique documento inexplicabili, ipſum tribunal Dei eſſe quod Chriſti, totamque in filio Dei Chriſto & filij Dei maieſtatem, & patris Dei poteſtatem. Non enim pater iudicat quẽquam, ſed iudicium omne dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui enim negat patrem, & filium: omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. Diſce itaque inſeparabilem eſſe patris ac filij honorem, inſeparabilem dignitatem: neq; honorari filium ſine patre, nec patrem poſſe ſine filio. Honorare autem Deum ac Dei filium, niſi in Chriſto vnigenito Dei filio nullus valet: Quia ſpiritum ipſum vtique honorandi Dei, niſi in ſpiritu Chriſti habere non poteſt, dicente Apoſtolo: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et iterum: Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui reſurrexit. Vides ergo iam, etſi non vis, nullam omnino penitus vel inter ſpiritum Dei & ſpiritum Chriſti, vel inter iudicium Dei & iudicium Chriſti eſſe diſtantiam. Tu elige vtrum malis, alterum enim fieri neceſſe eſt, vt aut Chriſtum Deum eſſe fide intelligas, aut in Chriſto Deum damnatione cognoſcas.

Eſa. 45. *Ioan. 5.* *Rom. 8.* *Ibidem.*

CAP. 8.

In confeſſione diuinitatis Chriſti, Crucis confeſſionẽ non eſſe ſilẽtio premendam.

SED videamus tamen cætera quæ ſequuntur. Scribẽs ad Corinthiorum eccleſiam idem de quo ſuperiùs locuti ſumus Doctor eccleſiarum omnium Paulus, ita locutus eſt: Iudæi, inquit, ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt:

1. Cor. 1.

nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem qui salui fiunt, Iudæis atque Græcis, Christũ Dei virtutẽ & Dei sapiẽtiam. O fortissimum fidei magistrum: cui docenti ecclesias, parum etiam hoc loco visum est, vt Christum Deũ esse diceret, nisi crucifixum addidisset, scilicet vt ad exertissimam ac validissimam fidei doctrinam eundem quẽ crucifixum diceret, Dei sapientiam prædicaret! Non ergo subtilitate aliqua, aut circumitione verborum vsus est: nec in prædicando Domini Euangelio crucis Christi nomen erubuit. Et licet hoc scandalum esset Iudæis, & stultitia gentibus, Deũ audire natum, Deum audire corporeum, Deum audire passum, Deum audire crucifixum: non tamen ille propter Iudaici scandali impietatem, virtutem pietatis suę non eneruauit: aut propter alienæ stultitiæ infidelitatem, fidei suæ robur imminuit: sed palam, constanter, fortiter eum quem caro ediderat, homines occiderant, lancea perforarat, crux distenderat, virtutem Dei & sapientiam prædicabat, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Sed tamen hoc quod erat aliis scandalum ac stultitia, aliis erat virtus Dei & sapientia. Pro diuersitate enim personarum, erat diuersitas sensuum: & quod expers sani intellectus, & incapax veri boni diffidentia insipiẽs denegauerat, id intra ipsos animæ recessus sacrum esse ac salutiferum fides sapiens sentiebat.

CAP. 9. *Apostolicam prædicationem à Iudæis & Gẽtibus repudiatam esse eò quòd Christum crucifixũ Deũ esse confiteretur.*

DIC mihi ergo hæretice, hostis quidem omniũ, sed tuus maxime, cui crux Domini nostri Iesu Christi, & cum Iudęis scandalum est, & stultitia cum Gẽtibus, qui sacramenta veræ salutis & illorum respuis scandalo, & istorum non sapis stoliditate: cur Pauli Apostoli prędicatio, aut Paganis stultitia, aut Iudæis scãdalum fuit? nunquid potuerat offendere homines, si Christum, vt tu asseris, solitarium esse hominem etiam ipse docuisset? Cui enim natiuitas illius, cui passio, cui crux, cui peremtio incredibilis aut grauis esse potuisset? aut quid noui vel inauditi in se Pauli prædicatio habuerat, si id passum hominem Christum esse dixisset, quod passim quotidie in hominibus condicio humana toleraret? Sed illud vtique erat quod gentilis stultitia nõ recipiebat, quod Iudaica infidelitas respuebat: quòd Christum vtique, quem illi, vt tu, solitarium hominem arbitrabantur, Apostolus Deum esse dicebat. Hoc erat vtique quod impiorum sensus refutabat, quod perfidorum aures ferre non poterant, in homine Iesu Christo Dei prædicare natiuitatem, Dei asseri passionem, Dei annunciare crucem. Hoc vtique erat graue, hoc incredibile: quia hoc erat

erat incredulũ humanæ audiẽtiæ,quod inauditũ fuerat diuinæ contigiſſe naturæ. Itaque ſecurus es tali affirmatione,atq; doctrina,quòd nunquã prædicatio tua aut Gẽtibus ſtultitia, aut Iudæis ſcandalũ erit. Nunquam tu à Iudęis atque Gẽtibus aut cum Petro crucifigeris, aut cum Iacobo lapidaberis, aut cum Paulo capite plecteris. Non enim habet prædicatio tua illorum offenſionem. Solitarium hominem natum, ſolitarium paſſum aſſeris. Timere non potes,ne perſecutione ſua te illi lædant:cùm tu eos tua prædicatione confirmes.

CAP. 10. *Quomodo Chriſtum Dei virtutẽ, & Dei ſapientiam aſſerat Apoſtolus.*

SED videamus tamẽ adhuc aliquid de hoc ipſo. Chriſtus ergo,iuxta Apoſtolũ,virtus Dei & ſapientia Dei eſt. Quid habes quod reſpondeas? quid habes quo te conferas? Exire hinc & progredi nuſquam potes. Chriſtus Dei ſapientia eſt,& Dei virtus. Ille quem Iudæi inſectati ſunt, quem gentiles riſerunt, quem tu cum illis ipſe perſequeris. Ille inquam, qui & Paganis ſtultitia eſt,& Iudæis ſcandalũ,& tibi vtrunque: ille inquã eſt Dei virtus,& Dei ſapiẽtia. Quid habes quod agas? claudes fortaſſe aures ne audias. Hoc & Iudæi Apoſtolo prædicante fecerunt. Quidlibet facias,Chriſtus in cælo eſt,& in Deo,& cum eo,atque in eo in ſuperioribus, in quo & in inferioribus fuit:perſequi eum iam cum Iudæis nõ potes. Sed facis vnum tamen quod potes: perſequeris eum in fide, perſequeris in eccleſia,perſequeris opinionis impiæ telo,perſequeris praui dogmatis gladio. Plus fortè aliquid quàm quidã veterum Iudæorũ facis:Chriſtum tu nunc perſequeris, poſtquã eum etiam illi qui perſecuti fuerant,crediderunt. Sed minoris criminis forſan putas,quòd inijcere in eum iã manus non potes. Non minus inquam,nõ minus illi grauis illa eſt perſecutio,in qua eum in ſuis impij perſequuntur. Sed offendit te Dominicæ crucis nomen:hoc & Iudęos ſemper offendit. Exhorreſcis Deum audire paſſum: hoc & gentilis error irriſit. Quæro ergo nunc,in qua ab illis parte diſſideas, cùm in hac tibi atque illis peruerſitate conueniat? Sed ego prædicationẽ hanc ſacræ crucis, prædicationem hanc Dominicæ paſſionis non ſolùm non imminuo,ſed quantum in voto eſt ac ſubſtãtia mea,augeo. Hunc enim qui crucifixus eſt,non ſolum virtutem ac ſapientiam Dei, qua nihil maius eſt, ſed etiam totius diuinitatis ac maieſtatis Dominum prædicabo. Hoc magis, quòd hic ſermo meus doctrina Dei eſt, dicente Apoſtolo: Sapientiam loquimur inter perfectos: ſed ſapientiam non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi,qui deſtruũtur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriã noſtram:

Hæreticos non minus Chriſtũ perſequi doctrinæ peruerſitate, quàm Iudæos aut quoſuis alios corporali perſecutione.

1. Cor. 2.

nostram: quam nemo principum seculi huius cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent. Sed, sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Vides quàm breuiter sermo Apostolicus quanta dixerit? Sapientiam se loqui dicit, sed sapientiam quam perfecti tantummodo sciant, prudétes seculi nesciant. Dei enim hoc ait esse sapientiam, quæ sit diuino tecta mysterio, & ante omnia secula in sanctorum gloriam prædestinata: atque ideo eam his tantùm qui Deum sapiunt, esse cognitam, principibus autem seculi huius penitus ignotam. Causam autem subdidit, qua vtrunque quod dixerat comprobaret, dicens: Si enim cognouissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent. Sed scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Vides ergo quòd sapientia Dei in mysterio abscondita, & ante secula prædestinata, his fuit incognita qui maiestatis Dominum crucifixerunt? his autem cognita qui susceperunt? Bene autem in mysterio absconditam dicit Dei fuisse sapientiam: quia nullius hoc vnquam hominis vel oculus videre, vel audire auris, vel cor potuit cogitare, quòd maiestatis Dominus vel nasciturus esset ex virgine, vel venturus in carne, vel omni afficiendus pœnæ & contumeliæ passione. Sed hæc vtique Dei dona, sicut nemo est, qui cùm essent abscondita in mysterio, sapere vnquam per se potuerit: ita beatus est qui reuelata cognouit. Vnde quicumque eam non agnouerunt, necesse habeantur inter principes seculi: qui autem cognouerunt, inter sapientes Dei. Non agnoscit ergo Deum, in carne natum qui negat: ergo & vos non agnoscitis qui negatis. Sed quidlibet faciatis, quamlibet impiè negetis: nos plus Apostolo credimus. Et quid Apostolo dico? plus Deo credimus. Ipsi enim per Apostolum credimus, quem locutum in Apostolo certi sumus. Dominum maiestatis sermo diuinus crucifixum à principibus huius seculi dicit; tu negas: & illi negabant Deum se crucifigere qui crucifigebant. Habent ergo qui confitentur, cum confitente Apostolo partem; habeas tu necesse est cum persequentibus portionem. Quid ergo est hic iam quod dici queat? Dominum maiestatis crucifixum Apostolus dicit: immuta hoc, si potes: separa nunc, si vales, Iesum à Deo: Crucifixum certè à Iudæis Christum negare non potes. Sed Dominus maiestatis est qui crucifixus est. Ergo necesse est aut Christum affixum esse in cruce dene-

Esa. 64.

deneges; aut Deum affixum esse fatearis.

SED fortè offendit te, quod tamdiu vnus vel maximè Pauli Apostoli testimoniis loquor: Satis mihi idoneus est quem elegit Deus: nec enim erubesco eum fidei meæ habere testẽ, quem Deus voluit mundi totius esse doctorem. Sed tamen vt acquiescam in hoc voluntati tuæ, qui habere me forsan alios quorum vtar testimoniis non arbitraris, audi perfectum humanæ salutis & sempiternæ beatitudinis sacramentum, Martham in euangelio prædicantem. Quid enim ait? Vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Disce à muliere fidem veram: disce æternæ spei confessionem. Habes tamen grande solatium: non erubescas ab ea sacramentum salutis agnoscere, à qua testimonium Deus non refutauit accipere.

CAP. II. *Euangelicis testimoniis eandẽ doctrinam corroborat.*

Ioan. 11.

QVOD si autoritas tibi forsan personæ maioris placet (quamuis nullius displicere vel persona vel sexus debeat cui confessio sacramenti autoritatem facit: quia quamlibet condicio cuiusquam aut locus minor sit, virtus tamen fidei nescit imminui.) Interrogemus tamen non incipientem aliquem puerulum, cuius institutio rudis; aut feminam, cuius fides forsitan videatur incipiens: sed summum illum & inter discipulos discipulum, & inter magistros magistrum: qui Romanæ ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotij principatum. Dic nobis ergo, dic nobis quæsumus princeps Apostolorũ Petre, dic quemadmodum credere ecclesiæ Deum debeant: æquum est enim vt doceas nos, doctus à Domino, & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepisti. Exclude omnes suffodientes cælestem domum: & eos qui per adulterinas cauernas & illicitos intrare aditus moliuntur, auerte: quia certum est quòd nullus ostium regni intrare poterit, nisi cui clauis à te in ecclesiis *collocata reserarit. Dic ergo quemadmodum credere Iesum Christum & confiteri communem Dominum debeamus. Respondebis vtique absque dubio: Quid me consulis qualiter Dominus confitendus sit, cùm habeas qualiter sim ego ipse confessus? Lege euangelium, & non requires personam meam, cùm habeas confessionem meam: imò illic habes personam meam, vbi confessionem meam: quia cùm persona mea autoritatem sine confessione non habeat, autoritas est personæ meæ ipsa confessio. Dic ergo euangelista, dic nobis confessionem: dic summi fidem Apostoli: hominem ne tantum confessus sit Iesum, an Deum, carnem

CAP. III. *Ex B. Petri laudatissima confessione Christũ Deum esse conuincit.*

Petrus Apostolus Romanæ ecclesiæ Pastor, & totius sacerdotij princeps.

*collata

in eo

in eo tantùm esse dixerit, an Dei filium prædicarit? Interroganti ergo Domino Iesu Christo, quem eum crederet, quem confiterentur esse discipuli, respondit primus Apostolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: idem enim vnius habuit responsio, quod *habeat omnium fides. Sed primum decuit respondere, vt idem esset ordo responsionis qui erat honoris: & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. Quid ergo ait? Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Simplici & rustica interrogatione ad confutandum te mihi hæretice vti necesse est. Dic mihi quæso, quis ille fuerit cui Petrus ista respondit? Negare non potes Christum fuisse. Interrogo ergo, Christum quem vocas? hominem an Deum? hominem vtique absque dubio: hinc enim omnis est tua hæresis, quia negas Christum filium Dei. Et ideo etiam Mariam Christotocon esse, non theotocon dicis: quia Christi genitrix sit, non Dei; Christum ergo tantum hominem asseris non Deum, & ideo filium esse eum hominis non Dei. Quid ergo ad hæc respondit Petrus? Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Christum hunc quem tu hominis tantum filium esse asseris, ille testatur filium Dei. Cui vis credamus: tibi, an Petro? opinor non es tam impudens, vt præponere te audeamus primo Apostolorum. Tametsi quid est quod tu non audeas? aut quemadmodum Apostolum non despicias, qui Deum negare potuisti? Tu es ergo, inquit, Christus filius Dei viui. Nunquid hoc ambigui aut obscuri aliquid in se habet? simplex tantùm est & aperta confessio, Christum Dei filium prædicat. Negas fortasse dictum: sed Euangelista testatur. An mentiri Apostolum dicis? sed detestabilis falsitas, Apostolum falsitatis accusans. An de alio Christo aliquo forsan hoc dictum esse contendis? Sed nouum hoc prodigiosi commenti genus. Quid ergo reliquum est? vnum scilicet vt cùm & quid scriptum sit legatur, & verum sit quod legitur, tandem vel vi vel necessitate constrictus, cùm falsitatem astruere non valeas, veritatem impugnare desistas.

Matth. 16.

*forte, habebat

CAP. 13. B. Petri confessio à Christo ipso veritatis testimonium accepit.

SED tamen quia summi Apostoli testimonio vsus sum, quo Dominum Iesum Christum coram Deo ipse confessus sit; videamus quemadmodum confessionem eius is quē confessus est approbarit: quia plus est multo quàm quod Apostolus dixit, si dictum illius Deus ipse laudauit. Dicenti ergo Apostolo, Tu es Christus filius Dei viui: quid à Domino Saluatore responsum est? Beatus es, inquit, Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed spiritus patris mei qui in cælis est. Si displicet tibi vti Apostoli testimonio, Dei vtere: lau-

re: laudando enim Deus quod dictum est autoritatem suam Apostolico dicto addidit: ita vt etiam si dictũ illud Apostoli ore prodiit, suum esse hoc tamen Deus fecerit qui probauit. Beatus es, inquit, Simon Bariona: quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed spiritus patris mei qui in cælis est. Ergo in Apostoli dicto & spiritus sancti, & præsentis filij, & Dei patris testimonium vides: quid ergo amplius aut quid simile requiris? Filius laudauit. Pater interfuit: Spiritus sanctus reuelauit. Apostoli ergo dictum totius diuinitatis est testimonium: quia illius necesse est hoc dictum autoritatem habeat, quo actore processit. Beatus ergo es, inquit, Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed spiritus patris mei qui in cælis est. Ergo si Petro non caro & sanguis reuelauerunt ista & inspirauerunt, iam intelligis quis inspirauerit tibi. Si illum spiritus Dei docuit qui Christum Deum esse confessus est: vides quòd tu spiritu dæmonis doctus sis, qui negare potuisti?

CAP. 14. *B. Petri confessionem totius ecclesiæ fidem esse.*

SED tamen dictum illud Domini, quo collaudauit Petrum, quæ dicta alia consequuntur? Et ego, inquit, tibi dico: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Vides quod dictum Petri ecclesiæ fides est? ergo extra ecclesiam sit necesse est, qui fidem ecclesiæ non tenet. Et tibi, inquit Dominus, dabo claues regni cælorum. Fides hæc cælũ meruit: fides hæc claues regni cælestis accepit. Intellige quæ te maneant. Introire clauis huius ianuam non poteris, qui fidem clauis istius denegasti. Et portæ, inquit, inferni non præualebunt aduersum te. Portæ inferni, fides est hæreticorum, imò perfidia. Quantum enim à cælo inferna distant, tantum ab eo qui Christum Deum confessus fuerit, is qui negat. Quę ligaueris, inquit, in terris, ligata erunt in cælis: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Perfecta Apostoli fides potestatem quodãmodo diuinitatis accepit: vt quæ ligasset vel soluisset in terris, vel ligata essent in cęlestibus, vel soluta. Tu ergo qui contra fidem Apostoli venis, cùm ligatum te iam in terris videas, superest vt ligatum quoque in cælis esse cognoscas. Sed longum est ire per singula, quæ prolixissimam & copiosissimam dissertionẽ numero sui faciunt, etiãsi breuiter strictimque memorentur.

CAP. 15. *Eandem Petri fidem D. Thomas quoque post resurrectionem Domini professus est.*

SED vnum addere tamen adhuc tibi Apostoli testimonium volo: vt intelligas his quæ ante passionem Domini acta sunt, ea etiam quæ post passionem sunt secuta congruere. Illapsus in conuentum discipulorum suorum clausis Dominus ianuis, cùm veritatem corporis sui

Apostolis

Apostolis declarare voluisset, palpata Thomas Apostolus carne illius, tractato latere, exploratisque vulneribus, comperta penitus manifestati corporis veritate, quid proclamauit? Dominus, inquit, meus & Deus meus. Numquid dixit hoc quod tu dicis? homo & non Deus, Christus & non diuinitas. Corpus vtique Domini sui tetigit, & Deum esse respōdit. Numquid discretionem aliquam hominis & Dei intulit? aut carnem illam theotocon, vt tu ais, id est, susceptricem deitatis imaginem nominauit? vel more impietatis tuæ eum quem contigit, non propter se, sed propter eum quem in se receperat, venerandum esse memorauit? Sed subtilitatem hanc discretionis tuæ Apostolus Dei fortè non norat: & elegantiam iudicij tui ac differentiam non habebat? homo videlicet rusticus & imperitus, Dialecticæ artis nescius, Philosophicæ disputationis ignarus: cui scilicet institutio Domini sui abūdè sufficiebat: & qui nihil omnino sciebat nisi hoc quod Domino docente cognouerat? Et ideo sermo suus cælestis doctrina erat, fides sua magisterium diuinum erat, disiungere, vt tu facis, à corpore suo Dominum non didicerat: & diuellere à seipso Deum penitus nesciebat. Sanctus, sincerus, pius: innocētiam, peritiam, fidem illæsam, scientiam incorruptam habens: sensum cum astutia simplicem, cum perfecta simplicitate sapientiam totius mali expertem, totius corruptionis ignarum, totius hæreticæ peruersitatis immunem: & qui formam diuini magisterij in se exprimens, hoc tantum quod didicerat tenebat. Itaq; ille, vt tu forsitan putas, rusticus & imperitus breui te nunc responsione concludit, paucis * sermonis sui conteret. Quid ergo Apostolus Thomas tetigit, cùm ad palpandum Deum accessit? Christum vtique absque dubio. Quid autem exclamauit? Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Nunc si potes, & Christum à Deo separa, & muta dictum hoc, si vales. Da Dialecticam disputationem, da prudentiam mundialem, & stultam illam verbosam calliditate sapientiam. Verte omnes tete in facies, & contrahe. Quicquid siue animis siue arte valeas, quidlibet dicas, quidlibet facias: exire hinc nusquam vales: nisi hoc quod Apostolus tetigit, Deum esse fatearis. Et quidem si quo modo possis, immutare forsan historiæ euangelicæ prædicationem velis, vt nec corpus Domini Thomas Apostolus contigisse, nec Christum Dominū Deum dixisse legeretur. Sed immutari quod in euangelio Dei scriptum est, nequaquam potest. Cælum enim & terra transibunt, verba verò Dei non præteribunt. Ecce enim etiam nunc tibi ille qui*nūc testatus est Thomas, Apostolus

Ioan. 20.

*sermonibus suis

Matth. 24.

*forte legendum tunc

Apostolus clamat: Deus est Iesus quem tetigi, Deus est cuius membra palpaui: non ego incorporalia tenui, nec intractabilia tractaui, nō spiritum manu contigi, vt de eo tantum credar dixisse, Deus est: spiritus enim iuxta Domini mei dictū, carnem & ossa nō habet. Ego corpus Domini mei tetigi: ego carnem & ossa palpaui: ego digitos meos in locum vulnerum misi: & de Christo Domino meo, quem palpaueram, proclamaui: Dominus meus, & Deus meus. Non enim noui inter Christum & Deum facere distantiam, inserere sacrilegas opiniones inter Iesum & Deum nolo, diuellere à seipso Dominum meum nescio. Facesse à me quisquis diuersa sentis, quisquis diuersa loqueris. Ego aliud Christum quàm Deum esse non noui: hoc cū coapostolis meis tenui, hoc ecclesiis tradidi, hoc gentibus prædicaui, hoc etiam tibi clamo, Christus Deus est, Christus Deus est. Aliud mēs sana non sentit: aliud fides sana non loquitur: diuelli à se diuinitas non potest. Et cùm vtique quicquid est Christus, Deus sit, inueniri in Deo aliud non potest quàm Deus. *Lucæ 24.*

CAP. 16. *Dei Patris de filij diuinitate profert testimonium.*

QVID ais tu nunc hæretice? sufficiúntne hæc testimonia fidei, etiam summæ infidelitati: an aliquid adhuc addendum est? & quid vel post Prophetas, vel post Apostolos addi potest? Nisi fortè vt Iudæi quondam expostulabant, signum tibi de cælo etiam tu dari postules. Sed petenti hoc tibi illud quod responsum tunc illis est, necesse est responderi: Generatio praua & adultera signum quærit: & signum nō dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et verè sufficere tibi signum hoc vel cum Iudæis crucifigentibus poterat, vt Dominum nostrum Deum etiam hac re sola doctus crederes, qua etiam illi qui persecuti fuerant, crediderunt. Sed tamen quia cælestis signi fecimus mentionem, ostendam tibi de cælo signum: & quidem tale, cui nec dæmones vnquam contradixerunt: dū ipsa veritatis necessitate cogente licet Iesum corporeum esse cernerent, Deum tamen, quod erat, esse clamabant. Quid ergo ait Euangelista de Domino Iesu Christo? Baptizatus, inquit, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quid ad hęc nunc hæretice ais? Dictū displicet, an persona dicētis? Nec interpretatione certè indiget intelligentia allocutionis, nec commendatione verborum dignitas alloquentis. Deus pater est qui dixit: euidens est quod dictum est. Nunquid aut tam impudentē, aut tā sacrilegam vocem proferre poteris, vt dicas de vnigenito Dei *Lucæ 11.* *Matth. 3.*

filio nec Deo patri esse credendum? Hic est ergo, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sed tentabis forsitan dicere, vt est dementia, de verbo hoc, nõ de Christo dictum fuisse. Dic mihi ergo, quis erat qui baptizabatur? verbũ an Christus? caro an spiritus? Negare vtique non potes Christum fuisse. Homo ergo ille ex homine ac Deo natus, spiritu sancto in virginem descendente, & virtute Altissimi obumbrante conceptus, ac sic hominis & Dei filius, ille vtique, vt negare nõ potes, baptizatus est. Si ergo ille baptizatus est, ille & nominatus: quia ille vtique nominatus, qui baptizatus est. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Nunquid dici significantius aut expressius quicquam potest? Christus baptizatus est: Christus ascendit de aqua: Christo baptizato cæli aperti sunt: propter Christum columba descẽdit super Christum: in corporalis specie spiritus sanctus adstitit: Christum pater appellauit. Hoc si de Christo dictum negare ausus es, superest vt nec baptizatum Christum fuisse, nec spiritum descendisse, nec patrem locutum esse contẽdas. Sed vrget tamen & premit te ipsa veritas: vt etiam si confiteri eam nolis, tamẽ negare non possis. Quid enim ait euangelista? Baptizatus autem confestim ascẽdit de aqua. Qui baptizatus est? Christus vtique. Et ecce, inquit, aperti sunt ei cæli. Cui scilicet, nisi illi qui baptizatus est? Christo vtique. Et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se. Quis vidit? Christus scilicet. Super quem descẽdit? super Christum vtique. Et vox facta est de cælo, dicens. De quo? de Christo scilicet. Quid enim sequitur? Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vt omnia illa propter quem facta essent ostenderentur, vox consecuta est dicẽs: Hic est filius meus dilectus. Hoc est dicere: Hic est propter quem cuncta hæc facta sunt. Hic est enim filius meus, propter hũc cæli aperti sunt, propter hunc spiritus meus venit, propter hunc vox mea facta est. Hic est enim filius meus, Dicens ergo, hic est filius meus, quem designabat? illum vtique quem columba tangebat. Quem ergo columba tetigit? Christũ scilicet. Ergo Christus filius Dei est. Impleta est, vt reor, sponsio mea. Vides ergo profectò hæreticè signum tibi de cælo datũ: & quidem non vnum, sed & multa & singularia? Habes enim vnum in apertione cæli, aliud in spiritus descensione, tertiũ in patris voce. Quæ vtique euidentissimè omnia Christum Deum esse declarant: quia eum & reseratio cælorum Deum indicat, & descensio super eum spiritus sancti Deum approbat, & allocutio patris Deum esse confirmat. Neque enim vel

cælum

cælum nisi Domini sui honore patuisset: vel spiritus specie corporali nisi super Dei filium descendisset: nec pater filium nisi verè filium declarasset: præsertim cùm his diuinæ natiuitatis significationibus, quæ non solùm veritatem piæ fidei confirmarent, sed etiam prauitatem impiæ opinionis excluderent. Ineffabili enim diuini dicti magnificentia cũ expressè ac significanter dixisset pater, hic est filius meus dilectus: addit etiam illud quod secutum est, dilectus scilicet, in quo mihi complacui. Vtique sicut per prophetam Deum fortem, & Deum magnũ iam prædicauerat: ita hic dicens, filius meus dilectus in quo mihi complacui, super proprij filij sui nomen adiecit: vt proprietatem diuinæ videlicet naturæ nominum significaret adiectio: & id ad honorem filij Dei peculiariter pertineret, quod nulli omnino homini contigisset. Itaque sicut illa propria ac peculiaria in persona Domini nostri Iesu Christi fuerunt, quòd cæli aperti sunt, quòd eum Deus pater cunctis videntibus per aduentantem atque astantem columbam quasi manu quodammodo sua tetigit, & quasi digito indicante monstrauit, dicens, Hic est filius meus: ita illud quoque proprium ei ac singulare, quòd peculiariter dilectus, & peculiariter patri complacitus nominatur: vt peculiarẽ vtique naturæ significationem peculiaria additamẽta monstrarẽt, & proprietatem vnigeniti filij etiam cognominum proprietas confirmaret, quam iam honor signorum præcedentium comprobasset. Sed iam libelli istius finis sit. Neque enim dictum hoc Dei patris aut augeri humanis sermonibus, aut exæquari potest. Nobis de Domino nostro Iesu Christo filio suo, satis per se ipse Deus pater idoneus testis est, dicens, Hic est filius meus. Tu si contradicendum his Dei patris vocibus putas: illi à te necesse est contradici, qui eum euidẽtissima declarationẽ filium suum esse ab omni mundo fecit agnosci. Isaiæ 9.

Finis libri tertij.

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE DOMINI.

LIBER IIII.

CAP. I. *Christum ante carnis susceptionem, Deũ ab æterno fuisse.*


Onsummatis libellis tribus quasi fidelissimis atque opulentissimis testibus, vtpote quorum veritas non humanis tantùm, sed etiam diuinis testimoniis locupletata est, sufficere quidẽ nobis ad causæ probationem, per diuinam autoritatẽ abundè poterant: cùm ipsa vtique per se causæ suę autoritas diuina sufficiat: Sed tamen quia plena est his testimoniis sacrorum voluminum series: vbi tot testes sunt quot sententiæ; imo vbi ipsa scriptura sacra, quasi vnum quodammodo diuini oris est testimonium: accumulanda quædã adhuc putauimus, non pro necessitate approbationis, sed pro facultate rerum & copia: vt quicquid necessarium nõ esset defensioni, totum proficeret ornatui. Ergo quia superioribus libris Dominum Iesum Christum non propheticis tantùm atque Apostolicis, sed etiam Euangelicis atque angelicis testimoniis, cùm in carne atque in terra esset, Deum probauimus: nunc eum qui in carne natus est, etiam ante carnis susceptionem Deum semper fuisse monstremus: vt intelligas consentientibus, & quasi conclamantibus sibi diuinorum voluminum testimoniis, eundem te in natiuitate corporea & hominem debere credere & Deum, quem ante natiuitatem corpoream tantum Deum: & quem post editionem virginis in corpore Deum, eundem ante partum virginis verbum Deum. Disce ergo primum ab Apostolo totius mundi magistro, eum qui est sine exordio Deum, filium Dei, in fine mũdi, id est in temporum plenitudine, filium hominis factum esse. Ait enim: At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Dic mihi ergo nũc, antequam Dominus Iesus Christus ex matre Maria nasceretur, habuit Deus filium, aut non habuit? Negare non potes quin habuerit: neque enim vnquam aut sine patre filius, aut sine filio pater: quia sicut ex patre filius, ita ex filio pater dicitur.

Galat. 4.

CAP. 2. *Colligit ex his quæ dixit, Virginẽ Mariam antiquiorẽ & maiorem se filium peperisse.*

VIDES ergo quod dicente Apostolo, misit Deus filium suum, suum vtique filium, vt ipsius verbis vtar Apostoli, suũ filium

filium Deus miſit. Neque enim aut alienum aliquem filium miſit, quia ſuum miſiſſe dicitur: aut omnino mittere potuit, ſi non erat qui mitteretur. Miſit ergo, inquit, filium ſuum, factum ex muliere. Ergo & quia miſit eum, miſit qui erat: & quia ſuum miſit, non alienum vtique, ſed ſuum miſit. Vbi ergo illud eſt tuum calliditatis terrenæ argumentum: nemo anteriorem ſe parit? Nunquid enim non antiquior Maria Dominus? nunquid non antiquior filia hominis Dei filius? nunquid non antiquior denique homine ipſo Deus? cùm vtique nullus hominum non ex Deo. Vides ergo quòd non ſolùm antiquiorem ſe Maria peperit: non ſolùm inquam antiquiorem ſe, ſed autorem ſui, & procreans procreatorem ſuum, facta eſt parentis parens: quia quàm promptũ vtique fuit Deo natiuitatem homini tribuere, tam promptũ ſibi: quàm facilè vt hominem naſci faceret, tam facilè vt ipſe ex homine naſceretur. Neque enim circumſcripta eſt in perſona ſua poteſtas Dei, vt quod ei in omnibus licet, non liceat in ſe; & qui vtique in natura deitatis ipſius id habet vt omnia poſſit Deus, in ſua tantùm perſona id non habet vt ſit Deus in homine. Sequeſtratis ergo ac repudiatis friuolis & caducis terrenarum argumentationum ſtoliditatibus, ſimplici tantummodo teſtificationi ac nudæ credendum eſt veritati: & his tantùm de Deo teſtibus fides accommodanda, quos Deus miſit, & in quibus ipſe de ſe, vt ita dixerim, prædicauit. Aequum eſt enim vt de agnitione illius ipſi credamus, cuius ſcilicet totum eſt quod de eo nouimus: quia agnoſci vtiq; Deus ab homine non potuit, niſi agnitionem ſui ipſe tribuiſſet. Et ideo iuſtum eſt vt totum credamus de eo quod ſcimus, cuius eſt omne quod ſcimus: quia ſi ei nõ credimus à quo ſcimus, fit vt omnino nihil ſciamus; dũ ei nõ credimus per quẽ ſcimus.

CAP. 3. Ex Epiſtola ad Rom. probat Chriſti ab æterno diuinitatẽ.

ITAQVE quia ſuperiore teſtimonio patuit, quòd Deus filium ſuum miſit, & is filius hominis factus eſt, qui ſemper filius Dei fuit: videamus an idem Apoſtolus alibi ſimile aliquid teſtimonio huic dixerit, vt lucens iam per ſe veritas, duplicata teſtimoniorum luce plus luceat. Ait idem ergo Apoſtolus: Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati. *Rom. 8.* Vides vtique Apoſtolum non caſu aliquid aut inconſiderata voce dixiſſe, vt id quod ſemel dixerat præteriret? quia ſcilicet nec cadere in eum caſus aut inconſiderantia poterat, in quo plenitudo diuini conſilij & ſermonis habitabat. Qui ergo ait, Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudiné carnis peccati; idem iterat, idem inculcat dicens: Miſit Deus filiũ ſuũ. Eximius vtique & admirabilis magiſter: ſciens in hoc totum

penitus catholicæ sacramentum fidei contineri, vt natus in carne Dominus, & missus esse in hunc mundũ Dei filius crederetur, hoc etiã atque etiam clamitat dicens: Misit Deus filium suum. Nec mirũ si ad euãgelizandum Dei aduentũ peculiariter missus sic prædicauit, cùm id etiam ante legem lator legis ipse clamauerit, dicens: Obsecro Domine, prouide alium quem mittas. Quod in Hebræorum voluminibus multò euidẽtius legitur: Obsecro Domine, mitte quẽ missurus es. Pius vtique propheta, & totius in se generis humani affectum habens, eum qui mittẽdus à patre ad redemtionem ac salutem omnium erat, vt quã celerrimè mitteretur, quasi totius à Deo patre humanæ carnis vocibus postulabat, dicẽs: Obsecro Domine, mitte quẽ missurus es. Misit ergo, inquit, Deus filium suum in similitudine carnis peccati. Bene cùm missum eum in carne diceret, peccatum ab eo carnis exclusit. Misit enim, inquit, Deus filium suum in similitudine carnis peccati: hoc est, vt in vera carnis susceptione agnosceretur, veritas non fuisse peccati: & quantum ad corpus, veritas intelligeretur: quantum ad peccatum, similitudo peccati. Quia cùm omnis caro peccatrix sit; ille autem sine peccato carnem habuerit: similitudinem peccatricis carnis in se habuit, dum in carne esset: veritate autem peccati caruit, quia sine peccato fuit. Misit ergo, inquit, Deus filium suum in similitudine carnis peccati.

Exod. 4.

CAP. 4. *Aliunde profert eiusdem sententiæ testimonia.*

VIS scire quàm bene hoc Apostolus prædicarit, audi quẽadmodum hoc in os Apostoli, quasi ex ipsius Dei ore defluxerit, dicente Domino: Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Ecce ipse, vt vides, Dominus missum se à Deo patre ad salutem humani generis protestatur. Quòd si euidentius declarandum putas, quem filium ad saluãdos homines Deus miserit, quamuis proprius atque vnigenitus Dei filius nõ nisi vnus sit: & cùm filium suum misisse dicitur, vnigenitum vtique suum misisse monstretur. Audi tamen Dauid prophetam, eum qui ad salutem humanam missus sit euidentissimè designantem. Misit, inquit, verbum suum & sanauit eos. Nũquid vertere hoc ad carnem potes? vt dicas ad sanandum humanum genus hominem tantum à Deo missum? Non potes vtique: reclamat enim tibi cum omnibus scripturis sacris Dauid propheta, dicens: Misit verbum suum, & sanauit eos. Vides ergo ad sanandos homines verbum missum esse: quia licèt per Christum sanitas data sit, verbum tamen Dei in Christo fuit, quod per Christum cuncta sanauit: ac sic vnito

Ioan. 5.

Psalm. 106.

per sacramentum incarnationis Christo & verbo Dei, factus est Christus & verbum Dei vnus ex re vtraque filius Dei. Quod vtique Apostolus Ioannes declarare apertè volens, Misit, inquit, Deus filium suum Saluatorem mundi. Intelligis quomodo inseparabili connexione Deũ hominemq́ue coniunxerit? Christus enim qui ex Maria natus est, Saluator absque dubio appellatur, secundum illud, Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Hic autem ipsum quod missum est verbum Dei, Saluatorem nominat, dicens: Misit Deus filium suum Saluatorem mundi.

1. Ioan. 4.

Lucæ 2.

PATET itaque quòd per sacramentũ vniti cum homine verbi Dei, & verbũ quod ad saluandum missum est, Saluator dicitur, & Saluator in carne natus, per verbi vtique consortiũ Dei filius nuncupatur: ac sic indiscreta vtriusque nominis maiestate, quia vnitus est cum homine Deus, quicquid est homo & Deus, totũ penitus nuncupatur Deus. Et ideo idem Apostolus bene subdidit dicens: Quisquis crediderit quia Iesus est filius Dei, Deus in illo manet, & caritas Dei in eo perfecta est. Illũ verè prædicat credere, illum plenũ diuina afferit caritate, qui Iesum filium Dei credit. Filium autem Dei verbũ Dei esse testatur: ac per hoc vnũ atque idem penitus vult intelligi vnigenitũ verbũ Dei, & Iesum Christum filium Dei. Vis autẽ plenius scire, quamuis Christus secundũ carnẽ verè ex homine homo natus est, tamen propter ineffabilẽ sacramenti vnitatem, qua vnitus cum Deo homo est, nullam penitus inter Christum & verbum esse distãtiam? Audi Dominicum euangelium, immo potius audi ipsum descendentẽ Deum. Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solũ verum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum. Superius audisti verbum Dei ad sanandos homines missum esse: hic autẽ audis eum qui missus sit Iesum Christũ esse. Separa hoc si potes: cùm videas tantam vnitatem Christi & verbi esse, vt non solum vnitum cum Christo verbum, sed etiam propter vnitatem ipsam Christus iam verbum esse dicatur.

CAP. 5. Propter hypostaticam vtriusque in Christo naturæ cõiunctionem, & verbũ Saluatorem siue hominem incarnatum & hominem Dei filium rectè appellari.

1. Ioan. 4.

Ioan. 17.

SED parũ hoc elucere forsitan putas: non quia parum luceat, sed quia infidelitas tenebrosa semper ipsa sibi etiã in luce tenebras facit. Audi itaque paucis sermonibus omne hoc vnitatis Dominicæ sacramentũ Apostolum complectentem, Vnus, inquit, Dominus noster Iesus Christus, per quẽ omnia. Iesu bone, quanta est autoritas in verbis tuis! tua enim sunt quæ à tuis per te dicuntur. Ecce hoc Apostoli dictum quàm paucis quanta complectitur! Vnus, inquit, Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Numquid ad prædicandum tanti

CAP. 6. Vnam esse in Christo hypostasin ostendit.

1. Cor. 8.

mysterij sacramentum aliqua circumitione verborum vsus est? aut id quod intelligi à nobis voluit, longæ orationis narratione tractauit? Vnus, inquit, Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia. Simplici tantùm & breui locutione arcanum tantæ maiestatis edocuit: hac scilicet fiducia, qua sciebat sermonem suum in negotio Dei longis argumentationibus non egere, & fidem dictis suis diuinitatem dare. Sola enim ad dictorum confirmationem, rerum sufficit demõstratio, quando probatio in autoritate dicentis est. Vnus ergo, inquit, Dominus Iesus Christus per quem omnia. Considera vbi hoc de verbo patris legeris, quod de Christo legis. Omnia, inquit euangelium, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Apostolus dicit, per Christum omnia: euangelium dicit, per verbum omnia. Nunquid repugnant sibi sermones sacri? Non vtique: sed vnum atque eundem intelligi voluit & Apostolus Christum per quem omnia creata dixit, & euangelista verbum per quod omnia facta esse memorauit. Audi inquam quid ipse de se verbum Dei Deus pronunciarit. Nemo, inquit, ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Et iterum: Si videritis, inquit, filium hominis ascendentem vbi erat prius. Filium hominis in cælo fuisse dixit, filium hominis è cęlo descendisse memorauit. Quid est? quid mussitas? Negato hoc, si hoc vales. Sed rationem dicti quæris? non reddo: interim Deus hoc dixit: Deus hoc locutus est mihi; verbũ illius summa ratio est. Remoueo argumenta, remoueo disputationes: sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere quomodo verum sit quod Deus dixit: cùm dubitare non debeam, quin verum sit quod Deus dixerit? Nemo, inquit, ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis; qui est in cælo. Verbum vtique patris semper in cælo fuit: & quomodo ille filium hominis semper in cælo fuisse memorauit? Intellige ergo quòd eum filium hominis esse docuit, qui semper Dei filius fuit: cùm vtique eum qui filius hominis nuper extitit, in cælo semper fuisse confirmet. Huc accedit maius aliud, quòd eundem filium hominis, id est verbum Dei quod descendisse de cælo dixit, etiam tunc cùm in terra loquitur, in cælo esse testatur. Nemo enim, inquit, ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Quis quæso est qui hoc loquitur? Christus vtique. Vbi autem tunc erat cùm loqueretur? in terra scilicet. Et quomodo se & è cælo cùm natus est descendisse,

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Diuinam autoritatẽ Christianæ fidei robur & firmitatem tribuere, etsi humana ratione eius altitudo peruestigari nequeat.

& cùm

& cùm loquitur, in cælo esse testatur: & eundem se filiū hominis esse dicit, cùm vtique & è cælo nisi Deus descendere non potuerit: & cùm in terra loquitur, in cælo vtique nisi per Dei infinitatem esse non possit? Aduerte ergo tandem & percipe, quòd idem est filius hominis qui verbum Dei: quia & filius est hominis, dum ex homine verè nascitur: & verbum Dei, dum idem qui in terra loquitur, manet semper in cælo. Ac sic humanæ est natiuitatis, quòd filium se hominis verè dicit: diuinæ autem infinitatis, quòd è cælo penitus non recedit. Et ideo bene Apostolus instar diuinorum verborum docens, Qui enim, inquit, descendit, ipse est & qui ascēdit super omnes cælos, vt impleret omnia, & ipsum descendisse dicit quem ascendisse. Descendere autem è cęlo non potuit, nisi verbum Dei. Quod vtique cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinē hominū factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis. Descendit ergo è cælo verbum Dei: ascendit autem filius hominis: ipsum autem ascendisse dicit quem descendisse. Ergo vides quòd idem & filius hominis qui verbum Dei. *Ephes. 4.*

ET ideo secundum diuini verbi magisterium intrepidè iam & incunctanter & filius hominis è cælo descendisse, & Dominus maiestatis crucifixus esse dicendus est: quia secundum suscepti corporis sacramentum, & filius Dei factus est filius hominis, & in filio hominis crucifixus est Dominus maiestatis. Et quid plura? longum est de singulis multa dicere: dies enim me deficiet, si omnia quæ ad hanc rem afferri possint, conquirere aut explicare tentauero. Reuoluēda enim hoc volenti sacra scriptura omnis, ac legenda est. Nam quæ sunt quæ non pertineant ad hoc: cùm omnia scripta sint propter hoc? Breuiter ergo ac strictim nonnulla dici necesse est, vt dici possint: & enumeranda quædam magis quàm explicanda, ac damnis (vt ita dicam) damna redimenda: Cùm propter hoc vtique conueniat aliqua transcurri, necesse sit propè cuncta reticeri. Venit ergo, inquit Saluator in euangelio, filius hominis saluare quod perierat. Et Apostolus, Fidelis, inquit, sermo, & omni acceptione dignus: quoniam Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed & Ioannes euangelista, In propria, inquit, venit, & sui eum non receperunt. Vides ergo quòd scriptura alibi filium hominis, alibi Iesum Christum, alibi verbum Dei in mundum venisse prædicat? Intellige itaque dissimilitudinem appellationum esse,

CAP. 7. *Reuertitur ad priorem considerationem, vt ostēdat aduersus Nestorianos de homine dici quæ sunt diuinæ naturæ tanquā de hypostasi diuinæ naturæ, & de Deo ea quæ sunt humanæ naturæ tāquā de hypostasi humanæ naturæ, propterea quòd hypostasis in Christo vnica & simplex sit.*

Lucæ 19. *1. Tim. 1.* *Ioan. 1.*

non rerum: & in diuersa nominum specie vnam esse virtutem. Nam licet venisse in mundum nunc filius hominis, nunc Dei nominetur, id est verbum; vnus tamen in vtroque nomine designatur.

CAP. 8. *Hanc appellationum varietatem nihil praeiudicare diuinæ potestati.*

NAM cùm vtique secundum euangelistam is in mundum venerit per quem ipse factus est mũdus; & filius hominis factus sit qui est mundi creator Deus: nõn interest quid in singulis nominetur qui Deus in omnibus intelligitur. Nõ præiudicat enim diuinitati dignatio aut voluntas sua; cùm hoc vtique magis diuinitatem ipsam comprobet: quia quicquid voluit, hoc fuit. Ergo & quia voluit, in mundum venit: & quia voluit, homo natus est: & quia voluit, filius hominis appellatus est. Omnia enim sicut vocabula sunt, ita virtutes Dei. Non imminuit in illo dissimilitudo nominis vim potestatis. Quicquid libet dictus fuerit, in cunctis vnum est; scilicet in specie vocabulorum aliqua diuersitas, nõ est in virtute nominum nisi vna maiestas.

CAP. 9. *Veterum Prophetarum autoritate sententiam hanc corroborat.*

*de prophetis veteres

Baruch 3.

VERVM quia hactenus euangelicis vel maximè atque Apostolicis quasi nouis testibus vsi sumus: nunc * de propheticis veteribus proferamus: admiscentes interdum antiquis noua, vt intelligant omnes, scripturam sacram venturum in carne Dominum, toto quodammodo suo corpore, quasi vno ore clamasse. Ait itaque eximius ille & admirabilis tam munere Dei diues, quàm testimonio, cui vni admodum contigit sanctificari antequam nasci, Ieremias propheta: Hic est, inquiens, Dominus noster: non reputabitur alius præter eum: qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & inter homines conuersatus est. Hic est ergo, inquit, Deus noster. Vides à Propheta Deũ quasi manu indice ostẽdi, & quasi digito significante monstrari? Hic est enim, inquit, Deus noster. Dic mihi ergo, quem Deum his signis propheta tunc atque indiciis demonstrabat? nũquid nam patrẽ? Et quid necesse erat ostendi eum quem se omnes nosse credebant? Non enim Iudæi Deum tunc ignorabant: quia sub Dei lege viuebant. Sed id agebatur vtique, vt filiũ Dei Deũ noscerent. Et ideo bene propheta eum qui omnem disciplinam inuenisset, id est, legem dedisset, videndum in terris, id est, venturum in carne dicebat: vt quia eum qui legem dedisset, Deum esse Iudæi non dubitarent, eum qui in carne venturus esset Deum esse cognoscerent: cùm eum vtique quem legislatorem Deum crederent, videndum inter homines per susceptionem humanæ carnis audirent: eodem ipso quoque

per

per prophetã aduentũ propriũ pollicente: Quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum: Non reputabitur ergo, inquit ſcriptura ſacra, alius præter eum. Pulchrè hic propheta præuidens peruerſa dogmata, omnem ſenſum hæreticæ peruerſitatis excluſit, dicens: Non reputabitur alius præter eum. Hic eſt enim vnus ex Deo in Deũ natus: cuius iuſſione vniuerſitatis opus ſecutum eſt: cuius voluntas rerum ortus eſt: cuius imperium mundi fabrica eſt: qui cuncta dixit, & facta ſunt: cuncta mandauit, & creata ſunt. Hic ergo vnus eſt ad patriarchas loquens in prophetis manens, ex ſpiritu conceptus, natus ex virgine Maria, in mundo viſus, inter homines conuerſatus, affigens ligno crucis chirographum peccatorum, triumphans in ſemetipſo, aduerſarias nobis inimicasque virtutes morte occidens, reſurgendi fidem omnibus tribuens, gloria ſui corporis corruptionem humanæ carnis interimens. Vni ergo hæc Domino Ieſu Chriſto peculiaria ſunt: & ideo non reputabitur alius ad eum: quia vnus in hac gloriæ ac beatitudinis ſingularitate Deus ex Deo natus eſt. Id ergo prophetica doctrina tunc agebatur, vt * vnitus à cunctis Dei patris filius * diſceretur: & cùm ad filium non reputari Deum alterum audirent, vnum vtique in patre ac filio Deum eſſe cognoſcerent. Poſt hæc inquit, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Vides quòd euidenter hic aduentus Domini ac * diuinitatis deſignatur? Nũquid enim pater vnquam, qui non niſi filio tantũ viſibilis eſſe legitur, aut in terris viſus eſt, aut in carne editus, aut inter homines conuerſatus eſt? Non vtique. Intelligis ergo quòd omnia hæc de filio Dei dicta ſunt. Nam & cùm videndum in terris Deum propheta dixerit, & alius præter filium non ſit viſus in terris: non de alio hoc abſque dubio propheta dixit, quàm de quo dictũ poſtea res probauit. Cùm enim videndũ vtique Deũ dixerit, non de alio hoc verè dicere potuit, quàm qui verè poſtea viſus fuit. Sed de hoc ſatis hactenus, nunc ad alia tranſeamus. Labor, inquit Iſaias propheta, labor Aegypti & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: quoniam in te eſt Deus, & non eſt præter te Deus. Tu es enim Deus noſter, & neſciebamus, Deus Iſraël Saluator. Quàm bene ſibi diuina ſemper ſcripta conueniunt! Superior enim propheta dixit, hic eſt Deus noſter: iſte autem, tu es Deus noſter. In illo vtique diuina doctrina, in hoc humana confeſſio eſt. Alter perſonam magiſtri docentis, alter perſonam populi * confitentis explicuit.

Iſaiæ 52.

*vnigenitus

*diceretur

*natiuitas

Iſaiæ 45.

*confirmantis

Pone

Pone enim nunc docentem quotidie in ecclesia, sicut facit, *Baruch* 3. Ieremiam Prophetam, ac dicentem de Domino Iesu Christo, hic est Deus noster: quid aliud vtique responderet cuncta ecclesia, sicut facit, quàm id quod alius propheta ad Dominum Iesum dixit, tu es Deus noster? *Isaia* 45. Ita vt bene præsenti confessioni etiam præterita ignorantia possit adiungi, dicente populo: Tu es Deus noster, & nesciebamus. Bene enim hi qui prius dæmoniacis superstitionibus occupati, ignorabant Deum, conuersi ad fidem dicere possunt: Tu es Deus noster, & nesciebamus.

CAP. 10. *Probat Christi diuinitatem tũ ex Iudaizãtium Iudæorum perfidia, tum ex confessione illorum qui ad Christi fidem conuertuntur.*

QVOD si ex Iudæorum magis persona probari tibi idipsum cupis: considera post infelicem illam ignorantiam, & impiam persecutionem conuertentes se ad fidem, & agnoscẽtes Deum passim populos Iudæorum: & vide an rectè dicere possint, Tu es Deus noster, & nesciebamus. Sed ego addo aliud: vt tibi non ex confitentibus tantummodo Iudæis, sed etiam ex negantibus probem. Interroga enim eos qui perdurant adhuc in sacrilegio Iudæos, an sciant vel credant Deum. Scire vtique se & credere confitebuntur. At contrà interroga an credant filium Dei: negabunt profectò & blasphemabũt. Vides ergo quod de eo hoc propheta dixit, quem Iudæi & nescierunt semper, & adhuc nesciunt: non de eo quem vtique & credere se putant & confiteri. Et ideo bene hi qui ex Iudæis ad fidem post ignorantiam veniunt, dicere possunt, Tu es Deus noster, & nesciebamus. Rectè enim hi qui post ignorantiam credunt, nescisse se dicunt, quem adhuc nõ credentes se nescire contendunt. Palàm enim est, quòd eum nescisse se prius dicunt, post ignorantiam confitentes, quem adhuc nesciunt denegantes.

CAP. 11. *Redit ad vaticinium Isaiæ.*

LABOR, inquit, Aegypti & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt. *Isa.* 45. In his diuersarum nationum vocabulis aduentum crediturarum gentium significari, nemini dubium est. Transisse autem ad Christum gentes, negare nõ vales: vtpote quæ nomine Christianitatis indepto, non fide tantùm ad Dominum Iesum Christum, sed etiã ipso nomine transierunt. Quia cùm idem quot sunt vocẽtur, factum est quod erat fidei opus, nominis sacramentum. Ad te, inquit, transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent. Sicut sunt vincula coërtionis, ita sunt vincula caritatis: secundum illud quod ait Dominus: *Osea* 11. Attraxi eos in vinculis caritatis. Verè enim magna sunt hæc vincula, & ineffabilis caritatis: quibus qui alligãtur, gaudent catenis suis. Vis scire hoc verum esse? audi Apostolum Paulum gaudentẽ

& exultan-

& exultātem vinculis suis, cùm ait, Obsecro vos ego vinctus in Domino. Et illud obsecro, cùm sis talis vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi Iesu. Vides quantum gaudebat vinculorum suorum merito, quorum etiam alios Deus prouocabat exemplo. Nō dubium est autem, in quibus vnus est Domini amor, vnum esse Dominicæ vinculationis affectum, secundum illud: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Te, inquit, adorabunt, teque deprecabuntur: quoniam in te est Deus, & non est præter te Deus. Dictum prophetę Apostolus euidenter exposuit, dicēs: Quoniam Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. In te ergo est Deus, inquit, & non est præter te Deus. Bene propheta dicens, In te est Deus, non tantùm eum qui præsens esset, sed etiam eum qui esset in præsenti, monstrauit: habitantem scilicet ab eo in quo habitaret, naturarum significatione, non vnitatis abnegatione distinguens.

Ephes. 4.
Ad Philemonem.
Act. 4.
2. Cor. 5.

CAP. XII.

Saluatoris appellationē aliter Christo & aliter hominibus tributam esse.

TV, inquit, Deus, & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Quamuis multis iam scriptura & euidentibus signis, de quo loqueretur, ostenderet; expressit tamen manifestissimè in Saluatoris nomine Christi nomen: quia idem Saluator vtris; qui Christus, dicente angelo: Quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus. Iesum enim Hebraicè Saluatorem interpretari nemini dubium est: sicut Angelus sanctæ Mariæ virgini protestatur, dicens: Et vocabis nomē eius Iesum: ipse enim saluū faciet populum suū à peccatis eorū. Ac ne fortè eum hoc modo Saluatorem diceres prædicatum quo de aliis dictum est, Et suscitauit eis Dominus Saluatorē Othoniel filium Chenez. Et iterum, Suscitauit eis Dominus Saluatorem Aod filium Gera: adiecit, Ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorū. Non est autem humanæ opis redimere populum à captiuitate peccati: quod illi soli vtique possibile est de quo dictum est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Cæteri enim non suum populum, sed Dei; & non à peccatis, sed ab hostibus saluauerunt.

Luca 2.
Luca 1, & Matth. 1.
Iudic. 3.
Ibidem.
Matth. 1.
Ioan. 1.
Captiuitatem peccati solus Dei filius auferre potuit.

CAP. XIII.

Exponit quorumnā in illis verbis, Tu es Deus noster, & nesciebamus, personā sustinuerit Propheta Isaias.

TV es ergo, inquit, Deus noster & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Quos magis putas hoc dicere? quibus hoc magis putas conuenisse? Iudæis, an gentibus? Si Iudæis; Iudæi vtique Christum non cognouerunt, secundum illud: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et illud: Et mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: in propria venit, & sui eum non receperunt. Si autē gentibus: palàm est quòd Christum gentilitas idolis occupata nesciuit: quamuis illa nec patrem scierit: sed tamen etiāsi nunc

Isaiæ 1.
Ioan. 1.

nunc nouit, non nisi per Christum tamen nouit. Vides ergo quòd siue ex gentibus sit credens populus, siue ex Iudæis, bene pro se vterque dicit, Tu es Deus noster, & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Quia & gentes colentes prius idola, ignorabant Deum: & Iudæi negantes Dominum, ignorabant filium Dei. Ac per hoc bene de Christo tam illi, quàm isti dicunt, Tu es Deus noster, & nesciebamus. Quia tam illi nesciebāt Deum qui non credebant, quàm illi qui Dei filiū negabant. Sic ergo Christus credendus est, vt veritas loquitur, vt diuinitas protestatur, vt Christus denique ipse prædicat, qui vtrumque est. Quid interserere te infelix furor inter Deum & Christum niteris? quid separare corpus suū à filio Dei appetis, & ipsum à se Deum diuidere conaris? vnita discindis, & coniuncta discernis. Verbo Dei de Deo crede: nulla enim te melius confiteri diuinitatem Dei omnino poteris, quàm si ipsa eam de se sicut diuinitas docuit, voce fatearis. Scitote
Baruch 3. enim iuxta prophetam, quia Dominus ipse est Deus, qui
Psalm. 117. inuenit omnem viam disciplinæ: qui vtique & in terris visus
Philip. 2. est: inter homines conuersatus est. Ipse lumen fidei in mundū intulit: ipse lucem salutis ostendit. Deus enim Dominus, & illuxit nobis. Hunc ergo crede, hunc dilige, hunc confitere. Quia quando ei, vt scriptum est, omne genu flectetur, cælestium & terrestrium & infernorum; & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris: velis nolis, negare non poteris, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Hæc enim perfectæ confessionis perfecta virtus est, Deum ac Dominum Iesum Christum semper in Dei patris gloria confiteri. Amen.

D. IO-

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE DOMINI,

LIBER V.



IXIMVS libro primo hæresim illam Pelagianæ hereseos discipulam atque imitatricem, id omnibus modis tentasse atque pugnasse, vt Dei filius Dominus Iesus Christus, natus ex virgine, homo tantummodo solitarius crederetur: & arrepta postmodum virtutis via id eum piè religioseq; viuendo obtinuisse, vt dignus per hanc vitæ sanctimoniã fieret, cui se maiestas diuina sociaret: ac sic exclusa ab eo penitus sacræ originis dignitate, sola ei tantummodo meritorum relinqueretur electio. Id adnitentes vtique ac laborantes, vt eo quasi in plebem omnium misso, & velut in turbam humani generis aggregato, id per bonorum actuum conuersationẽ mereri omnes homines posse dicerent, quicquid bene viuẽdo ille meruisset. Pestifera scilicet ac lethalis assertio: quæ & Deo vera derogans, & hominibus falsa promittens, in vtroque nefandi esset damnabilis mendacij, dum & sacrilegij iniuria Deũ afficit, & hominem in spem falsæ præsumtionis inducit. Peruersissima scilicet atque impiissima assertio, mortalitati donans quod non erat, Deo tollens quod erat. Huius ergo perniciosæ ac mortiferæ prauitatis hæc quæ nunc orta est recens hæresis, quasi rediuiuos quodammodo suscitans cineres, in veteribus fauillis nouum mouit incendium. Solitariũ quippe hominem natum esse asserit Dominum Iesum Christum. Et ideo quid necesse est vt requiramus, an in consequentibus eius peruersitatis sit quæ est in capite ipso sceleris vnius? Superfluum quippe est expectare in posterioribus qualis sit, quę expectandi omnino causas iam in principio nõ reliquit. Quæ enim ratio est explorare, an in similitudinem superioris hæreseos eadem promittat homini, quæ (quod immanissimum scelus est) eadem tollit Deo? Ita vt pænè impium sit, cùm videamus quid præcesserit, requirere quid sequatur: quasi verò aliqua in consequentibus causa afferri possit, qua se probet non esse impium qui negaret Deum. Ait ergo, vt sæpe iam diximus, noua hæresis, Dominum Iesum Christum hominem tantummodo solitarium, ex virgine na-

CAP. I. *Acerrimè inuehitur in errorẽ Pelagianistarum qui Christum solitarium hominẽ adfirmauerint.*

ne natum esse: & ideo Mariam Christotocon, non theotocon esse appellandam: quia sit Christi mater, non Dei. Addit prętere sacrilegę assertioni quàm praua argumenta, tam friuola, dicens: Nemo anteriorem se parit. Quasi verò vnigeniti Dei natiuitas à prophetis prædicta, à sęculis prænũciata, humanis sit tractanda aut æstimanda rationibus. Aut verò ipsa, quisquis es ô hæretice, cui de partu suo calũniaris, virgo Maria propriis hoc quod actum est egerit consummaritque virtutibus: vt ei in tanta re, ac tanto opere imbecillitas obiiciatur humana. Si quid itaque in hac re per hominis opus actũ est, humanas quære rationes. Si autem totum quod actũ est, Dei virtus est; quid impossibilitatem spectas humanam, vbi efficientiã vides esse diuinam? Sed de hoc tamen plenius postea. Nunc quod paulò anterius dicere cœpimus, exequamur: vt omnes sciant in Pelagianis cineribus ignes quærere se, & nouis sacrilegorum flatibus fauillas veteres excitare.

CAP. 2. *Pelagiano errori coniunctũ ac vicinum est Christũ theotocon tantũmodo & non Deum confiteri.*

DICIS ergo Christũ hominem tantummodo solitarium natum esse. Hoc vtique & illa quam in primo libro euidẽter ostendimus, Pelagianæ impietatis hæresis prædicauit, Christum hominem tantummodo solitarium natum esse. Addis præterea, Dominum ipsum omnium Iesum Christum theotocon imaginem appellandum, id est non Deum, sed *susceptorem Dei, scilicet, vt eum non propter se quia sit Deus, sed quia Deum in se suscipiat, honorandum putas. Hoc vtique illa etiam quam antè dixi hæresis asserebat, Christũ non propter se colendum, videlicet quia Deus esset, sed quia bonis ac piis actibus Deum in se habere meruisset. Ergo vides Pelagianum te virus vomere, Pelagiano te spiritu sibilare. Vnde conuenit, vt de te non tam iudicandum quàm iudicatũ esse videatur: quia cùm eiusdem erroris sis, necesse est eiusdem quoque etiam damnationis esse credaris. Vt non dicam illud interim, quod imperiali statuæ Dominum comparans, in tãtam sacrilegij impietatẽ ac blasphemiam prorupisti, vt rectè admodum etiam Pelagium ipsum qui pęnè omnes impietate vicerit, hac amentia vicisse videaris.

*sumptorẽ

CAP. 3. *Hanc diuinitatis participationem quam Pelagiani & Nestoriani Christo tribuunt, omnibus viris sanctis communem esse.*

Ais ergo Christum theotocon imaginem appellandum, id est, non propter se eum quia sit Deus, sed quia Deum in se susceperit honorandum. Hoc modo ergo nihil inter eum & omnes qui fuerunt sanctos homines esse asseris: quia omnes vtique sancti homines Deum in se habuerunt. Siquidem & in patriarchis Deum fuisse, & in prophetis Deum locutum non ignoramus. Omnes denique non dico Apostolos, martyres, sed omnes quoque sanctos Dei, & seruos Dei habere in se

in ſe ſpiritum Dei credimus, ſecundum illud, Vos eſtis templũ Dei viui; ſicut Deus dixit, quia inhabitabo in eis. (2.Cor.6.) Et iterum: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? (1.Cor.3.) Et per hoc omnes theotoci ſunt: ac ſic hoc modo cunctos admodum Chriſto ſimiles, & Deo pares dicis. Sed abſit hæc abominandi erroris impietas, vt facturæ ſuæ factor, vt famulis ſuis Dominus, vt terrenæ fragilitati Deus terreſtrium & cæleſtium comparetur: & hæc ei ex beneficiis ſuis iniuria fiat, vt qui habitatione ſua dignatur hominem, idcirco idem quod homo eſſe dicatur.

CAP. 4.

Inter Chriſtum & ſanctos quid interſit.

QVINIMO hoc inter illum intereſt & ſanctos omnes, quod inter habitaculũ & habitatorem: quod vtique vt habitetur nõ habitaculi eſt, ſed habitatoris: in cuius ſcilicet arbitrio eſt & ædificatio habitaculi, & vſus: id eſt, vel vt cũ velit habitaculum ipſum facere, vel vt cùm fecerit, dignetur habitare. An experimentum quæritis, inquit Apoſtolus, eius qui in me loquitur Chriſtus? (2.Cor.13.) Et alibi: Neſcitis quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis. (Ibidem.) Et iterum: In interiore, inquit, homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. (Epheſ.3.) Vides quid interſit inter doctrinam Apoſtolicam & blaſphemiam tuã? Tu in Chriſto Deũ velut in homine habitare dicis: ille Chriſtũ ipſum in hominibus habitare teſtatur. Quod profectò, vt tu ais, caro & ſanguis facere non poſſunt: ſcilicet vt ex hoc ipſo quo eum Deum tu eſſe negas, Deus probetur. Nam cùm eum qui in homine habitet Deum non neges, neceſſe eſt vt eum quem in hominibus habitare cognoſcimus, euidentiſſimè Deum eſſe credamus. Omnes ergo ſiue patriarchæ, ſiue prophetæ, ſiue Apoſtoli, ſiue martyres, ſiue denique ſancti omnes, habuerunt quidem in ſe Deum, & omnes filij Dei facti ſunt, & omnes theotoci fuerunt: ſed diuerſa vtique multò diſſimilique ratione. Omnes enim credentes Deum, filij Dei ſunt per adoptionem, vnigenitus autem tantùm filius per naturã: qui non ex materia aliqua eſt à patre genitus: quia omnis res, & omnis rerũ materia, per vnigenitũ Dei filiũ eſt, non ex nihilo, quia ex patre: non quaſi partus, quia nihil in Deo vacuum atque mutabile: ſed ineffabiliter atque inæſtimabiliter Deus pater in his quæ ingenita in ſe erant, vnigenitum ſuum genuit: ac ſic ab ingenito ſummo & ſempiterno patre, vnigenitus ſummus & ſempiternus eſt filius: idem habẽdus in carne, qui habetur in ſpiritu: * idem credendus in maieſtate, qui naſciturus in carne. Non diuiſionem aliquam aut diſciſſionem ſui fecit, vt ſe ex parte aliquã non naſcente pars ſui aliqua naſceretur: aut

* idem credendus in corpore qui creditur in maieſtate, quia naſciturus in carne.

aliquid in eo diuinitatis postea superueniret, quod in eo natũ ex virgine non fuisset. Omnis enim, iuxta Apostolum, omnis in Christo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Non quia aliquando habitauerit, & aliquando non habitauerit; nec quia postea fuerit, & antè non fuerit. Alioquin ad illam Pelagianæ hæreseos impietatem deuoluimur: vt dicamus ex certo tempore habitantem in Christo Deum: tum in eum superuenisse, quando ille vita & conuersatione id promeruerit, vt in se virtus diuinitatis habitaret. Hominũ ergo hominum sunt hæc, non Dei: vt inquantum humana imbecillitas valet, Deo se humilient, Deo subdant, Dei se habitaculum faciant, & habere hospitem atque habitatorem Deum fide & pietate mereantur. Quia prout quis idoneus munere Dei fuerit, ita eum diuina gratia muneratur. Prout si quis dignus putatur Deo, ita Dei fruitur aduentu, secundum illam Domini promissionem: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & ego & pater meus veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Longè autem alia de Christo res atque ratio est: in qua omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter: & qui ita diuinitatis plenitudinem in se habet, vt cunctis de sua plenitudine largiatur: qui inhabitante in se diuinitatis plenitudine, ita ipse in singulis sanctorum habitat, prout eos dignos suo putarit habitaculo: & ita omnibus de plenitudine sua tribuit, vt ipse in plenitudine sua iugiter perseueret: qui vtique etiam cùm in corpore suo in terra esset, animabus tamen sanctorum omnium inerat: cælos, terras, mare, omnem denique vniuersitatem infinitate potentiæ suæ ac maiestatis implebat: & ita totus in seipso erat, vt eum tamen mundi vniuersa non caperent. Quia quamlibet magna sint & ineffabilia quæ facta sunt, nulla tamen tam capacia & immensa sunt, quæ ipsum possint capere factorem.

Coloss. 2. — *Ioann. 14.*

CAP. 5.

Christum ante ortum temporalem, Deum semper à Prophetis appellatum fuisse.

ISTE ergo est de quo propheta dicit: Quoniam in te est Deus, & non est præter te Deus. Tu es enim Deus noster, & nesciebamus, Deus Israël Saluator: Qui in terris vtique postea visus est, & cum hominibus conuersatus est. De quo etiam Dauid propheta ex persona ipsius dicit: De ventre matris meæ Deus meus es tu: Ostendens vtique quòd numquam homo ille Dominicus sine vnitate Dei fuerit: in quo in ipso statim virginis vtero plenitudo diuinitatis habitaret. Sicut & alibi idẽ propheta, Veritas, inquit, de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Vt intelligeremus scilicet prospiciente è cælis filio Dei, id est, adueniente ac descendente, iusti-

Isaiæ 45. Baruch 3. Psalm. 21. Psalm. 84.

tiam natã esse è carne virginis : non phantasiam corporis,sed veritatem. Ipse est enim veritas, secundum illud ipsius testimonium veritatis, Ego sum veritas, & vita. Ergo quia ante- *Ioann.* 14.
rioribus libris veritatem hanc,id est, Dominum Iesum Christum natum ex virgine Deum probauimus : nunc vt libello ab hinc proximo instituimus, eum qui ex virgine nasciturus esset,semper Deum prænunciatum esse doceamus. Ait itaq; *Isaiæ* 2.
Isaias propheta: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius: quia in quo reputatus est ipse, vel, vt verius atque euidentius in Hebræo est, quia excelsus reputatus est ipse. Pulchrè autem dicens, quiescite, verbo vim prohibentis inquietudinem persecutionis expressit. Quiescite, inquit, ab homine, cuius spiritus in naribus eius: quia excelsus reputatus ipse est. Numquid non vna eademq; sententia & humani corporis susceptionem, & Dei locutus est veritatem? Quiescite, inquit, ab homine, cuius spiritus in naribus eius : quia excelsus reputatus est ipse. Nonne tibi quæso palàm alloqui persecutores Domini videtur, dicens, Quiescite ab homine quem persequimini : quia hic homo Deus est? Et licet in humilitate humanæ carnis appareat, in celsitudine tamen diuinæ magnificentiæ perseuerat. Bene autem dicens propheta, Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, certissima humani corporis significatione hominem demonstrauit. Intrepidè vtique ac fiducialiter : vtpote qui tam con- *Deum in scri-*
stanter veritatem hominis assereret quàm Dei : quia hæc fi- *pturis passim*
des vera est & catholica, credere Dominum Iesum Christum *excelsum ap-*
ita substantiam veri corporis, sicut veritatem perfectæ diui- *pellari.*
nitatis habuisse. Nisi fortè in illo aliquid ambigendum putes, quia excelsum pro Deo posuit: cùm vtique hic mos scripturæ sacræ sit excelsum pro Deo dicere, sicut illud prophetæ, *Psalm.* 45.
Dedit vocẽ suã excelsus, & mota est terra. Et, Tu solus excel- *Psalm.* 82.
sus super omnẽ terram. Isaias quoque, qui hæc dicit: Excelsus *Isaiæ* 57.
& sublimis habitans æternitatem. In quo manifestè intelligendum est: cùm illic excelsum sine vlla adiectione Dei posuerit, quòd etiam hic Deum in excelsi nomine nuncuparit. Ergo quia euidenter per prophetam sermo diuinus Dominum Iesum Christum & hominem & Deum prænunciauit, videamus an veteribus testimoniis etiam nunc conueniant & concordent noua.

CAP. 6. *Eandem doctrinam noui instrumenti testimoniis illustrat.*

QVOD fuit, inquit Apostolus Ioannes, à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est : & vidimus, & testamur, & annuncia- *1. Ioann.* 1.

mus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Vides quemadmodum vetera recentibus roborentur, & antiquam prænunciationem nouæ prædicationis confirmatio consequatur? Isaias dixit: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus: quia excelsus reputatus est ipse. Ipse Ioannes autem: Quod fuit, inquit, à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpauerunt. Ille persequendum à Iudæis hominem esse dixit: hic palpatum hominem humanis manibus prædicauit. Ille eundem quem hominem annunciarat, Deum excelsum esse prædixit: Hic eum quem palpatum ab hominibus esse docuit, Deum in principio semper fuisse memorauit. Ergo euidentissimum est, quòd ambo Dominum Iesum Christum & hominem manifestarunt & Deum: quia eundem postea hominē quem semper Deum: ac per hoc hominem & Deum, quia hominem ipsum Deū. Quod fuit, ergo inquit, in * principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est: & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Vides quot indiciis, quot modis, quàm variis, quàm multiplicibus dilectissimus ille ac * deuinctissimus Deo Apostolus, sacramentum diuinæ incarnationis insinuet? Iam primum quòd eum qui in principio semper fuerit, visum in carne esse testatur. Deinde ne id quod auditum ac visum dixerat, parum incredulis videretur, palpatum quoque, id est, tactum atque tractatum tam suis quàm cęterorum manibus confirmauit. Bene vtique per manifestationem assumptæ carnis, opinionem Marcionitarum, ac Manichæi errorem excludens: ne quis phantasiam ab hominibus visam crederet, cùm palpatam corporis veritatem à se apostolus prædicasset. Deinde addit, verbum vitæ & vitam manifestatam: hoc se vidisse, hoc annunciare, hoc protestari, simul scilicet & exequens officium fidei, & ingerens terrorē incredulitati: vt cùm ille vtique protestatur se prædicare, sibi imputaret periculum suū qui noluisset audire. Annunciamus vobis, inquit, vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis: hoc quod apud patrē semper fuit, hominibus apparuisse: hoc quod in principio semper fuit, ab hominibus visum esse: hoc quod verbum vitæ sine exordio erat, palpatum humanis manibus docuit esse. Vides quot modis, quàm variis, quàm multiplicibus, quàm indiuiduis, quàm apertis ita sacramentum vnitæ cum Deo carnis

Isaiæ 2.

* à princ.

* deuotissimus

Marcionitæ & Manichæi phantasticam & imaginariā Christo carnem tribuebant.

carnis exposuit, vt nemo alterutrum dicere omnino possit, qui non vtrumque memoraret. Quod ipse quoque Apostolus alibi euidentissimè, Iesus enim, inquit, Christus heri & hodie, ipse & in secula. Hoc est illud vtique quod superiore testimonio dixit: quod erat à principio, hoc manus nostræ palpauerunt. Non quia palpari spiritus per se possit: sed quia verbum scilicet caro factum, in homine quodammodo, cui vnitum fuerat, palpabatur. Et ideo idem Iesus heri & hodie: id est, idem ante exordium mundi, qui in carne: idem in præterito, qui in præsenti: idem quoque etiam in secula, quia idem per omnia qui ante omnia. Et hoc totum Dominus Iesus Christus. *Hebr. 13.*

ET quomodo idem ante mundi ortum, qui nuper ortus? scilicet quia idem in homine nuper ortus, qui ante ortum omnium Deus. Et ideo Christus totum nominatur quod Deus: quia tanta est Christi & Dei vnitas, vt nemo vtiq; iam omnino possit vel Christum dicens, non Deum in Christi nomine dicere: vel Deum dicens, non Christum in Dei nomine nuncupare. Ac sic vnito sibi penitus per maiestatem sacræ natiuitatis vtriusque substantiæ sacramento, quicquid erat, scilicet homo & Deus, factum est totum Deus. Vnde Apostolus Paulus videns reuelatis fidei oculis totum in Christo inexplicabilis maiestatis arcanum, ita locutus est, inuitans ad referendam Deo gratiam, agnoscentes beneficia Dei populos: Gratias, inquit, agentes patri, qui dignos nos fecit portione sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ: quia in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatū tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Nūquid & hoc aliqua interpretationis adiectione indiget cùm ita copiosè & euidenter expressum sit, vt in se non solū rerum fidem, sed etiam expositionis habeat claritatem? Gratias enim agere nos patri iubet: magna vtiq; causa agendæ gratiæ adiecta: quia dignos nos fecerit portione sanctorum, & ereptos de

CAP. 7. Rursum ostendit ex coniunctione duarum in Christo naturarum in vnam personam ea quæ diuinæ naturæ competunt, homini, & quæ humanæ, Deo rectè accommodari.

Coloss. 1.

potestate tenebrarum transtulerit in regnum filij dilectionis suæ: in quo habeamus redemtionẽ & remissionẽ peccatorum: qui sit imago Dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ: quia in ipso ac per ipsum creata sint omnia: quorum vtique sicut factor ipse, ita etiam gubernator sit. Et quid post hæc? Ipse est, inquit, caput corporis ecclesiæ: qui est principium, primogenitus ex mortuis. Resurrectionem quasi generationem scriptura nominat: quia sicut generatio vitam creat, ita resurrectio generat ad vitam. Vnde etiam resurrectio ipsa regeneratio nuncupatur, secundum illud Domini testimonium: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Ergo primogenitum ex mortuis eum dicit, quem superius inuisibilem Dei filium atque imaginem prædicauit. Quis autem imago inuisibilis Dei, nisi vnigenitus, verbum Dei? Et quomodo is resurrexisse ex mortuis dicitur, qui imago ac verbũ Dei inuisibilis nominatur? Et quid tamen adhuc additur? Vt sit, inquit, ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt. Numquid indiget primatu vniuersorum creator omnium? aut primatu eorum quæ à se facta sunt, ipse qui fecit? Aut numquid dici de verbo potest, quod in eo qui sit primogenitus ex mortuis, complacuerit omnem plenitudinem habitare, qui vtique vnigenitus filius Dei, verbum Dei ante vniuersa rerum exordia, patrem inuisibilem in se habens, ita prius omnem plenitudinem in se habuit, vt esset ipse omnium plenitudo? Et quid postremo? Omnia, inquit, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terra, siue quæ in cælis sunt. Manifestauit vtique apertissimè de quo diceret, quem primogenitum ex mortuis nominasset. Numquid enim per verbi aut spiritus sanguinem reconciliata ac pacificata sunt omnia? Non vtique: Neque enim in naturã cadere impassibilem res vlla potuit passionis, aut fundi sanguis valuit nisi hominis, aut mori alter quàm homo: & tamen idem qui in sequentibus mortuus dicitur, superius imago Dei inuisibilis prædicatur. Quomodo ergo & hoc? scilicet quia id omni modo ab Apostolis cautum est, ne aliqua videretur in Christo esse diuisio, & vnitus in filio hominis filius Dei, inciperet per erraticas interpretationes duas habere personas, ac per prauas atque impias opiniones, qui esset scilicet in se vnus,

Resurrectionem mortuorũ generationem in diuinis litteris nuncupari.

Matth. 19.

Christum ex duabus personis conflatum, aut quoquo modo diuisum confiteri, sacrilegium est.

vnus, duplex fieret in nobis. Et ideo pulchrè ac mirabiliter ab ipso vnigenito filio Dei vsque ad vnitum filio Dei filium hominis prædicatio apostolica descendit: vt sicut ipse rerum ordo, ita etiam doctrinæ sermo decurreret. Ita cuncta inseparabili connexione, & quasi quodam ponte continuans, vt sine vlla penitus diuisione & interuallo eum quem in principio mundi legeres, in fine temporis inuenires: neque vlla omnino distractione impiæ discessionis admissa, vnum in carne atque alium in spiritu filium Dei crederes: Cùm ita apostolicum magisterium, Deum pariter atque hominem per sacramentum corporeæ natiuitatis vnisset, vt eundem tibi reconciliantem in cruce omnia demonstraret, quem ante exordium mundi, imaginem Dei inuisibilis prædicasset.

CAP. 8. *Apostolicam sententiā Domini autoritate corroborat.*

QVOD quidem quamuis Apostoli dictum sit: tamen doctrina Domini est. Idem enim hoc in Apostolo ad Christianos, qui consimile illud in Euangelio ad Iudæos per se locutus est, dicens: Nunc autē quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Neque enim ego à me ipso veni: sed ille me misit. Et Deum vtiq; se & hominē esse indicans. Hominem in hoc quod hominē esse se prædicat: Deum in hoc quòd missum se esse confirmat. Apud eū enim necesse est fuerit à quo venerat: & ab eo venerat à quo se missum esse dicebat. Vnde etiā illud fuit, quod dicentibus ad se Iudæis, Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahā vidisti? conuenientissima æternitatis ac maiestatis suæ voce respondit, dicens: Amen amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Quæro ergo, cuius dictum hoc velis esse? Christi vtique absque dubio. Et quomodo qui natus recenti tempore fuerat, ante Abraham se esse dicebat? Per illum scilicet cui vnitus erat penitus verbum Dei, vt intelligerent omnes quanta esset Christi ac Dei vnitas: cùm quicquid Deus in Christo diceret, totum iam sibi * diuinitatis vnitas vindicaret. Bene autem conscius æternitatis suæ, illa in corpore tunc Iudæis voce respondit, qua quondam Mosi locutus fuerat in spiritu. Hic enim ait: Priusquam Abraham fieret, ego sum. Mosi autem: Ego sum qui sum. Admirabili vtique diuinæ naturæ æternitatem sermonis magnificentia prædicauit: quia nihil de Deo tam conueniens dici potest, quàm vt semper esse dicatur: quia esse nec præteriti initium, nec futuri terminum habet. Et ideo aptissimè hoc de æterni Dei natura dicitur, quod æternitati optimè coaptatur. Quæ quidem ipse Dominus Iesus Christus, cùm de Abraham diceret,

Ioann. 8.

Ibidem.

* vniti

Exod. 3.

Nihil æquè propriè Deo, quàm esse, tribuitur.

ret, diuersitate sermonis ostendit, dicens: Priusquam Abraham fieret, ego sum. De Abraham dixit priusquam fieret: de se autem, ego sum; scilicet quia temporalitatis est fieri; esse, æternitatis. Et ideo illud factum esse, humanæ tribuit breuitati: illud autem sum, naturæ suæ. Et hæc omnia Christus vtique, qui per sacramentum vniti hominis ac Dei in illo qui semper fuerat, iam se fuisse dicebat.

In epistola Iudæ.

CAP. 9.

Cùm Christo tribuātur prodigiosa illa opera quæ circa filios Israël iam inde à tēporibus Mosis designata sunt, conficitur quoque illum iam olim ante ortum suum tēporalem extitisse.

QVOD apostolus quoque cùm dilucidare ac manifestare omnibus cuperet, ita locutus est: Quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos qui non crediderunt perdidit. Sed & alibi, Neque tentemus, inquit, Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Eximius quoque Apostolorum Petrus: Et nunc quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorū, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Liberatum ab Aegypto Dei populum, & per ingentes aquarum vias siccis pedibus abductum, ac per vastas eremi solitudines conseruatum, non nisi à solo absque dubio Deo nouimus, secundum illud: Dominus solus ducebat eos, & non erat cum eis Deus alienus. Et quomodo Apostolus tot & tam euidentibus testimoniis, & à Iesu liberatum ab Aegypto populum Iudæorum, & Christum à Iudæis tunc in deserto tentatum prædicat, dicens, Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt? Omnes quoq; sanctos qui vixerunt sub lege veteris testamenti, beatus apostolus Petrus per gratiam Domini nostri Iesu Christi prædicat esse saluatos? Exi itaq;, effuge hinc, si potes, tu quisquis ille es qui rabido ore, ac blasphemo spiritu furens, nihil interesse admodum inter Adam & Christum putas, & qui eum etiam post partum virginis Deum denegas, ostende penitus quemadmodum etiam ante ortum corporis Deum non fuisse cōuincas. Ecce enim Apostolus clamitat populum de terra Aegypti ab Iesu esse saluatum: in deserto ab infidelibus Christum esse tentatum: Patres quoque nostros, id est, patriarchas atque prophetas per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluatos: nega tu hæc si potes: Nec mirabor si feceris, vt neges quæ omnes legimus, qui quæ omnes credimus denegasti. Intellige ergo tandem quia iam tunc & ex Aegypto populum in Deo Christus eduxit, & in Deo Christus à populo tētatore tentatus est, & omnes iustos in Deo Christus gratiæ suæ liberalitate saluauit: quia per sacramenti vnitatē ita & Deus in Christū & Christus in

1. Cor. 10.
Actor. 15.
Deut. 32.

Hæretici inter Christum & Adamū nihil interesse voluerunt.

Iudas in Canonica suæ epist. Paulus 1. Cor. 10. Et Petrus Actor. 15.

ſtus in Deum tranſiit, vt & quicquid Deus fecit Chriſtus id perfeciſſe,& quod poſtea Chriſtus pertulit, Deus id pertuliſſe dicatur. Et ideo dicẽs Propheta, Nõ erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienùm, hoc ſenſu & hoc ſpiritu prædicabat, quo Apoſtolus Chriſtum eductorẽ ex Aegypto Iſraëliticæ plebis eſſe dicebat: vt eum vtique qui ex virgine natús eſt hominẽ, ſemper per ſacramenti vnitatem in Deo fuiſſe ſentiret: alioquin niſi ita creditur, aut cum hæreticis Chriſtus non Deus, aut certè contra Prophetam recens eſſe creditur. Sed abſit hoc à catholica Dei plebe, vt aut à Propheta diſſentire, aut cum hæreticis ſentire videatur: & in maledictum forſitan illud populus benedictionis incurrat, vt ſpem ſuam in homine poſuiſſe dicatur. Qui enim Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum ſolitarium hominem natum aſſerit, dupliciter maledictioni obnoxius ſit neceſſe eſt: ſiue in eum credat, ſiue non credat. Si enim credit, maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine. Si autem non credit, maledictus vtique nihilominus: quia licet in hominem non crediderit, Deum tamen penitus denegauit.

Exponit illud Pſalm. 80. Non erit in te Deus recens.

Ierem. 17.

Hoc enim illud eſt quod reuelante ſibi Domino cariſſimus ille Dei Ioannes præuidens, id de eo ipſo locutus eſt qui in ſe loquebatur. Omnis, inquit, ſpiritus qui confitetur Ieſum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt; & hoc eſt antichriſti, quod audiſtis quia venit, & nunc iam in mundo eſt. O admirabilem Dei ſingularemque pietatem, qui velut cautiſſimus ac prudentiſſimus medicus venturos quandoque in eccleſiã ſuam morbos antè prædixit: & cũ prænunciaret infirmitatem, dedit ex ipſa prænunciatione medicinã: vt omnes ſcilicet agnoſcentes lãguorem ingruentem, procul iam atq; longè vitare inciperent quę imminere didiciſſent. Et ideo ſanctus Ioannes, Omnis, inquit, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hoc eſt antichriſti. Agnoſcis-ne eum heretice? Agnoſcis de te iam palàm & deſignanter dixiſſe? Nemo enim ita ſoluit Ieſum quàm qui non cõfitetur Deum. Cùm enim in hoc omnis eccleſiæ fides, & omnis cultus ſit, Ieſum Deũ verũ fateri: quis magis venerationẽ eius & cultum ſoluere potuit, quàm qui totũ in eo quod omnes colimus, denegauit? Caueas ergo obſecro caueas, ne quis etiam te antichriſtum dicere queat. Conuiciari me aut maledicere putas? Non meũ eſt quod loquor, ecce euangeliſta dicit: Omnis qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt antichriſtus. Si nõ ſoluis Ieſum, & Deũ non negas, antichriſtum te nullus dicere poteſt. Si autem negas, quid accuſas quòd antichri-

CAP. 10. *Explicat quid ſit confiteri, & quid ſoluere Ieſum.*

1. Ioann. 4.

antichristum te quisquam esse dicat? Tu hoc de te, tu inquam dum negas, ipse dixisti. Vis scire hoc verum esse? Dic mihi Iesum cùm ex virgine nasceretur, quid velis, hominem fuisse an Deum? Si Deum tantum, soluis vtique Iesum: qui in eo hominem vnitum Deo fuisse deneges. Si autem hominem, soluis vtique nihilominus: qui solum tantummodo, vt facis, hominem natum esse blasphemes. Nisi fortè existimas quòd non soluas Iesum, qui fuisse eum Deum negas: qui solueris vtique etiam si natum cum Deo hominem denegares. Sed exemplis forsan hoc manifestius velis fieri; accipe de vtroq;. Manichæus extra ecclesiam est, qui Iesum Deum tantum fuisse asserit: Hebeon, quia hominem. Vterque enim Iesum negauit ac soluit: alter solum dicendo hominem, alter tantummodo solum Deum. Quia licet diuersa dixerint, par tamen est ipsius diuersitatis impietas. Nisi quòd si vlla inter malorum magnitudinē potest esse discretio, iniuriosior blasphemia tua est, quæ solum hominem asserit, quàm illa quæ solum Deum: quia licet vtrumque malum sit, contumeliosius tamen est diuina Domino quàm humana rapuisse. Fides ergo hæc tantum catholica, hæc tantum vera est, Dominum Iesum Christum sicut Deum, ita & hominem, & sicut hominē, ita & Deum credere. Omnis qui soluit Iesum, ex Deo non est. Soluere autem hoc est quod vnitum est in Iesu, velle rumpere: & quod indiuiduum, separare. Quid autem in Iesu vnitum & indiuiduum? Homo vtique & Deus. Ergo ille Iesum soluit, qui hæc separauerit atque disruperit. Alioquin si non disrumpit ac separat, ergo nec soluit. Si autem separat atque disrumpit, ille vtique soluit.

Et Manichæi, qui solam in Christo diuinitatem; & Hebionitæ, qui solam humanitatem agnoscũt Iesum soluere censentur, tametsi horum quàm illorum maior blasphemia sit.

CAP. II.

Dominicæ incarnationis sacramentum, Christi diuinitatem manifestè coarguit.

Matth. 19.

Et ideo omni homini in hanc blasphemiam atque insaniam prorumpenti, ipse pro se in Euangelio Dominus Iesus illud quod ad Pharisæos locutus est, clamat, ac protestatur: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Quod licet illic vbi à Deo dictum est, ad causam aliam responsum esse videatur: tamen profunditas Dei, quæ non magis de carnalibus quàm de spiritalibus loquebatur, cùm de illo hoc, tum magis de hoc voluit intelligi: quia credentibus tunc Iudæis id quod tu dicis hominem tantummodo Iesum sine Deo esse, cùm de societate coniugij Dominus interrogaretur: non de eo tantum, sed etiam de hoc edocuit: & de minoribus consultus, etiam de altioribus maioribusq; respōdit, dicens, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Hoc est: Nolite id separare quod in me Deus iunxit: non separet humana impietas quod in me vniuit diuina maiestas. Vis autem plenius scire hoc ita

esse, audi Apostolum de his ipsis de quibus tunc Saluator docuit, differentem: qui vtiq; vtpote magister à Deo missus, vt capere tunc auditorũ imbecillitas poterat, ea ipsa quæ Deus in mysterio prędicarat, exposuit. Cùm enim de coniugio carnali, vnde interrogatus in Euangelio Saluator fuerat, disputaret, replicauit ea ipse quibus ille vsus tunc fuerat legis veteris testimonia, scilicet vt intelligeretur quòd eandem rem exponeret qui iisdem testimoniis vteretur. Adiiciẽs prætereà, ne deesse causę aliquid videretur, etiã carnale coniugiũ, mulieris quoq; ac viri nomen, quos ad mutuum adhortabatur affectũ, ita posuit: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus ecclesiam. Et iterũ: Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui vxorẽ suam diligit, seipsum diligit. Nemo vnquã carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius. Vides quemadmodũ Christi atq; ecclesiæ nomina viri ac mulieris nominibus adiungens, omnes à carnali audientia ad spiritualem intelligentiam traxit. Cùm enim omnia ista dixisset, subdidit ea quibus in Euangelio Dominus vsus fuerat testimonia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrẽ suũ & matrem suam, & adiungetur ad vxorem suam: & erunt duo in carne vna. Et quidem post hæc quasi cum magna clamoris protestatione subiecit: Sacramentũ, inquit, hoc magnũ est. Remouit vtiq; de hoc omnino & amputauit carnalem intellectum, vbi sacramentũ penitùs dixit esse diuinum. Et quid tamen post ista subdidit? Ego autẽ dico in Christo & in ecclesia. Cùm dixisset, sacramentũ hoc magnum est: non dixit, hæc est expositio sacramenti. Sed quid? Ego autem dico, in Christo & in ecclesia. Hoc est dicere: Illud quidẽ magnũ est sacramẽtum: sed ego in Christo dico & in ecclesia. Hoc est: vt quia capere illud ad præsens forsitan omnes non queunt, vel hoc capiant, quod tamen ab illo non discrepat, nec diuersum est: quia vtrũque de Christo est. Sed quia profundiora illa nõ capiunt, hæc saltem faciliora cognoscant: vt cùm promtiorem intellectum cœperint capere, ad altiorem valeant peruenire: & planioris nunc rei adipiscentia, sit postea profundioris via.

Ephes. 5.
Ibidem.
Matth. 19.

CAP. 12.

Latius exponit quodnã illud sacramentũ sit quod sub viri & vxoris nominibus designatur.

QVOD ergo magnũ illud est sacramentũ, quod sub viri atq; vxoris nomine designatur? Apostolũ ipsum interrogemus: qui ad docendã eandẽ rem alibi verbis rei ipsius vsus est dicẽs: Et manifestè magnũ est pietatis sacramentũ, quod manifestatum est in carne, iustificatũ est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditũ est in mundo, assumptum est in gloria. Quod ergo magnũ est illud sacramentum quod

1. Tim. 3.

quod manifestatum est in carne? Deus scilicet natus è carne, Deus visus in corpore: Qui vtiq; sicut palàm est manifestatus in carne, ita palàm est adsumptus in gloria. Hoc ergo magnũ est sacramentum, de quo ipse ait, Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Qui fuerunt ergo duo in carne vna Deus scilicet atq; anima. In vna enim quę Deo vnita est carne hominis Deus est atque anima, secundum illud ipsius Domini, Nemo potest à me tollere animam meam: sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatẽ habeo iterum sumendi eam. Tria ergo nunc in hoc vides, Deum, carnem, animam: Deus est qui loquitur: caro, in qua loquitur: anima, de qua loquitur. Propterea ergo homo ille, de quo propheta dicit, Frater non redimit, redimet homo? Qui, vt dictũ est, ascendit vbi erat prius, & de quo legimus, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis, qui est in cælo. Propter hoc inquam relinquet homo patrem suum & matrem: id est, Deum ex quo natus est, & Ierusalem illam quæ est mater omnium nostrum: & adhæsit humanæ carni quasi vxori suæ. Et idcirco de patre expressè dixit, Relinquet homo patrem suum: de matre autem non dixit, suam, sed tantummodo matrem posuit: quia nõ tam ipsius erat mater, quàm vniuersorum credentium, id est, omnium nostrum. Et adiunctus est vxori suæ: quia sicut vir & mulier vnum corpus sunt, ita maiestas diuinitatis, & caro hominis vniuntur, & facti sunt duo, id est, Deus atque anima in carne vna. Quia sicut caro illa habitatorem in se habuit Deum, ita animã quoque in se cohabitantem Deo. Hoc ergo magnum est illud sacramentum ad quod inquirendum nos admiratio Apostoli vocat, & adhortatio diuinitatis inuitat: non alienum vtique etiam à Christo & ab ecclesia, vt ipse ait, Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Quia & caro ecclesiæ caro Christi est, & in carne Christi Deus est atque anima: ac sic idem in Christo quod in ecclesia, quia sacramentum quod in Christi carne creditur, etiam fide in ecclesia continetur.

Ioann. 10. *Psalm. 48.* *Ioann. 6.* *Ioan. 3.*

CAP. 13. *Quanto desiderio veteres Patriarchæ sacramenti istius reuelationem videre exoptarint.*

Matth. 13. Isaia 64. Psalm. 143.

HOC ergo sacramentum, quod & manifestatum est in carne, & apparuit in mundo, & gentibus prædicatur, multi sanctorum veterum sicut præuidebant in spiritu, ita videre etiam in carne voluerunt. Amen enim, inquit Dominus, dico vobis: quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos vidistis, & non viderunt; & audire quæ audistis, & non audierunt. Et ideo Isaias propheta, Vtinam, inquit, Domine disrumperes cælos, & descenderes. Sed & Dauid: Domine inclina

clina cælos,& descende. Moses quoque, Ostende, inquit, mihi teipsum, vt manifestè videam te. Nemo admodum propius quàm Moses legem capiens, alloquentem è nubibus Deum, atque ad ipsam admodum præsentiam maiestatis accessit. Et quomodo cùm nemo propiora quá ille de Deo cerneret, adhuc manifestiora poscebat dicens: Ostende mihi, inquit, teipsum, vt manifestè videam te, scilicet quia hoc ille fieri precabatur quod iisdem admodum verbis Apostolus factum esse dicebat, id est, vt palàm Dominus manifestaretur in carne, palàm appareret mundo, palàm adsumeretur in gloria: & omnia oculis tandem carnalibus sancti cernerent, quæ spiritalibus præuidebant. *Exod. 33.*

CAP. 14. *Impiam & blasphemam hæreticorum sententiam redarguit, qui Deum in Christo velut in organo siue statua habitasse & locutum esse dixerunt.*

ALIOQVIN si, vt hæreticus ait, Deus futurus in Domino Iesu Christo erat, velut in statua aut in organo, id est, vt habitaret tantum quasi in homine, & loqueretur quasi per hominem; non vt ipse esset qui habitaret, atque ex se & ex suo corpore loqueretur Deus: iam vtiq; sic & habitaret in sanctis, & locutus fuerat è sanctis. In his quoque ipsis, quos suprà dixi, qui aduentum ipsius precabantur, sic erat ac loquebatur. Et quid necesse erat vt hoc omnes poscerent quod habebant, si hoc petebant quod iam acceperant? Aut quid videre oculis cuperent quod corde retinebant, præsertim cùm plus sit eandem rem habere quempiam intra se, quàm videre extra se? Aut si sic habitaturus erat in Christo Deus, sicut in sanctis omnibus: cur magis Christum videre omnes sancti cuperent quàm seipsos? Et si eandem rem visuri in Domino Iesu erãt, quam in se habebant: cur non plus multò arbitrarẽtur eandem rem in se habere quàm in altero videre? Sed erras infelix furor, non intelligens, vt Apostolus ait, & quæ loquaris, & de quibus affirmes. Omnes enim prophetæ, & omnes sancti portionem quandam diuini spiritus, prout capere poterant, à Deo acceperunt. In Christo autem omnis plenitudo diuinitatis habitauit atque habitat corporaliter. Et ideo longè de eius plenitudine omnes sunt, ex cuius plenitudine aliquid accipiunt: quorum adimpletio Christi munus: quia vacui vtiq; omnes erant, nisi ipse esset omnium plenitudo. *1. Timot. 1.* *Coloss. 2.* *Ioann. 1.*

CAP. 15. *Sanctorum de Messiæ aduentu vota quid cõtinebant, aut quale illud fuerit desiderium.*

HOC ergo sancti omnes optabant, hoc precabantur, hoc sic videre oculis desiderabant, sicut animo ac mente sapiebant. Et ideo Isaias propheta, Vtinam, inquit, disrumperes cælos, & descenderes. Sed & Habacuc idem adnuncians quod ille optans, Dum adpropiant, inquit anni, ostenderis: in aduentu temporum demonstraberis: Deus de theman: siue illud; Deus ab Austro veniet. Dauid quoque: Deus manifestè *Isaiæ 64.* *Habacuc 3.* *Psalm. 49.*

veniet.

Psalm. 79. veniet. Et iterum : Qui ſedes ſuper Cherubin , appare . Alij aduentum eius quem mundo præſtitit, adnunciabant: alij poſtulabant. Nonnulli ſpecie diſpari , ſed affectu pari : intelligentes vtique aliquatenus quantam rem precarentur, vt Deus in Deo habitans, in forma Dei ac ſinu permanens , ſemetipſum exinaniret, formam ſerui acciperet, & ſe vſq; ad ſuſcipiendas omnes paſſionum acerbitates contumeliaſque ſubmitteret, ſubiret pœnam pro beneficiis : & quod intolerabiliſſimum eſt & indigniſſimum, ab his ipſis mortem exciperet, pro quibus ipſe moreretur. Intelligentes ergo hoc aliquatenus ſancti omnes aliquatenus inquam intelligentes; quia quantum ſit nemo intelligit: conſona omnes aduentum Dei voce, & quaſi concentu mutuo poſtulabant. Scientes vtique in hoc ſpem omniũ cõſiſtere, in hoc ſalutem omnium contineri: quia nullus ſoluere vinctos poſſit, niſi immunis à vinculis: nullus eximere peccatores, niſi peccato carens: nemo enim liberare aliqua re quemquam poteſt , niſi ea re ipſe liber ſit qua à ſe alius liberatur. Et ideo cùm in omnes mors pertranſiſſet, omnes vita indigebant: vt in Adam ſcilicet morientes, in Christo viuerent. Quia quamuis multi ſancti, multi electi ac familiares admodum Deo fuerunt; nulli tamen potuerunt per ſe penitus eſſe ſalui, niſi fuiſſent aduentu Domini & redemptione ſaluati.

Sine Chriſto nulla vera ſalus.

Libri quinti finis.

D. IOAN-

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE DOMINI,

LIBER VI.



LEGIMVS in Euangelio, appositis iubente Domino quinque panibus, innumerā Dei plebē esse saturatā. Et quomodo id tamen factum sit, nec enarrare sermo, nec colligere æstimatio, nec concipere sensus potest. Tanta & tam incomprehēsibilis diuinæ vis potestatis est: vt cùm habeamus in nobis facti ipsius conscientiam, impossibile tamen nobis sit facti scire rationem. Iam primum enim quis comprehendere queat, quomodo tam exiguus panum numerus, non dicam ad esum ac saturitatem, sed etiam ad diuisionem ipsam appositionemque suffecerit: cùm plura multò millia hominum fuerint quàm panes ipsi: plura penè conuiuia quàm de tot panibus fragmenta esse possunt? Nata est ergo ex verbo Domini rerum copia. Creuit in actu opus. Et cùm parum esset quod videbatur, factum est inæstimabile quod dabatur. Nullus ergo hic coniecturæ, nullus humanæ æstimationi aut rationi locus. Solum est quod in tali re fidelium ac sapientium mentibus scire liceat: vt quamlibet magna sint quæ à Deo fiunt atque inæstimabilia, etiam si ea ipsa sensu non capiant, impossibilia tamen Deo nulla esse cognoscant. Sed de his tamen tam ineffabilibus diuinæ virtutis actibus, quod rectissimè ineffabilibus sacri ortus miraculis coaptatur, quia ita res poscit, plenius postea.

Cap. 1. Ex miraculo saturatæ multitudinis è quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus diuinæ virtutis immēsitatem ostendit. Ioann. 6.

INTERIM quia quinq; panum fecimus mentionem, non incongruè, vt reor, quinq; eos libris quos iam euoluimus, comparamus: Sicut enim numero pares sunt, sic specie non dissimiles. Nam cùm illi hordeacei fuerint, & hi quantum ad ingenium nostrum pertinet, hordeacei dici possunt: quamuis testimoniis sacris locupletati, despicabilibus inuolucris salutiferas opes contegant. Etiam in hoc scilicet ab illis non discrepantes: quia sicut illi cùm essent pauperes specie, facti sunt diuites benedictione: ita hi quoque cùm ingenio nostro viles sint, sunt tamē sacra admixtione preciosi: & cùm præferāt in se ex sermone nostro hordei vilitatē, habent tamen intrinsecus ex Dominicis testimoniis panis viui saporem. Superest vt ad exemplū illorum, per diuini muneris gratiam, innumeris

Cap. 2. Mysterium huius septenarij numeri quinque panū & duorum piscium Autor suo operi accōmodat. Hordeacei panes quid significent.

ex seminibus salutiferos cibos præbeant. Et sicut illi corporalem dederunt edentibus fortitudinẽ, ita ij spiritalem legentibus tribuant salubritatem. Potens est autem Dominus, cuius etiam hoc donum est, sicut illud fuit, vt qui per cibum illum fecit non deficere in via saturos, per hunc quoque faciat non deuiare saturatos. Sed tamen quia illic vbi paruo quidem esu, sed magno munere innumera plebs Dei pasta est, additi quinque illis panibus duo pisces leguntur: par est vt nos quoque qui offerri per nos omnibus sequentibus Deum populis spiritalis prandij cupimus, quinque illis libris quasi quinque panibus, duos adhuc libellos quasi duos pisces adiiciamus.

Autoris oratio. Te orantes Domine, te obsecrantes: vt videns nisum officij, ac voti nostri, des pio conatui opus efficax. Et cùm nos pro obsequio affectuque nostro numerum illum panum ac piscium, libellorum numero exæquare cupiamus, tu virtutem benedictionis illius in hæc transferas: & qui scriptiunculam nostram numero euangelico muneraris, numerum quoque ipsum euangelico fructu expleas, tribuasque hæc ad sanctum & salubrem cibum cunctis ecclesiæ tuæ populis, omni ætati, & omni sexui. Et si qui fortè iam lethifero illo virosi anguis spiritu afflati sunt, corruptoque animarum ac mentium statu, pestiferos venis languentibus morbos trahunt: des cunctis sani sensus vigorem, des plenam fidei sanitatem, vt tribuens per scripta hæc nostri operis, tui muneris salutarem omnibus curam, ad instar penitus sanctificati in Euangelio à te cibi, sicut per esum illum corroborasti esurientes, ita per hunc sanari iubeas tabescentes.

CAP. 3. *Testimonio Antiochenæ synodi aduersarium conuincit.*

IGITVR quia neganti Deum hæretico abunde iam, vt reor, cunctis superioribus scriptis diuinorum testimoniorum autoritate respondimus: nunc ad fidem Antiocheni symboli virtutemque veniamus. In quo cùm ipse baptizatus sit ac renatus, suis eum professionibus argui, suis (vt ita dicam) armis conteri oportet: hic enim ordo est, vt superatus iam testimoniis sacris, etiam seipso (vt ita dicam) teste superetur. Neque enim aliis iam rebus contra eum agi necesse erit, cùm palàm se & euidenter ipse conuicerit. Textus ergo ac fides

Fides Antiocheni symboli. Antiocheni symboli hæc est: Credo in vnum & solum verum Deum, patrem omnipotentem, creatorem omnium visibilium & inuisibilium creaturarum. Et in Dominum nostrum Iesum Christum, filiũ eius vnigenitũ, & primogenitũ totius creaturæ, ex eo natum ante omnia secula, & non factũ, Deum

ὁμοούσιον. verum ex Deo vero, homoousion patri. Per quẽ & secula cõpaginata sunt, & omnia facta. Qui propter nos venit. Et natus

est ex

eſt ex Maria virgine: & crucifixus ſub Pontio Pilato, & ſepultus:& tertia die reſurrexit ſecundum ſcripturas: & in cælos aſcendit: & iterum veniet iudicare viuos & mortuos. Et reliqua.. In ſymbolo, quod eccleſiarum omnium fidem loquitur,ſcire opto quid ſequi malis:hominum autoritatem,an Dei? Quamuis ego tecum non cenſoriè aut ſeuerè agam, vt tibi eligendæ tantùm alterius rei copiam tribuam: vt vnum * perimens,alterum negem:vtrũque enim do, vtrũque concedo.Et quid concedo dicam,ad vtrũque te etiam ſi nolis traho: vtrũq; enim in ſymbolo eſſe ſi vis,oportet ſapias voluntarius: ſi non vis, neceſſe eſt compellaris inuitus. Symbolum quippe, vt ſcis, ex collatione nomen accepit. Quod enim Græcè σύμβολον dicitur, Latinè collatio nominatur. Collatio autem ideo, quia in vnum collata ab Apoſtolis Domini, totius catholicæ legis fide, quicquid per vniuerſum diuinorum voluminum corpus immenſa funditur copia, totum in ſymboli colligitur breuitate perfecta; ſecundum illud Apoſtoli, Verbum, inquit, conſummans & breuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram. Hoc eſt ergo breuiatum verbum quod fecit Dominus, fidem ſcilicet duplicis teſtamẽti ſui in pauca colligens, & ſenſum omnium ſcripturarum in breuia concludens, ſua de ſuis condens, & vim totius legis compendioſiſſima breuitate perficiens. Conſulens ſcilicet in hoc,vt piiſſimus pater,vel negligentiæ quorundam filiorum ſuorum,vel imperitiæ:vt non laboraret vtique quamuis ſimplex & imperita mens capere, quod poſſit facilè etiam memoria contineri.

*permittens,

Symboli etymologia.

Cur fidei Christianæ compendium, ſymbolum dicatur.

Rom. 9.

CAP. 4.

Symbolum fidei diuinam & humanam habere autoritatem.

VIDES ergo in ſymbolo autoritatem Dei eſſe: verbum enim breuiatum faciet Dominus ſuper terram. Sed hominum fortaſſe quæris: ne id quidem deeſt, per homines enim id Deus fecit. Sicut enim * immenſam illam ſcripturarum ſacrarum copiam per patriarchas & prophetas maximè ſuos condidit: ita ſymbolum per Apoſtolos ſuos ſacerdoteſque conſtituit. Et quicquid illic per ſuos larga ac redundanti copia dilatauit,idem hic per ſuos pleniſſima breuitate concluſit. Nihil ergo in ſymbolo deeſt: quod ex ſcriptis Dei per Apoſtolos Dei conditum, totum in ſe, quantum ad autoritatem pertinet, habet quicquid vel hominum eſt, vel Dei. Quamuis etiam quod per homines factum eſt, Dei exiſtimandum ſit: quia non tam illorum per quos factum eſt, quàm illius credendum eſt eſſe qui fecit. Credo, ergo inquit ſymbolum, in vnũ verũ, ſolum Deũ, patrem omnipotẽtem, creatorem omniũ viſibilium & inuiſibiliũ creaturarum:& in

* vniuerſam

Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & primogenitum totius creaturę, ex eo natum ante omnia secula, & non factum, Deum verum ex Deo vero, homousion patri, per quem & secula compaginata sunt, & omnia facta. Qui propter nos venit, & natus est ex Maria virgine, & crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus. Et tertia die resurrexit secundum scripturas, & in cælos ascendit. Et iterum veniet iudicare viuos & mortuos. Et reliqua.

Cap. 5.

Lectißimis argumentis agit contra aduersarium suum, & à maioribus acceptam religionem mordicus tenendam esse ostendit. Cõmunis Christianorum de religione consensus maximum est & indubitatum veræ religionis argumentum.

Si Arrianæ aut Sabellianæ hæreseos adsertor esses, & non tuo ipso symbolo tecum vterer, conuincerem te tamen testimoniorum sacrorum autoritate, conuincerem legis ipsius voce, conuincerem denique probata per vniuersum mundum symboli veritate: dicerem te, etiamsi expers intelligentiæ ac sensus esses, oportere tamen sequi saltem consensum generis humani: nec pluris facere debere paucorum improborum peruersitatem, quàm ecclesiarum omnium fidem: quæ vtiq; à Christo fundata, ab Apostolis tradita, non aliud existimanda esset quàm vox atque autoritas Dei, quæ haberet in se vtique & vocem & sensum Dei. Et quid tandem si sic apud te agerem, quid diceres? quid responderes? nónne obsecro illud? Non ita te imbutum, non ita institutum esse: aliud tibi à parentibus, aliud à magistris atque autoribus tuis traditũ. Non hoc te in conuenticulo illo paterni dogmatis, nec in ecclesia vestræ professionis audisse: aliud postremo textum ipsum atque sermonem traditi tibi atq; insinuati symboli continere. In eo te baptizatum, in eo te renatum esse. Hoc tenere quod accepisses: & in eo te viuere diceres in quo regeneratum esse didicisses. Nónne quæso dicens hæc, fortissimo te etiam contra veritatem scuto vti arbitrareris? Et verè in negotio quamuis improbo, nõ importuna defensio, & quæ non absurdè causam erroris diceret, si pertinaciam non sociaret errori. Nam cùm hoc teneres quod à paruo accepisses, plus haberet in te emendatio quod de præsenti errore corrigeret, quàm seueritas quod de præterito vindicaret. Nunc autem cùm in catholica vrbe natus, catholica fide institutus, catholico baptismate regeneratus sis: numquid agere tecum quasi cum Arriano aut Sabelliano possum? Quod vtinam fuisses: minus dolerem in malis editum, quàm de bonis lapsum: minus fidem non habitam, quàm amissam: minus veterem hæreticum, quàm nouum apostatam: minus enim intulisses cunctæ ecclesiæ vel labis vel pestilentiæ: minus denique esses vel acerbus ad dolorem, vel grauis ad exemplum: si popularis potius tentare quàm sacerdos ecclesiam posses. Ergo, vt supra di-

prà dixi, si Sabellianæ, aut Arrianę, vel cuiuslibet hæreseos discipulus atque adsertor esses; tueri vtiq; te parentum exemplo velis, magistrorum institutione, plebis societate, symboli fide. Non iniquum autem hæretice, non iniquum aut graue aliquid postulo. Hoc fac in catholica fide editus, quod fueras pro peruersitate facturus. Tene parentū institutionem: tene ecclesiæ fidem: tene symboli veritatem: tene baptismatis salutem. Quod genus in te prodigij, quod genus monstri est? Pro te tu non facis, quod alij etiam pro errore fecerunt. Sed progressi satis in altum sumus: & pro cognatæ vrbis affectu sequentes doloris impetum quasi ventum feruentem, dum cupidi cursus sumus, tenorem admodum recti itineris excessimus.

CAP. 6.

Rursus ad Antiochens symboli professionem illum prouocat.

SYMBOLVM ergo hæretice, cuius superius textum diximus, licet omnium ecclesiarū sit (quia vna omnium fides) peculiariter tamen Antiochenæ vrbis atque ecclesiæ est, id est, illius in qua tu editus, in qua institutus, in qua renatus es. Huius te itaq; perduxit symboli fides ad vitæ fontem, ad salutis regenerationem, ad eucharistiæ gratiam, ad Domini communionem. Et quid plura? Omnium grauis & luctuosa conquestio, ad ministerij etiam officium, ad presbyterij culmen, ad sacerdotij dignitatem. Facile hoc, infelix furor, aut leue esse arbitraris? Non vides quid egeris? in quod te barathrum præcipitaris? Perdens symboli fidem, totum quod fueras perdidisti: sacramenta enim sacerdotij ac salutis tuæ symboli veritate cōstabāt. Negare te tantūmodo illud putas? tete inquā ipsum negasti. Sed negare te forsitan nō putas. Videamus symboli textū: vt si ea dicis quę prius, nō arguaris: sin autem multo alia & contraria, non expectes iā vt à me cōfuteris, cùm te tu ipse damnaueris. Si enim & aliud nunc adseris quàm in symbolo est, & aliud quàm prius ipse dixisti: quid reliquū est, nisi vt nulli præterquàm tibi imputes animaduersionem tuam, cùm eandē esse videas sententiam in te omnium, quàm tuam? Credo, inquit symbolum, in vnum Deum, patrem omnipotentem, creatorem omnium visibilium & inuisibilium creaturarum. Et in Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitum totius creaturæ, ex eo natum ante omnia secula, & non factum. Iam primum ad hæc respondere te conuenit: Confitearis hoc de Iesu Christo Dei filio, aut neges? Si confiteris, sana sunt omnia. Sin minus, quomodo nunc negas quod ipse antè confessus es? Elige ergo quid malis, alterum enim è duobus fieri necesse est: vt eadem te tua ipsa confessio, si permanet, sola liberet;

Vna omnium ecclesiarum est fides.

Hæreticos suo ipsorum iudicio condemnari.

aut si negaueris, prima condēnet. Credo enim, dixisti in symbolo, in Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & primogenitum totius creaturæ. Si vnigenitus & primogenitus totius creaturæ Dominus Iesus Christus, ergo tua ipsa confessione indubitanter Deus. Neque enim alius vnigenitus & primogenitus totius creaturæ, nisi vnigenitus Dei filius: Sicut primogenitus creaturarum, ita & creator omnium Deus. Et quomodo solitarium hominem ex virgine natum asseris, quem Deum ante secula fuisse confessus es? Deinde, inquit symbolum, ex patre natum ante omnia secula, & non factum. Hoc symbolum per te locutum est; hoc tu per symbolū: Iesum Christum ante secula ex Deo patre natum, & non factum. Nunquid aliquid de phantasiis his quibus nunc furis symbolum dicit? Nunquid etiam tu ipse dixisti? Vbi hic statua? Vbi organū tuum inquam? Absit enim vt hoc alterius sit quàm tuum. Vbi illud quod Dominum Iesum Christum statuæ instar adfirmans, non quia Deus, sed quia imago Dei adorandum putas: & ex Domino maiestatis organum faciens, non propter se eum, sed propter eum qui quasi in eo spiret ac resonet, honorandum esse blasphemas? Dixisti in symbolo Dominum Iesum Christum natum ex Deo patre ante omnia secula, & non factum: quod vtique non nisi vnigenito tantùm Dei filio competit: vt natiuitas illius factura non sit, & natus tantummodo non factus esse dicatur: quia contra rationem rei ipsius atque honorem est, vt factor omnium factura esse credatur: & sic ipse autor cœptorum omnium cœperit, sicut ab eo cuncta cœperunt. Et ideo natus, non factus dicitur: quia singularis ei est natiuitas, non factura communis. Et cùm sit Deus ex Deo natus, totum necesse est habeat diuinitas geniti quicquid magnitudo generantis.

CAP. 7. *Persistit in eodem argumento ex Antiocheno symbolo desumpto.*

SEQVITVR autem in symbolo: Deum verum ex Deo vero, homoousiō patri: per quem & secula compaginata sunt, & omnia facta. Et cùm hoc totum dixeris, memento de Domino Iesu Christo te cuncta dixisse. Hoc enim in symbolo habes: Credere te in Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & primogenitum totius creaturæ. Et post hæc atque alia: Deum verum ex Deo vero, homoousion patri: per quē & secula compaginata sunt. Quomodo ergo idem Deus & non Deus, idem Deus & idem statua, idem Deus & idem organum? Non concordant sibi hæc ô hæretice in aliquo, nec conueniunt, vt eundem cùm volueris dicas Deum, cùm volueris putes figmentum. Dixisti in symbolo, verum Deum: nunc

nunc dicis, hominem solitarium. Quomodo hæc sibi competere & coaptari queunt, vt idem summa sit virtus, idem sit sola infirmitas: idem summa maiestas, idem sola mortalitas? Non conueniunt hæc sibi in vno eodemque Domino: vt eũdem in cultum & in contumeliam diuidens, ex parte quauis facias honorem, ex parte * qua mauis facias iniuriam. Dixisti in symbolo, cùm sacramentum veræ salutis acciperes, Dominum Iesum Christum, Deum verum ex Deo vero, homoousion patri, creatorem seculorum, factorem omnium. Vbi es ô dolor? vbi es ille qui tunc fuisti? vbi illa fides? vbi illa confessio? In portenta nunc atque prodigia * recidisti. Quæ te stultitiæ, quæ amentiæ perdiderunt? Deum totius potentiæ ac maiestatis ad inanimã materiam, & figmenta insensibilia transtulisti: profecit videlicet fides tua tempore, profecit ætate, profecit sacerdotio: deterior senex quàm quondam paruulus: nũc peior veteranus quã tyrunculus, deterior episcopus quã incipiens factus es: nec discipulus postquã magister esse cœpisti.

*forte quauis

* recessisti.

Cap. 8. Quomodo Christus dicatur venisse & natus ex virgine.

Sed videamus cætera quæ sequuntur. Dicens ergo symbolum: Dominum Iesum Christum, Deum verum ex Deo vero, homoousion patri, per quem secula compaginata sunt, & omnia facta, hoc inseparabili statim connexione subiunxit: Qui propter nos, inquit, venit, & natus est ex Maria virgine. Ille ergo qui verus Deus, qui homoousius patri, qui creator seculorum, qui factor omnium; ille inquam venit in mundum, & natus ex Maria virgine; secundum illud scilicet Pauli apostoli: At vbi venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Vides quomodo scripturis sacris symboli sacramenta conueniunt? Apostolus filium Dei missum à patre prædicat, symbolum venisse confirmat. Hoc enim erat consequens vtique, vt quẽ missum Apostolus edocuerat, fides confiteretur nostra venisse. Deinde Apostolus ait, ex muliere factũ: symbolum autem, ex Maria procreatũ. Aduertis itaq; quòd ipsa in symbolo scriptura loquitur, à qua symbolũ ipsum se descẽdisse testatur. Bene autẽ Apostolus, factũ, inquiens, ex muliere, factũ pro nato posuit, diuini eloquij cõsuetudine, qua factus pro nato ponitur, secundum illud: Pro patribus tuis facti sunt tibi filij. Vel illud: Priusquã Abrahã fieret, ego sum. In quo scilicet euidenter dixisse noscitur: priusquã nasceretur, ego sum: facti nomine rem natiuitatis ostendens: quia efficientiã facti habet quicquid non indiget vt fiat. Qui propter nos, ergo inquit, venit, & natus est ex Maria virgine. Si homo solitarius ex Maria natus est; cur venisse dicitur? Neque enim venit nisi qui habet

Galat. 4.

Symboli fidem diuinæ scripturæ consentaneam esse.

Psalm. 44.
Ioann. 8.

idipſum in eſſentia, vt venire poſſit. Quia autē nondum idipſum acceperat vt eſſet; quomodo id habere poterat vt veniret? Vides ergo quomodo ipſe aduentus nomine fuiſſe antè deſignatur adueniens; quia facultatem non habuerat, niſi cui ex hoc ipſo quod erat, ſuppetere poterat vt veniret. Homo autem ante conceptū omnino non fuit: ergo in ſe nō habuit vt venire poſſit. Deum ergo veniſſe certum eſt: cui in vtraq; re * præpoſita & eſſe ſuppetit & venire. Qui vtique & quia erat venit, & quia venire ſemper potuit, ſemper fuit.

præpotenti

Cap. 9. *Rurſus aduerſarium ex ſua ipſius confeſsione, peſtiferi erroris redarguit.*

Sed quid de verbo argumentamur, cū res eluceant? & in ſymboli textu indicia rerū quærimus, cùm ipſe in eo ſit ſermo rerū? Repetamus confeſſionē ſymboli, & tuā: tua enim quæ illius: quia confeſſionē illius tuā confitendo feciſti, vt intelligas præuaricatum te non tantum à ſymbolo, ſed & à te. Credo ergo, inquit ſymbolum, in vnū ſolum verum Deum, patrem omnipotentē, creatorem omniū viſibilium & inuiſibiliū creaturarum. Et in Dñm Ieſum Chriſtū filium eius vnigenitum, & primogenitum totius creaturæ: ex eo natum ante omnia ſecula, & non factum: Deum verū ex Deo vero, homoouſion patri: per quem & ſecula compaginata ſūnt, & omnia facta Qui propter nos venit, & natus eſt ex Maria virgine. Propter nos ergo, inquit ſymbolum, Dominus noſter Ieſus Chriſtus venit, & natus eſt ex Maria virgine, & crucifixus eſt ſub Pontio Pilato: & ſepultus, & reſurrexit ſecundum ſcripturas. Confiteri hoc eccleſias non pudet, Apoſtolos prædicare non puduit. Tu ipſe, tu inquam ipſe, cuius nunc omnis vox ſacrilegiū eſt: qui nihil admodum non negas: hæc tamen omnia negaſti, Deum vtiq; natum, Deū paſſum, Deū reſurrexiſſe. Et quid poſt hæc? quò deuolutus es? quid effectus? in quæ redactus? quid ais? quid euomis? quod ipſe ſcilicet, vt quidam ait, nō ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes. Quid enim dicis? Quid eſt igitur, quia Chriſtotocon natus eſt filius Dei? vtputa ſi dixerimus, Credo in Deū verbū filiū Dei, vnigenitum ex patre natum, homoouſion patri; qui deſcendit, & ſepultus eſt: non ſtatim auditus ipſe accipit plagam: Deus mortuus. Et iterum-ne fieri, inquis, poteſt, vt qui ante omnia ſecula natus eſt, ſecunda vice naſcatur, & hoc Deus. Si fieri omnia hæc omnino non potuerunt; quomodo eccleſiarum ſymbolum facta eſſe dicit? Quomodo etiam tu ipſe dixiſti? Conferamus enim cum his quæ antè à te dicta ſunt, ea quæ nunc à te dicuntur. Dixiſti prius: Credo in Deum patrem, & in Ieſum Chriſtū filium eius, Deum verum ex Deo vero, homoouſion patri: qui propter nos venit: & natus ex Maria virgine: & crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, & ſepultus eſt. Nunc

autem

autem quid ais? Si dixerimus, Credo in Deum verbum filium Dei vnigenitum, ex patre natum, homoousion patri; qui descendit, & sepultus est: non statim auditus ipse accipit plagam. Acerbitas quidem atque impietas dicti tui cogere nos ad immoderatum ac feruidum respondendi impetum potest: sed restringenda paulūlum pij doloris sunt retinacula.

CAP. 10. *Inuehitur in illum quòd desertor catholicæ religionis nihilominus in ecclesia docere, sacrificare, & ius dicere ausus esset.*

TE inquam ergo, te ipse consulo: dic mihi quæso, si Iudæorū quispiā aut Paganorū catholicę fidei symbolū neget, num audiendū eum existimes esse? non vtiq;. Quid si idipsum hæreticus aut apostata? multo certè minus: quia intolerabilius est veritatē cognitam derelinquere, quàm incognitā negare. Duos igitur in te videmus, catholicum & apostatam: & prius quidem catholicum, nunc apostatam. Quod ergo nobis sequēdum putes, ipse constitue: alterum enim præponere in te non potes, nisi alterum in te ipse damnaueris. Dicis ergo damnari à te eum qui prius fueris, damnari catholicum à te symbolum, damnari omnium confessionem, damnari fidem. Et quid igitur? ô indignum facinus! ô intolerabilis dolor! Quid facis in ecclesia catholica, catholicorum præuaricator? Cur cœtum populi polluis, qui fidem populi denegasti? Insuper & consistere in altario, & conscendere tribunal, & offerre impudentissimum ac perfidissimum os tuum populo Dei ausus es: occupare cathedram, præsumere sacerdotium, profiteri magistrum.* Vt quid doces Christianos, Christum non credens? cùm ipsum in cuius Dei templo sunt, Deum neges: & post hæc omnia, ô insania, ô furor, doctorem te & episcopum putas, cùm eum ipsum vtique, ô infelix cæcitas, eum ipsum inquam Deum deneges, cuius te esse adseras sacerdotem? Sed efferimur, præ dolore. Quid ergo inquit symbolum? vel quid tu in symbolo ipse dixisti? Dominum vtique Iesum Christum, Deum verum ex Deo vero, homoousion patri, per quem secula creata sunt, & omnia facta. Hunc eundem propter nos venisse, & natum esse ex Maria virgine. Cùm ergo Deum natum ex Maria dixeris, quomodo Mariam Dei matrem negas? Cùm Deum venisse dixeris, quomodo Deum nunc negas esse qui venit? Dixisti in symbolo: Credo in Iesum Christum filium Dei: credo in Deum verum ex Deo vero, homoousion patri: qui propter nos venit, & natus est ex Maria virgine, & crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus est. Nunc autem dicis: Si dixerimus, Credo in Deum verbū filium Dei vnigenitum, ex patre natum, homoousiō patri; qui descendit, & sepultus est: non statim auditus ipse accipit plagā. Vides ergo destruere te

*Vt quid doceas Christianus Christū non credere eum in cuius Dei templo sint Deum negare, & post hæc omnia, &c.

penitus atque eradicare omnem catholici symboli, omnem catholici sacramenti fidem? ô scelus, ô portentum, vt ille ait, in vltimas terras asportandum! quia hoc rectius de te dicitur, vt in illam scilicet solitudinem transeas, vbi nullum valeas inuenire quem perdas. Fidem ergo salutis nostræ, sacramentum spei ecclesiasticæ tu auditus tui atque aurium plagam putas. Et quomodo quondam cùm ad baptismum curreres, sanis hæc sacramenta auribus audiebas? quomodo cùm te magistri ecclesiarum docerent, aures tuę non vulneratæ sunt? sine vlla tunc certè plaga duplici oris atque aurium fungebaris officio: cùm & audita ab aliis diceres, & ipse te dicentem dictor audires. Vbi erant tunc hæc aurium tuarum vulnera? vbi hæc auditus tui plaga? Cur non contradixisti, & reclamasti? Sed videlicet pro arbitrio ac libidine tua, cùm vis, discipulus es & ecclesiæ: cùm vis, hostis: cùm vis, catholicus: cùm vis, apostata. Dignus nimirum autor, qui in quamlibet partem te contuleris, ecclesias post te trahas: cuius voluntas lex vitæ nostræ sit; qui mutabilitate tua humanum genus mutes: & quia tu esse nolis quod omnes sunt, quod tu velis. Præclara videlicet autoritas: vt quia tu quod eras non es, esse mundus desinat quod fuit.

Præsumptio hæreticorũ qui ex discipulis ac tyronibus repente magistri sua opinione efficiuntur.

CAP. II.

Diluit obiectionem tacitam hæreticorum qui fidei suæ professionem in puerili ætate factam recantare volunt.

Baptismus paruulorum.

SED paruulũ te forsitan cũ renascereris fuisse dicis: & ideo nec sapere tunc, nec reclamare valuisse. Verũ est, obstitit tibi infantia ne cõtradiceres, qui mori vir cõtradicendo potuisses. Quid enim si in illa fidelissima ac deuotissima Christi ecclesia, cũ sacerdos symbolũ respõdenti & acclamanti populo Dei traderet, mutire tu in aliquo aut reclamare tẽtasses? Audiẽdus fortasse fueras, ac non statim vt nouum prodigij monstri genus in pestẽ aliquam exterminiumque mittendus. Non quia piissima illa ac religiosissima plebs Dei contaminari vel impiissimi cuiusquã sanguine velit: sed quia in magnis plerumque vrbibus feruens Dei amore populus, cùm exurgere contra Deũ suum quempiam viderit, calorem fidei retinere non nouit. Sed esto infans, si tamen ita est, contradicere ac reclamare symbolo nõ potueris: cur adultior iam robustiorq; tacuisti? Creuisti certè, & vir factus, & ministerio ecclesiastico insertus es. Per tot ergo ætates, per tot officij ac dignitatis gradus, nũquã intellecta à te fides est, quã tamdiu antè docuisti? Diaconum certè eius te & presbyterũ fuisse nosti: si displicebat tibi salutis regula, cur suscipiebas eius rei honorẽ cuius non approbabas fidem? Sed prouidus videlicet vir & simplex religiosus, ita temperare te inter vtrumque voluisti, vt teneres & sacrilegij perfidiam, & catholici dignitatem.

PLAGA

Plaga ergo auditus tui, & vulnus aurium tuarum est Deus natus, & Deus passus. Et vbi illud tuũ est Paule apostole: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autẽ stultitiam: ipsis autẽ vocatis Iudæis & Græcis Christũ Dei virtutẽ & Dei sapientiã? Quid est sapientia & virtus Dei? Deus vtique. Christũ autem qui crucifixus est, Dei virtutem & sapientiam prædicat. Ergo si absq; dubio sapientia Dei Christus, ergo absque dubio Christus Deus. Nos ergo, inquit, prædicamus Christũ crucifixũ, Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autẽ stultitiã. Crux itaque Domini, quæ stultitią gẽtibus & Iudæis scandalũ fuit, tibi vtrũq; est. Neq; enim aut stultitia vlla maior est, quã non credere: aut maius scandalũ, quã audire nolle. Vulnerabãtur ergo illorũ aures ad prædicationẽ ac passionẽ Dei, sicut nũc vulnerantur tuæ. Plagã esse hoc auditus sui putabãt, sicut tu putas. Et hinc erat quòd ad nomẽ Dei ac Dñi Iesu Christi, prædicante Christũ Deum Apostolo, claudebant illi capitis sui aures, sicut tu claudis animi. Par in hac parte vtriusq; vestrũ videri posset impietas: nisi quòd hoc maius est crimen tuum, quòd illi eũ negabant, in quo adhuc passio ostendebat hominẽ: tu eum denegas quẽ etiã resurrectio iam probauit Deũm. Ac per hoc illi eum persequebantur in terra: tu persequeris & in cælo. Nec solũ id, sed hoc vtiq; crudelius & scelestius, quòd illi negabant per ignorantiã, tu post fidẽ: illi nescientes Dñm, tu confessus Deũ: illi sub æmulatione legis, tu sub professione antistitis: illi eũ à quo se arbitrabantur alienos, tu eum cuius sacerdos es. O facinus indignum & inauditum! eum ipsum persequeris insectatione, cuius adhuc vteris dignitate.

Cap. 12. Christus crucifixus scandalũ & stultitia est iis qui illum solitarium hominem fuisse affirmant.

1. Cor. 1.

Sed magno videlicet perfidiæ atq; impietatis tuæ argumento ad negandũ ac persequendũ Dominũ Deũ vteris, dicens: homoousios parienti debet esse natiuitas. Nondũ ad plenũ dico, ac profero in Dei natiuitate penitus hoc nõ esse seruandũ: quia non parientis fuit natiuitas ipsa, sed nati: & ipse natus est vt voluit, cuius fuit hoc ipsum vt nasceretur. Interim quia homoousion parienti dicis natiuitatẽ esse debere: ego Dominũ Iesum Christũ homoousion dico fuisse & patri pariter & matri. Pro personarũ enim diuersitate reddidit parienti vnicuiq; similitudinẽ suam. Secũdum diuinitatẽ enim homoousios patri: secundum carnẽ autem homoousios matri fuit. Nõ quòd alter qui homoousios patri, alter qui homoousios matri, sed quia idem Dominus Iesus Christus & homo natus & Deus vtriusque in se parentis habuit proprietatem: dum & in eo quod homo est, humanæ matris reddidit simili-

Cap. 13. Respondet obiectioni illi qua dicebant homoousion parienti esse debere natiuitatẽ.

litudinem: & in eo quod Deus, Dei patris habuit veritatem.

Cap. 14. *Comparat hûc errorem cum Pelagianorum doctrina.*

Alioqvin si non idem Christus ex Maria est qui ex Deo natus, duos absque dubio Christos facis: secundum illud scilicet Pelagianæ impietatis scelus, quæ solitarium hominem ex virgine natum adserens, eruditorem eum dixit humani generis, magis quàm redemtorem fuisse: quia non redemtionem vitæ hominibus, sed viuendi dederit exemplum: videlicet vt sequentes eum homines dum similia agerent, ad consimilia peruenirent. Vna ergo impietatis vestræ origo, eadem errorum radix est. Illi solitarium hominem ex Maria natum adserunt, & tu idem. Illi filium hominis à filio Dei separant, & tu idem. Illi Saluatorem aiunt per baptisma Christum esse factum, tu in baptismo templum Dei factum. Illi eum Deum non negant factum post passionem, tu negas eum etiam post ascensionem. In vno ergo admodum tantum distat vestra peruersitas, quòd illi in terris blasphemare videntur Dominum, tu & in cælo. Vicisti ac supergressus es, non negamus, quos imitaris. Illi quasi aliquando desinunt Deum negare, tu nunquam. Quamquam nec illorum habenda sit ad plenum vera confessio, qui Saluatori post passionem tantũ honorẽ diuinitatis impertiunt: & cùm eũ ante Deum negent, postea confitentur: quia, vt mihi videtur, in Deo qui partem denegauerit, totum negat: & qui non semper fuisse confessus fuerit, semper negat. Sicut & tu, etiamsi hodie in cælo Dominum Iesum Christum, qui ex Maria virgine natus est, verum Deum diceres, tamen nisi semper Deum diceres, non verè confitereris. Sed videlicet nõ vis mutare in aliquo, aut variare sententiam: quem natum hominem solitarium dicis, etiam hodie Deum non esse contendis. O noua ac singularis impietas, quem cum hæreticis hominem esse asseris, Deum nec cum hæreticis confiteris!

Cap. 15. *Eos qui huic errori patrocinantur, duos Christos agnoscere ostendit.*

Sed tamen, vt dicere institueram, duos à te absque dubio Christos fieri, idipsum dilucidandum est. Dic mihi quæso, tu qui Christum à filio Dei separas, quomodo in symbolo Christum ex Deo natum esse fatearis? Ais enim: Credo in Deum patrem, & in Christum Iesum filium Dei. Habes ergo hic Iesum Christum filium Dei. Dicis autem ex Maria non eundem filium Dei natum. Ergo alter ex Deo Christus, alter ex Maria. Duo ergo in sententia tua Christi sunt. Qui cùm in symbolo Christum non neges, alterum ex Maria Christum asseris quàm eum quem in symbolo confiteris. Sed dicis forsan Christum non esse ex Deo natum & quomodo in symbolo ais, Credo in Iesum Christum filium Dei? Aut

negaturus

negaturus es ergo ſymbolum, aut confeſſurus filium Dei Chriſtum. Si autem confiteris in ſymbolo Chriſtum filium Dei, neceſſe eſt vt eundem ex Maria confitearis Chriſtum filium Dei. Aut ſi alium ex Maria Chriſtum adſeris, duos vtique Chriſtos eſſe * blaſphemes.

** blaſphemas.*

Cap. 16. Oſtendit inſuper doctrinam hanc Trinitatis confeſſionem euertere.

Sed tamen etiam ſi peruerſitas ac perfidia tua hac ſymboli fide non concludatur: nónne quæſo ratione ipſa ac luce veritatis obrueris? Dic mihi quæſo quiſquis ille es hæretice. Trinitas certè eſt quam credimus, quam confitemur, pater & filius & ſpiritus ſanctus. De maieſtate patris ac ſpiritus nulla quæſtio eſt. Filio calumniaris, eo quòd non eundem ex Maria dicas editum, quē ex Deo patre generatū. Dic mihi ergo: cùm filium Dei vnigenitum natum ex Deo non negas, hunc qui ex Maria natus eſt quem velis eſſe? Dicis hominem ſolitarium, iuxta illud quod ipſe dixit, quod natum eſt ex carne, caro eſt. Sed appellari homo non poteſt ſolitarius, qui ſola non eſt humanæ creationis lege generatus. Quod enim in ea natum eſt, inquit angelus, de ſpiritu ſancto eſt. Et hoc tamen etiam tu ipſe, qui omnia admodum ſacramenta ſalutis negas, negare non audes. Cùm ergo ex ſpiritu ſancto natus ſit, & dici homo non queat ſolitarius, qui eſt Deo inſpirante conceptus: ſi ille non eſt qui, iuxta Apoſtolum, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens; & verbum caro factum eſt; & humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem; & qui propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues: dic mihi ergo, quis ille eſt qui & ex ſpiritu ſancto editus, & Deo obumbrante conceptus? Alterum abſque dubio eſſe dicis. Duo ergo ſunt: id eſt, & ille qui eſt ex Deo patre in cælo genitus, & ille qui ex Maria Deo inſpirante cōceptus. Ac per hoc quartus eſt hic quem introducis: quem intantum cùm verbis hominem ſolitarium dicas, re ipſa ſolitarium non fuiſſe confirmas: vt eum etiam ſi non ità vt debes, tamen & honorabilem & venerandum & adorandum eſſe fateatis. Ergo cùm & adorandus ſit vtique Dei filius, qui ex patre natus; & adorandus qui per ſpiritum ſanctum ex Maria procreatus: duos ergo & honorabiles tibi & venerabiles facis, quos intantum à ſe diuidis, vt peculiariter ſuo quemque honore venereris. Ac per hoc intelligis, quòd negando ac ſeparando à ſe filium Dei, totum quantum in te eſt ſacramentum diuinitatis euertis: Dū enim quartā in trinitate perſonam conaris inſerere, vides te totam trinitatem penitus denegaſſe.

Math. 1.

Philipp. 2. Ioann. 1. 2. Cor. 8.

Cap. 17. Qui in vno catholicæ religionis articulo hallucinatur, vniuerſam fidem fideique meritum euacuat.

Quae cùm ita ſint: negans ergò vnum Ieſum Chriſtū filiū Dei, negaſti omnia. Nā & hæc ratio eccleſiaſtici ſacramēti

& ca-

& catholicæ fidei est, vt qui partem diuini sacramenti negat, partem nō valeat confiteri. Ita enim sibi connexa & concorporata sunt omnia, vt aliud sine alio stare non possit: & qui vnum ex omnibus denegauerit, alia ei omnia credidisse non prosit. Itaque si negas Deum Dominū Iesum Christū, necesse est vt filium Dei denegans, etiam patrem neges. Quia iuxta ipsius patris vocem, Qui non habet filium, nec patrem habet: qui autem habet filium, & patrem habet. Negans ergo genitum, etiam genitorem negas. Negans quoque filium Dei in carne natum, consequens est vt etiam in spiritu natum neges: quia idem natus in carne, qui prius natus in spiritu. Non credens ergo in carne editum, necesse est etiam passum esse non credas. Non credens autem illius passionem, quid reliquum est, nisi etiam resurrectionem neges? quia fides suscitati ex fide mortui est. Nec stare potest ratio resurrectionis, nisi fides mortis antè præcesserit. Negans ergo passum & mortuum, negas quoq; ab inferis resurgentem. Consequens vtique est, vt neges etiam ascendentem: quia ascensio sine resurrectione esse non potuit. Et qui resurrexisse non creditur, necesse est nec ascendisse credatur, dicente Apostolo: Qui enim descendit, ipse est qui ascendit. Ergo quantum in te est, Dominus Iesus Christus neque ab inferis resurrexit, neque cælum ascendit, neque ad dextram Dei patris sedet, neque ad illum qui expectatur examinationis vltimæ diem veniet, nec viuos ac mortuos iudicabit.

1. Ioann. 2.

Error errorem sicut ansa ansam trahit.

Ephes. 4.

CAP. 18. *Conuertit sermonem ad ipsum aduersarium contra quem disputat, & illum ad resipiscendum inuitat.*

Reconciliationis sacramentū lapsis ad salutem necessarium.

INTELLIGIS itaque ô infelix & furiosa peruersitas, euacuasse te penitus omnem symboli fidem, omnem spei sacramentique virtutem? Et in ecclesia insuper stare ausus es, & esse te sacerdotem putas: cùm illa omnia denegaueris per quæ sacerdos esse cœpisti? Redi ergo ad viam rectam, recipe sensum pristinum, resipisce tandem si aliquando sapuisti. Regredere ad temetipsum, si tamen habuisti in te quondam aliquid quo nunc regrediaris. Agnosce sacramenta salutis tuę, per quæ innouatus, per quæ renatus es. Non minus tibi nunc opus sunt quàm tunc fuerunt: vt te per pœnitentiam nunc regenerent, quæ per fontem antè generarunt. Tene plenum symboli ordinem: tene perfectam fidei veritatem. Crede in Deum patrem, crede in filium Deum: in vnum genitorem & in vnum genitum, (& eundem tamē vnigenitum & primogenitum,) Dominum omnium Iesum Christum, homoousion patri: natum in deitate, natum in corpore: duplicis quidē natiuitatis, sed vnius maiestatis. Qui creator omniū creaturarū idē fuerit natus ex patre qui postea natus ex virgine.

HOC

HOC enim quod ex carne atque in carne venit, ortus eius fuit, non imminutio: & natus tantum est, non demutatus. Quia licet in forma Dei manens, formam serui assumpserit, infirmitas tamen habitus humani non infirmauit naturam Dei: sed incolumi vtique atque integra diuinitatis virtute in carne hominis totum quod actum est, profectus fuit hominis, non defectio maiestatis. Nam cùm editus in carne humana Deus est, nondum est in carne natus, ne Deus in se maneret, sed vt Deo in se manẽte homo Deus esset. Et ideo Martha cũ carnalibus oculis hominem cerneret, spiritalibus tamen Deum confitebatur, dicens: Vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in mundum venisti. Ideo Petrus reuelante spiritu sancto, cum extrinsecus filium hominis aspiceret, Dei tamen filium prędicabat, dicens, Tu es Christus filius Dei viui. Ideo Thomas cùm carnem tangeret, Deũ se tetigisse credebat, dicens: Dominus meus & Deus meus. Vnum enim Christum omnes confitebantur, ne duos facerent. Hunc ergo crede: & ita crede Dominum omnium Iesum Christum, vnigenitum & primogenitum, eundem rerum creatorem, quem hominum conseruatorem: eundem prius conditorem totius mundi, quem postea redemptorem generis humani. Qui cum patre atque in patre permanens, homoousios patri; & iuxta Apostolum, formam serui accipiens, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis: & iuxta symbolum, natus est ex Maria virgine, crucifixus sub Pontio Pilato & sepultus. Et tertia die resurrexit secundum scripturas, & in cælum ascendit: & iterum veniet iudicare viuos & mortuos. Hæc est enim fides vestra: hæc est salus vestra: Deum ac Dominum Iesum Christum, eundem & ante omnia credere, & post omnia. Quoniam, vt scriptum est, Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. In heri enim omne præteritum tempus ostendit, in quo ante principium natus à patre est. In hodie autem seculi huius spatia, in quo rursus ex virgine natus est, passus est, resurrexit. In eo verò quòd ipse in secula dicitur, omnis futuræ æternitatis immensitas designatur.

CAP. 19. Temporalem Christi ortum nihil honoris aut virtutis detraxisse diuinitati.

Ioann. 11.

Matth. 16.

Ioann. 20.

Philipp. 2.

Hebr. 13.

SED dicis forsitan: si eundem in fine tẽporum natũ dicam ex virgine, qui ante omnia natus fuerit ex Deo patre, carneum me etiam ante mundi initia Deũ dicere: qui ipsum dicã postea hominẽ, quem semper Deũ: ac per hoc hominem illũ qui natus sit, postea semper fuisse. Nolo te hac ignorantiæ cæcitate atque hac errorũ nocte confundi, vt putes me hominẽ qui ex Maria natus est, ante exordia rerũ asserere, & Deũ etiam

CAP. 20. Docet ex dictis non effici vt Deus mortalis vel carneus ante secula fuisse dicatur, etsi idem sit Christus qui ab æterno Deus & in tempore homo factus est.

etiam ante principia mundi semper corporeum prædicare. Nō ita inquā, non ita dico: quòd priusquā nasceretur homo, in Deo fuerit: sed quòd postea in homine natus Deus sit. Nō enim caro illa quæ ex carne virginis nata est, semper fuit: sed Deus qui semper fuit, ex carne virginis in carne hominis aduenit. Verbum enim caro factū, nō carnem secum exhibuit, sed carni se hominis dignatione diuinitatis vniuit. Dic enim mihi, quando, vel vbi verbum caro factum est: aut vbi exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: aut vbi egenus factus est, cùm esset diues? nisi in illo sacro virginis vtero, vbi dum incarnatur, verbū Dei caro dicitur factum: dum editur, formam serui in veritate suscepit: dū humana condicione patibulo affigitur, fit egenus, & pauper redditur passione carnali, cùm esset maiestate diuina diues? Alioquin, si, vt ipse ais, post hæc in eum vt in vnum prophetarum atque sanctorū diuinitas venit: ergo & in illis in quibus habitare dignatus est, verbum caro factum est: ergo per vnumquemq; illorum exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Ac per hoc nihil nouū nec* præcipuū in Christo factū est, nihil singulare, nihil mirabile nec conceptio ipsius habuit, nec natiuitas, nec mors.

Ioann. 1. *Philipp.* 2. 2. *Cor.* 8.

*principium

CAP. 21. *Christum ab æterno fuisse, diuinarum Scripturarum tradit autoritas.*

ET tamen vt ad superiora redeamus, cùm hæc ita sint omnia, sicut diximus: quomodo Iesus Christus, (quem tu hominem tantummodo esse asseris, etiam antequàm ex virgine nasceretur) semper fuisse legitur, & à prophetis atque Apostolis Deus etiam ante secula prædicatur? dicēte Paulo, Vnus Dominus Iesus, per quem omnia. Sed & alibi, Quoniam in Christo, inquit, creata sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia. Symbolum quoque & humana pariter & diuina autoritate contextum, Credo, inquit, in Deum patrem, & in * Deum Iesum Christum, filium eius vnigenitum, & primogenitum totius creaturæ. Et post alia: Deum verum ex Deo vero: per quem & secula compaginata sunt, & omnia facta. Et item: Qui propter nos venit, & natus est ex Maria virgine, & crucifixus, & sepultus.

1. *Cor.* 8. *Coloss.* 1.

*Dominum

CAP. 22. *Coniunctio hypostatica facit vt ea quæ carnis sunt in Christo, Deo tribuantur.*

QVOMODO ergo cum ipsa confessione nostra ante virginis partum atq; conceptū Dominicus homo omnino non fuerit, Christus tamen, qui à te homo solitarius dicitur, Deus in scriptis sanctis sine exordio prædicatur? & tanta hominis ac Dei vnitas legitur, vt & homo Deo semper antè coæternus, & postea homini Deus cōpassus esse videatur? Cùm vtique nec ininitiabilis homo, nec passibilis Deus credendus sit esse. Illud est vtiq; quod iam superioribus scriptis testati sumus, quòd vnitus homini, id est suo corpori Deus, nullā fieri patiatur

patiatur inter hominem ac Deũ humana opinione distantiã. Nec admitti omnino voluit, vt alius à quoquã filius hominis, alius filius Dei crederetur. Sed ita omnibus scriptis sacris Dominicũ hominem connectit Deo atq; concorporat, vt nec in tẽpore admodũ hominem quis à Deo, nec in passione possit Deũ ab homine discernere. Si enim ad tẽpus respicis, inuenies semper filiũ hominis cũ filio Dei. Si ad passionẽ, inuenies semper cũ filio hominis Dei filium: ita scilicet vnitu & inindiuiduum sibi Christũ filiũ hominis, ac Dei filiũ, vt quãtum ad vocẽ diuinæ scripturæ pertinet, nec homo separari à Deo tẽpore, nec ab homine Deus omnino valeat passione. Hinc enim illud est: Nemo ascendit in cælũ, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo. *Ioann. 3.* Vbi cũ filius Dei loqueretur in terris, filiũ esse hominis testabatur in cælis: & eũdem filium hominis quẽ ascensurum dicebat in cælum, descẽdisse quoq; antea testabatur è cælo. Vel illud: Si videritis filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius: *Ioann. 6.* cũ eum qui ex homine natus est nominet, in supernis tamen semper fuisse testatur. Sed & Apostolus, si ad tempus respicitur, per Christũ omnia facta prædicat: Vnus enim, inquit, Dominus Iesus Christus, per quẽ omnia. *1. Cor. 8.* Si autẽ ad passionem maiestatis, Dominũ crucifixum esse designat. Si enim, inquit, cognouissent, nunquam Dominũ maiestatis crucifixissent. *1. Cor. 2.* Et ideo etiam symbolum vnigenitum & primogenitum Dominum Iesum Christum Deũ verum ex Deo vero, homoousion patri, & creatorẽ omnium dicens, natum ex virgine, & crucifixum, postea & sepultũ esse testatur. Ita concorporans scilicet Dei & hominis filium, & vniens hominẽ ac Deum, vt nec in tempore fieri vlla valeat, nec in passione diuisio: cùm idẽ vtique Dominus Iesus Christus, & per æternitatem temporis Deus, & per tolerantiam passionis homo esse doceatur: ac scilicet nec homo * ininitiabilis, nec Deus passibilis dici debeat: in vno tamen Domino Iesu Christo & homo antè perpetuus, & Deus mortuus prædicatur. ** initiabilis,* Vides ergo quòd Christus omnia est, & nomen illius significatio vtriusque naturæ: quia & homo & Deus natus: ita & in se cuncta complectitur, vt in eius nomine nihil deesse noscatur. Non ergo ante partum virginis eadẽ in præterito æternitas hominis quæ Dei: sed quia in vtero virginis vnitus est Deus homini, factũ est vt in Christo omnino non possit alterum sine altero nominari.

CAP. 13.

Synecdochicam hanc locutionẽ qua à parte totum intelligitur, diuinis litteris esse perquàm familiarem.

QVICQVID ergo de Domino Iesu Christo dixeris, totum dicis: & in Dei filio filium hominis, & in hominis filio Dei filiũ nuncupabis: tropo scilicet synecdoches, quo & à parte totũ intelligitur, & à toto portio nominatur. Docẽtibus id

vtique

vtique etiam scriptis sacris: in quibus Dominus sæpe hoc tropo vtens, dum de aliis sic docet, sic etiam de seipso voluit intelligi. Neque enim in diuinis voluminibus aliter vel dies interdum, vel res, vel homines, vel tempora designantur. Sicut illud, quòd quadringentis Israëlem annis seruiturum Aegyptiis Deus prædicat, dicens ad Abraham: Sciens scito, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua: & seruituti eos subiicient: & affligent eos annis quadringentis. Cùm si omne tempus ex quo Deus locutus est, consideretur, plus sint quàm quadringenti: si autem illud tantum quo seruierunt, minus. Quod scilicet tempus nisi hoc tropo intelligatur, mẽtitus forsitan, quod absit à Christianis sensibus, Dei sermo videatur. Sed dum vtique à tempore diuinæ vocis, & totum vitæ tempus annos plus quàm quadringentos, & seruitus minus multò quàm quadringentos habet: ita fit, vt vel à toto pars, vel à parte totum valeat intelligi. Non dissimilis quoq; etiam de diebus interdum ac noctibus significatio est; vbi cùm in vtroque tempore vnus dies intelligatur, in parte vnius temporis tempus vtrũq; mõstratur. Hoc siquidẽ modo etiam illud quod de tempore Dominicæ passionis obscurum videtur, aperitur. Cùm enim sub exemplo Ionæ prophetæ futurum filium hominis Dominus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus esse prædixerit: & post sextam sabbati, qua crucifixus est, non nisi vna tantùm apud inferos die, & duabus noctibus fuerit: quomodo diuini sermonis veritas inuenitur? Tropo scilicet synecdoches, id est, vt ad diem qua crucifixus est, nox præterita: & ad noctem qua resurrexit, dies futura referatur: ac sic additis & nocte quæ præcessit diei suæ, & die qui subsecutus est nocti suæ, nihil defuisse integro tempori noscitur, quod à sui parte impletur. Scatent his rationum exemplis scripturæ sacræ: sed longum est vniuersa memorare. Sic enim dicente Psalmo, Quid est homo quòd memor es eius? à parte totum intelligitur, dum vno homine nuncupato, plenitudo humani generis demonstratur. Sic etiam illud vbi Achab peccauit, peccasse plebs dicitur: dum vniuersitate appellata, à toto portio designatur. Ioannes quoque præcessor Domini, Post me, inquit, venit vir qui ante me factus est: quia prior me erat. Quomodò igitur post se venturum indicat, quem ante se fuisse designat? Si enim de homine hoc qui postea natus est intelligitur, quomodo ante ipsum fuit? Si de verbo, quomodo vir post me venit? nisi quòd in vno Domino Iesu Christo & posteritas hominis, & verbi antiquitas demonstratur. Ac sic fit, vt vnus idemque

Genes. 15.

Triduum Dominicæ mortu quomodo intelligendum.

Matth. 12.

Psalm. 8.

Ioann. 1.

Dominus

Dominus ante illum fuerit & post illum venerit: quia & secundum carnem est Ioanne posterior, & secundum diuinitatem omnibus prior. Et ideo ille virum tantummodo nominans,& hominem demõstrauit,& verbum: quia cùm Dominus Iesus Christus filius Dei, & homine consummatus fuerit & verbo, vnum de eo dicens omnia demonstrauit. Et quid plura? Dies me, vt reor, deficiat, si omnia quæ de hoc dici possunt, colligere aut enarrare tẽtauero. Et satis hæc quę nunc diximus, in hac negotij parte dumtaxat, & ad symboli sunt expositionem, & ad causæ officium, & ad libri modum.

Finis libri sexti.

D. IOANNIS CASSIANI DE INCARNATIONE DOMINI,

LIBER VII.



QVOD euenire his solet qui cùm pelagus iam euaserint, aut prætentas portibus syrtes, aut vicinia littoribus saxa formidant: mihi hoc admodum accidit, vt reseruatis ad vltimum quibusdam hæreticorum calumniis, cùm iam ad exacti laboris terminum venerim, eũ ipsum finem incipiam metuere, ad quem desideraueram peruenire. Sed vt propheta ait, Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo: non timeamus prætentas hæreticorum insidiantium foueas, & obseptas spinis passim horrentibus vias: quæ cùm asperent magis itinera quã claudant, de emundatione nobis potius labor, quàm de possibilitate formido. Quia cùm nobis agentibus rectum iter infirmiter se obiiciant, & horreãt ambulantibus magis quàm obsint: plus habet officium atque opus nostrum in purgatione quod agat, quàm ex difficultate quod timeat. Igitur ad monstruosum illud lethiferi serpẽtis caput mittentes manum, & pertractare omnia admodum illigata ingentibus spiris tortuosi corporis membra cupientes: te, quem semper precati sumus, etiam atque etiam Domine Iesu precamur, vt des nobis verbum in apertione oris ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiã Dei: vt cap-

Cap. I. Aduersariorũ calumniis responsurus diuini numinis opem implorat, vt doceat orationẽ præmittendam esse ab his qui ad disputandum cum hæreticis accedunt.

Psalm. 117.

2. Cor. 10.

Verè liber est qui Dei vinculis adstrictus est.

vt captiuemus omnem intellectum in obedientia tua: quia verè ille liber fit, qui cœperit tibi esse captiuus. Adesto ergo tu officio tuo operi, tuis pro te supra mensuram virium connitentibus. Da hiantia noui serpentis ora, & tumentia lethalibus venenis colla conterere; qui facis supra serpẽtes & scorpiones illæsos credentiũ pedes ingredi, ac super aspidẽ & basiliscum ambulare, & conculcare leonem & draconem. Tribuasq; per intrepidam innocentiæ constantis audaciam, vt delectetur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernã reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittat. Da ergo & nobis in cauernas huius immanissimi ac scelestissimi reguli, innocuas manus mittere. Et si in foraminibus quibusdã iam, id est, in sensu humanorũ latebras aut cubile habuit, aut oua posuit, aut squamosi tractus semitam dereliquit: aufer ab vniuersis perniciosissimi anguis huius sordidũ & ferale contagium. Extrahe illatas perfidiæ immunditias: & obsessas redolenti cœno animas ventilabro sacræ purgationis emunda: vt speluncæ latronum domus orationum sint. Et in quibus nunc, vt scriptum est, diuersoriis ericij & onocentauri, & pilosi, & diuersorum prodigiorũ monstra versantur, in his sancti spiritus tui dona, id est, fidei ac religionis decora resplẽdeant. Ac sicut eiectis quondam idolorum cultibus, exterminatisque simulacris, fecisti ex fanis dæmonum templa virtutum: inserens in cauernas serpentum & scorpionum, fulgentis luminis radios: & ex cubilibus errorum ac turpitudinum, domos ornamentorum ac pulchritudinum reddidisti. Ita omnibus quorum oculos caligo hæreticæ peruersitatis obsedit, lucẽ misericordiæ tuæ ac veritatis infunde, vt incarnationis tuæ magnum ac salutiferum sacramentum reserato tandem ac puro lumine contuentes, ita te ex sacrosancto illo immaculato virginis vtero editũ mundo verũ hominem esse intelligant, vt verũ tamen Deum semper fuisse cognoscant.

Luca 10. *Psalm. 90.* *Esaiæ 11.* *Esaiæ 34.*

CAP. 2.

Dissoluit obiectionem sumtã ex illis verbis, Nemo anteriorem se parit.

AC priusquam de his rebus loqui incipio, quas necdum libris superioribus prælibaui, æquum arbitror vt enitar exoluere quæ iam antè promisi: vt expleta penitus sponsione liberius de intactis dicere ordiar, cùm de pollicitis satisfecero. Ait ergo ad destruendam sacræ natiuitatis fidem sibilans in Dei ecclesia nouus coluber: Nemo anteriorem se parit. Primum ergo te non solum quid dicas, sed etiam vnde dicas nescire arbitror. Si enim scires aut intelligeres vnde diceres, nequaquam vnigeniti Dei natiuitatem mortalis opiniunculæ ratione censeres: neque ei qui extra conceptum humanæ originis natus est, humanis definitiunculis præiudicare tentares:

tates: aut terrenas impossibilitates diuinæ omnipotentiæ obiiceres, si Deo impossibile nihil esse cognouisses. Nemo ergo, inquis, anteriorem se parit. Dic mihi quæso, de quibus te loqui causis, de quorum animantium æstimas definire naturis? hominibus te an feris, auibus an pecudibus legem ponere putas? Ista enim sunt & alia huiuscemodi, de quibus hæc dici possunt. Nemo enim ex his anteriorem se gignere præualet: quia ea quæ orta iam fuerint, redire in id rursum non queunt, vt noua creatione generentur. Et ideo nemo anteriorem se parere, quoniam nec anteriorem gignere potest: quia non venit causa pariendi, nisi ex possibilitate generandi. Tu ergo id in natiuitate omnipotentis Dei, quod in ortu terrenorum animalium considerandum putas? & ei naturam humanæ condicionis obiicis, qui est autor ipse naturæ? Vides ergo, vt suprà dixi, nescire te vnde aut de quo dicas: qui facturas factori comparas: & ad æstimandam Dei omnipotentiam earum rerum exemplo vteris, quæ ipse vtique non essent, nisi idipsum ex Deo essent quod sunt. Deus ergo vt voluit, & quando voluit, & ex ea qua voluit aduenit. Nec tempus ei, nec persona, nec consuetudo hominum, nec exempla rerum præiudicarunt: quia obsistere ei non potuit lex creaturarum, qui est creator ipse cunctorum. Et posse ei quod voluit promptum fuit: quia potestas adfuit voluntati. Vis scire aliquatenus quanta sit omnipotentia Dei? Ego id etiam Dominum de creaturis suis facere posse credo, quod tu eum de seipso facere potuisse non credis. Omnia enim animantia quæ posteriora se pariunt, si modò id Deus iubeat, anteriora multò se parere possunt. Nam & cibi ipsi, & pocula, si ea diuinitatis voluntas sit, in conceptus quosdam & progenies verti possunt: Aquæ denique ipsæ, quibus ab exordio rerum manantibus, & quibus admodùm omnia animantia vtuntur, corporari, si id Deus iubeat, in visceribus, & gigni possunt. Quis enim sacris operibus modum statuet aut diuinam prouidentiam circumscribet? aut quis, vt scriptum est, dicit ei, Quid fecisti? Si negas omnia Deum posse, nega anteriorem nasci ex Maria Deo nascente potuisse. Si autem impossibile Deo nihil est, cur ei impossibilitatem in suo ipso aduentu obiicis, cui impossibile nihil in omnibus esse cognoscis?

Ridiculum est diuinæ omnipotentiæ amplitudinem angustissimis humani ingenij limitibus velle concludere.

Esaiæ 45.

CAP. 3. *Respondet ad illa verba, homoousios parienti esse debet natiuitas.*

Secvnda aūt peruersitatis tuę vel calūnia blasphematrix, vel blasphema calūniatrix est, qua ais, homoousios parienti debet esse natiuitas. Nō dissimilis superiori: verbis enim magis quàm re & genere diuersa est. Cū enim de natiuitate Dei agatur, idē dicis, potentiorē ex Maria nō potuisse nasci, quod

 supe-

ſuperius anteriorẽ non potuiſſe generari. Et ideo vel id quod ſuprà dictum eſt, etiam de hoc reſponſum puta: vel id quod nunc dicendũ eſt, etiam de illo reſpõderi exiſtima. Ais ergo: homoouſios parienti debet eſſe natiuitas. Si ad terrenas creationes reſpicis, vel maximè ita euenit. Sin autem ad ortum Dei, quid in natiuitate eius naturæ exempla conſideras? quia conſtitutiones conſtitutori ſunt obnoxiæ, non conſtitutionibus conſtitutor. Vis autem plenius ſcire, quàm nõ ſolum impiæ, ſed etiam ineptæ ſint hæ calumniæ tuæ, & non videntis penitus Dei omnipotentiam cantilenæ? Dic mihi quæſo tu, qui non niſi ex paribus paria naſci putas: vnde inexplicabilis illa quondam in eremo coturnicum innumeroſitas ad paſtum Iſraëliticæ plebis repentè nata ſit? Non enim eas antè in aliquo loco à genitricibus ſuis editas, ſed ſubito aduẽtu legimus illatas. Cibus denique ipſe ille cæleſtis, vnde per quadraginta annos in Hebræorũ caſtra defluxit? nũquid mannã manna generauit? Sed hęc de vetuſtis rerum miraculis. Quid de nouis? Paucis panibus ac piſciculis innumeras populorum ſequentium turbas Dominus Ieſus Chriſtus in eremo non ſemel pauit. Satietatis ratio in cibis non fuit: quia eſurientes cauſa inuiſibilis & arcana ſaturauit, præſertim cùm plus multo ſuperfuerit ſaturitati, quã appoſitum fuerat eſuritioni. Qua ratione hoc totũ factum eſt, vt cùm ſatietatem edentes caperent, etiã augmentis ineffabilibus cibus ipſe diteſceret? Natum in Galilæa vinum de aquis legimus. Dic mihi quomodo diſparem à ſui qualitate ſubſtantiam diſpar naturà generauit? præſertim cùm id quod Dominicæ natiuitati maximè conuenit, nobilioris admodum rei ortus ex inferiore proceſſerit? Dic mihi ergo quomodo ex illa aquæ ſimplicitate egregius vini & admirabilis ſapor natus ſit? quomodò aliud ſit hauſtum, aliud infuſum? Numquid ciſterna illa vel puteus hanc naturam habuit, vt aquas ex ſe ſumptas in optima vina mutaret? Aut numquid vaſorum id qualitas, aut miniſtrorum egit induſtria? nihil vtique horum. Et quomodò facti ratio cogitatione cordis non comprehenditur: cùm facti tamen veritas conſcientiæ firmitate ſeruetur? Cæco ſuper oculos in euangelio lutum poſitum eſt, & oculi abluto nati ſunt. Numquid aut aqua hanc naturã habuit, vt oculos pareret? aut lutum, vt lucem crearet? nihil vtique horum, præſertim cùm aqua cæco nihil conferat, lutum autem videntibus etiã obeſſe poſſit. Et quomodo res nocendi vim in ſe habens, officium remedij ac ſalutis exhibuit: & quæ obeſſe ſanis ſolet, quaſi miniſtra tunc ſanitatis fuit? Dicis itaq; Dei hãc tribuiſſe vir-

Profert aliquot diuinæ omnipotentiæ prodigioſa opera.

Num. 11.

Exod. 16.

Matth. 14, & 15.

Ioann. 2.

Ioann. 9.

se virtutem Dei præstitisse medicinam: & omnia hæc quæ diximus, omnipotentiam penitus effecisse diuinam: qui potens sit vtique & ex * solitis noua condere, & ex contrariis salubria constituere: & ea quæ in impossibilitatibus atque inefficientiis sitę sint, in rerum possibilitates effectusq; mutare. * insolitis

CAP. 4. *Deum sicut in rebus cæteris, ita in temporali ortu suo omnipotentiã suam declarauisse.*

IDEM ergo de ortu ipsius Domini, quod de rebus omnibus confitere. Crede Deum natum vt voluit, quem non negas potuisse quod voluit: nisi fortè virtutem quæ ei ad alia omnia adfuit, ad seipsum æstimas defuisse: & ipsi ad natiuitatem suam omnipotentia sua defuit, quę ab eo procedens vniuersa penetrauit. Tu mihi in natiuitate Domini obiicis: nemo anteriorem se parit: & in partu quo omnipotens Deus natus est, dicis: homoousios parienti debet esse natiuitas: quasi verò cum quolibet hominum humanis legibus agas, cui impossibilitatem suam obiicias, quem terrena infirmitate concludas. Communem omnium dicis condicionem esse nascendi, eandem legem esse generandi, non potuisse penitus in vniuersitate generis humani vni tantum homini contingere, quod vetuerit Deus omnibus prouenire. Non intelligis de quo dicas, non vides de quo loquaris: quia autor vtique omnium condicionum, & cunctarum lex naturarum est, per quem est & quicquid homo potest & quicquid non potest; quia ipse vtriusque rei penitus modum statuit, & vsque quò accederet facultas, & quòd vlterius non progrederetur infirmitas. Quàm insanè ergo tu ei impossibilitatem humanam obiicis, cui possibilitas ipsa debetur. Si personam Domini terrenis infirmitatibus æstimes, & omnipotentiam Dei humanis rationibus metiaris, nihil vtique quod secundum corporeas ipsius passiones Deo congruum videatur inuenies. Si enim verisimile videri potest, vt Maria anteriorem se Deum parere non quiuerit, quomodo verisimile erit quòd crucifixus ab hominibus Deus fuerit? & tamen idem qui crucifixus est Deus ipse prædixit: Si affiget homo Deum suum, quia vos affigitis me? Si ideo natus ex virgine Dominus non putabitur, quia anterior parienti fuerit qui nascebatur: quomodo Deus sanguinem habuisse creditur? & tamen ad presbyteros Ephesiorum dicitur: Regite ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Postremo quomodo autor vitæ priuatus vita existimabitur? Et tamen Petrus, Autorem, inquit, vitæ interfecistis. Nemo in terris situs, in cælis esse potest: & quomodo Dominus ipse dicit, Filius hominis qui est in cælo? Si denique ideo natum ex virgine Deum non putas, quia homoousios parienti debet esse natiuitas: quomo-

Malach. 3. *Actor. 20.* *Actor. 3.* *Ioann. 3.*

do res dissimiles ex dissimilibus crediturus es substitisse naturis? Ergo apud te nec coturnices subitò ventus intulit, nec manna decidit, nec vinum ex aqua prodiit, nec multa millia hominum exiguo cibo pasta sunt, nec post lutum cæco lumen apparuit. Quòd si hæc omnia incredibilia vtique & cōtra rationem videntur, nisi à Deo facta credantur: cur in natiuitate eius denegas, quod in operibus confiteris? Aut nunquid præstare ortui suo aduentuique non potuit, quod humanis remediis atque vtilitatibus non negauit?

Cap. 5.

Argumentis ex ipsa natura deprōmtis docet regulam illam aduersariorū, qua statuunt homoousion parienti esse debere natiuitatē, in multis fallere.

LONGVM est de hac re & propè fabulosum amplius dicere. Sed tamen ad confutandam ineptiam atque insaniam tuam, qua ais quòd homoousios parienti natiuitas esse debeat, id est, quòd dissimilem sibi res quælibet parere non possit: etiam terrenarum rerum exempla proferam, quo ex dissimilibus nasci multa conuincam. Non quòd in tali re comparatio vlla aut fieri possit, aut esse debeat; sed vt non dubites in sacro ortu existere id potuisse, quod etiam in terrenis his & caducis videas prouenire. Apes sicut minima admodum, ita prudentissima ac sollertissima animalia, ex diuersissimis edi legibus atq; exire naturis. Cùm enim sint miri ingenij animantia, & non solū sensu, sed etiam prudentia abundent, excerptis quibusdam herbarum floribus procreantur. Quod maius exemplum adhibendum, aut assumendum putas?* ex atomis animalia nascuntur. Qui opifex illic, qui fabricator est, qui formator corporum, qui inspirator animarum? Sonum denique ipsum quo inter se quasi loquuntur, quis dedit? Concinnitates has pedum, * artem orium, elegantiamque * pinnarum quis finxit, atque composuit? Ingenium, iram, prouisionem, motum, placiditatem, concordiam, dissensionem, bella, pacem, ordinationem, dispositionem, officia, principatus, omnia denique quę sunt illis quasi cum humano genere communia, cuius doctrina, aut cuius munere, quo imbuente, aut quo instituente sumpserunt? Numquid hoc à paterno semine indeptæ sunt? aut in genitali vtero, atque in materna carne didicerunt? Nec vterum vtique norunt, nec semen sciunt depasti tantummodo flores in aluearia congeruntur: ex quibus inæstimabili opificio apes exeunt. Nihil illic genitricum viscera prolibus conferunt: neque apes ex apibus eduntur: operariæ sunt tantùm, non procreatrices: ex herbarum flosculis animantia prodeunt: quid simile herbis & animantibus? quis fabricator igitur rerum istarum sit credo intelligis. I nunc & ambige an potuerit natiuitati suæ Dominus id tribuere, quod vides eum etiam facturis minimis

Apes prudentissima animalcula.

* ex inanimis animalia, ex insensibilibus sensibilia.

*ingeniorū

*pennarum

præsti-

præstitisse? Superfluum fortè sit post hæc & alia addi aliquid: sed tamen etiam non necessaria ad exemplum addantur ad cumulũ. Locustis repentè subtexi aëra, impleri terras videmus. Prode earum semina, prode ortus, prode generatrices. Inde enim, vt vides, exeunt vnde nascuntur Præscribe his rebus omnibus, quòd homoousios parienti esse natiuitas sua debeat. Et tam inueneris in præscriptionibus his ridiculus, quàm nunc es in neganda Domini natiuitate furiosus. Et quid post hæc? Nũquid progredi nos debere vltrà vel tu ipse existimas? Adhuc addimus tamen aliquid: ex ouis volucrum, quas in Aegypto Ibes vocant, basiliscos serpentes gigni indubitabile est. Quid cognatum & consentaneum aui atque serpenti? Cur homoousios parienti natiuitas sua non est? Et tamen hæc omnia nec gignentes agunt, nec nascentes sciunt: sed fiunt latentibus causis & inexplicabili quadam atq; multiplici gignentis lege naturæ. Et tu eius natiuitati terrenarum opinionum præscriptiunculas obiicis, qui ne earum quidem natiuitatũ rationem reddere pot s, quæ nutu ipsius ac præceptione nascuntur, cuius arbitriũ totum agit, cuius imperiũ totum efficit: cui nihil contraire, nihil obsistere potuit: & ad totum quòd possibilitate agendum erat, velle suffecit.

Locustarum ingenium.

Basiliscorum generatio.

CAP. 6.

Aliud eiusdem Scriptoris argumentum, quo Christum Adamo per omnia parem efficere contendebat, refellit.

SED tempus tandem est, vt reliquas etiam occultiores atque insidiosiores blasphemias tuas, quia quod maluissemus, iam ignorare non possumus, saltem ne ignorantes capiant, detegamus. Posuisti in quodam pestifero tractatu tuo dicens: Quoniam diuinæ naturæ imago est homo; hanc autem proiecit diabolus in corruptionẽ; doluit sicut pro imagine sua Deus, sicut pro statua sua imperator; & corruptam reparat imaginem; & sine semine formauit de virgine naturam: secundum illum qui sine semine natus est Adam, & per hominem humanam naturam suscitat: quoniam enim per hominem mors, ideo & per hominem resurrectio mortuorum. Veneficorum quorundam, vt aiunt, consuetudo est, vt in poculis quæ conficiunt, venenis mella permisceant; vt dulcibus nocitura celentur: & dum quis mellis dulcedine capitur, veneni peste perimatur. Ita ergo & tu dicens, diuinæ naturæ imago est homo; hanc autem proiecit diabolus in corruptionem; doluit sicut pro imagine sua Deus, sicut pro statua sua imperator: ora quodammodo poculi pestilentis dulcedine quadam, & quasi melle circumlinis: vt haurientes ingestum poculum homines, dũ illecebrosa degustãt, perniciosa non sentiant. Dei nomen obiicis, vt religionis nomine mentiaris: sancta permittis, vt peruersa persuadeas, &

1. Cor. 15.

confitendo Deum id efficias, vt eum ipsum neges quem confiteris: Quis enim non vidit quo eas? quid moliaris? Dicis quippe: doluit sicut pro imagine sua Deus, sicut pro statua sua imperator, & corruptā reparat imaginem, & sine semine formauit de virgine naturā: secundum illum qui sine semine nascitur Adam, & per hominem humanam naturam suscitat: quoniam enim per hominem mors, ideo & per hominem resurrectio mortuorum. Hoc ergo tanto studio, hoc tanto actu prælocutionibus blandis fallax insidiator egisti, vt Deū in præcedentibus nominans, ad hominem in consequentibus peruenires: & eum ipsum solitarij hominis contumelia pòst afficeres, cui subdolæ humilitatis officio honorem Dei antè detulisses. Dicis ergo quòd imaginem Dei, quam diabolus proiecerit in corruptionem, pietas diuina repararit: Corruptam enim, inquis, reparat imaginem. Iam hoc quàm subdolè quod ais, corruptam reparat imaginem: scilicet vt persuadeas nihil plus fuisse in eo in quo imago reparabatur, quā in ea ipsa imagine fuerit cui reparatio præstabatur. Ac per hoc idem tantummodo vis esse Dominum quod Adam: nihil plus imaginis reparatorem, quàm ipsam imaginem corruentem. Denique quid agas, quid moliaris, sequentibus probas, dicens: Sine semine formauit naturam secundum illum qui sine semine nascitur Adam: & per hominem humanam naturam suscitat. Similem in omnibus & parem Adæ Dominum Iesum fuisse asseris: illum vtique sine semine, & hūc sine semine: illum hominem solum, hunc hominem solitarium. Ac per hoc vides te diligenter cauisse ac prospexisse, ne Dn̄s Iesus Christus aut maior in aliquo Adamo, aut fortè melior putaretur: cùm ita eos sibi mensuris paribus compararaueris, vt derogaturum te quodammodo Adæ aliquid crederes, si eidem quidpiam prætulisses.

CAP. 7.

Hæretici dogmata sua diuinæ scripturæ pallio tegere consueuerunt.

QVONIAM enim inquis, per hominem mors, ideo & per hominem resurrectio mortuorum: Etiám-ne Apostolico testimonio peruersitatem ac scelus probare niteris? & contagione impietatis tuę vas electionis infamas? videlicet vt quia à te autor salutis tuæ non intelligitur, idcirco etiam Apostolus Deū negasse videatur. Et tamen si Apostolicis testimoniis vti placebat, cur vno eius contentus cuncta siluisti? & hoc nō subdidisti statim: Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum? Aut illud: Sapientiam loquimur inter perfectos? Et post alia: Quam nemo, inquit, principum seculi huius cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent? Vel illud:

Galat. 1.

1. Cor. 2.

Ea tantummodo scripturæ testimonia depromunt hæretici quæ errori suo patrocinari putant.

illud: Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et: Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia? An in parte Apostolũ probans, in parte reprobans, in eo tantum eũ recipis, in quo pro dispensatione hominẽ Christũ nominat: in eo repudias, in quo Deũ? Paulus enim hominẽ Iesum nõ negat; sed Deum tamen eundẽ hominem confitetur: & ita humano generi per hominem resurrectionem venisse prædicat, vt in homine tamen ipso Deũ resurrexisse confirmet. Vide enim an eũ qui resurrexerit, Deũ prædicet; qui eum qui crucifixus est, Deum maiestatis esse testatur? *Coloss. 2.* *1. Cor. 8.*

SED tamen ne Dominum Iesum quasi vnum de plebe crederes, dedisti ei aliquid dignitatis, tribuens ei honorem vt sancto homini, non diuinitatem vero homini ac vero Deo. Quid enim dicis? Formauit Deus Dominicam incarnationem: theotoci formam honoremus cum Deo, sicut vnã formam deitatis, sicut diuinę voluntatis inseparabilem statuam, sicut imaginem latentis Dei. Superius imaginem Dei Adam esse dixisti, hic Christum imaginem dicis: illum statuam, & hunc statuam. Sed gratiæ videlicet tibi pro honore Dei agendæ sunt, quòd theotoci formam honorandam cum Deo esse concedis: in quo non tam honor est quàm iniuria. Neque enim in hoc ipso tribuis Domino Iesu Christo honorem diuinitatis, sed negas: Subtili quippe impietatis arte honorãdum cum Deo dicis, ne Deum esse fatearis: & hoc ipso quo videris eum fallaciter coniunxisse, disiungas. Nam cùm vtique eum non vt Deum colendum, sed quasi cum Deo honorandum esse blasphemes; ideo ei tribuis diuinæ vicinitatis coniunctionem, vt deitatis auferas veritatem. Impiissime & callidissime hostis Dei, peragere vis scelus negantis, sub nomine confitentis. Honoremus, inquis, sicut diuinæ voluntatis inseparabilem statuam, sicut imaginem latentis Dei. Profecit videlicet apud nos per beneficia sua honor creatoris, ac redẽptoris nostri Domini Iesu Christi. Si ideo ab eo de æterno interitu redemti sumus, vt redemtorem nostrum statuam diceremus: digno videlicet obsequio, digno cultu respondere benignitati ac pietati illius nitimur, si maiestatem quam ille propter nos humiliare non renuit, nos etiã auferre conemur.

CAP. 8. *Solam imaginem deitatis Christo tribuũt hæretici, ideóq; cum Deo non vti Deum honorandum asseruit.*

SED excusas videlicet illatam Domino cõtumeliam subditi honoris officio, dicens: tanquam imaginem latentis Dei. In hoc quòd imaginem dicis, humanæ eum comparas conditioni. In hoc quod latentis Dei, certissimæ derogas dignitati. Deus enim, inquit Dauid, manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Et venit vtique, & non siluit, qui priusquam ipse *Psalm. 49.*

CAP. 9. *Errare illos qui Christi ortum occultum fuisse dixerunt, cùm etiam Patriarchæ Iacob manifestè demonstratus fuerit.*

quippiam post ortum suum diceret, aduentum suum & terrenis pariter, & diuinis testibus declarauit dum stella indicat, dum magi adorant, dum angeli annunciãt. Quid quæris amplius? adhuc vox illius silebat in terris, & honor illius iam clamabat in cælo. Latuisse ergo in eo, ac latere tu Deum dicis? at non hoc prophetæ, non patriarchæ, non denique lex vniuersa prædixit? Non dicebant enim latitaturum, qui venturum omnibus prædicebant. Erras infelix cæcitas, causas blasphemandi quærens, & non inueniens. Tu eum latuisse etiam post aduentum suum dicis: ego eum nec prius quidem latuisse approbo quàm veniret. Numquid enim patriarcham illum eximium, cui vocabulum visio Dei præsentis imposuit, quæ ex supplantatoris nomine in Israëlis nomen ascendit: numquid sacramentum nasciturі ex virgine Dei latuit? qui cùm mysterium futuræ incarnationis ex concertatione luctantis secum hominis agnouisset, Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Quid quæso viderat vt vidisse se Deum crederet? numquid inter fulgura se ei & tonitrua Deus protulit? aut reserato intrinsecus cælo coruscans se ei facies diuinitatis ostendit? Nihil vtique eorum, sed ediuerso magis vidit hominem, & agnouit Deum. O verè dignus indepto nomine, & qui interioribus magis quàm exterioribus oculis vocabuli à Deo dati meruit dignitatem! Luctantem secum humanam speciem videbat, & videre se Deum protestabatur. Sciebat vtique quòd illa hominis species, Dei veritas erat: quia in qua tunc erat specie Deus visus, in ea erat speciei ipsius postea veritate venturus. Quamquam quid miremur, si tantus patriarcha indubitanter credidit, quod ei ipse per se Deus tam euidenter ostendit, dicente ipso, Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea? Quid ei tantum Deus præsentis diuinitatis ostenderat, vt demonstratam sibi faciem Dei diceret? Homo enim ei, vt videbatur, tantummodo apparuerat, quem etiam in concertatione superauerat. Sed hoc vtique per præcurrentia rerum indicia Deus agebat: vt nemo esset qui Deum natum ex homine non crederet, cùm in humana specie Deum iam patriarcha antè vidisset.

Genes. 32.

CAP. 10. *Congerit plura eiusdem rei testimonia.*

SED quid ego in vno exemplo tamdiu commoror, quasi multa desint? Numquid enim latere homines iam tum poterat in carne venturus Deus? cùm de eo quasi ad omne humanum genus palàm propheta diceret, Ecce Deus vester: Et alibi, Ecce Deus noster. Et illud, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: & regni eius non erit finis? Sed & cũ iam venisset,

Esaiæ 40. *Esaiæ 25.* *Esaiæ 9.*

venisset, numquid latebat eos quòd venerat, qui venisse eum palàm confitebantur? numquid ignorabat Dei aduentum Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei viui? Numquid Martha quid loqueretur, aut quem crederet nesciebat? Vtique, inquiens, Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti? Omnes denique qui ab eo vel morborum remedia, vel membrorum restitutiones, vel mortuorum vitam petebant, ab hominis id infirmitate, an à Dei omnipotentia postulabant?

Matth. 16.
Ioann. 11.

CAP. 11.
Dæmonē multis rationibus impulsum fuisse vt Christum Deum esse opinaretur.

DIABOLVS denique ipse, cùm eum omni illecebrarum ambitu, omni nequitiæ suæ arte tētaret, quid aut nesciēs suspicabatur, aut tentans scire cupiebat? aut quid tantopere eum mouerat, quòd Deū in hominis humilitate quærebat? Nūquid documentis prioribus id didicerat? Aut quē verò in humano corpore Deú venisse cognouerat? Non vtique: sed magnis signorū indiciis, magnis rerū experimētis, & veritatis ipsius vocibus ad suspicionē & inquisitionē rei huius * cōpellabatur: vtpote & qui semel iā à Ioanne audierat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatū mundi. Et iterum ab eodem: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Descendens quoq; de cælo, & stans supra caput Domini colūba, euidentē se*ac manifestandæ claritati Dei indicem dederat. Vox quoque eum non per ænigmata, nec per figuras à Deo missa permouerat, dicens, Tu es filius meus dilectus, in te complacui. Et ideo licet hominem extrinsecus in Iesu videret, filium Dei inuestigabat dicens, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Numquid diabolo contemplatio hominis suspicionem diuinitatis eripuit: vt per hoc quod hominem videbat, crederet Deum esse non posse? Non vtique: sed quid ait? Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Non ambigebat vtique esse posse, quod an esset perscrutabatur: de veritate ei erat sollicitudo, non de impossibilitate securitas.

* *forte,* compellebatur:
Ioann. 1.
Matth. 3.
* manifestā declarati
Luca 4.

CAP. 12.
Hanc dæmonis opinationem & verisimilem suspicionem comparat cum pertinaci & præfracta aduersariorum sententia, & hanc illa nequiorem magísque blasphemam esse demonstrat.

ATQVI sciebat vtiq; Dominū Iesum Christū ex Maria natū esse, sciebat pannis obuolutum, in præsepio positū, pauperē eius inter humana exordia paruitatem fuisse, & egenam etiam legitimis incunabulorū ministeriis infantiam: non dubitabat quoq; eum veram carnem habere, verè hominem natū esse. Et cur ei hoc ad securitatē parū visum est? cur eū quē verè hominē esse nouerat, Deū posse esse credebat? Disce ergo infelix furor, disce insania, & crudelis impietas, disce tandē vel à diabolo minoris esse perfidiæ. Ille dixit, Si filius Dei es: tu dicis, filius Dei non es. Quod ille interrogauit, tu negas. Nemo adhuc inuētus est præter te, qui diabolicā impietatē fuerit

Luca 2.

fuerit supergressus: quod ille in Domino confessus est esse posse, tu non credis esse potuisse.

CAP. 13. *Dæmonem hāc diuinitatis in Christo opinationem propter occultam eius quam sensit operationem vsque ad ipsam crucē & mortem eius semper habuisse.*

SED cessauit postea forsitan ac conquieuit,& cassatis tentationibus suis deposuit suspicionem:quia non inueniebat effectum. Mansit quinimo in eo semper, & vsque ad ipsam Domini crucem suspicio in eum per formidines proprias cumulata peruenit. Quid plura? ne tunc quidem opinari de eo filium Dei desiit, postquàm tantum in eum persecutoribus suis licere cognouit. Sed callidus vtique hostis inter ipsas quoque corporeas passiones signa diuinitatis aspiciens, etiam si esse eum malebat hominem, suspicari tamen compellebatur Deum: quia licèt hoc mallet credere quod volebat, cogebatur tamen ad id certis rerū indiciis quod timebat. Nec mirum: quamuis enim eum & consputum, & flagellatum, & contumeliis affectum,& in crucem actum videret; cernebat tamē inter ipsas iniuriarum indignitates, diuinas exabundare virtutes: dum velum templi scinditur, dum sol refugit, dum dies obscuratur,dum passionis virtutem omnia sentiūt: cuncta etiam quæ Deum nesciunt, opus diuinitatis agnoscūt. Et ideo videns hoc diabolus ac tremēs, omnimodo peruenire ad Dei agnitionem, etiam in ipsa hominis consummationē tentauit,dicēs per eos qui crucifixerant: Si filius Dei est,descendat nunc de cruce, & credimus ei. *Matth.27.* Sensit vtiq; Dominum Deum nostrum passione corporis redemtionem humanæ salutis operari, simulque ea & se destrui ac subiugari, & nos redimi atque saluari. Et ideo hostis generis humani omnimodo & omni dolo cassari ea voluit, quæ agi pro omnium redemtione cognouit. Si filius,inquit,Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: scilicet vt motus verborum contumelia, Dominus desereret sacramentum,dum vlcisceretur iniuriam. Vides ergo Dominum etiam in cruce positum filium Dei appellari: vides eos id quod nominant suspicari. Disce itaque, vt superius dixi, vel à persecutoribus ipsis, vel à diabolo filium Dei credere. Quis vnquam æquauit dæmoniacā infidelitatem? quis supergressus est? Ille eum filium Dei esse suspicatus est, etiam cùm mortem pertulit: tu negas etiam cùm resurrexit. Ille eum Deum suspicatus est, cui se occuluit: tu negas, cui probauit.

CAP. 14. *Scripturam sacram hæreticos peruertere ostendit, respondens ad eam rationem quæ ex Apostoli verbis, sine patre, sine matre, &c. sumta est.*

VTERIS ergo aduersus Deum scripturis sacris,& suos in ipsum testes agere conaris. Sed quomodo? verè,vt non solùm Dei,sed etiā testimoniorū ipsorum præuaricator sis. Nec mirum vtique,si quia id quod vis non potes,id facis solum quod potes: quia vertere in Deum testimonia sacra non vales,quod

vales

vales ipſa peruertis. Dicis enim: Ergo & Paulus mentitur de Chriſto dicens: Sine matre, ſine genealogia. Interrogo te, de quo hoc velis dixiſſe Paulũ? de filio & verbo Dei, an de Chriſto, quem tu à filio Dei ſeparas, & hominem tantũ eſſe blaſphemas? Si de Chriſto vtique quem hominem ſolitarium dicis, quomodo naſci homo ſine matre & ſine genealogia maternæ originis potuit? Sin autem de Dei verbo ac Dei filio: quid facimus quòd idem Apoſtolus, vt tu ſacrilegè æſtimas, teſtis tuus eodem loco atque eodem teſtimonio eum quem tu ſine matre aſſeris, etiam ſine patre eſſe teſtatur, dicens, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia? Ergo ſupereſt vt apoſtoli teſtimonio vtens, quia filium Dei ſine matre aſſeris, etiam ſine patre eſſe blaſphemes. Vides ergo peruerſitatis ac nequitiæ tuæ ſtudio, in quod te impietatis prȩruptũ ieceris: vt quod nemo adhuc à ſeculis niſi inſanus fortaſſe dixit, dum filium Dei matrem non habuiſſe dicis, etiam patrem ipſius deneges. Et hoc tamen neſcio impietate maiori an ineptia: quia quid ſtultius, quid ineptius, quàm filij nomen ponere, & patris nomen velle reticere? Sed dicis: non reticeo, non nego. Et quis ergo te furor compulit teſtimonium illud ponere, vbi dum matrem eum non habuiſſe dicis, etiam patrem eius negaſſe videaris? Nam cùm in eodem teſtimonio, ſicut ſine matre, ita etiam ſine patre eſſe dicatur: neceſſe eſt vt ſine matre ibi intelligi poteſt eodem modo quo ſine matre eſſe ibi intelligitur, etiam ſine patre eſſe credatur. Sed hoc prærupta illa ad negandum Deum inſania non intellexit: quæ cùm id truncatum poneret quod integrum ſcriptum eſt, non vidit reſerata ſacri voluminis ſerie redargui impudens atque apertum poſſe mendacium. O ſtulta blaſphemia & amentia! quæ dum ipſa non videt quid ſequi debeat, etiam illud non ſapuit quid legi poſſit: quaſi verò quia auferebat ſibi intelligentiam, auferre poſſet omnibus lectionem: aut ideo perdituri omnes ad legendum oculos capitis ſui eſſent, quia ipſe iam mentis oculos perdidiſſet. Audi ergo hæretice quod furatus es: audi plena & integra, quæ debilia ac truncata poſuiſti. Apoſtolus duplicem Dei natiuitatem inſinuare omnibus cupiens: vt & in deitate natum Dominum & in carne monſtraret, ait, Sine patre, ſine matre: alterum enim proprium eſt diuinitatis natiuitati, alterum carnis. Quia ſicut in deitate eſt ſine matre generatus, ita in corpore eſt ſine patre: ac ſic cùm nec ſine patre, nec ſine matre ſit, & ſine patre tamen & ſine matre credendus eſt. Quia ſi dum ex patre naſcitur reſpicis, ſine matre eſſe: ſi dum ex matre, ſine patre. Ac

Hebr. 7.

Hæretici truncatè Scripturas allegant.

tre. Ac sic in singulis natiuitatibus alterum habens, alterum in vtroque non habuit: quia nec diuinitatis natiuitas matre eguit, & ad natiuitatem corporis sibi ipse suffecit sine patre. Ergo, inquit Apostolus, sine matre, sine genealogia.

CAP. 15. *Quomodo Christus sine genealogia ab Apostolo fuisse dicatur.*

QVOMODO sine genealogia Dominum fuisse dicit, cùm euangeliũ Matthæi Euangelistæ à genealogia cœperit Saluatoris, dicẽs, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham? Ergo & iuxta Euangelistam habet genealogiam, & iuxta Apostolum non habet: quia iuxta Euangelium ex matre habet, iuxta apostolum ex patre non habet. Et ideo bene Apostolus dicens, sine patre, sine matre, sine genealogia: vbi eum sine matre genitum esse posuit, ibi etiam sine genealogia esse memorauit. Ac per hoc in vtraque Domini natiuitate, & Euangelica sibi & apostolica simul scripta conueniunt. Quia & iuxta Euangelistam habet genealogiam, sine patre in carne natus: & iuxta Apostolum non habet, sine matre Dominus in deitate generatus: Isaia dicente, Generationem autem eius quis enarrabit? *Esaiæ 53.*

CAP. 16. *Ad instar dæmonis Christũ tentantis ostẽdit hæreticos scripturam sacram truncare & peruertere.*

CVR ergo hæretice nõ hoc modo quæ legeras, integra & incorrupta posuisti? Vides itaq; Apostolũ hac ratione qua natũ Dominum sine patre posuit, hac etiam sine matre posuisse: vt & qua ratione intelligeretur esse sine patre, hac nosceretur esse sine matre. Et sicut non possit vtique sine patre credi, ita sine matre quoque nõ possit intelligi. Cur ergo hæretice non hoc modo quæ in Apostolo legeras, incolumia & inuiolata posuisti? sed partem ingeris, partem subtrahis: & vt adstruére falsitatem per scelus possis, veritatis verba furaris. Video à quo doctus es. Illius enim habere credendus es institutionẽ, cuius sequeris exemplum. Sic enim diabolus in Euangelio tentans Deũ, Si filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim: quia angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Et cùm hoc dixisset, cohærentia & subiecta subtraxit: id est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Callidè vtique superiora posuit, inferiora subtraxit. Illud enim posuit, vt circumscriberet: hoc reticuit, ne se ipse damnaret. Sciebat enim se aspidẽ & basiliscum, se leonem & draconem prophetica voce signari. Ita ergo & tu partem obiiciens, partẽ subtrahens, illud scilicet ponis, vt circumuenias: hoc subtrahis, ne si totum vtique posueris, circumscriptionem tuam ipse condemnes. Sed tempus tandem est ad vlteriora transire: nimis enim diu in singulis commorantes, dum affectu copiosæ responsionis *Luc. 4.* *Psalm. 90.*

ducimur,

ducimur, modum libri etiam longioris excedimus.

CAP. 17.

Christi gloriã & dignitatem non ita Spiritui sancto adscribendam esse vt ab ipso Christo negetur profecta, quasi omnis quæ in illo fuit excellentia, aliena, & aliunde profecta fuerit.

AIS ergo in alia disputatione, imo in alia blasphemia tua, & spiritum de diuina natura separans: qui humanitatem eius creauit. Ais enim: Quia quod ex Maria natum est, de spiritu sancto est. Qui & iustitia repleuit quod creatũ est. Ais enim: Apparuit in carne, iustificatus est in spiritu. Item qui eum fecit & dæmoniis metuendum. Ego, enim ais, in spiritu Dei eiicio dæmonia. Qui & carnem eius fecit templum. Vidi enim spiritum eius descendentem quasi columbam, & manentem super eum. Item qui ei donauit eleuationem in cælum. Ais enim: Dans mandatum Apostolis quos elegit, per spiritum sanctum eleuatus est. Hunc denique qui tãtam gloriam Christo donauit. Omnis ergo in his blasphemia tua hęc est: vt nihil Christus per se habuerit: sed nec ipse, vt tu ais, solitarius homo aliquid à verbo, id est, à filio Dei cœperit, sed totum in eo donum spiritus fuerit. Si ergo omne id quod tu ad spiritum refers, esse ipsius demonstrabimus; quid reliquum est, nisi vt quem tu ideo hominem vis intelligi, quia, vt ais, totum habuerit alienum: nos ideo probemus Deum, quia habuerit totum suum? Et quidem hoc non disputationibus tantùm aut argumentis, sed voce ipsius diuinitatis probauimus: quia nulla de Deo rectius quàm diuina testantur. Et quia nulla se melius quàm ipsa maiestas Dei nouit, nullis de Deo dignius creditur quàm his in quibus Deus ipse est testis suus. Primum ergo quod ais, quia humanitatem eius spiritus sanctus crearit, possemus id nos simpliciter intelligere, si agnosceremus te id non infideliter protulisse. Neque enim nos conceptam ex spiritu sancto Domini carnem negamus: sed ita tamen conceptum corpus cooperante spiritu dicimus, vt creatum tamen sibi à filio Dei hominem suum esse dicamus, dicente ipso in scriptis sacris spiritu sancto, atque testante; Sapientia ædificauit sibi domum. Vides ergo quòd id quod cõceptum est à spiritu sancto, ædificatum à filio Dei atque perfectum est? non quia aliud opus filij Dei, aliud spiritus sancti sit: sed quia per vnitatem diuinitatis ac maiestatis, & operatio spiritus, ædificatio filij Dei sit; & ædificatio filij Dei, cooperatio spiritus sancti. Et ideo non solũ spiritus sanctus in Virginem superuenisse, sed etiã virtus Altissimi obumbrasse Virginẽ legitur: vt quia Sapientia ipsa plenitudo diuinitatis est, sapiẽtiæ sibi domum ædificanti omnẽ diuinitatis plenitudinem nemo ambigeret affuisse. Sed infelix blasphemãdi amẽtia, dũ separare Christũ à filio Dei nititur, non videt se ipsam à se diuinitatis penitus separare

Matth. 1.
Luca 1.
Ioan. 1.
Act. 1.

Diuina nemo penitius aut rectius cognoscit quàm ipse Deus.

Prouerb. 9.

ſeparare naturam. Niſi fortè credit quòd ideo ædificata ei à ſpiritu ſancto domus ſit, quia idoneus ac potens ædificare ſibi domum ipſe non fuerit. Sed hoc quàm inſanum eſt, tam ridiculum: vt qui nutu omnem cæleſtium ac terreſtrium vniuerſitatem creaſſe creditur, ædificare ſibi corpus non potuiſſe credatur? Præſertim cùm virtus ſancti ſpiritus, virtus eius ſit: & ita vnita ſibi atque inſeparabilis diuinitas ſit trinitatis atque maieſtas, vt nihil omnino in vna deitatis perſona poſſit intelligi, quod à plenitudine diuinitatis valeat ſeparari. Ergo hoc poſito & intellecto, quod iuxta fidem ſcripturæ ſacræ ſpiritu ſancto ſuperueniente, & virtute altiſſimi obumbrante, ſapientia ſibi domum ædificauerit: reliquæ calumniarum blaſphemiæ nihil ſunt. Neque enim dubium eſt, quòd ipſe per ſe atque in ſe vniuerſa fecerit, in cuius nomine ac fide etiam credentium fides nulla non potuit. Neque enim ille auxilio alterius eguit, cùm ne illi quidem eguerint qui in virtute ipſius crediderunt. Atque ideo & illud quod ais, quia à ſpiritu iuſtificatus ſit, & quòd metuendum eum dæmonibus ſpiritus fecerit, & quòd caro eius à ſpiritu facta ſit templum, & quòd à ſpiritu eleuatus ſit in cælum; ſacrilega & furioſa ſunt omnia: non quia in his omnibus quæ ipſe fecit, vnitas & cooperatio ſpiritus defuiſſe credenda ſit; vtpote cùm nunquam deitas à ſe deſit, & in operibus Saluatoris ſemper virtus fuerit trinitatis: ſed quia tu Domino Ieſu Chriſto quaſi inopi & imbecillo opitulat[illegible]m vis ſpiritum ſanctum, qui ea illi vtique tribuerit quæ præ[illegible]e ſibiipſi non quiuerit. Diſce itaque ex ſacris teſtimoniis Deũ credere, & falſitatem veritati non admiſcere: quia res non recipit, & ratio perhorreſcit, vt diuinis teſtimoniis dęmoniaci ſpiritus intelligẽtia miſceatur.

CAP. 18. *Illud Apoſtoli quomodo intelligẽdum ſit, Apparuit in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu, &c.*

IAM primum enim hoc quod ais, quia iuſtitia repleuerit quod creatum eſt; & hoc Apoſtolico vis teſtimonio cõprobare, quod dicat, Apparuit in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu: vtrumque inſano ſenſu & furioſo ſpiritu loqueris. Quia & hoc quod à ſpiritu vis eum repletum eſſe iuſtitia, ideo ponis, vt oſtendas eius vacuitatem, cui præſtitam eſſe aſſeras iuſtitiæ adimpletionem. Et hoc quod ſuper hac re Apoſtolico teſtimonio vteris, diuini teſtimonij ordinem rationemque furaris. Non enim ita ab Apoſtolo poſitum eſt, vt tu id truncatum vitiatumque poſuiſti. Quid enim Apoſtolus ait? Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu. Vides ergo quod myſterium pietatis, vel ſacramentum iuſtificatum Apoſtolus prædicauit? Non enim tã immemor ipſe dictorũ

1. Tim. 3.

ſuorum

ſuorum ac doctrinæ ſuæ erat, vt eum iuſtitiæ eguiſſe diceret, quem ipſe ſemper iuſtitiam prædicarat, dicens, Qui factus eſt nobis iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio. *1. Cor. 1.* Alibi quoque: Sed abluti, inquit, eſtis, ſed iuſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. *1. Cor. 6.* Quàm longè ergo ab eo eſt vt adimpletione iuſtitiæ indiguerit, qui iuſtitia vniuerſa compleuit: & vt maieſtas eius iuſtitiam non habuerit, cuius etiam nomen cuncta iuſtificat. Vides ergo vel quàm inepta blaſphemia tua, vel quàm inſana ſit, quia id auferre Domino noſtro niteris, quod ita ab eo in omnes credẽtes largè ſemper effunditur, vt nũquam in ipſa tamen iugi largitate minuatur?

CAP. 19. Quòd Chriſtũ non ſpiritus ſolùm, ſed ipſe ſeipſum quoq; metuẽdum fecerit.

DICIS quoque quòd ſpiritus eum fecerit dæmonibus metuendum. Ad quod quidem reſpuendum ac refutandum, etiam ſi ipſa dicti execrabilitas ſatisfecit, tamen adhibebimus exempla. Dic mihi quæſo tu, qui hoc quòd eum dæmones timuerunt, non ſuum dicis ſed alienum: nec poteſtatis hoc vis fuiſſe, ſed muneris: quomodo etiam nomen eius poteſtatem habuit, qua ipſe, vt tu ais, indigens fuit? quomodo in nomine eius dæmones eiecti, debiles curati, mortui ſuſcitati ſunt? Petrus enim apoſtolus claudo illi qui ſedebat ad ſpecioſam portam templi, In nomine, inquit, Ieſu Chriſti ſurge, & ambula. *Act. 3.* *Nomen Chriſti miraculorũ gloria illuſtre.* Et iterum in ciuitate Ioppe ad eum qui ab annis octo paralyticus iacebat in lecto Aeneas, Sanet te, inquit, Dominus Ieſus Chriſtus; ſurge & ſterne tibi. *Act. 9.* Paulus quoque, Præcipio, inquit, tibi, ad ſpiritum pythonem, in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea: & exiit ab ea dæmonium. *Act. 16.* Sed quàm longè hæc imbecillitas à Domino noſtro fuerit, hinc intellige: quòd ego ne illos quidem imbecillos fuiſſe dico, quos ille per nomen ſuum potentes fecerit. Siquidem nulli vnquam Apoſtolorum poſt Domini reſurrectionem vel dæmonem, vel vllam infirmitatem obſtitiſſe agnouimus. Quòmodo ergo metuendum eum ſpiritus reddidit, qui alios fecit eſſe metuendos? aut in ſeipſo infirmus fuit, cuius fides etiam per alios ſuper vniuerſa regnauit? Poſtremò hi qui poteſtatem à Deo acceperũt, numquam poteſtate ipſa vt ſua vſi ſunt, ſed poteſtatem ipſam ad eum quo acceperant retulerunt; quia nec poteſtas ipſa vim vllam vnquam habere potuit, niſi per nomẽ ipſius qui dedit. Ideoq; & Apoſtoli, & omnes miniſtri Dei nihil in ſuo vnquam, ſed in Chriſti nomine atq; inuocatione fecerunt: quia poteſtas ipſa inde accipiebat virtutem, vnde habebat exordium: & dari per miniſtros nequaquam poterat, niſi ab auctore veniſſet. *Hac ſententia nihil à ſeruis ſuis Chriſtus diſſidet.* Tu ergo qui idem Dominum fuiſſe dicis quod vnum ex ſeruis ſuis: quia ſicut Apoſtoli nihil vtique habuerant, niſi à Domino ſuo

accepissent: ita tu nihil vis Dominũ ipsum habuisse, nisi quod à spiritu acceperit: Ac per hoc & ipsum quod habuit, non vt Dominum vis habuisse, sed vt seruum accepisse. Dic mihi ergo, quomodo ille potestate ipsa vt sua, nō vt accepta vtebatur? quid enim de eo legimus? Surge, inquit paralytico, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et iterum supplicanti pro filio patri, Vade, inquit, filius tuus viuit. Et illud vbi vnicus matris ad sepulcrum deferebatur, Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Numquid ergo, vt mos eorum qui potestatem à Deo accipiebant, potestatem quoque ille dari sibi ad efficiendum inuocatione diuini nominis postulabat? Cur non sicut Apostoli in nomine ipsius, ita ipse quoque in nomine spiritus operabatur? Denique quid de ipso euangelium protestatur? Erat, inquit, docens eos sicut potestatem habens, non sicut Scribæ & Pharisæi. Aut superbum & arrogantem forsitan vis fuisse: qui potestatem quam à Deo, vt ais, accepisset, suæ potentiæ deputaret? Sed quid facimus quòd potestas numquam est obsecuta famulis, nisi per nomen auctoris: nec habere efficientiam potuit, si aliquid sibi ex ea faciens deputauit.

Matth. 9. *Ioan. 4.* *Lucæ 7.* *Matth. 7.*

CAP. 20. *Grauioribus vrgētioribúsq; argumentis sententiam illam inualidare conatur.*

SED quid tamdiu euidentibus quidem, sed tamen minoribus argumentis contra furentem blasphemiam agimus? Audiamus ipsum ad discipulos loquentem Deum: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Et iterum, In nomine, inquit, meo dæmonia eiicietis. Nūquid ad potestatem exercendam alterius nomine eguit, qui ipsum nomen suum potestatem esse fecit? Sed quid adhuc additur? Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Ipse certè mitem, vt verè erat, & humilem corde se esse dicit. Et quomodo pro summa vtique potestate in nomine suo operari alios præcipit, si ipse in nomine operabatur alieno? Aut aliis dabat quasi suum, quod ipse, vt tu ais, non habuerat, nisi accepisset alienum? Dic mihi autem qui sanctorum potestatem à Deo accipientes, sic operati sunt? Aut numquid non insanus Petrus creditus fuerat, aut furiosus Ioannes, aut amens Paulus, si quibuscumque aut ægris dixissent, in nomine nostro surgite: aut claudis, in nomine nostro ambulate: aut mortuis, in nomine nostro viuite: aut illud ad aliquos, damus vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici? Intellige ergo ex hoc ipso insaniam tuam: quia sicut hæc verba insana sunt, si sint humanæ præsumptionis: ita tu insanissimus, qui diuinæ hæc non intelligis potestatis. Ex duobus enim alterum confitearis necesse est: aut posse hominem

Matth. 10. *Marci 16.* *Lucæ 10.* *Matth. 11.*

minem diuinam poteſtatẽ & habere & dare: aut certè ſi nullus omnino hominum id poteſt, Deum fuiſſe qui potuit. Nemo enim diuinam virtutem poteſt tribuere in munificentia, niſi qui habuerit in natura.

SEQVITVR autem in blaſphemia tua, quòd caro eius templum à ſpiritu facta ſit, ideo quia Ioannes dixerit, Vidi enim ſpiritum deſcendentem de cælo, & manentem ſuper eum. Quia furioſam aſſertionem tuam etiam diuinis teſtimoniis cõfirmare conaris: quam ob cauſam videamus an hoc quod tu ais, teſtimonium ſacrum dixerit. Vidi enim, inquit, ſpiritũ deſcendentem ſicut columbam, & manẽtem ſuper eũ. Diſcerne hic ſi potes, quis potior, quis maior ſit, quis honoratior? is qui deſcendebat, an is ad quem deſcendebatur? is qui deferebat honorem, an is cui deferebatur honor? Vbi hic in teſtimonio ſonat, quòd carnem eius templum ſpiritus fecerit? aut in quo honorem Dei minuit, ſi ad demonſtrãdum humano generi Deum Deus ipſe deſcendit? Cùm vtique non minor intelligi debeat is cuius indicata ſit dignitas, quàm is qui index fuerit dignitatis. Sed abſit vllã credere aut fieri in diuinitate diſtantiam: quia eadem vna deitas, & æqualis poteſtas opinionem penitùs impiæ inæqualitatis excludit. Et ideo in hoc negotio, cùm & patris perſona & filij & ſpiritus ſancti ſit, & cùm filius Dei ſit ad quem deſcenditur, ſpiritus qui deſcendit, pater qui teſtimonium dicit: nullus plus habuit honoris, nullus quicquam accepit iniuriæ: ſed æqualiter ad plenitudinem deitatis totùm redundat: quia quæuis in trinitate perſona honorem in ſe totius continet trinitatis. Et ideo dici hinc amplius non neceſſe eſt, niſi ad manifeſtandam tantum impietatis tuæ cauſam atque originem. Quia ſpinæ vtrique ac tribuli ex radicibus emergentes qualitate ſui ſtirpem ſuã produnt, ex eo ipſo quod ſunt, indicant vnde naſcantur. Ita ergo & tu Pelagianæ hęreſeos ſpinoſa ſoboles idem oſtendis in germine, quod pater tuus habuiſſe traditur in radice. Leporius ille enim (vt Leporius diſcipulus ſuus dixit,) Dominum noſtrũ aſſerebat Chriſtũ factum eſſe per baptiſmum: tu in baptiſmo templum Dei dicis factum eſſe per ſpiritum. Non quidem ad plenum eadem verba ſunt, ſed ad plenum vna peruerſitas.

CAP. 21. *Chriſto perinde atque ſpiritui ſancto adſcribendum eſſe quòd caro, & humanitas eius templum Dei facta ſit.* *Ioan. 1.*

ADDIS autem etiam hoc prædictis impietatibus tuis, quòd eleuationem Domino in cælum ſpiritus condonarit: oſtendens ſcilicet ſacrilego ſenſu tuo, quòd tam imbecillum ac tam egenum Dominum Ieſum Chriſtum fuiſſe credis, quòd niſi eum ſpiritus eleuaſſet in cælum, adhuc hodie forſitan futurum æſtimares in terra. Ad probationem autem dicti etiam teſti-

CAP. 22. *Eleuationem Chriſti in cælũ non ſoli ſpiritui adſcribendã eſſe.* *Actor. 1.*

testimonium sacrum adhibes; inquis enim, Dans mandata Apostolis quos elegit, per spiritum sanctũ eleuatus est. Quid te appellem? quid te existimem? qui corrumpẽdo diuinas litteras, id agis ne testimonia sacra habeãt vim testimoniorum? Nouum audaciæ genus, quòd id efficere argumentis nequitię suæ nititur, vt falsitatem veritas confirmare videatur. Non enim ita in Apostolicis Actibus dictũ est, vt tu ais. Quid enim scriptura dicit? Quæ cœpit Iesus facere & docere vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Quod vtique hyperbaton est, & ita intelligendum: quæ cœpit Iesus facere & docere vsque in diem qua assumptus est, præcipiens Apostolis quos elegit per spiritum sanctum: vt responderi tibi forsitan amplius quàm testimonio ipso in hac parte non debeat: quia sufficere vtique ad plenum veritati debeat integritas testimonij, si falsitati poterat satis esse correptio. Sed tamen tu qui putas Dominum nostrum Iesum Christum non potuisse cælum ascendere, nisi eleuatus esset à spiritu: dic mihi quomodo ipse ait, Nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo? Agnosce ergo quàm ridiculè & stultè putas nõ potuisse eum in cęlum ascendere, qui cùm descendisset in terris, numquam abfuisse dicatur è cælo: & an possibile ei fuerit linquenti inferos cælum ascendere, cui promptum fuerit etiam in terris sito, semper in cælestibus permanere. Quid autem illud quod ipse ait, Ascendo ad patrem meũ? numquid in ascensione hac intercessurã opem indiguit alterius: qui in hoc ipso quo ascensurum se esse dixit, virtutẽ propriæ potestatis ostendit? Dauid quoque de ipsa Domini ascensione, Ascendit, inquit, Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ. Euidenter maiestatem ascendentis per potestatem ascensionis explicuit.

Ioan. 3. *Ioan. 20.* *Psal. 46.*

CAP. 23. *Persistit in eodem argumento, vt ostendat Christum non indiguisse aliena gloria, sed habuisse propriam.*

SED videamus tamen qua tandem præcedentes blasphemias tuas adiectione concludas. Qui tantam, inquis, gloriam Christo donauit. Gloriam nominas, vt contumeliam facias. Nam in eo quod donatum Dominum gloria asseris, dum accepisse dicis, indiguisse blasphemas. Hoc enim ait impius sensus suus, vt largitas munerantis indigentiam accipientis ostẽdat. O infelicem impietatem tuam! & vbi illud est quod de ascendente in cælum Domino Iesu Christo ipsa olim diuinitas prænunciauit? Attollite, inquiens, portas vestras, & introibit rex gloriæ. Cumque ipse sibi, vt solet sermo diuinus, quasi sub inquirentis nomine respondisset, quis est iste rex gloriæ: statim subdidit, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio: sub prœlij vtique gesti nomine, victoriam

Psal. 23.

riam Domini triumphantis ostendens. Deinde cùm ad complendam rei expositionem, textum supradicti sermonis iterasset, hac maiestatem Domini cælum introëuntis conclusione monstrauit, dicens, Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. Scilicet ne susceptio corporis honorem summæ imminueret diuinitatis, eundem hic Dominum virtutum, & regem cælestis gloriæ esse docuit, quem superius victorem inferni prœlij prædicauit. Nunc & donatam Domino gloriã esse dicito: cùm & propheta eum regem gloriç esse dixerit, & ipse de se ita testificatus sit: Cùm venerit filius hominis in gloria sua. Repugna si potes, & contradicito: vt cùm ille se habere testetur gloriam suam, tu accepisse eum dicas alienam. Quamuis nos ita dicamus eum gloriam habere propriam, vt non negemus tamen hanc ipsam gloriæ proprietatem ei cum spiritu ac patre esse communem. Quia quicquid Deus possidet, deitatis est: & regnũ gloriæ ita est filio Dei proprium, quod non est tamen à totius deitatis proprietate diuisum.

Matth. 25.

Gloriam Christi cum patre & spiritu illi communẽ semper fuisse.

CAP. 24.

SED tempus tandem est finem libro, imò vniuerso operi imponere, si paucorum tamen sanctorum virorum atque illustrium sacerdotum dicta subdidero: vt id quod auctoritate testimoniorum sacrorum iam approbauimus, etiam fide præsentis temporis roboremus. Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum, & sicut vita, ita eloquentia insignis; qui & magister ecclesiarum & sacerdos, non per sua tantùm merita, sed etiam per profectus creuit aliorum: & inter procellas persecutionum, ita immobilis perstitit, vt per inuictæ fidei fortitudinem etiam confessoris ceperit dignitatem: in libro fidei primo, Deum verum ex Deo vero Dominũ Iesum Christum, & ante secula natum, & postea hominem genitum esse testatur. Item in secundo libro: Vnus vnigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ virginis vtero insertus adcrescit, qui omnia continet, & intra quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Item in eodem libro: Angelus testis est, Deus nobiscum est, ille qui nascitur. Item in libro decimo: Nati quoque in hominem ex partu virginis Dei sacramẽtum docuimus. Item in eodem: Namque cùm in homine natus Deus sit, non idcirco natus est ne Deus non maneret. Item eiusdem in prœmio expositionis euangelij secundum Matthæum. Erat namque primum necessarium nobis, vt vnigenitus Deus nostri causa homo natus cognosceretur. Item in cõsequentibus: Ad id quod Deus erat, homo, id quod tum non erat, gigneretur. Item in eodem: Tertium deinceps illud congruum fuit, vt quia Deus homo genitus in mundo, & cætera.

B. Hilarij auctoritate doctrinam hanc corroborat.

Lib. 1. de Trinitate.

Lib. 2.

Ibidem.

Lib. 10.

Ibidem.

Hæc quidem pauca sunt de satis multis. Sed tamen vides etiā ex his quæ diximus, quòd palàm & euidenter natum ex Maria Deum prædicat. Et vbi illud tuum: Non potuit creatura parere creatorem: quod natum est ex carne, caro est? Longum est de singulis personis conuenientia dicere. Enumeratio magis quàm executio dictorum agenda est: quia sibi ad executionem sui ipsa sufficiunt.

CAP. 25. *D. Hilario Ambrosium adstipulari ostendit.*

AMBROSIVS eximius Dei sacerdos, qui à manu Domini non recedens, in Dei semper digito quasi gemma rutilauit: in libro qui est ad virgines, ita memorat: Frater meus candidus & rubicundus. Candidus, quia patris splendor est: rubeus, quia partus est virginis. Memento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia, quàm corporis sacramenta. Non enim cœpit ex virgine, sed qui erat, venit in virginē. Itē ipsius in natali Domini: Videte miraculum matris Dominicæ: virgo concepit, virgo peperit, virgo cùm parturit, virgo grauida, virgo post partum. Sicut in Ezechiele dicitur, Et porta erat clausa, & non est aperta: quia Dominus trāsiuit per eam. Gloriosa virginitas, & præclara fœcunditas. Dominus mundi nascitur, & nullus est gemitus parientis: vacuatur vterus, & verus infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Fas erat, vt Deo nascente meritum cresceret castitatis: nec per eius egressum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta. Item in expositione euangelij secundum Lucam: Quod ea potissimū lecta est vt Deum pareret, quæ erat desponsata viro, natum certè ex virgine Deum prædicat, Mariam matrem Dei nominat. Et vbi illa est prodigiosa atq; execrabilis vox tua, qua ais, quomodo mater potest esse alieni à natura sua? si autem mater ab ipsis vocatur, humanitas est quod natum est, non Deus. Ecce eximius magister fidei, & hominem dicit eam esse quæ genuit, & Deum esse qui natus est: & tamen hoc non infidelitatis causam, sed fidei esse miraculum.

Lib. 1. de virginibus, & lib. ad sororē virginem.
Ezech. 44.
Sermone decimo de tempore inter sermones D. Augustini tom. 10.

CAP. 26. *Accedit ad prædicta D. Hieronymi testimonium.*

HIERONYMVS catholicorum magister, cuius scripta per vniuersum mundum quasi diuinæ lampades rutilant, in libro ad Eustochium, Dei, inquit, filius pro nostra salute hominis factus est filius: decem mensibus in vtero vt nascatur expectat: & ille cuius pugillo mundus includitur, præsepij cōtinetur angustiis. Item ipsius in commentario Isaiæ: Dominus enim virtutum, qui est rex gloriæ, ipse descēdit in vterum virginalem, & ingressus est & egressus oriētalem portam, quæ semper clausa est. De quo Gabriel dicit ad virginem: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod nascetur in te sanctum, vocabitur filius Dei.

Lucæ 1.

Et in

Et in Prouerbiis: Sapientia ædificauit sibi domum. Compara hoc, si placet, doctrinæ tuæ, imo blasphemiæ qua ais: Deus enim mensium creator est, & non mēsium partus. Ecce enim Hieronymus vir sicut maximæ scientiæ, ita probatissimæ puræque doctrinæ, iisdem propè verbis, quibus tu Dei filium mensium partum negas, ille partum mensium esse testatur. Decem enim, inquit, mensibus in vtero vt nascatur expectat. Sed parua tibi forsitan viri huius videtur auctoritas; idem omnes atque iisdem verbis putato dicere: quia quicumque Dei filium partum esse virginis non negat, partum esse mensium confitetur. *Prouerb. 9.*

RVFINVS quoque Christianæ philosophiæ vir, haud contemnenda ecclesiasticorum dictorum portio, ita in expositione symboli de Domini natiuitate testatur: Filius enim, inquit, Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque mediante generatus. Numquid obscurè Deum ex homine natum testificatus est? Augustinus Hipponæ Regiensis oppidi magnus sacerdos, Vt autem homines, inquit, nascerentur ex Deo, primùm ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus, non quæsiuit nisi matrem in terra: quia iam patrē habebat in cælo. Natus est ex Deo, per quem efficimur: & natus ex femina, per quem reficeremur. Item illic: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus. Item eiusdem in epistola ad Volusianum. Sed & ipse Moyses & cæteri prophetæ veracissimè Dominum Christum prophetauerunt, & ei gloriam magnam dederunt. Hunc non tamquam parem sibi, nec in eadem miraculorum potentia superiorem, sed planè Dominum Deum omnium, & hominem propter homines factum venturū pronunciauerunt. Qui propterea & ipse talia facere voluit, ne esset absurdum quæ per illos fecerat, si ipse non faceret. Sed tamen & aliquid proprium facere debuit, nasci de virgine, à mortuis resurgere, in cælum ascendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro.

CAP. 27. Superioribus adiungit Rufinum & B. Augustinum. Symbolū Rufini extat inter opera D. Cypriani. Tractatu 2. in Ioan.

SED fortè quia hi quos numerauimus viri in diuersis mūdi partibus fuerunt, minus probabiles tibi auctoritate videantur. Ridiculum id quidem: quia loco fides non imminuitur: & quid sit quis, non vbi sit, considerandum: præsertim cùm religio omnes vniat: & hi qui in fide vna sunt, in corpore quoque vno esse noscantur. Sed tamen aliquos tibi quos non despicias, etiam de orientalibus proferemus. Gregorius splendidis-

CAP. 28. Græcorum siue orientalium episcoporū testimonia producturus, primo loco D. Gregorium Nazianzenum affert in medium.

didiſſimum ſcientiæ ac doctrinæ iubar: qui cùm olim iam vita functus ſit, etiam nunc tamen auctoritate ac fide viuit: & cùm olim iam corpore abſit ab eccleſiis, tamen voce ac magiſterio non recedit. Cùm ergo, inquit, proceſſiſſet ex virgine Deus, in ea quam aſſumpſerat humana natura, vnum è duobus ſibi inuicem contrariis exiſtens, carne ac ſpiritu: aliud in Deum aſſumitur, aliud deitatis gratia præſtat. O noua & inaudita permixtio! O mira & inexquiſita compago! Qui erat, fit, & creator creatur: & qui immenſus eſt, capitur, mediante anima, Deo, & carne: & ille qui omnes diuites facit, pauper efficitur. Item rurſus de Epiphania: Sed quid fit? *quid de nobis agitur vel pro nobis? noua quædam & inaudita efficitur permutatio naturarum: & Deus homo fit. Item illic, Et Dei filius cœpit eſſe & filius hominis non conuerſus ex eo quod erat, inconuertibilis namque eſt, ſed aſſumens quod non erat, miſericors enim eſt, vt capi poſſit qui capi non poterat. Vides quàm præclarè atque magnificè ita maieſtatem deitatis prædicat, vt dignationem incarnationis inſinuet? Sciens vtique admirabilis fidei doctor, ex his omnibus quæ nobis in mundum veniens Deus tribuit, beneficiorum eſſe cumulum, non honoris imminutionem: quia quicquid homini Deus præſtitit, augeri eius in nobis debet affectũ, non minuere dignitatẽ.

Oratione in natalem Saluatoris.

* quod

CAP. 29. *Proximo loco ponit B. Athanaſii auctoritatem.*

ATHANASIVS quoque Alexandriæ vrbis ſacerdos, eximium conſtantiæ & virtutis exemplum: quem hæreticæ perſecutionis procella non contriuit, ſed probauit: qui ſimilem ſemper ſplendenti ſpeculo vitam habens, prius pæne indeptus eſt martyris meritum quàm cõfeſſoris caperet dignitatem. Videamus quid de Domino Ieſu Chriſto, vel de Domini matre ſenſerit. Hæc ergo, inquit, intentio & character ſanctæ ſcripturæ, quod ſæpè diximus, duplicem eſſe in eodem ſaluatore ſignificationem: quòd & ſemper Deus fuit, & eſt filius, verbum, & lumen, & ſapientia patris; & quòd poſtea propter nos carnem ſumpſit ex Maria virgine theotoco, & homo factus eſt. Item poſt alia: Multi ergo ſancti fuerunt & mundi à peccato, Ieremias & ab vtero ſanctificatus eſt: & Ioannes cùm eſſet in vtero, exultauit in gaudio voce Mariæ theotocæ, Deum vtique Dei filium, qui vt verbis ipſius fidem vniuerſorum loquar, verbum eſt, & lumen, & ſapientia patris, propter nos carnem ſumpſiſſe dicit: & ideo theotocon virginem Mariam, quia ſit mater Dei, appellat.

CAP. 30. *Addit etiam D. Ioannem Chryſoſtomũ.*

IOANNES Conſtantinopolitanorum antiſtitum decus: cuius ſanctitas abſque vlla gentiliciæ perſecutionis procella, ad martyrij merita peruenit, quid de filij Dei incarnatione ſen-

senserit ac prædicaret ausculta. Et illum, inquit, quem si nuda deitate venisset, non cælum, non terra, nō maria, non vlla creatura sustinere potuisset, illæsa virginis viscera portauerunt. Huius ergo fidem atque doctrinam, etiam si aliorum ignorabas, sequi ac tenere debueras: cuius vtique amore ac desiderio te antistitem sibi plebs religiosa delegit. Quia cùm de Antiochena ecclesia te sibi sumeret sacerdotem, ex qua illum antè prælegerat, recepturam se in te credidit quicquid in illo habere desiisset. Nónne quæso hi omnes quasi prophetico olim spiritu ad *confundendas blasphemias tuas cuncta dixerunt? Tu enim Dominum Saluatoremque nostrum Christum esse clamitas, non Deum: illi autem Christum Dominum, verum Deum. Tu Mariam Christotocon, non theotocon esse blasphemas: illi ita Christotocon non negant, vt theotocon esse cognoscant. Non res tantùm blasphemiis tuis sunt oppositæ, sed & verba rerum: vt apertè intelligamus, olim aduersus blasphemias tuas munimen à Deo inexpugnabile præparatum: quod venturam quandoque vim hæreticæ impugnationis parato iam muro franget veritatis. Et tu ô impiissime atque impudentissime præclaræ vrbis contaminator, catholicæ ac sanctæ plebis grauis & exitiosa contagio, stare in ecclesia Dei ac loqui audes; & blasphemis ac furiosis vocibus tuis, sacerdotes semper illæsæ fidei & catholicæ confessionis infamas, magistrorum priorum vitio, plebem Constantinopolitanæ vrbis errare? Tu ergo emendator priorum antistitum, tu condemnator veterum sacerdotum, tu Gregorio excellentior, tu Nectario probatior, tu Ioanne præstantior, omnibusque Orientalium vrbium sacerdotibus? qui etsi non eiusdem nominis, cuius hi quos nominaui, eius tamen fidei fuerunt. Quod quidem, quantum ad hanc causam pertinet, sufficit: quia cùm de fide agatur, omnes in eo idem sunt quod optimi, in quo consortes sunt optimorum.

*confutandas

Grauis ac vehemens auctoris expostulatio.

Omnium Catholicorũ vna & par fides.

CAP. 31.

Deplorat Constantinopolitanæ vrbis casum infelicem propter acceptam ab isto hæretico cladẽ: simulque hortatur ciues vt in antiqua, catholica, & auita religione perseuerent.

Cassianus à Chrysostomo in sacrum ministerium adoptatus.

VNDE ego quoque ipse humilis atque obscurus nomine, sicut merito, licèt mihi inter eximios Constantinopolitanæ vrbis antistites locum magistri vsurpare non possim, studium tamen discipuli affectumque præsumo. Adoptatus enim à beatissimæ memoriæ Ioanne episcopo in ministerium sacrum, atque oblatus Deo, & si corpore absum, affectu illic sum: & illi dilectissimo mihi ac venerandissimo Dei populo & si nunc præsentia non admisceor, tamen mente coniungor. Et hinc est quòd condolens ei atque compatiens, in vocem nunc tristitiæ communis ac doloris erupi: & quod

vnum potui, per opusculorum nostrorum flebilem querimoniam, quasi pro membrorum atque artuum meorum infir-
1. Cor. 12. mitate clamaui. Etenim si iuxta Apostolum, dolente quidem minore corporis parte, condolet maior atque compatitur: quanto magis dolente maiore minorem compati oportet? Inhumanissimum quippe est, vt in vno atque eodem corpore maiorum infirmitatem minora non sentiant: cùm minorum maiora patiantur. Vnde obsecro ac deprecor omnes vos, qui intra Constantinopolitanæ vrbis ambitum siti, & per af-
Psal. 52. fectum patriæ ciues mei, & per vnitatem fidei fratres mei
2. Cor. 5. estis, vt separetis vos ab illo, vt scriptum est, lupo rapaci, qui deuorat Dei populum, sicut cibum panis. Ne tetigeritis, neque gustaueritis quicquam illius: quia sunt omnia in interitum. Exite de medio eius, ac separamini, & immundum ne tetigeritis. Mementote magistrorum veterum sacerdotumque vestrorum: Gregorij nobilis per orbem, Nectarij sanctimonia insignis, Ioannis fide ac puritate mirabilis. Ioannis inquam, Ioannis illius qui verè ad similitudinem Ioannis euangelistæ & discipulus Iesu, & Apostolus, quasi super pectus Domini semper, affectumque discubuit. Illius inquam mementote; illum sequimini; illius puritatem, illius fidem, illius doctrinam ac sanctimoniam cogitate. Illius mementote semper Doctoris vestri ac nutritoris, in cuius quasi gremio quodammodo amplexuque creuistis. Qui communis mihi ac vobis magister fuit: cuius discipuli atque institutio sumus. Illius scripta legite: illius informationem tenete: illius fidem ac meritum amplexamini. Quod etsi assequi grande est ac difficile, sequi tamen pulchrum atque sublime. Quoniam in summa rerum, non adeptio tantùm, sed etiam imitatio ipsa laudanda est. Quia numquam ferè aliquis eius rei portione ad plenum caret, ad quam scandere ac peruenire contenderit. Ille ergo vobis in sensu semper, & quasi in conspectu sit: ille in animo atque in cogitatione versetur. Ille denique ipse vobis etiam hæc quæ à me sunt scripta commendet: quia hæc quæ ego scripsi, ille me docuit: ac per hoc non tam * meam hæc quàm illius esse credite: Quia riuus ex fonte constat: & quicquid putatur esse discipuli, totum ad honorem referri conuenit magistri. Te autem præter omnia ac super omnia Deus pater Domini nostri Iesu Christi, æquè voce ac mente supplici obsecro, vt hæc quæ ex largitate tui muneris scripsimus, tu dono tui amoris insinues. Et quia, vt ipse nos Dominus Deus noster vnigenitus tuus docuit, ita dilexisti hunc mundum, vt pro salute mundi vnigenitum tuum mit-

Laus Chrysostomi.

Imitatio & consectatio rei magna & bonæ laudanda.

* *forte* mea

Inuocatio diuini numinis.

mitteres; dones hoc plebi tuæ, quam redemisti, vt in incarnatione vnigeniti filij tui, & tuum donum, & affectum illius sapiat: & hoc quod pro nobis vnigenitus tuus Dominus Deus noster & natus, & passus est, & resurrexit; ita omnes & intelligant, & ament, vt dignatio *suæ maiestatis, profectus sit nostri amoris: nec in animis vniuersorum humilitas illius imminutionem habeat honoris, sed augmentum semper pariat caritatis: ac beneficia sacræ misericordiæ ita omnes piè ac sapienter intelligamus, vt tanto plus debere nouerimus nos Deo nostro, quanto humilior propter nos factus est à se Deus.

*sacræ

Ioannis Cassiani de Incarnatione Christi libri septimi & vltimi finis.

Ioannis Cassiani opera diligenter recognita, cum annotationibus in ea loca quæ cautè legenda sunt, vt imprimantur, admisi.

Ioan. Molanus, censor.

AD CANDIDVM LECTOREM.



E QVIS existimet in hac D. Ioannis Cassiani repurgatione temere à nobis quicquam factitatum aut mutatum esse, en tibi amice & candide Lector Tabulas nostras in quibus castigatorias notas & animaduersiones nostras latè descripsimus. Nam vt non argueremur à quoquam temeritatis aut imprudentiæ, operæpretium duximus etiam minoris momenti notulas in hac præsertim prima editione subinde adiungere. Beati quoque Dionysii Paraphrasticam lectionem iis potissimum in locis in quibus Auctoris nostri dictionem illustrat adiecimus. In his porrò notis illud erit obseruandum, lectionem eam quæ hactenus in excusis codicibus fuit, priorem: eam verò quæ vel in multis vel in omnibus MS. *extat exemplaribus posteriorem locum obtinere. Denique ea tantummodo loca hic esse annotata quæ ex* MS. *non quæ ex aliis emendatioribus excusis codicibus restituta sunt.*

CATA-

CATALOGVS MANVSCRIPTORVM

EXEMPLARIVM AD QVORVM FIDEM D. IOANNIS CASSIANI

libri quatuor de cœnobiorum Institutis, & de Vitiis Capitalibus libri octo, restituti sunt. Quibus etiam B. Dionysij Carthusiani Paraphrasticam translationem adiunximus.

Affl. NOTAT vetustum Codicem Affliginiensis Abbatiæ in Brabantia.
Corf. Designat exemplar Canonicorum Regulariũ in Corsendonck, itidem in Brabantia.
Beth. Bethleemitici monasterij Canonicorum Regularium prope Louanium exemplar demonstrat.
Isa. Indicat librum Canonicorum Regularium in Busco Domini Isaac prope Niuellam.
Plan. Nota est Plantiniani Codicis.

IN PRAEFATIONE INSTITVTIONVM.

non multo auri metallo *Affl. & Plan.* non muto auri metallo (*cui lectioni accedit D. Dionysii Paraphrasis, quæ sic legit*, non ex inanimato auro atque metallo
In prouincia siquidem tua *Præter Beth. reliqua* MS. *omittunt* tua
cœnobiorum ex parte *Affl. & Isa.* cœnobiorum experte
volens instituta fundare *Omnia* MS. volens instituta fundari
tantum per multiplices æstuum moles *Omnia* MS. *omittunt præpositionem* per, *& illius loco Beth. & Corf. legunt*, me. *Sic quoque Dionys.* tantum me variæ anxietatum magnitudines
cito mentis retrorsum incuria dilabuntur *Omnia* MS. *præter Plan.* cito rursum mentis incuria dilabuntur
nisi me hæc fiducia 4 MS. nisi me ad hæc fiducia
venia indulgentiore sustentent *Affl.* venia indulgentiore sustineant
& veritatem sitientibus *Omnia* MS. & in veritate sitientibus
de corruptione morum *Omnia* MS. de correctione morum
Nequaquam enim credas *Omnia* MS. *legunt*. credens *& Affl. omittit coniunctionem* enim
opusculo huic inserere *Omnia* MS. opusculo huic interserere

LIBRI

CAPVT I.

ex ipso habitu *Corſ.& Beth.* ab ipſo habitu

CAPVT II.

cultus proprij ac velut quoddam &c. *Omnia* MS. *omittunt* ac
proferri minimè potuiſſet dicente *Omnia* MS. proferri minimè potuiſſet & dici

CAPVT III.

vt quibuſdam Latinis *Omnia* MS. vt in quibuſdam Latinis
ſordibus decolora *Omnia* MS. ſordibus decolorata
& propter hoc *Omnia* MS. & ob id
circumſpectam cunctis *Affl. & Iſa.* circumſpectam à cunctis
hoc veſtitu circumdatos audimus *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* hoc veſtitu circumdatos audiuimus
quæ in eos illata fuerat *Affl. legit* prolata *Iſa. & Plan.* lata
operimentum cilicij oſtentarent *Affl. Plan. & Iſa.* operimentum cilicij ſuſtentarent
oſtentatione notari *Beth. & Corſ.* oſtentationis notari

CAPVT VI.

& à lateribus colli *Omnia* MS. & è lateribus colli

CAPVT X.

caligis ſuos muniunt pedes *Sic legit D. Dion. pro quo quidam codices habent* ſandaliis *ſiue* gallicis *quam lectionem facilè apparet eſſe deprauatam*
ne vel animæ noſtræ pedes 4. MS. néve animæ noſtræ pedes
Cucurri in ſiti *Omnia* MS. Cucurri, inquit, in ſiti
quamque licito vtantur *Omnia* MS. quamquam licito vtantur

CAPVT XII.

& cordis puritatē probabitur *Omnia* MS. cordis puritate probabitur
& ambitus pellis emortuæ *Quamquam Beth. Corſ. Plan. & Iſa. legant,* & habitus pellis emortuæ *D. Dionyſ. tamen impreſſus fauere videtur, cùm ita reddidit,* mortuæ pellis gyratio
mandatum quod dicitur *Omnia* MS. mandatum quo dicitur

LIBRI SECVNDI

CAPVT II.

pro mentis ſuæ capacitate *Omnia* MS. pro captu mentis ſuæ
qua nouelli monaſterij *Omnia* MS. quò nouelli monaſterij

CAPVT III.

præparans, faſtus vitæ præteritæ *Omnia* MS. præparans & faſtus vitæ præteritæ
congregationi fratrum profuturus *Omnia* MS. congregationi fratrum præfuturus
propero exceſſu præuenimus *Omnia* MS. præpropero exceſſu præuenimus

CAPVT IIII.

ita vt poſt hunc numerum duæ lectiones &c. *Omnia* MS. ita vt poſt hunc duæ lectiones

CAPVT V.

qui erant religionis externi *D. Dionyſ. per externos religionis videtur intellexiſſe eos qui à vera religione extranei ſunt & religionis expertes, hoc eſt, paganos &*

nos & infideles; sic enim ille reddidit. Porrò Corʃ. & Beth. legunt, qui erant religionis externæ

corporis interpellaret inedia *Omnia* MS. corporis interpellaret inediam

CAPVT VII.

ad celeritatem missæ *B. Dionyʃ. legit,* ad celebritatem missæ

diutius procumbentes *Omnia* MS. diutius procumbentem

omnes pariter surgunt *Omnia* MS. omnes pariter eriguntur

CAPVT VIII.

hanc verò glorificationem Trinitatis tantummodo solere antiphona terminari 4 MS. hac verò glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari

CAPVT IX.

in collationes seniorum 4 MS. in collatione seniorum

occursuri sunt libro & ad illum &c. *Omnia* MS. occursuri libro, ad illum &c.

peruenire non potuerint *Affl. & Iʃa.* peruenire non poterunt

vt quemadmodum sunt de habitu *Omnia* MS & quemadmodum sunt de habitu

CAPVT X.

ardentius orare potuit *Omnia* MS. intentius orare potuit

Hæc verò, vt insidiantis diaboli &c. *Omnia* MS. Hoc verò vt insidiantis diaboli.

CAPVT XI.

senioris interdicitur plausu *Affl. Corʃ. & Beth.* senioris interciditur plausu

quæ is qui decantat *Affl. legit,* quo is qui decantat *Beth.* ne is qui decantat *Iʃa.* qua is qui decantat

numquam amplius psallant *Affl. & Iʃa.* numquam amplius psallunt

CAPVT XII.

stantes implere valeant *Omnia* MS. stantes implere præualeant

quanto deuotius fuerint *Affl. & Corʃ.* quanto diutius fuerint *Beth. & Iʃa.* quanto deuotius ac diutius fuerint

CAPVT XIII.

eum omni obseruantia *Omnia* MS. cum omni obseruatione

purificationem nostram in nocturnis psalmis & orationibus acquisita *Omnia* MS. purificationem nostram psalmis nocturnis & orationibus acquisitam

somni illusione *Iʃa.* somnij illusione

CAPVT XVII.

opportunitas eum somni proprij seu insomnij coarctat MS. *omnia legunt,* coarctauerit

CAPVT XVIII.

vsque in vesperam *Omnia* MS. vsque ad vesperam

ne statutum modum volumen excedens *Omnia* MS. ne castigatum modum volumen excedens *Dionyʃ. verò,* ne volumen modum decentem excedens

aut fastidio legentem oneret laborare faciat *Omnia* MS. *cum Dionyʃ.* aut fastidio legentem oneret aut labore

LIBRI TERTII

CAPVT II.

exceptis vespertinis horis ac nocturnis congregationibus *Omnia* MS. *cum Dionys.* exceptis vespertinis & nocturnis congregationibus.

CAPVT III.

Nam cùm pro elocutione linguarum *Affl. & Carthus.* Nam cùm propter elocutionem linguarum

sumere eam. In hoc itaque *Beth. Affl. & Cors.* sumere eam: (hoc præceptum accepi à patre meo.) In hoc itaque *Verùm Dionys. excusis codicibus fauet.*

ab idolorum cultu salubriter immolentur *Beth.* ab idolorum cultu salubriter auertantur *D. Dionys. tamen legit*, ab idolorum cultura Deo salubriter immolentur

absque orationis interpellatione *Beth. cum D. Dion.* absque orationis interpolatione

CAPVT IIII.

aut cellas progredi *Affl.* aut cella progredi *Isa.* aut de cellis progredi

in obseruatione tertiæ, sextæ vel nonæ *Omnia* MS. in obseruatione tertiæ vel sextæ

CAPVT V.

expletis matutinalibus hymnis *Omnia* MS. expletis matutinis hymnis

CAPVT VI.

ad matutinam excepere sollemnitatem *Cors.* ad matutinam excerpere sollemnitatem

huic nouellæ sollemnitati nouimus fuisse deputatos *Affl. Cors. & Beth. omittunt* nouimus

CAPVT VIII.

nos quoque cum omni obseruatione custodire conuenit *Omnia* MS. nos quoque omni obseruatione custodire conueniet

requiem corporis subtraxisse *Affl. Beth. & Cors.* requiem corpori subtraxisse

Nullatenus enim potest *Omnia* MS. Nullatenus enim poterit

Nam cùm stantes antiphona tria *Affl. Cors. Beth. & Isa.* Nam cùm stantes antiphonas tres

CAPVT IX.

facilè lassascit ac deficit *Omnia* MS. facilè lassescit ac deficit

CAPVT X.

& maximè in vrbe *Affl. Beth. & Cors.* & maximè in vrbe Roma

absolutionem sabbati *Affl. Beth. & Cors.* absolutionem ieiunij

conflictaturum asserunt ieiunasse *Omnia* MS. conflictaturum asserant ieiunasse

sed speciale videtur *Omnia* MS. sed speciale videatur

LIBRI QVARTI

CAPVT I.

quanto numero populosius 3. MS. quantum numero populosius

talium virorum fundamenta *Omnia* MS. talium initiorum fundaméta

CAPVT III.

nec vlla cœnobij paupertate *Omnia* MS. nec illa cœnobij paupertate

CA-

CAPVT IIII.

cùm in disciplina cœnobij non possit perdurare, egressúsque exinde, &c. *Omnia* MS. cùm sub disciplina cœnobij non potuerit perdurare, egressus exinde &c.

de eis quæ intulerant 4 MS. eorum quæ intulerant

CAPVT V.

de crastino non esse sollicitum 4 MS. de crastino non esse sollicitus

CAPVT VI.

antiquis reuestitum vestimentis quæ fuerant sequestrata *Omnia* MS. antiquis reuestitum quæ fuerant sequestrata

CAPVT VIII.

diutius perdurare *Omnia* MS. diutius permanere

CAPVT IX.

Itaque fit vt in nullo &c. *Affl. Beth. & Corf.* Ita fit vt in nullo

CAPVT XI.

similiter prætermittentes 3 MS. similiter prætermittens

quam lapsanium vocant *Affl legit* lasamum *siue* lasanium. *quam lectionem codex Corsendonckensis ad marginem annotauit. In textu verò cum Bethleemitico legit* balsamum. *Plantinianum exemplar cum D. Dionys. legit* lapsamum *non* lapsanium. *Videtur autem vocabulum lapsanij tractum esse à lapsana quod significat olus siluestre trium foliorum; de quo Plinius libro* 20. *cap.* 11. *Inter siluestres brassicas & lapsana est, pedalis altitudinis, hirsutis foliis, napi simillimis &c. Lasanum verò vasculum est euacuando ventri accommodatum.*

CAPVT XII.

sed imperfectá litteræ lineam *Omnia* MS. sed imperfectas litteræ lineas

in nullo violare videantur *Omnia* MS. in nullo violasse videantur

CAPVT XIIII.

Cumq; totam enthecam cœnobij suam credat esse substantiam. *Hoc à B. Dionysio ita redditum est*, Cùm omnia monasterij bona suam putet esse substantiam *Nam entheca, Græcis* ἐνθήκη, *non aliud est, quam gazæ repositorium. Porrò Affl. & Corf. legunt, hoc pacto* : Cùmque tota mente rem cœnobij suam credat esse substantiam.

curam sollicitudinemque impendat *Omnia* MS. curam sollicitudinemque dependat

CAPVT XV.

à labiis ac tota quidem corporis indignatione reuocare non possimus *Omnia* MS. ne à labiis quidem, ac tota corporis indignatione reuocare possimus

CAPVT XVI.

quem baucalem nuncupant aut huiusmodi aliud casu aliquo fregerit, aut perdiderit aliquid, non aliter &c. *Omnia* MS. quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter &c.

si parentum quempiam vel amicorum secularium viderit *Affl. & Corf.* si parentū quempiā vel amicorum secularium videre tẽtauerit

CAPVT XVIII.

conculcanda pedibus offerant 4 MS. conculcãda pedibus se offerant

sacrilegum ducatur *Omnia* MS. sacrilegium ducatur

CAPVT XIX.

humilitate properant *Omnia* MS. humilitate deproperant
nullus seruorum ditissimo domino 4. MS. *cum Dionys.* nullus seruorum ditissimo domino
illos quibus specialiter hæc manet cura *Omnia* MS. illos quos specialiter hæc manet cura
Itaque secunda sabbathi *Omnia* MS. Et ita secunda sabbathi

CAPVT XXI.

vt xerofagia contenti essent *Cors. & Beth.* vt cruda comestione quæ dicitur xerofagia contenti essent
hæc sua munia fratribus exhibentes *Affl.* ac sua munificentia fratribus exhibentes *Beth.* hæc sua munera fratribus exhibentes. *Cors.* hęc sua munificentia fratribus exhibentes

CAPVT XXII.

ab operis canone *Affl.* ab operibus canonicis

CAPVT XXIII.

proferentes ponimus *Omnia* MS. proferentes ponemus

CAPVT XXIIII.

seniori deseruiens 3. MS. seniori suo deseruiens
Sumpsit itaque de lignario suo *Omnia* MS. *cum Dion.* Sumpsit namque de lignario suo
coctionis retardaret occasio 4 MS. coctionis retardat occasio
atque per aquam in arborem diffusis ramis reuiuiscens *Omnia* MS. *cum Dion.* atque in antiquam arborem reuiuiscẽs, diffusis ramis &c.

CAPVT XXV.

per fenestram proferens 3. MS. per fenestram proiiciens

CAPVT XXVII.

plus faceret affectionem sanguinis ac suorum viscerum caritatem an obedientiam & mortificationem Christi 4. MS. *cum Dion.* plus faceret affectione sanguinis, ac suorum viscerum caritatẽ, an obedientia & mortificatione Christi
gratis cernebat inferri *Omnia* MS. gratis cernebat infligi

CAPVT XXIX.

necesse non erat publicè vendicari 3. MS. *cum Dion.* necesse non erat publicè venditari

CAPVT XXX.

summis precibus exorabat *Omnia* MS. summis precibus ambiuit
qui omnem suam peruixisset ætatem ingredi cœnobium postularet 4. MS. *cum Dion.* qui omnem suam in seculo vitam peruixisset, ætate vltima ingredi cœnobium postularet.
Quamplura etiam nocte. *Omnia* MS. Complura etiam nocte
ad pedes eius cominus procidens *Omnia* MS. ad pedes eius cominus procidisset
cur videlicet id fecerit ei 3. MS. cur videlicet id faceret ei

CAPVT XXXI.

alienas longeque diuisas regiones *Affl.* alienas longeque positas regiones
commeare festinauit *Omnia* MS. commeare curauit

CA-

CAPVT XXXII.

aliquid instructionis accidere *Omnia* MS. aliquid instructionis accedere

CAPVT XXXIII.

secundum regulæ institutionem ei adhærentibus *Omnia* MS. secundum institutionis huius regulam ei cohærentibus

ad Christum cupiunt peruenire *Omnia* MS. ad Christum cupiunt conuerti

CAPVT XXXIIII.

affigentes timore Domini carnes *Omnia* MS. affigentes de timore Domini carnes

vniuersas voluntates nostras ac desideria *Omnia* MS. vniuersas voluntates ac desideria

CAPVT XXXVI.

contra euangelij mandatum *Omnia* MS. contra Christi mandatum

pia humilitate calcasti *Dion.* & MS. *omnia* plena humilitate calcasti

non solummodo persistas *Omnia* MS. non modò persistas

ad inferiora decidere *Omnia* MS ad inferiora recidere

CAPVT XXXIX.

contemptum ei rerum omnium *Omnia* MS. contemptum rerum omnium

CAPVT XL.

istud ex hoc vtilitatis accidit *Omnia* MS. istud ex hoc vtilitatis accedit

CAPVT XLI.

non habens in ore suo increpationem *Omnia* MS. non habens in ore suo redargutiones

CAPVT XLII.

quod ne possit non euenire *Omnia* MS. quod vt possit non euenire

LIB V.

DE SPIRITV GASTRIMARGIÆ.

CAPVT I.

super institutis monachorum *Omnia* MS. super institutis monasteriorũ

vt idoneas curationes *Omnia* MS. vt idoneè curationes

CAPVT II.

ad secretorum nostrorum nos arcana perducat *Omnia* MS. *omittunt pronomen* nos

spiritalibus remediis irrigati *Affl. Corf. Beth.* & *Plan.* spiritalibus remediis adrorati *Sic ferè D. Dion.* spiritalium remediorum rore perfusi

CAPVT IIII.

ne quid minus aliquid habeat discutere *Rectius Dion.* & *omnia* MS. ne quid minus aliquis habeat discutere

redditur in virum perfectum *Affl.* reditur in virum perfectum

CAPVT V.

animi solius rigore patrantur *Affl.* & *Isa. legunt*, parantur. *Et hanc lectionem quoque habet codex Corf. in marginali spatio adnotatam*

in sola fortitudine mentis animæque consistunt *Omnia* MS. in sola fortitudine mentis consistunt

CAPVT VI.

carnium ac vini immoderata vbertate præsumunt 4 MS. *cum Dionys.*

carnium ac vini immoderata libertate præsumunt
quantum animi libido suggerit 4. MS. quantum animi libido suggesserit
CAPVT VII.
faciliùs vidimus viros *Cors.* faciliùs vidimus victos
ab escis corpulentioribus *D. Dion. & MS.* ab escis opulentioribus
quam moderatè vsos pro necessitate concessis *Dion. cum MS.* quàs moderatè vsus pro necessitate concedit
CAPVT VIII.
perfectam virtutem quàm robustus ac sanus *Omnia MS. cum Dionys.* perfectam virtutem æquamque robustis ac sanis
CAPVT IX.
nisi hanc frugi temperanter fuerit ciborum refectio subsecuta *Affl. Plan. & Isa.* nisi hanc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta.
Longorum namque ieiuniorum inedia *Cors.* Longorum namque ieiuniorum inediam
Integritas mentis *D. Dionys. & MS.* Integritas quippe mentis
Quamuis enim districta sint ieiunia *Omnia MS.* Quamuis districta ieiunia
CAPVT X.
& cordis contritione *Affl. Beth. & Isa.* & operi contritione *Et B. Dion. legit*, operis afflictione
CAPVT XI.
sed & etiam mentis vitio *Omnia MS.* sed etiam mentis vitio
non quiuit deuincere *Omnia MS.* non quiuit euincere
posterulæ vnius quamuis paruissimæ proditione vastabitur. *Plan.* postremo vnius quamuis paruissima proditione vastabitur. *Beth. & D. Dion. legunt* postis vnius *Affl.* posteræ *quam lectionem in marginali spatio quoque habet exemplar Cors.*
CAPVT XII.
agonis subire certamina 4. MS. *legunt* sudare *Plant.* desudare *D. Dionys.* elaborare
populi iudicio comprobantur *Affl. & Plan.* populi iudicio comprobatur
indignus disciplina hac *Affl. & Cors.* dignus disciplina hac
parem virtutis eorum *Affl. Cors. & Beth.* parem virtuti eorum
CAPVT XIII.
eius & seruus addicitur *Omnia MS.* eius & seruus est
CAPVT XIIII.
Prima enim nobis calcanda est *Omnia MS.* Prima ergo nobis calcanda est
quæ à rege Babyloniæ 4. MS. *omittunt præpositionem* à
spiritu oris sui *Omnia MS. cum Dion.* spiritu roris sui
CAPVT XVI.
nec coronæ gloriam victoriæ gratia *Affl. Cors. & Beth. cum Carthusiano*, nec coronæ gloriam nec victoriæ gratiam
Quod si hoc fuerimus vitio superati *Omnia MS.* Quod si hoc fuerimus certamine superati
vt indigni serui *Omnia MS.* vt indigni seruique
CAPVT XVII.
Ego igitur, inquit, sic curro *Omnia MS.* Ego, inquit, sic curro

in base quadam firmissima statuerat *Omnia* MS. in base quadam firmissima statuerit
in subiectione sui corporis collocarat *Omnia* MS. in subiectione sui corporis collocarit CAPVT XVIII.
ieiuniorum cestibus eliso *Affl. & Corf. legunt*, ieiuniorum æstibus eliso *Et D. Dion.* ieiuniorum æstibus edomata *Est autem cestus cinguli genus & zona virginea quam maritus prima nocte dissoluebat. Unde cingulum illud Veneris quo ipsa Martem & Iuno Iouem conciliabant, à Poëtis cestus dicebatur, sicut apud Martialem obseruare licet.*

CAPVT XIX.

numquam desit colluctationum palma *Affl. Plan. & Isa.* numquam deficit colluctationum palma

CAPVT XXI.

quotidiè ingeritur bellum *Omnia* MS. quotidiè geritur bellum
licet minimè leuis *Affl. & Isa.* licet minimè lenis *Beth.* licet minimè lætus *Vtramque posteriorem lectionem ponit Corf. sed D. Dion. legit* leuis
& prosperitatis alienæ successibus *Omnia* MS. & prosperitate alieni successus
pretiosiore parte polluta *Omnia* MS. pretiosiore parte pollutis

CAPVT XXII.

infatigabiliter sustentemus *Omnia* MS. infatigabiliter sustinemus

CAPVT XXIII.

Deinde vt castiget & refrenet desiderium carnis *Dionys. & MS. legunt*, Deinde vt saturitati non cedat
qualibuscumque escis vilioribusque contentus sit *Omnia* MS. qualibuscumque escis vilioribus contentus sit
Quicquid enim extra consuetudinem &c. *Omnia* MS. Quicquid autem extra consuetudinem
patrum traditio notat MS. *cum Dion.* patrum traditio notauit
Non solùm enim cæteras inusitatas escas *Omnia* MS. *cum Dion.* Non solùm enim cæteris inusitatas escas

CAPVT XXIIII.

quartæ sextæque feriæ 3. MS. quartæ sextæque feriis
tenere non possum *Omnia* MS. tenere non potero
tunc illi ieiunabunt 4. MS. *cum Dion.* tunc licitè ieiunabunt

CAPVT XXVII.

& ab eo *Omnia* MS. & ab eodem

CAPVT XXX.

suo Domino stat aut cadit. Et nolite ante tempus iudicare Et illud, Nolite &c. *Omnia* MS. suo Domino stat aut cadit. Et illud, Nolite &c. CAPVT XXXI.
Nunc vsque dum de spiritalibus loquebamur, omnium vestrum &c. *Omnia* MS. Nunc vsque de rebus cælestibus loquebamur, & omnium vestrum &c.

CAPVT XXXII.

commemorari necessarium reor *Omnia* MS. commemorare necessarium reor
eandem rursus admiserit 4. MS. eidem rursus admiserit
tradidit comburendum *Omnia* MS. tradidit concremandum

ne me vlterius *Omnia* MS. nec me vlterius

CAPVT XXXIIII.

erga commentariorum libros *Omnia* MS. erga commētatorum libros
erga emendationem vitiorum *Omnia* MS. erga emundationem vitiorū
reddantur obscura *Beth. & Corʃ.* redduntur obscura

CAPVT XXXVI.

rudes adhuc venissemus *Omnia* MS. rudes admodum venissemus

CAPVT XXXVII.

religiosa potitus circumuentione 3. MS. religiosa potius circū uentione
cum vniuerso tradidit instrumento *Beth. & Corʃ.* cum vniuersis tradidit instrumentis

CAPVT XXXVIII.

operis sudore partim *Isa. Corʃ. Beth. cum D. Dion.* operis sudore paratum
& quam pro Christi caritate *Omnia* MS. *omittunt copulam* &
pro eius rursus pietate cognosceret *Omnia* MS. pro eius rursus pietate cognoscens

CAPVT XXXIX.

nihil se nec nosse 4. MS. *cum Dion* nihil se nec posse
velut debiti colore *Corʃ. & Beth.* velut redibitionis colore
sub cuius prætextu *Omnia* MS. *omittunt præpoſitionem* sub
quo ambitu maiore *Affl. Corʃ. & Beth.* quod ambitu maiore

CAPVT XL

de Amoreotæ Libyæ partibus *Omnia* MS. de Mareotæ Libyæ partibus
in loco non visam *Corʃ. Beth. & D. Dion.* in loco illo non visam

CAPVT XLI.

habens iugiter fixum *Omnia* MS. habens iugiter defixum

LIB. VI.

DE SPIRITV FORNICATIONIS.

CAPVT I.

traditione patrum 4. MS. iuxta traditionem patrum
vires acquirit *Affl. & Corʃ.* virus acquirit

CAPVT III.

Denique cætera vitia. *Omnia* MS. Deinde cætera vitia
lapsus offensione curari *Corʃ. & Beth.* lapsus ostensione curari
Hic verò cum corporis afflictione *Omnia* MS. Hic verò morbus cum corporis afflictione: *& duo* MS. *omittunt voculam* cum

CAPVT IIII.

vtrum verò & hoc possibile sit *Omnia* MS. vtrū verò & impossibile sit

CAPVT VI.

munere eduxerit castitatis *Affl. Corʃ. & Beth.* munere castitatis euexerit

CAPVT VII.

metalli rigore genitalibus membris applicito *Omnia* MS. metalli rigor genitalibus membris applicitus
valeant inhibere *Omnia* MS. valeat inhibere

CAPVT IIX.

iugiter exspectat *Affl. & Plan.* iugiter spectat *Neutram lectionem repudiat D. Dionysii Paraphrasis*
ne occulta quidem conhibentia *Affl. Plan. & Isa.* ne occulta quidem conni-

conniuentia *D. Dionysius legit*, ne occulta libidine inquinemur

CAPVT X.

nulla imago illiciens quiescentibus nobis *Omnia* MS. nulla imago decipiens quietis nobis

minimè computetur *Omnia* MS. minimè reputetur

CAPVT XI.

ea colligi tempestate qua videntur emergere 4. MS. ea colligi tempestate in qua videntur emergere

CAPVT XII.

illuc curam adhibuit *Omnia* MS. illic curam adhibuit

Idcirco huic præcipitur *Omnia* MS. Idcirco ergo huic præcipitur

abuti potest ad videndum oculorum ministerio *Omnia* MS. abuti potest oculorum ministerio

CAP. XIII.

de nostris recessibus *Affl. & Corf.* de nostris sensibus *Pro quo B. Dion. reddit*, de cordibus nostris

occasione sexus semel indepti illex malorum &c. *Affl & Isa.* occasione sexus, semel indeptus illex malorum *Prior lectio habet faciliorem sententiam. Indeptum posuit pro conceptum siue admissum in animum.*

nec sinamus per negligentiam penetrare in cor nostrum reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensum. Qui proculdubio &c. *Corf. & Beth.* ne si caput eius per negligentiam penetrauerit cor nostrum, reliquum corpus eius, id est, oblectationis assensus illabatur. Qui procul dubio &c. *Et huic lectioni suffragatur Carthusiani Paraphrasis.*

adulti per conhibentiam *Affl. & Isa.* adulti per conniuentiam

CAPVT XIIII.

sed qualitatem ipsius *Omnia* MS. sed de qualitate ipsius

& virtutibus prætulerit vniuersis *Omnia* MS. *omittunt copulam* &

CAPVT XV.

Vides quibus eam laudibus *Omnia* MS. Vide quibus eam laudibus

vocauit nos Deus in ignominiam 3. MS. *cum Dion.* vocauit nos Deus in immunditiam

Auctoritatem quoq; præcepto suo *Omnia* MS. Auctoritatem præcepto suo, &c.

CAPVT XVIII.

Etenim hanc seniores *Sic legunt cum D. Dion. emendatiores codices. At Plan. & Isa. hoc modo:* Vt enim hanc seniores. *Atque hæc lectio faciliorem habet sententiam.*

ita ne ad fontem *Omnia* MS. ita nec ad fontem

CAPVT XIX.

amore castitatis custodiat *Omnia* MS. amore castitatis custodit

CAPVT XX.

quas si hoc modo *Omnia* MS *cum Dion.* ne si hoc modo

impossibilia descripsisse credemur *Omnia* MS. impossibilia descripsisse credamur

CAPVT XXI.

cogitationum internarum *Dion. &* MS. *omnia* cogitationum cūctarum

CAPVT XXIII.

mensuram districtionis excedit *Affl, Corf. Beth. cum Dion.* mensuram districtionis excesserit

furoris insederit virus. *Omnia* MS. furoris insidet virus
cordi pariter & obseruationi diurnæ *Affl.* cordis puritati & obseruationi diurnæ

LIB. VII.

DE SPIRITV PHILARGYRIÆ.

CAPVT I.

corruptæ ac torpidæ mentis *Huic lectioni accedit Dionys. qui legit*, corruptæ ac tepidæ mentis: *quamquam in quibusdam exemplaribus legatur* trepidæ mentis

CAPVT III.

verùm in paruulis *Corf. & Beth.* verùmetiam in paruulis
per iocum iniurias irrogatas *Omnia* MS. per iocum contumelias irrogatas
extrinsecus introductos *Omnia* MS. extrinsecus introduci

CAPVT IIII.

velut si ferrum *Corf. & Beth. cum D. Dion.* Nam si ferrum
ad vsum bene viuendi aptum *Affl. Corf. & Beth.* ad vsum bene vtendi aptum

CAPVT V.

vt est inuidia, ipsaque etiam philargyria *Omnia* MS. vt est inuidiæ, ipsiusque etiam philargyriæ
siue quod à Domino non merentur *Omnia* MS. siue quod non merentur
quæ vel ignorare 4 MS. quos vel ignorare

CAPVT VII.

ob quos reseruare 4. MS. ob quos vel reseruare
Præstitionem monasterij esse pertenuem 4. MS. *cum Dionys.* Præstationem monasterij esse pertenuem
tolerabili in senecta non possint *Omnia* MS. tolerari in senecta non possint

CAPVT VIII.

Talibus igitur decessionum profectibus *Affl. legit* descensionum *Dion.* auersionum

CAPVT XI.

vel initio malo *Plan. & Isa.* vel initio malè

CAPVT XII.

ne reuerteretur ad illa *Omnia* MS. ne reuolueretur ad illa
terrenisq; laqueis eripere festinaret 4. MS. terrenisq; laqueis expediret
pristinis passionibus emendari *Omnia* MS. pristinis passionibus emundari

CAPVT XIII.

velut qui iisdem ipsis quoque passionibus *Affl. Beth. & Corf.* velut qui iisdem ipsi quoque passionibus

CAPVT XIIII.

spoliare se cunctis *Affl.* spoliari cunctis
violenta morte conclusit *Omnia* MS. biothanati morte conclusit

CAPVT XVI.

dum erubescunt pro Christo &c. *Corf. & Beth. cum Carthus.* dumque erubescunt pro Christo

CA-

CAPVT XVII.

facultatibus propriis sustinere 3. MS. facultatibus propriis sustentare
placuit enim eis & debitores sunt eorum *Omnia* MS. complacuit enim & debitores sunt eorum
mittere disponebant *Affl. Corf. Beth & Carthus.* mittere disponebat
in hoc idem se destinatum à Iacobo *Corf. Beth. cum Carthus.* hoc idem se depactum cum Iacobo
ab idolorum cultura *Omnia* MS. ab idolorum cultu

CAPVT XIX.

& senatorem, inquit, Syncleti perdidisti 4. MS. *cum Dionys.* & senatorem, inquit, Syncletium perdidisti

CAPVT XXII.

prauæ voluntatis vitio *Omnia* MS. cassæ voluntatis vitio *Adstipulatur quoque D. Dionys.*

CAPVT XXIII.

ad quam arrupti *Omnia* MS. ad quam abrupti
Dominicæ negationis reus *Affl. & Corf.* Dominicæ necationis reus

CAPVT XXIIII.

cupiditatis huius magnitudo exuperat *Omnia* MS. *cum Dion.* cupiditatis huius rabies exuperat

CAPVT XXVII.

multo magis acquirere non debes *Omnia* MS. multo minus acquirere debes *Post finem huius capitis 27. codex Affliginiensis interiicit vnum caput integrum quod neque in D. Dionysio, neque in aliis inuenitur exemplaribus, præterquam quod in Corsendonckensi ad calcem libri adiectum reperiatur. Huius capitis initium tale est: Humilitas verò nullatenus poterit absque nuditate conquiri: Qua peregrinante, &c. Videtur autem ex 31. & 32. capitibus libri duodecimi de spiritu superbiæ sumptum esse, nam illic ad verbum integrè in omnibus MS. & excusis codicibus inuenitur. Videtur quoque ad eum locum propriè pertinere, cùm isthic de superbia & humilitate differat auctor.*

CAPVT XXX.

habentes victum & vestimentum his contenti fuerimus *Affl.* habentes victum & vestitum, his contenti disciplinæ subiacere festinemus quæ alia esse non possunt, quàm timor Domini atque humilitas, quæ de mansuetudine & cordis simplicitate descendit *Eandem lectionem Corf. ad marginem ponit.*

CAPVT XXXI.

æternæ supplicio lepræ *Omnia* MS. æterno supplicio lepræ
de monasterij disciplina *Omnia* MS. de cœnobij disciplina
patiamur euelli *Omnia* MS. patiamur auelli

CAPVT XXXII.

nequaquam permittemur implere *Omnia* MS. nequaquam permittimur implere

LIB. VIII.

DE SPIRITV IRÆ.

CAPVT I.

Quartum quoque certamen est iræ, quod mortiferum virus de recessibus animæ nostræ funditus est eruendum *Omnia* MS. Quarto quoque

quoq; certamine, est iræ mortiferum virus de recessibus animæ nostræ funditus eruendum.

CAPVT III.

carnali & pingui sensu secundum litteræ significationem accipienda sunt *Omnia* MS. carnali & pingui secundum litteram significatione percipienda sunt

CAPVT IIII.

quia sine vllo principio est *Affl.& Cors.legunt* quæ *Isa.& Beth.* qua

& omnia tempora *Omnia* MS. & ante omnia tempora

non secundum humilitatem &c. *Omnia* MS. non ἀνθρωποπάθως, id est, secundum humilitatem humanæ perturbationis &c.

sed dignè de Deo *Beth.& Plan.* sed dignè Deo

qui omni perturbatione 4. MS. qui ab omni perturbatione

CAPVT VI.

acumini visuum 4 MS. acumini visus

CAPVT VII.

malueri reddere talionem 2.MS. noluerit reddere talionem

quanto magis nunc filius Gemini *Cors.& Affl.* quanto magis hic filius Gemini

CAPVT VIII.

ne conhibentibus vobis 4. MS. ne conniuentibus vobis

CAPVT IX.

euidentius commemorat *Omnia* MS. euidenter commemorat

Occidet eis sol 4 MS. *cum Dionys.* Occidit eis sol

mens siue ratio *Omnia* MS. mens id est νοῦς siue ratio

quemadmodum de ira sentirent dicere *Omnia* MS. *omittunt* dicere

CAPVT XII.

qui ne illo quidem *Cors. Affl. & Beth.* qui ne vllo quidem

CAPVT XIII.

similiter præcipit *Omnia* MS similiter præcepit

æquè habente aduersum nos *Cors.Beth. & Plant.* æquè habente aliquid aduersum nos

CAPVT XV.

valemus peruenire 4.MS valebimus peruenire

CAPVT XVI.

in nostra potius ditione *Omnia* MS. *cum Dionys.* in nostra potius condicione

CAPVT XVII.

omnique vitio curatos *Omnia* MS. omnique vitio purgatos

& non abolita *Omnia* MS. *omittunt* &

CAPVT XVIII.

non noxia perseuerent *Affl. Plan. & Isa.* non innoxia perseuerent *Cors. & Beth.* innoxia perseuerent

scintilla ignis emicuit *Cors. & Beth.* scintilla ignis emicuerit

in quos ira moueamur *Omnia* MS. in quos ira moueatur

si patientia prius inter fratres non fuerit acquisita *Dion.& Cors.& Beth. omittunt* inter fratres

LIB.

LIB. IX.

DE SPIRITV TRISTITIÆ.

CAPVT III.

itidemque lignum vermibus exaratum *Omnia* MS. totidemque lignum vermibus exaratum

lignorum genera deleguntur *Dion. &* MS. lignorum genera eliguntur

CAPVT VIII.

diligentibus nomen tuum Domine 3. MS. *cum Dion.* diligentibus legem tuam Domine

CAPVT IX.

quod non correptionem vitæ *Dion. &* 4. MS. quod non correctionem vitæ

CAPVT XI.

ac spe prouectus sui *Omnia* MS. *cum Dion.* ac spe profectus sui

non solum orationis efficaciam *Omnia* MS. non solùm orationum efficaciam

Fructus spiritales euacuat *Omnia* MS. fructus spiritales euacuans

CAPVT XII.

vel detrimenti illatione *Corf. Beth. & Plan.* vel detrimenti illati *Affl. & Isa.* vel detrimenti illata

LIB. X.

DE SPIRITV ACEDIÆ.

CAPVT I.

ardentissimos æstus accensionum suarum *Hanc lectionem videtur secutus fuisse Dionys. Carth. qui vertit*, ardentissimos æstus inflammationum suarum *Porrò Corf. Affl. & Plan. legunt* accessionum suarum

CAPVT II.

donec fuerit illius consortio copulatus *Omnia* MS. donec fuerit illi consortio copulatus *Dion. verò ita reddidit*, donec fuerit alij consortio copulatus

in locoque vacuum consistere *Affl* in eodem loco vacuum consistere

CAPVT III.

inimicorum machinis impetita 4. MS. *cum Dion.* inimicorum machinis impedita

attentabit, quem conserto prœlio, &c. *Corf. & Beth.* attentabit eum quem conserto prœlio, &c.

actum suæ professionis *Omnia* MS. actus suæ professionis

CAPVT V.

festinet extrahere *Omnia* MS. festinet extrudere

CAPVT VI.

tamquam inertem & deditium *Affl. Plan. & Isa.* tamquam inertem & dediticium *Sed rectius Corf. & Beth.* tamquam inertem & desidiosum *cui lectioni subscribit Carthusianus.*

serpentinis spiris obstrictus *Corf. Beth. & D. Dion.* serpentinis sagittis obstrictus

CAPVT VII.

aut in quo abundent *Omnia* MS. *cum Dion.* vt in quo abundent

facitis illud inquis 4. MS. facitis illud inquit

qui foris sunt, foris sunt scilicet qui seculo viuunt. Quintam, &c. *Corſ. Beth. & Plan. cum Dion.* qui foris sunt. Quintam, &c.

Et nullius aliquid desideretis *Omnia* MS. Et vt nullius aliquid desideretis

opera vestra non ad correctionem *Omnia* MS. operam vestram non ad correctionem *D. Dion. legit* actiones vestras

otium causam esse *Omnia* MS. otij causam esse

vnius vitij, id est, otiositatis labe generari 3. MS. vna otij labe generari

molli fouerat palpitatione *Omnia* MS. molli fouerat palpatione

ad molliora remedia 3. MS. *cum Dion.* ad leniora remedia *Affl. habet* leniora

præcipit subtrahendum *Omnia* MS. præcepit subtrahendum

inordinatum quemquam *Affl. & Plan.* inordinatum quemque

CAPVT VIII.

Cùm itaque non gratis *Omnia* MS. cùm vtique non gratis

& stetit *Omnia* MS. & hucusque stetit *sic B. Dionyſ.* Et ibi stetit, nihil addendo

CAPVT XV.

non abscindant ab eis *Corſ. & Beth.* non abscondant ab eis

CAPVT XVI.

pro reuerentia sua *Omnia* MS. pro reuerentia sui

CAPVT XVIII.

Graue nobis suæ conuersationis exemplum reliquit. *Plan. legit* Grande nobis, &c. ad imitãdum eum, & hic tale &c. *Corſ. & Beth.* ad imitandum eum ita & hic tale, &c.

CAPVT XIX.

suæ necessitati sufficientiam 3. MS. *cum Dion.* suæ necessitatis sufficientiam

non sine reatu peccati contumaciáque *Omnia* MS. non sine reatu peccati contumaciæque

CAPVT XX.

occultis obtrectationibus monasterij pertraxisset *Corſendonckenſis codex pro* obtrectationibus *legit* obtestationibus *Dion. vero* instigationibus. *Et pro* pertraxisset *omnia exemplaria habent*, pellexisset.

illex fugæ eius in cœnobio residebat *Corſ. Beth. & Plan.* infelix fugæ eius auctor in cœnobio residebat *sic ferè D. Dionyſ.* infelix auctor fugæ illius in cœnobio mansit.

CAPVT XXI.

necesse est otiosum quemquam *Omnia* MS. necesse est otiosum quemq;

de solida euangelicæ lectionis plenitudine abscissi *Omnia* MS. *omittunt* abscissi

& ad hoc assuuntur *Dion. cum* MS. qui ad hoc assumuntur

CAPVT XXIII.

ab antiquis patribus sancta sententia 4. MS. ab antiquis patribus sancita sententia

CAPVT XXIIII.

acediæ ipsius dæmonumque victoria 3. MS. *cum Dion.* acediæ ipsius victoria

CAPVT XXV.

magis ei te dediticium 3. MS. *cum Dion.* magis ei te deditum

LIB. XI.

DE SPIRITV CENODOXIÆ.

CAPVT I.

multiforme, varium atque subtile *Omnia* MS. multiformem, varium atque subtilem

CAPVT IIII.

cenodoxia non potuit generari *Omnia* MS. cenodoxiam non potuit diabolus generare

viliore conatur inferri *Omnia* MS. viliore conatur inserere

Si ieiunet in palam *Omnia* MS. Si ieiunet palam

CAPVT V.

cepæ bulborumque *Hanc puto esse genuinam & veram lectionem, quamuis quidam codices habeant,* cepæ bollorumque *Est autem bulbus siue βολβὸς allium agreste siue allium marinum, cau'em & folia habens lilio simillima: ideóq; rectè cepis hic adiunctum est, eo quod ceparum genus quoddam sit.*

CAPVT VI.

In solitudinem quoque *Omnia* MS. *cum Dion.* In solitudine quoque

tanto eum acrius insequitur *Omnia* MS. tanto eum acrius insectatur

CAPVT VIII.

Quædam etiam processu temporis *Cors. & Beth. cum Carthus.* Cætera etiam vitia processu temporis

molliuntur atque vanescunt 4. MS. molliuntur atque euanescunt

CAPVT XIIII.

& plurimorum conuersiones &c. 4. MS. & plurimorum conuersationes *sic quoque D. Dionys.* facit plurimorum conuersationes attendere quasi sub incitamento exhortationis phantasticæ

CAPVT XVI.

& causæ vitiorum *Omnia* MS. & causas vitiorum

CAPVT XVIII.

illud Dauidicum elogium *Omnia* MS. *cum Dion.* illud Dauidicum eloquium

LIB. XII.

DE SPIRITV SVPERBIÆ.

CAPVT III.

non vnum membrorum *Omnia* MS. non vnum membrum

hoc ipsum quod dicimus *Omnia* MS. hoc ipsum quod diximus

CAPVT IIII.

ex illa beata sublimitate angelorum *Omnia* MS. *cum Carthus.* ex illa beata sublimique angelorum statione

Si igitur tanta virtute, tantæ potentiæ prærogatiua decoratum *Rectius* MS. Si igitur tantam virtutem, & tantæ potentiæ prærogatiua decoratam *sic ferè D. Dion.* Si ergo potuit superbia angelum tanta virtute, &

te, & prærogatiua tantæ potentiæ decoratum de cælo ad inferna deiicere &c.

quod etiam sine fine ad hos &c. *Omnia* MS. quod etiam ad hos

CAPVT VI.

Et escæ eius electæ 4. MS. *cum Dion.* Et esca eius electa

CAPVT VII.

id est, gastrimargiis &c. *Omnia* MS. *cum D. Dion.* id est, Deus gastrimargis &c.

CAPVT IX.

frustra vigilant qui custodiunt eam *Omnia* MS. *cum Dion.* frustrà vigilat qui custodit eam

CAPVT X.

quamuis volentis & currentis *Omnia* MS. *cum Dion.* quamuis feruentis & cupientis

CAPVT XI.

nec hic videmus *Omnia* MS. nec hic videbimus

occasione accepta *Omnia* MS. *cum Dion.* occasione percepta

totius bonitatis effectus *Omnia* MS. totius boni effectus

CAPVT XIII.

sed potius re & opere *Affl. Corf. & Beth. cum Carth.* sed potius recto opere

CAPVT XV.

trahebantque iugiter intimè corde suspiria *Omnia* MS. traherentque iugiter intimo corde suspiria

per multiplices cogitationum minutias ingerebantur *Omnia* MS. per multiplices cogitationum minutias inurebantur

CAPVT XIX.

intemerata nunc vsque perdurat *Corf. & Beth.* vera nunc vsque perdurat *Isa. & Plan. legunt* mera *D. Dion.* merito

CAPVT XX.

tamquam à Deo cernens arcana sui pectoris patefacta *Omnia* MS. *omittunt præpositionem* à

CAPVT XXI.

ab Ioiada pontifice *Omnia* MS. *cum Dionys.* ab Ioiade pontifice

in manibus eorum *Corf. & Beth. cum Dion.* in manus eorum

ea quæ non conuenit 4. MS. *cum Dion.* ea quæ non conueniunt

CAPVT XXVI.

Tali igitur diffidentia *D. Dion. cum aliquot* MS *legit* desidia

qua visi fuerant in primordiis suæ conuersionis accensi *Plan. cum Dion.* qua visi fuerant in primordiis suæ conuersionis & accensi

CAPVT XXVII.

radix enim, inquit, omnium malorum est philargyria, numquam possit &c. *Corf. Beth. & Plan.* radix enim, inquit, omnium malorum est philargyria, vt numquam possit &c.

efficiaturque causa 4. MS. *cum Dion.* efficiaturque ei causa

cordis obstinatione duratur 3. MS. cordis obstinatione obduratur

dira hæc virulentaque serietas *Corf. & Beth. cum D. Dion.* dira hæc virulentaque taciturnitas

compungitur atque mollitur *Omnia* MS compungitur neque mollitur

diabolicis intentationibus *Affl. Plant. & Isa.* diabolicis intentionibus

bus *Sed rectius Corſ. & Beth.* diabolicis tentationibus *Et huic lectioni fauet Carthuſianus.*

CAPVT XXVIII.

permodico tempore retentaret 4. MS. permodico tempore retentarat

CAPVT XXX.

Quibus deſcenſuum gradibus 4. MS. *legunt* deceſſuum *Corſ. verò* diſceſſionum

habitationem ſolitariæ vitæ *Dionyſ. &* MS. *omnia* habitationem ſolitariæ cellæ

Finiunt caſtigationes quatuor librorum de cœnobiorum Inſtitutione, & octo librorum de capitalibus vitiis.

TABVLA MANVSCRIPTORVM CODICVM, QVORVM OPERA IN REPVRGANDIS D. Ioannis Caſſiani Collationibus vſi ſumus.

Gembl. Gemblacenſis Abbatiæ in Brabantia codicem peruetuſtum deſignat.

Trud. Notat codicē Abbatię D. Trudonis apud Hasbanios.

Vill. Exemplar eſt Abbatiæ Villarienſis prope Niuellam.

Iac. Nota eſt exemplaris Abbatiæ D. Iacobi apud Leodienſes.

Virid. Codex eſt Canonicorum Regularium Viridis Vallis in ſilua Sunia apud Brabantos.

Beth. Canonicorum Regularium Bethleemitarum prope Louanium librum ſignat.

Rub. Indicat Rubeæ Vallis Canonicorum Regularium exemplar in ſilua Sunia prope Bruxellam.

Corſ. Signum eſt exemplaris Canonicorum Regularium monaſterij Corſendonckenſis in Quempinia.

Mart. Martinianum codicem Canonicorum Regularium in Academia Louanienſi.

Iſa. Codicem Canonicorum Regularium in Buſco Domini Iſaac iuxta Niuellam.

Parc. Parcenſis Abbatiæ prope Louanium.

Plan. Chriſtophori Plantini Regij apud Belgas Architypographi exemplar demonſtrat.

E quibus

E quibus, nouem priores Codices & inter se & cum Dionysii Carthusiani paraphrastica translatione magnam habere consensionem, & posterioribus tribus exemplaribus emendatiores esse, longa obseruatione exploratum habemus: ideoq; hanc nostram repurgationem ad illorum præcipuè Codicum fidem ac lectionem accommodauimus, quemadmodum ex subiectis notis animaduertere licebit.

IN PROLOGO COLLATIONVM.

& octo principalium vitiorum *Omnia* MS. & de octo principalium vitiorum
in quo tenuitas *Iac.* in quantum tenuitas
Viderim sanè quid super hoc *Trud. Rub. Gembl. Vill.* viderint sanè quid super hoc *Beth. Virid.* Videritis sanè quid super hoc
ô beatissime Papa Leonti *Trud. Gembl. Rub.* ô beatissime Leonti
quantum à cœnobiis *Iac.* quanto à cœnobiis
quo verè mortui *Trud. Gembl.* qui verè mortui
actuum secularium nexibus obligantur *Trud. Gembl.* actuum secularium nexibus obligentur
quæ in solitudine 7. MS. qua in solitudine *Rub. & Vill.* quia in solitudine
verumetiam suauissima deprehendit *Omnia* MS. verumetiam suauissima deprehendet

PRIMÆ COLLATIONIS
CAPVT I.

Cùm in eremo Scythiæ *Omnia* MS. Cùm in eremo Scythi
& omnis commorabatur perfectio 8. MS. & omnium sanctorum morabatur perfectio
qui vehementiùs inter illos *Omnia* MS. qui suauius inter illos
non solùm in actuali *Omnia* MS. *omittunt* in
vnà cum sancto Germano *Omnia* MS. vnà cum sancto Abbate Germano
vt cuncti ad significandam *Gembl. Trud.* vt cuncti ad ædificandam
ac propositi sensusque nostri 8. MS. ac propositi nostri
fusis lacrymis ambiremus *Omnia* MS. fusis lacrymis posceremus
nequaquã penitùs acquiesceret perfectionis aperire doctrinam *Omnia* MS. nequaquam acquiesceret ianuam perfectionis aperire

CAPVT II.

finem proprium habere noscuntur *Omnia* MS. finem propriũ habent
æquanimiter gratanterque sustentat *Omnia* æquanimiter libenterque sustentat
agricola flagrantes radios solis, pruinas quoque & glaciem *Omnia* MS. agricola nunc torridos solis radios, nunc pruinas & glaciem
terram infatigatus exercet *Omnia* MS. terram infatigabiliter scindit
in modum solubilis arenæ fauillæque *Omnia* MS. in modum solubilis arenæ exercendo
& exuberantiam segetum *Omnia* MS. & exuberantium segetum

adeptu-

adepturum se nisi hac operis ac sudoris sui ratione confidens 8. MS. adepturum se esse confidens
quo & ipse *Omnia* MS. quo vel ipse
easque sulcis agri commendat *Omnia* MS. easque putribus sulcis instanti labore commendat.
futurarum messium contemplatione 4. MS. futurarum messium compensatione
spe proposita prouocantur *Omnia* MS. spe pretij prouocantur
prospiciunt bonorum ac potestatum finem *Omnia* MS. prospiciunt honorum ac potentiæ finem
peregrinationum exitia 5. MS. peregrinationum exilia *Codex Trudonensis ponit vtramque lectionem. Gembl. legit* exitia *quomodo etiam Dionys. Carthus. legisse videtur.*
priuatio iucundissimè sustinetur, nec horror huius vastissimæ solitudinis formidatur, ob quem, &c. 8. MS. priuatio, horror quoque huius vastissimæ solitudinis non deterret.
& idiotas in hoc *Omnia* MS. & idiotas atque in hoc

CAPVT III.

super inchoata disputatione sententiam *Omnia* MS. super hac interrogatione sententiam

CAPVT IIII.

Bene, inquit, & argutè 8. MS. Bene, inquit, argutè
qui verò debeat *Iac. Virid. Beth.* quis verò debeat
confessi simpliciter fuissemus ait *Omnia* MS. confessi simpliciter fuissemus adiecit
sentibus cunctis absoluere *Omnia* MS. sentibus cunctis expurgare
Negotiator quoque illud vel istud mercandi desiderium *Omnia* MS. Negotiator quoque comparandarum mercium desiderium
Qui verò sit scopos *Gembl. Trud.* Quid verò sit scopos
In hac enim 6. MS. In hac ergo
nostræ destinationis obtutus *Omnia* MS. nostræ directionis obtutus
cursum rectissimum dirigimus *Sic legunt vetustiores Codices Gembl. & Trud. sed alij quatuor minus emendati legunt* dirigamus
At si paululum *Omnia* MS. Ac si paululum
velut quadam norma certissima 8. MS. velut ad quandam normam rectissimè
arguit statim *Omnia* MS. arguet statim

CAPVT V.

quæ figurata in se *Omnia* MS. quæ depicta in se
iacula sua vel sagittas *Omnia* MS. iacula vel sagittas
securi de illo si modò propositum *Omnia* MS. quo tum demum vtique potientur cùm propositum
subtractus intuitu nec indeclinabiliter ei sagacissimorum obtutuum peruicacia inhæserint quantumlibet recto tramite *Omnia* MS. subtractus intuitu quantumlibet à recto tramite
à contemplatione non sentient *Omnia* MS. à disciplinatæ lineæ directione non sentient
non sentient & cùm sibi efficacissimis telorum emissionibus videantur inniti frustrato inertiæ labore fallũtur, quia illum subtilissimum

 desti-

destinationis limitem persequi oculis ac mente non norunt, & cum *Omnia* MS. non sentient quia nullum habent certum signum quod vel peritiam probet vel arguat prauitatem. Et ideo cum

in aëra vacuosque iactus 8. MS. in aëra vacuum iactus

quos nulla mensura proposita arguit *Omnia* MS. quos nullum accusat indicium

De qua destinatione docens 5. MS. De qua destinatione alibi docens

significanter exprimens ita intulit *Omnia* MS. significanter expressit, ita dicens

quæ posteriora sunt obliuioni transmitto *Omnia* MS. quæ posteriora sunt obliuiscor

parentes & patria *Omnia* MS. *omittunt* &

& voluptas vniuersa contemnitur *Omnia* MS. & voluptas vniuersa contemnuntur

perpetua valeat possideri 7. MS. perpetua retineatur

labores nostros varios *Omnia* MS. labores nostros vacuos

faciet effundi *Omnia* MS. compellet effundi

CAPVT VI.

pro graphio, pro actu pro calamo 7. MS. *omittunt* pro actu. *Iac. legit*, pro acu

cordis mundi fixam *Beth. & Virid.* cordis in Deum fixam

& inde furoris occasiones & impatientiæ *Omnia* MS. & inde occasiones impatientiæ

in rebus paruis ac minimis *Omnia* MS. in rebus minimis

abiectione comprehendi *Omnia* MS. abiectione contingi

nisi fuerit caritas illa 5. MS. nisi præsto fuerit caritas illa

describit in veritate possessa *Omnia* MS. *omittunt* in veritate possessa

quæ sua sunt nisi proprias admodum res summa æquitate contemnere, & ab auferente non quærere, non super iniquitate gaudere *Omnia* MS. quæ sua sunt, non gaudere super iniquitate

offerre ac vacuum illud à cunctis. *Omnia* MS. offerre, & intactum à cunctis

CAPVT VII.

sollemnitatem initæ consuetudinis *Omnia* MS. sollemnitatem nostræ districtionis

integra illibataque durante *Omnia* MS. integra illæsaque durante

adempta hac quam diximus *Gembl. cum tribus alijs legit* dempta *Iac. verò* non adepta

sunt omnia perpetranda *Omnia* MS. sunt omnia peragenda

vtensilia cuiuslibet artis *Omnia* MS. ferramenta cuiuslibet artis

possideat otiosè *Omnia* MS. possideat otiosa

hucusque adfixerit *Omnia* MS. hucusque defixerit

omni conatu semet extenderit *Omnia* MS. omne studium virtutis extenderit

omnis collocatus est fructus ignorat *Omnia* MS. omnis fructus consistit ignorans

norma & errorum peruagationumque omnium dispositiones *Omnia* MS. norma terrenarum peruagationum omnium dispersiones

CA-

CAPVT VIII.

iugiter affectanda est & tenenda vt diuinis *Omnia* MS. iugiter affectanda, vt diuinis
secundum tamen, aut etiam *Vill. & Rub.* importunum tamen aut etiam
sancto vtilique ministerio *Omnia* MS. sancto vtique ministerio
& vtiles bonasque pronunciemus *Omnia* MS. & vtiles pronunciemus
vnius patrantur obtentu 8. MS. vnius parantur obtentu
sed in diuina contemplatione 7. MS. sed in sua contemplatione *Iac.* sed in sui contemplatione
in profectu positus 6. MS. in prouectu positus *Iac.* in prouentu positus
inferiorem pronunciat *Omnia* MS. inferiorem esse pronunciat
nullo vlteriore æuo docet posse 7. MS. nullo fine prorsus edocet posse

CAPVT IX.

pietatis & humilitatis *Omnia* MS. pietatis & humanitatis
ob hoc promittat se talibus redditurum dicens *Omnia* MS. his operibus repromittat dicens

CAPVT X.

inæqualitas exigit *Omnia* MS. inæqualitas administrari exigit
castigationem carnis quæ si elata fuerit escarum nimietate, seu mentis incuria, confestim luxuriæ atque libidinis aculeis puritatem cordis infestat in præsenti tantummodo *Omnia* MS. castigationem carnis in præsenti tantummodo
Et idcirco eam exercitationem operum *Omnia* MS. Et idcirco exercitia operum
expeteretur operatio *Omnia* MS. expectaretur operatio
in suos tantum occupata vsus *Omnia* MS. in suos tantum occupant vsus
vtenda aliis tenuerunt *Omnia* MS. vtenda tenuerunt
& vtilis exercentibus eam *Iac.* & vtilis exercenti eam *Cæteri Codices legunt*, & vtilis exercenti *omisso pronomine* eam

CAPVT XI.

Et post hæc infert, Caritas numquam excidet *Omnia* MS. De hac autem Caritas numquam excidet
tribuuntur ad tempus *Sic legunt Gembl. Trud. & alia pleraque* MS. *sed Vill. Rub. & alia nonnulla habent*, distribuuntur ad tempus

CAPVT XII.

de humanitate quæ debeat peregrinis, vel aduenientibus exhiberi *Omnia* MS. de humanitate peregrinis vel aduenientibus exhibenda
valeat cohærere 6. MS. valeat inseparabiliter cohærere *sed Gembl. & Trud. omittunt illud* inseparabiliter

CAPVT XIII.

debeamus habere affixam *Omnia* MS. debeamus habere defixam
à qua distracta in se *Omnia* MS. à qua distractam se
sentiat recessisse quoties 8. MS. sentiat recidisse quoties

Amen amen dico vobis 8. MS. Amen enim dico vobis
regnum discernitur vel sanctorum *Omnia* MS. *omittunt* vel sanctorum
quid aliud esse credendum est *Omnia* MS. quis status alius esse credendus est
tamque potest esse conueniens *Omnia* MS. tamque conueniens
& statum mundi illius 8. MS. & statum regni illius
nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies *Omnia* MS. nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur, sed erit Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies
regnum Dei esse pronunciauit *Omnia* MS. regnum Dei pronunciat
Nouit enim aliud *Omnia* MS. Nouit enim esse aliud
Aut quod regnaturi 8. MS. Aut quo regnaturi
id est sancti malis subditis *Omnia* MS. id est sancti in aliis subditis
à Christo regnare *Omnia* MS. à Christo regnari *Vbi & illud obseruandum est, ex manuscriptis exemplaribus, duo posteriora membra & modos regni cælorum transpositos esse, cùm hactenus in excusis codicibus, quod à nobis postremo loco collocatum est, secundum in ordine obtinuerit locum, & è conuerso.*

CAPVT XIIII.

nouerit vnusquisque illius 7. MS. nouerit vnusquisque illi
illi se religioni *Veriorem puto lectionem esse* illi se regioni *quomodo legunt pæne omnes* MS. *codices, præterquam quod Trudonense exemplar à quodam videatur emendatum esse, & pro* regioni *substitutum* religioni
diaboli regnum *Omnia* MS. Zabuli regnum
per conniuentiam suscipitur *Gembl. Trud. Vill. Iac.* per conuenientiam suscipitur
vita commoratur æterna *Omnia* MS. vita habetur æterna
ibi mors atque infernus esse cognoscitur *Omnia* MS. ibi mortem atque infernum esse non dubium est
quis confitebitur Domino? Nemo *Omnia* MS. quis confitebitur Domino? Id est, Nemo
reminiscitur eius *Omnia* MS. reminiscitur Dei
seruum se profitetur *Omnia* MS. seruum se veraciter profitetur
Nam quòd nec otiosæ sint post separationem huius corporis animæ *Omnia* MS. *pro* quod *legunt* quia *& omittunt vocabulum* animæ *Gemblacense vero, Trud. & Iac. pro* otiosæ *rectius legunt* otiosi *quibus Dionys. Carth. suffragatur. Rub & Vill. legunt* occisæ
sedem in sinu Abrahæ *Omnia* MS. sedem id est sinus Abrahæ
post resurrectionis aduentum sit implenda *Omnia* MS. post resurrectionis eius aduentum intelligatur implenda
paucis aliqua disputem *Omnia* MS. paucis aliqua disputemus
in qua etiam imago *Gembl. & Trud.* in qua imago
quæ omnem rationem *Omnia* MS. quæ omnem rationis vim
cum Christo esse multo magis *Omnia* MS. cum Christo esse, multo enim melius
pronuncians. Et euidentius *Omnia* MS. pronuncians, eiusque ab hac

carne separationem atque discessum præsentiam esse ad Christum tota credulitate confidens. Et euidentius

non multo magis *Trud.* num multo magis *Cui adstipulatur Dionys. Carthusiani lectio.*

CAPVT XV.

Nam Deus non solùm *Omnia* MS. Nam Deus non sola

vel æquitatis suæ *Omnia* MS. vel æqualitatis suæ *præterquam quod in Codice Trudonensi legatur* qualitatis *Dion. Carthus. legit* iustitiæ

vndarum numerum *Omnia* MS. vndarumque numerum

obstupescimus scientiæ eius assistere *Omnia* MS. obstupescentes scientiæ eius assistere

assistere, cùm ineffabilem *Omnia* MS. assistere contemplamur cùm ineffabilem

quæ singulis momentis *Omnia* MS. quæ singulis quibusq; momentis

Cùm denique occasiones *Virid. Rub. Mart. Beth. & Vill.* Cùm denique quot occasiones

tribuit adoptandis *Sic legit Gembl. cum aliis permultis. Sed Beth. Vill. & Virid. legunt* adoptatis *& in codice Trudonensi. cum prius legeretur* adoptandis *à sciolo quodam emendatum est & positum* adoptatis *quæ tamen quoque est Dionysii Carth. lectio.*

notitia infunderetur *Omnia* MS. notitia traderetur

ac puritate cordis, nostris sensibus *Omnia* MS. ac puritate cordis in nostris sensibus

affectibusque terrenis deditus *Omnia* MS. *omittunt* deditus

CAPVT XVI.

ac latenter irrepunt *Trud. Gembl. Vill. Rub.* ac latenter inhærent *Similiter legit D. Dionysius.*

difficultatis non modicæ sit *Omnia* MS. difficultatis immodicæ sit

CAPVT XVII.

studenti possibile est *Rub. Vill. Iac.* studenti per gratiam Dei possibile est

ita reprobatio vel electio *Omnia* MS. ita probatio vel electio

nostræ correctionis industria 9. MS. *legunt* correptionis *quæ verior lectio esse videtur; nam D. Dion. legit* reprehensionis

spiritales oriantur in nobis *Omnia* MS. spiritales in cordibus nostris

terrenæ carnalesque decrescant *Omnia* MS. terrenæ carnalesque concrescant

Ideo namque frequens lectio *Omnia* MS. Ideo nonnumquam frequens lectio

non terrena sapere, sed cælestia possit ac sublimia contemplari *Omnia* MS. non terrena sapiat, sed cælestia contempletur

in carnalem partem corruat atque declinet *Omnia* MS. in carnalem partem mox inclinetur & corruat

CAPVT XVIII.

ab opere disposito *Omnia* MS. ab opere suo

vtrúmnam triticum malit an hordeum loliúmve comminui *Trud. Iac. Rub. Vill. & Gembl.* vtrúmnam triticum molit, an hordeum loliúmve comminuit *Porrò Beth. & Virid. legunt* molat & comminuat

tentationum torrentibus qui spiritalibus inflati nequitiis indesinenter eam circumfluunt atque circumstrepunt vacua quidem *Omnia* MS. tentationum torrentibus circumacta vacua quidem
thesaurus operum seu intentionis 6. MS. *cum Dionys.* thesaurus operum nostrorum seu intentionis

CAPVT XIX.

Et vas electionis, an experimentum *Omnia* MS. *omittunt* an
Vel sicut euangelista refert *Omnia* MS. Vel cùm euangelista refert
Et illud quod multò antè per Ecclesiasten *Gembl. Iac. Vill. Rub. Virid. Beth. & Mart. legunt*, Et illud quod in euangelio multò antè per Ecclesiasten *Sed quomodo lectio illa vera sit, non satis assequor, cùm Ecclesiastes non scripserit Euangelium; Quare magis mihi probatur lectio Trudonensis Códicis quæ sic habet*, Et illud quod in euangelio, & multo antè per Ecclesiasten, *cui etiam suffragatur Carthusiani Paraphrastica versio.*
in quarto Regum libro *Omnia* MS in tertio Regum libro
quoniam vanæ sunt, & cogitationes iustorum iudicia *In Euangelio quoque Gembl. Trud. Iac. Virid. Beth. Mart. cum Dion. Carth. omittunt illam sententiam* & cogitationes iustorum iudicia

CAPVT XX.

vti quales nos eis præbere *Omnia* MS. vt quales nos eis præbere
æreo quoque vilique denario *Gembl. & Trud.* si æreo quoque vilique denario *Hanc lectionem quoque non repudiat Carthusianus.*
sub colore seu indumento auri fulgentis *Omnia* MS. sub colore auri fulgentis
auri fulgentis imitetur *Gembl. Trud. cum Carthus. legunt*, auri fulgentis remittitur
Tyrannorum vultum *Omnia* MS. Tyrannorum vultus
spiritaliter obseruare sub figura & exemplo nominis huius, euangelicus sermo hoc exemplo docet *Omnia* MS. spiritaliter obseruare euangelicus sermo sub huius nominis demonstrat exemplo
Primum vt quid *Omnia* MS. Primum vt quicquid
vel si quid nobis *Omnia* MS. vel si quod nobis
descendens vt sit ad integrum spiritalis ignis examinatione decoctum, sed in superficie tantum *Omnia* MS. descendens in superficie tantum
Quo genere credendi illi quoque decepti sunt *Omnia* MS. Quo genere illi quoque decepti sunt
Philosophorum dogmatibus incitati *Omnia* MS. Philosophorum dogmatibus illecti
Quod etiam Achan *Quamuis 7. MS. codices legant* Achar, *& alia quatuor cum D. Dion. habeant* Achor, *ea tamen quæ impressis extat lectio, præferenda videtur, eo quòd cum lectione septimi cap. libri Iosue consentiat, vbi Hebræi habent* עכן, *Latini* Achan
anathemate illorum percuti *Omnia* MS. anathemate percuti
æterna morte meruit ac maledictione damnari 7. MS. æterna meruit morte damnari
iustorum personis exposita *Omnia* MS. iustorum personis intelligenda
auri fallentis importet *Omnia* MS. auri fallentis obiiciat

vel ora-

vel orationibus importunis *Omnia* MS. vel orationibus inordinatis
inextricabiliter vinciat ac perniciosarum *Omnia* MS. inextricabiliter irretitum perniciosarum
separans nos à districtionis regula 7. MS. separatos nos à districtionis regula
nouissima enim earum *Omnia* MS. nouissima autem earum

CAPVT XXI.

qui Lyco commoratur *Rub. Vill. Virid. Beth. Plant. & Parc.* qui Lyci commoratur
Æthiopis tetri pueri *Omnia* MS. *omittunt* pueri
Indulge, inquit, mihi quia ego *Parc. Virid. Vill. Rub. Beth.* Indulge, inquit, mihi Abba quia ego
& discretionis ratione perfectus *Omnia* MS. *cum D. Dion.* & indiscretionis ratione perfectus
non illud esse legitimè figuratum *Omnia* MS. an esset legitimè figuratum
cogitatio nostra suggerit *Omnia* MS. cogitatio nostra suggesserit
nouitatis insolentiæque præsumptione *Omnia* MS. nouitatis præsumptione
præsumptione non leue *Omnia* MS. præsumptione sit leue
vel arriserit gloria *Hæc lectio cum impressis exemplaribus communis est Gembl. & Trud. Porrò Iac. & Mart. legunt* abraserit: *cui etiam consentanea est Carthusiani lectio. Verum Plant. Parc. Rub. Vill. Virid. Beth. & Isa. legunt* arroserit
ad publica appendentes examina *Omnia* MS. ad publicum appendentes examen
conferentes, illorumque exemplis comparantes, & quodammodo contraria ea lance pensantes vel tamquam 10. MS. conferentes vel tamquam
illisque collibrantia 9. MS. illisque compensantia
omni cautione vitemus *Omnia* MS. omni cautione refutemus

CAPVT XXII.

exagio seniorum congruere *Omnia* MS. exagio seniorum adæquari
Nolite thesaurizare 9. MS. nolite, inquit, thesaurizare
humi recondimus, atque in terram defossum *Omnia* MS. humi reconditum, terræque defossum
vt nullam *Omnia* MS. vt ad nullam
vtilitatem lucrúmve proficiat *Omnia* MS. vtilitatem emolumentúmque proficiat
examinare latibula *Omnia* MS. exterminare latibula

CAPVT XXIII.

antiquis patrum consultationibus 8. MS. antiquis patrum collationibus
hoc iudicio *Omnia* MS. hoc indicio
ac patientia comprobari *Omnia* MS. ac patientia comprobare
admonens incumbare *Omnia* MS. admonens incubare
sesquipedali interuallo 6. MS. *cum B. Dion.* Quæ pedali interuallo
interuallo molliter nexa *Omnia* MS. interuallo pariter colligata
opere reparentur & pretio 10. MS. opere præparentur & pretio

ad remouendum ea seu cùm necesse fuerit ad mouendum habilis materia est, fungidæ leuisque naturæ 7. MS. *cum D. Dion.* ad remouendum, seu cùm necesse fuerit ad mouendum habilis materiæ leuisque naturæ sint.

SECVNDÆ COLLATIONIS

CAPVT I.

sollicitudo maior inuehitur *Omnia* MS. sollicitudo maior incumbit
cupio vobis eius excellentiam *Omnia* MS. congruum credimus eius excellentiam
diuinæ gratiæ largitatem *Omnia* MS. diuinæ gratiæ maximum præmium
cæterisque tenebris *Omnia* MS. tetrisque tenebris
præruptisque concidere 10. MS. præruptisque incidere
directis itineribus frequenter offendere *Omnia* MS. directis frequenter offendere

CAPVT II.

in partibus Thebaidos *Omnia* MS. in partibus Thebaidis
perfectionis inquirendæ & collationis huius gratia *Omnia* MS. perfectionis inquirendæ gratia
noctis spatium consumpsit *Omnia* MS. noctis spatium consumpsisse
proferret in medium *Omnia* MS. *omittunt* in medium
Alij in nuditate & contemptu *Omnia* MS. Alij in contemptu
Nonnullique in primis sectanda *Omnia* MS. Nonnulli sectanda
definirent, quæ pio erga fratres & peregrinos studio susceptionis impenditur quod his dumtaxat officiis regna cælorum *Omnia* MS. definirent, quod his regna cælorum
ruinæ ac deceptiones illorum *Omnia* MS. ruinæ ac deceptionis illorum
durare non sinit 5. MS durare non siuit
rationem discretionis huius adipisci *Omnia* MS. rationem discretionis adipisci
via regiam quam docet *Omnia* MS. via regia docet monachum
modum transcendere *Omnia* MS. modum inepta præsumptione transcendere
eo quod ipsas *Gembl. & Trud.* eo quod ipse *vt sermo sit de oculo. Verùm Plant. Rub. & Virid. legunt* ipsa *nempe discretio.*
iudicio cordis & ignorationis *Omnia* MS. iudicio cordis nostri & ignorationis
quæ ex discretionis deliberatione *Iac.* quæ ex indiscretionis deliberatione

CAPVT III.

qui primus ad regnandum populo Israël iudicio Dei præelectus est *Omnia* MS. qui primus iudicio Dei regnum populi Israëlis emeruit
etiam ipso regno tradito sibi meruit spoliari *Vill. Gembl. & Trud.* etiam ipse deiectus est regno
quam erga præceptum Samuelis obedientiam credidit iudicanda *Vill. Gembl. & Trud. legunt,* quam præceptis Samuelis obedientiam iudicauit

cauit. *Isa. habet* præcepti. *Porrò Iac. Plant. Parc. & Beth.* quam præcipientis Samuelis obedientiam iudicauit

quæ eum ex illa *Omnia* MS. atque ex illa

ex illa magis parte offensionem incurrere fecit *Omnia* MS. ex illa magis parte causam offensionis incurrit

post illius sublimissimi triũphi victoriam *Omnia* MS. post illum sublimissimæ victoriæ triumphum

credere persuasit *Omnia* MS. credere compulit

quam executionem seuerissimi præcepti *Omnia* MS. quam diuini seuerissimam executionem præcepti

quam sibi videbatur *Omnia* MS. quam ipsi videbatur

CAPVT IIII.

vinum id est gaudium quod lætificat *Omnia* MS. vinum quod lætificat

CAPVT V.

tenuisse cognoscimus *Omnia* MS. tenuisse meminimus

quo pacto, qua ratione *Omnia* MS. quo pacto quáue ratione

luctuoso dolore percussit 9. MS. luctuoso dolore perculit

hoc miseratione & humanitate 10. MS. hac miseratione & humilitate *Cui lectioni suffragatur Dionys. Carth.*

CAPVT VI.

Mazices quidam *Trudonensis codex habet* Marzites *cui accedit Dionysii lectio. Gembl.* Marzites

quod immitis populus *Omnia* MS. quod immites barbari

CAPVT VII.

pariter commanebat *Omnia* MS. pariter in monasterio commanebat

commanebat deuotus offerret *Omnia omittunt* deuotus

credulitate seductus *Omnia* MS. persuasione seductus

perterritus è cella concitus aufugisset *Omnia* MS. perterritus aufugisset

CAPVT VIII.

monachi Mesopotameni percurrere *Omnia* MS. monachi Mesopotameni narrando percurrere

& concisionem carnis 6. MS. & circumcisionem carnis

eo quod illi solita visione qua volens eum ad credulitatem *Omnia* MS. Nam cùm volens eum consuetudine visionum ad credulitatem

nuncius reuelarat, ostendit demum *Omnia* MS. nuncius reuelasset, ad extremum ostendit

coruscantem ac proinde suadens *Omnia* MS. coruscantem, suadens

E quibus profectò 10. MS. Horum itaque profectò

Quamobrem in quantis perniciosum sit. 8. MS. Quamobrem in quantum perniciosum sit

CAPVT IX.

Initium capitis huius in omnibus manuscriptis codicibus eiusmodi est:

Ad hæc Germanus. Et nouellis, &c. *Sic etiam Dionys.*

& testimoniis antiquorum *Omnia* MS. & definitionibus antiquorum

ſuperiore tractatu deſeruiſti *Omnia* MS. ſuperiore tractatu diſſeruiſti
quod non deſit *Omnia* MS. quod non ſit

CAPVT X.

Hic quoque MS. *exemplaria principio capitis præponunt aduerbium* tum *quod in excuſis non inuenitur: Et Dion. lectio manuſcriptis conformis eſt.*
Cuius humilitatis non fictæ *Omnia* MS. *cum D. Dionyſ. omittunt* non fictæ
verumetiam cunctis 6. MS. verumetiam à cunctis
quiſque non ſuo 8. MS. quiſque ſi non ſuo
ſerpens deterrimus 9. MS. ſerpens teterrimus
ſolebat inſtructionis gratia frequenter inferre *Omnia* MS. inſtructionis gratia frequenter proponebat

CAPVT XI.

conſuetudo feralis ingeſta *Omnia* MS. conſuetudo ingeſta
licet conniuentia cogitationis *Gembl. Trud. vna cum B. Dionyſ. legunt* conuenientia voluptatis *quæ videtur germana eſſe lectio, quamuis in aliis pleriſque* MS. *inepte correctum ſit, & legatur* conniuentia voluptatis
eorum cùm de gaſtrimargiæ vitio *Omnia* MS. *omittunt* cum
& conſcientiæ meæ reatu perterritus *Omnia* MS. & conſcientia redarguente perterritus
quod ſeni fuerint ſecreta mei pectoris patefacta *Omnia* MS. quod ſeni Dominus ſecreta mei pectoris reuelaſſet
clanculè parauerem comedendum *Omnia* MS. clanculè ſubtraxeram comedendum
quotidiè inuolans ipſum latenter ederem *Omnia* MS. quotidiè latenter ederem
latenter ederem pœnitentiam coram eo in terram ſubmiſſus *Omnia* MS. latenter ederem proſtratus in terram
lacrymis abſolutionem diriſſimæ captiuitatis *Omnia* MS. lacrymis vt abſolutionem duriſſimæ captiuitatis
captiuitatis huius interceſſionibus eorum atque orationibus implorauí *Omnia* MS. captiuitatis à Domino poſcerent imploraui
abſoluit te à captiuitate *Omnia* MS. abſoluit te ab hac captiuitate
Quem nequaquam vel tua *Omnia* MS. Quem vtique nequaquam vel tua
vel alterius reſponſione *Beth. Rub. Vill. Virid.* vel alterius reprehenſione
poſt hanc publicationem ſuam *Sic legunt Gembl. & Trud. Sed quinque alia* MS. *cum Dion. legunt* tuam
ſpiritus iſte nullatenus inquietabit vlterius *Omnia* MS. ſpiritus iſte inquietare non poterit
tanto cellam repleuit odore *Omnia* MS. ita cellam repleuit odore
reſidere poſſemus *Omnia* MS. reſidere nos permitteret
ſermonum meorum experimento probauit *Omnia* MS. ſermonum meorum viſibiliter approbauit
fugatum oculorum fide perciperes *Omnia* MS. fugatum oculis peruideres
nec me penitùs hæc *Omnia* MS. nec me poſt hæc

per

per confessionem siue consensum *Omnia* MS. *omittunt* siue consensum
de corde viri consueuit *Omnia* MS. de corde consueuit
verumetiam munitus à cunctis insidiis inimici & tutissimus permanebit *Omnia* MS. verumetiam à cunctis insidiis inimici tutissimus permanebit
& quæ non solùm oculis, sed ne animo quidem nisi corde purissimo perspici potest *Omnia* MS. & quæ non nisi corde purissimo peruidetur

CAPVT XIII.

& senectus honorabilis *Omnia* MS. & ætas senectutis
maior pars sine dubio reperitur *Omnia* MS. maior est multitudo
non eorum vitæ probitas *Omnia* MS. non vitæ probitas
in teporem scilicet noxium *Omnia* MS. in teporem eos scilicet noxium
vobis conferat *Omnia* MS. vobis conferre possit
consolationem credens *Sic legunt pleraque. MS. cum Dionys. Verùm Gembl. & Trud.* collationem credens *& in Trud. supra scriptum est* vel curationem
& remedia conceptis vulneribus *Omnia* MS. & remedia inflictis vulneribus
verbis excipiens, ita suis è contrario correptionibus asperauit miserabilem pronuncians *Omnia* MS. verbis increpans miserabilem pronuncians
nomine ac religione censendum, qui potuerit *Omnia* MS. nomine censendum esse pronuncians qui potuerit
tristitia penitùs obrutum *Omnia* MS. tristitia consternatum
Apollo protinus occurrisset *Omnia* MS. Apollo seniorum probatissimus occurrisset
& vim laboris eius & oppugnationis *Omnia* MS. laboremque & oppugnationis
& intuitus ipsius deiectione *Omnia* MS. & deiectione
prorsus in desperationem *Omnia* MS. prorsus desperatione
vnius tantum diei super dilatione ruinæ dispositæ ab eodem *Omnia* MS. vnius tantum diei ab eodem
ad suam cellulam deprecatur *Omnia* MS. ad suam cellulam deprecatus
ilicò tota festinatione *Omnia* MS. *omittunt* ilico
qua mæstus iuuenis *Omnia* MS. qua iuuenis
senilis illius atque inolitæ grauitatis *Omnia* MS. senilis illius grauitatis
percunctanti se reddere *Omnia* MS. percunctanti reddere
sed ne differre quidem 8. MS. sed ne sufferre quidem
Dominus idcirco permisit *Omnia* MS. Dominus idcirco passus est
conflictu attentasset *Omnia* MS. conflictu fuisset aggressus
nisi fortè profectui eius *Omnia* MS. nisi futuro profectui eius
proculdubiò iudicans *Omnia* MS. proculdubiò intelligens
blanda consolatione refouere *Omnia* MS. blanda consolatione reficere
qui interficiuntur: nostrique *Omnia* MS. qui interficiuntur ne parcas: nostrique

vt ipse quoque *Omnia* MS. qua ipse quoque
vel protegeret, vel sua misericordia communiret 9. MS. vel protegeret ac muniret
vtilitatis gratia Dominus *Omnia* MS. vtilitatis gratia tibi Dominus
dignatus est hactenus iubeat temperari *Omnia* MS. dignatus est iubeat amoueri
Ipse enim dolorem facit *Omnia* MS. Ipse enim dolere facit
redundante diuino spiritus sui rore *Omnia* MS. donante spiritus sui rore
sua pietate rursus abstulerit *Omnia* MS. *omittunt* sua pietate
hoc tamen euidenter experimento *Omnia* MS. euidenti tamen experimento
sed ne dissimulare quidem *Omnia* MS. sed ne leuiter quidem
dolorem seu leuiter præterire *Omnia* MS. dolorem debere contemni
nequaquam nos 7. MS. nequaquam vos
remedia nostris vulneribus *Omnia* MS. remedia vulnerum

CAPVT XIIII.

vt etiam scripturis 9. MS. vt etiam in scripturis
Samuelem iudicio Domini prælectum, sua nollet 7. MS. Samuelem iudicio prælatum suo nollet *Reliqua exemplaria habent*, Samuelem prælectum iudicio suo nollet
dignissimum iudicaret *Omnia* MS. dignissimum iudicarat

CAPVT XV.

reserare confestim nequaquam facit, sed dirigit illum ad Ananiam 9. MS. reserare confestim dirigere ad Ananiam mauult
ne à Domino quidem viam *Omnia* MS. nulli à Domino viam
viam perfectionis quempiam promereri *Omnia* MS. viam perfectionis ostendi

CAPVT XVI.

viderimus fuisse deceptos *Omnia* MS. viderimus fuisse deiectos
vt nec traditum continentiæ tramitem *Omnia* MS. vt nec à tradito continentiæ tramite
acquiescamus excedere *Omnia* MS. acquiescamus abduci

CAPVT XVII.

vel cibo nos indulgere 9. MS. vel cibo indulgere
modum eius sinamus excedere *Omnia* MS. modum eius præsumamus excedere

CAPVT XIX.

habitum fuisse sermonem atque magnopere tractatum *Omnia* MS. habitum fuisse tractatum
refectionem sicci panis *Omnia* MS. refectionem solius panis

CAPVT XXI.

iugiter retinete: adiectionem nullam die Dominico vel sabbato indulgentes, neque interdum quondam coctionis pulmentum sub aliqua aduenientium fratrum occasione sumentes, quibus refecta caro *Omnia* MS. iugiter retinete, nullum extrinsecus coctionis pulmentum

tum die Dominico vel sabbathi, neque sub aliqua aduenientium fratrum occasione sumentes, nam his refecta caro.

CAPVT XXII.

condormitare compellitur *Parc. Vill. Rub. Beth.* & *Virid.* dormitare compellitur

CAPVT XXIII.

Ideoque rationabilis semper, & æqualis impendenda est castigatio *Omnia* MS. Ideoque rationabili semper & æquali est corpus nostrum parcimonia castigandum

respersos isto deliquio 9. MS. respersos ista colluuione

quam diximus continentiæ æqualitas atque mensurata 9. MS. quam diximus continentia & qualitas atque mensura

CAPVT XXIIII.

ventris ingluuiem. Nam id quod biduo fuerat percepturus differens, vno die absolutionem ieiunij post biduum pariter insumebat, vt quatuor paximacia, &c. *Rectius legunt manuscripti Codices pæne omnes cum D. Dionys.* ventris ingluuiem: id est quatuor paximacia, &c.

quali fine suum propositum terminaret *Omnia* MS. quali fine suum propositum terminarit

neminem suis moribus deditum *Omnia* MS. neminem suis definitionibus

CAPVT XXV.

penitùs abdicari 6. MS. penitùs euitari

CAPVT XXVI.

humanitatem atque adhortationem 9. MS. *cum Carthus.* humanitatem atque adorationem

alium huius expectationis gratia *Omnia* MS. aliud huius expectationis gratia

debet esse gratulabilis *Omnia* MS. debet esse gratissimus

Talibus nos beatus Moyses verbis erudiens hoc nobis præcipuum gemina institutione contulit, vt non solùm discretionis virtutem & gratiam, sed ipsius quoque abrenunciationis rationem, quam penitùs ignorantes feruore tantum modo spiritus nostri ac zelo Dei arripuisse videbamur incipientes agnoscere, deinceps intelligeremus quantum à puritate cordis & directionis linea fuissemus in id temporis euacuati, absque vlla dumtaxat destinatione vel fine tendentes, & quid principaliter tenere nos oporteret, quídve cauere similiter è contrario deberemus omnimodis ignorantes, illamque præ omnibus definitionem senis verissimam comprobauimus, nullius artis seu disciplinæ peritiam posse sine destinationis ratione subsistere, nec sine contemplatione certi finis attingi *Prolixam hanc periodum manuscripti codices omnes ita legunt*: Talibus nos beatus Moyses geminæ institutionis epulis saginauit, non solùm discretionis gratiam atque virtutem præsenti eruditione verborum, sed etiam abrenunciandi rationem, & destinationem, finemque propositi anteacta disputatione demōstrans: vt quod ante feruore tantum spiritus ac zelo Dei clausis quodammodo oculis sectabamur, luce clarius

aperiret:

aperiret: faceretque sentire, quantum à puritate cordis & discretionis linea fuissemus per id temporis euagati: quippe cùm etiam omnium visibilium in hoc seculo artium disciplina atque destinationis ratione subsistere, ac sine contemplatione certi finis attingi omnino non possit.

TERTIÆ COLLATIONIS

CAPVT I.

In hac tertia Collatione perperam in excusis exemplaribus legitur Pafuntius, cùm manuscripti codices omnes suffragante etiam D. Dionys. Carthusiano vbique legant Pafnutius.

ceruicibus suis onerans 6. MS. ceruicibus suis supponens

ab adolescentia sua scholæ cœnobij *Omnia* MS. ab adolescentia sua cœnobiorum scholis

nullo deinceps ab eius contemplatione humano consortio vel imagine se retrahente facilius vniretur *Omnia* MS. nullo deinceps humano consortio retrahente facilius vniretur.

CAPVT II.

doctrina tanti viri possemus *Omnia* MS. institutionibus ac perfectione tanti viri possemus

CAPVT III.

Et primam quidem 7. MS. Et primum quidem

qua tres esse 8. MS. quare tres esse

CAPVT IIII.

cognationis suæ affectibus *Omnia* MS. cognationis affectibus

nos quoque gratia Domini *Omnia* MS. nos quoque per gratiam Domini

cum nos diuitiis *Omnia* MS. *omittunt* nos

inuiti properare compellimur *Mart. Rub. Iac. Beth. & Virid.* inuiti in aduersis properare compellimur

CAPVT V.

plurimos tabefactos *Omnia* MS. plurimos tepefactos

ac perinde sicut illis *Virid. Beth. & Plant. cum Dionys.* ac proinde sicut illis

loco istius eremi, cui Calamus nuncupatio est *Omnia* MS. loco istius eremi qui Calamus nuncupatur

quam ita necessitate conuersionis arripuit *Omnia* MS. quia ita necessitatem conuersionis arripuit

duritia subsequente, qua seniorum traditionibus acquiescere noluerunt in teporem noxium, &c. 10. MS. duritia subsequente, in teporem noxium

Dominum tota animi deuotione sectatus *Omnia* MS. Dominum tanto animi feruore sectatus

voluntate consummans *Omnia* MS. voluntaria deuotione consummans

immutabili fine conclusit *Omnia* MS. incomparabili fine conclusit

CAPVT VI.

vt simul perficiantur, ad Abraham legimus à Domino fuisse præcepta

cepta *Omnia* MS. vt simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse

& consanguinitate videntur esse cognata *Omnia* MS. & consanguinitate cognata sunt

oculos, mentemque dirigamus *Omnia* MS. oculos mentemque dirigimus

ac virtute nos quoque clamantes *Omnia* MS. ac virtute clamantes

quibus mores emendantur incipientium, aut terrena vitia resecantur *Omnia* MS. quibus concupiscentia carnalium rerum, ac terrena vitia resecantur

CAPVT VII.

ardore fidei suscepisse *Omnia* MS. cũ summa deuotione fidei suscepisse

eodem feruore ac studio festinauerimus implere *Omnia* MS. eodem studio atque eodem impleuerimus ardore

Nostra autem conuersatio in cælis est *Omnia* MS. Noster autem municipatus in cælis est

quod suum est 6. MS. quod suum erat

per indesinentem diuinorum meditationem 7. MS. per indesinentem diuinarum meditationem scripturarum *Et Dion. quoque sic legit.*

experientia magistra *Omnia* MS. experientia magistrante

vt Enoch & ipse cum Deo *Omnia* MS. vt Enoch cum Deo

translatus nullatenus possit à quoquam in vanitate præsentium reperiri *Omnia* MS. translatus non inueniatur in pręsentis seculi vanitate

Apostolus quoque ita commemorat *Omnia* MS. Apostolus quoq; ait

vt non videret mortem non inueniebatur, quia transtulit illum Deus 10. MS. *cum Dionys. omittunt verba illa*, & non inueniebatur quia transtulit illum Deus

voluntatesque despeximus *Dionys. cum* MS. *legit* voluptatesque despeximus

reuertamur, ne sicut de illis scriptura commemorat, qui educti per Moysen cùm minimè redisse corpore videantur, corde tamen, &c. *Omnia* MS. reuertamur sicut illi qui educti sunt per Moysen cum vtique corpore non redissent, corde tamen

qui præcedant nos: cum illis etiam pariter damnemur *Dionys. vna cum* 6. MS. *legit*, qui præcedant nos. Ne cum illis etiam pariter damnemur

similiter proclamare videamur 9. MS. similiter murmurare videamur

opere ac virtute *Omnia* MS. opere ac mente

& localis ex Ægypto *Omnia* MS. & localis quodammodo ex Ægypto

nisi fieri hoc spiritu posse præuidisset *Omnia* MS. nisi quia futurum in spiritu præuidebat

non possint *Omnia* MS. non possent

vel superbiam vel impatientiam dominantem 9. MS. vel superbia vel impatientia dominante

expurgare curauerint *Omnia* MS. expurgare curarent

minimè valeant peruenire *Omnia* MS. minimè peruenirent

Quique inferiores effecti *Omnia* MS. Qui vtique inferiores effecti

implere

implens mandatum, sibi ex eis *Omnia* MS. implens mandatum adhuc sibi ex eis

martyrium quod quotidiè sustineo exustionem 8. MS. martyrium & exustionem

nec attingi Dominicam caritatem *Omnia* MS. nec attingere Dominicam caritatem

non cogitat malum, omnia suffert *Omnia* MS. non cogitat malum, quæ omnia suffert

CAPVT VIII.

in hoc seculo conquisitæ *Omnia* MS. in hoc seculo conquisita

amatorem suum reddunt 9. MS. amatorem suum reddit

aut splendidam eam Deo reddit *Omnia* MS. aut ita splendidam eam reddit

peruenire illigati, vel implicati æterna morte percelli *Omnia* MS. *peruenire*, vel illigati æterna morte multari

CAPVT IX.

diuitias peccatorum abiecisse *Omnia* MS. diuitias abiecisse

summa perfectio est *Sic legunt Gembl. Trud. & pleraque alia* MS. *sed Dion. & 4.* MS. *legunt*, summa perfectio non est

propriæ diuitiæ eius *Omnia* MS. *omittunt* eius

De quibus diuitiis spiritalibus *Omnia* MS. *omittunt* spiritalibus

CAPVT X.

De quibus visibilibus diuitiis *Omnia* MS. De illis autem visibilibus diuitiis

ipsa appellatione qua eas significauit expressit *Omnia* MS. ipsa appellatione significauit

De vilissimis verisque diuitiis *Dionys. & 9.* MS. *legunt*, De visibilibus verò pessimisque diuitiis

aliquid inuenimus 9. MS. aliquid inueniemus

gradum tertium attingere *Omnia* MS. gradum tertium expedito vigore conscendere

iudicare debeant 8. MS. iudicare debebunt

mente despicimus 7. MS. mente despiciemus

abrenunciationes impleuerit *Omnia* MS. abrenunciationes omni mentis ardore impleuerit

CAPVT XI.

nostræque quod laudabiles sumus 8. MP. nostræ quoque quod laudabiles sumus

ad nostram perfectionem tendunt *Omnia* MS. ad nostram perfectionem pertinent

CAPVT XII.

vt faciat obtemperantis est opus 8. MS. obtemperantis fuit opus

quo ne penitùs *Omnia* MS. quo iam ne penitùs

quo ne moueretur 9. MS. quia ne moueretur

libero vtique arbitrio per quod se in inferno *Omnia* MS. liberi vtique arbitrij prauitate se in inferno

Quare cùm Dominus supponit manum *Omnia* MS. Quapropter? quia Dominus supponit manum

CA-

CAPVT XIII.

à Domino consequi precabantur *Omnia* MS. à Domino precabantur
viam meam. Alius autem,&c. *Hic* 8. MS. *codices adstipulante Carthusiano ex Psal.* 142. *sententiam interiiciunt ad hunc modum,* viam meam: Et, Notam fac mihi viam in qua ambulem. Alius autem,&c.

CAPVT XIIII.

Qui docet hominem scientiam *Omnia* MS. Qui doces hominem scientiam

CAPVT XV.

mandata tua. Vtique & intellectum 8.MS. mandata tua. Qui vtique & intellectum

voluntate. Quid potuit, &c. *Omnia* MS. voluntate. Et rursum, Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus intellectum. Quid potuit, &c.

illuminat cæcos. Non nostra *Omnia* MS. illuminat cæcos, quod Græcè dicitur κύριος σοφοῖ τύφλους, id est, Dominus sapientes facit cæcos. Non nostra

& superfluo impendenda 7. MS. & superfluè impendendo

à Domino est adiutorium *Omnia* MS. à Domino autem est adiutorium

in fortitudine sua potens vir *Omnia* MS. in fortitudine potens vir

potens vir. Oportet igitur, &c. 9. MS *cum B. Dionys.* potens vir: &, mendax equus ad salutem, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Oportet igitur,&c.

ex Deo est. Denique sequitur 9. MS. *legunt,* ex Deo est: quod minus Latinè, sed expressius dici potest, idoneitas nostra ex Deo est. Denique sequitur,&c. *Quam lectionem etiam apud Dionysium inuenire est.*

CAPVT XVI.

vt ne ipsam quidem fidem suam confisi sint *Dionys. cum* MS. *omnibus legit,* & ne ipsam quidem fidem suam confessi sunt

erga huius custodiam 8. MS. ad huius custodiam

sine sua opitulatione *Omnia* MS. sine sua cooperatione *Suffragatur quoque D. Dionys.*

si quid boni ipsius est 9. MS. *cum Dionys.* si quid bonum ipsius est

CAPVT XVII.

tentationes illicitas sustinere 7. MS. tentationes illatas sustinere

CAPVT XVIII.

cor vnum & viam vnam 8. MS. *cum Dionys.* cor vnum & animam vnam

& faciam eis pactum MS. *omnia cum Dionys.* & feriam eis pactum

CAPVT XIX.

& pro hoc 3. MS. & per hoc

circa nos benignè collatæ *Omnia* MS. erga nos benignissima dignatione collatæ

percuties eos 8. MS. percuties eas

& non ineat cum eis fœdus *Omnia* MS. & vtrum ineat cum eis fœdus

præstare nobis prouentus secundos *Omnia* MS. *cum Dion. legunt*, præstare nobis occasiones salutis, & prouentus secundos
Quam rationem etiam illorum 9. MS. Quam rationem etiam in illorum

CAPVT XX.

Quia non crediderunt 4. MS. *cum Dion*. Quia non probauerunt

CAPVT XXI.

cùm sit in nobis vel audiendi vel non audiendi facultas? *Omnia* MS. *cum Dion*. cùm vel audiendi vel non audiendi ipse nobis concesserit facultatem?

CAPVT XXII.

Si audisset me: & non attendistis illum qui ad audientem vel non audientem loquitur *Omnia* MS. Si audisset me: sed nequaquam quis sit qui ad audientem vel non audientem loquatur attenditis
ita pertentet assumere *Omnia* MS. ita conetur assumere
velit auferre. *Omnia* MS. tentet auferre
per legem perscriptam litteris *Omnia* MS. per legem scriptam litteris
His epulis nos saginatos Pafnutius *Dionys. cum* MS. *omnibus*, His nos sermonibus eruditos Abbas Pafnutius
vt cùm abrenunciationem primam tota virtute ac disciplina secundum omnia patrum instituta exequentes, per eandem solam attingenda nobis perfectionis culmina blandiremur *Omnia* MS. vt cùm per abrenunciationis primæ consummationem, quam toto virtutis nisu studebamus implere, attingenda nobis perfectionis culmina crederemus
de secunda abrenunciatione parum quid *Omnia* MS. de secunda abrenunciatione patrum
multis modis excedit, ne audisse quidem nos anteà penitùs nosceremus *Omnia* MS. multis modis præcedit, ne auditu quidem nos anteà percepisse nossemus

COLLATIONIS QVARTÆ

CAPVT I.

in diaconij est prælectus gradu *Omnia* MS. ad diaconij est prælatus officium
Intantum enim eidem 8. MS *omittunt* eidem *pro quo tria alia minoris momenti & auctoritatis legunt* idem
presbyteralis gradus honore *Omnia* MS. presbyterij honore
ordinis collatione donauit *Omnia* MS. ordinis adiectione donauit
electio valde fefellit *Omnia* MS electio frustrata est
decessorem præmisit ad Deum *Omnia* MS. *omittunt* decessorem

CAPVT II.

sacratissimorum sensuum redundemus *Omnia* MS. sacratissimorum sensuum repleremur
non dicam sermone percurrere *Omnia* MS. non dicam sermo subsequi
sensus occurrat *Omnia* MS. sensus occurreret

oratio

oratio quoque pinguis emittatur *Omnia* MS. oratio quoque pura
ad Deum sentiat penetrare *Omnia* MS. ad Deum peruenire sentiret
subito anxietate repleamur *Omnia* MS. subitò anxietate repleremur
mærore, vt non solùm, &c. *Omnia* MS. mærore premeremur vt non solum
arescere sentiamus *Omnia* MS. arescere sentiremus
ebria & grauis emittatur *Omnia* MS. ebria emittatur
intentius fuerit reuocata *Omnia* MS. intentius ad Dei reduceretur intuitum
spiritali fructu reddatur effecta *Omnia* MS. spiritali fructu redderetur effecta

CAPVT III.

Tripartita nobis super hac, &c. *Omnia* MS. *cum Dionys.* Tripartita nobis à maioribus super hac
tepore præcedente *Gembl. & Trud. legunt*, tempore præcedente *Nostræ vero lectioni accedit Carthus. & alia* MS.
indifferenter nosmetipsos *Omnia* MS. incircumspectè nosmetipsos
exhibemus per quam desidiam *Omnia* MS. exhibentes & per ignauiam & desidiam
& contemplatione deserti *Omnia* MS. & contemplatione ieiuni
bonis nonnumquam studiis deditos *Omnia* MS. bonis nonnumquam studiis dediti
mentem nostram irrepens *Omnia* MS. mentem nostram aduersario penetrante
ab optimis intentionibus abstrahit vel inuitos *Omnia* MS. ab optimis intentionibus abstrahimur vel inuiti

CAPVT IIII.

probationis Domini duplex causa est *In* 8. MS. *codicibus omittitur dictio* Domini *nos tamen eam reliquimus, eo quod sententiam illustret, & apud Dionys. legatur.*
sentiamus infirmitatem, & nequaquam super præcedente, &c. *Omnia* MS. humiliter intuentes infirmitatem, super præcedente, &c.
visitatione donata possimus extolli *Omnia* MS. visitatione donata nullatenus extollamur
fuisse infusam *Omnia* MS. fuisse collatam

CAPVT V.

& quantalibet annitentis industria *Omnia* MS. & quantumlibet animi nitentis industriam
hac qua dicitur 8. MS. hac qua dicitis
visitare non despicit *Omnia* MS. visitare non renuit

CAPVT VI.

vt probes *Omnia* MS. vt eos probes
protectio tua *Omnia* MS. protectio diuina
ne me vsquequáque deseras, id est *Omnia* MS. ne me vsquequaque deseras, quod Græcè dicitur μέχρι σφόδρα, id est, &c.
si me derelinquas paulisper ad tẽpus 9. MS. si me paululũ subrelinquas
me deserere volueris *Omnia* MS. me deseri patiaris
impugnatione deprimitur *Omnia* MS. impugnatione deprimeretur
numquam se sentiat *Omnia* MS. numquam se sentiret

nec inerti otio dissoluatur *Omnia* MS. nec inertia solueretur
& res prosperæ colliserunt *Omnia* MS. & prosperitas deiecerunt

CAPVT VII.

dispensatione Domini procurantem *Omnia* MS. dispensatione Domini procurante
qua pugna sublata *Omnia* MS. qua sublata

CAPVT VIII.

Licet nobis quædam intellectus lineæ iam prælucere videantur 8. MS. Licet nobis quidam intellectus in ea prælucere videatur
aduersus carnis concupiscentia *Sic legunt excusa exemplaria, sed Grammaticorum leges reclamant. Rectius ergo* MS. *omnia cum Carthusiano pro* carnis *habent* carnem *Quod hic lectorem admonitum voluimus, vt non miretur Cassianum à nobis multo alium quàm hactenus extitit in lucem emissum esse, cùm tam manifestis mendis passim scateant impreßi codices omnes.*
huius collationis occasio dedit *Omnia* MS. huius collationis occasio obtulit

CAPVT IX.

pars intelligentiæ est scire quod nescis MS. *omnia cum Dion.* pars intelligentiæ scire quid nescias
& quod non intelligebat intellexit 8. MS. *cum Dion.* & intelligit quod non intelligat
prudenter agnouit *Omnia* MS. prudenter agnouerit *siue* agnorit
tres res ab Apostolo *Omnia* MS. tres hoc loco res ab Apostolo
hanc videtur causam atque prouentum *Omnia* MS. hanc videtur habere causam atque rationem
vt ea quæ nolumus facere nequeamus *Deprauata est hæc lectio & à sententia Apostoli prorsus aliena, pro qua* MS. *omnia & Dionys. legunt,* vt ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus
quod volumus faciamus 9. MS. quod nolumus faciamus

CAPVT X.

pro agnatione *Omnia* MS. pro cognatione
vt ibi: Caro mea & ossa mea vos *Omnia* MS. vt ibi: Ecce nos os tuum & caro tua sumus *Hanc lectionem apud Dion. quoque videre licet.*

CAPVT XI.

& spiritalia significari sentimus 9. MS. & spiritalia designari
Apostolus in superioribus eiusdem sententiæ *Omnia* MS. Apostolus superius
ita incipiens *Omnia* MS. ita dicens
his quæ ad præsentem requiem pertinent & temporalibus deliciis gaudet *Omnia* MS. his quæ ad præsentem requiem pertinent deliciis gaudet
iugiter occupari festinans *Omnia* MS. iugiter occupari cupiens
ne ipsius quidem angusti panis *Omnia* MS. ne ipsius quidem exigui panis
adulantium turmis *Omnia* MS. adulantium cuneis
Hic squalore inaccessibilis eremi pascitur *Omnia* MS. Hic squalore sordium & inaccessibilis eremi vastitate congaudet

Hic

Hic irrogatis sibi contumeliis *Omnia* MS. Hic irrogatis sibi persecutionibus

CAPVT XII.

nec virtutum laboribus *Omnia* MS. *cum* *Dionys.* nec virtutum doloribus
sine quibus virtutes *Dion.cum* MS. sine quibus desideria
sine honoris mundi *Omnia* MS. sine honoris mundani
cum hominum laude ac feruore *Dionys.cum* MS. cum hominum laude ac fauore
insurgentia bella dirumperent 8. MS. insurgentia bella disruperint
æqua libratio iuste succedens *Omnia* MS. *cum Dion.* æquilibratio iusta succedens
nequaquam ea vitiis acquiescente *Omnia* MS. nequaquam eo vitiis acquiescente
vitiis acquiescente teterrimis *Omnia* MS. vitiis acquiescente terrenis

CAPVT XIII.

mente concipimus retardamur 8. MS. mente concipimus retrahimur
sicut est animus velox *Omnia* MS. sicut est animus eorum velox

CAPVT XIIII.

carnis soliditate deuicta *Dion. cum* MS. carnis soliditate deuincta
terrena materia corruit *Dionys. & complura* MS. *legunt*, terrena materia corrumpitur
multam conferat vtilitatem *Omnia* MS. multam nobis conferat vtilitatem

CAPVT XV.

& disciplinæ rectitudine *Omnia* MS. & disciplinæ linea
congruæ serietatis districtionisque excesserit *Quamuis Gembl. Beth. Mart. Rub. Vill. & Virid. legant* serenitatis *pro* serietatis, *præferenda tamen est lectio Trudonensis codicis, quæ sic habet*, congruæ seueritatis excesserit *Cui suffragantur Parc. Plant. Isa. & Dionys. Carthus.*
longo tempore genitali pollutione *Plant. & Parc.* longo tempore à genitali pollutione
commonetur pariter ne super excessibus *Omnia* MS. commonetur nec super excessibus

CAPVT XVI.

ad perfectionis peruenire feruorem 9. MS. ad perfectionis vnquam peruenire feruorem
vel continentiam teneremus 9. MS. vel continentiæ teneremus
atque retunderet aduersus 9. MS. atque retunderet & aduersus

CAPVT XIX.

aliter commemoratur *Omnia* MS. taliter commemoratur
spiritalem sensum 9. MS. spiritalem statum
summam perfectionem *Omnia* MS. summam perfectionis
à voluptatibus segregari vel quòd immunes sumus *Omnia* MS. à voluptatibus segregati vel quòd immunes simus
quos iam visceribus receperat *Omnia* MS. quos iam in visceribus receperat

noxios & tepefactos 9. MS. noxiè tepefactos
euelli ab eius visceribus *Omnia* MS. auelli ab eius visceribus
ori Domini illati sunt *Omnia* MS. ori Dominico illati sunt
etiam ore susceptum *Omnia* MS. etiam ore nostro susceptum
vitio teporis *Omnia* MS. vitio perniciosi teporis
ab illo semel spiritali feruore segnis *Omnia* MS. ab illo semel spiritalis feruoris igne
secundum illam sententiam *Omnia* MS. secundum illam Domini sententiam
ipse monachi se nomine prægrauari *Omnia* MS. ipso monachi se nomine prægrauari
Nouate nouale *Omnia* MS. Nouate vobis nouale

CAPVT XX.

hoc prætextu vel famulos semper *Omnia* MS. hoc prætextu quod vel famulos suos semper
vel certè obtentu congregandi cœtus reseruant quos velut Abbates 8. MS. vel certè sub obtentu congregandorum fratrum cupiditate, & instituendi monasterij simulatione cœtus reseruant, quem velut Abbates, &c.
Quod si in veritate 9. MS. Qui si in veritate
dum instituere cupiunt *Omnia* MS. dum alios instituere cupiunt
Vna quæ serietatem *Gembl. & Trud. legunt* serenitatem *Mart. & Carthusianus* veritatem *Vill. Rub. Beth. Virid. Parc. Plant. & Isa.* seueritatem
iugiter imitatur *Omnia* MS. iugiter ementitur
ex aperta carnali voluptate *Omnia* MS. ex aperto pro carnali voluptate *sed Gembl. Trud. Parc. Plant. & Isa. legunt* voluntate *pro* voluptate *Similiter & Dionys. Carthus.*
manifesti languores 7. MS. manifesti languoris

CAPVT XXI.

post primæ renunciationis ardorem *Omnia* MS. post illum primæ renunciationis ardorem
non magne proderit 7. MS. non magni proderit
illæ contemptæ sunt 9. MS. illæ contemnendæ sunt
sed immutasse probant 9. MS. sed commutasse se probant
sportellæ sagelli codicis 9. MS. *cum Dionys. legunt*, sportellæ saccelli codicis
commoueri atque litigare quod etiam turpius est non pudeat *Omnia* MS. commoueri eos, & quod est turpius etiam litigare non pudeat
necessitas cogit hi secundum numerum, &c. *Omnia* MS. *omittunt* hi
in minimis obligetur *Omnia* MS. *omittunt præpositionem* in
Ideo perfectionem cordis 9. MS. Ideoque perfectionem cordis

COLLATIONIS QVINTÆ

CAPVT IIII.

nobis insint nam nonnumquam 8. MS. nobis insederint nonnumquam

tentatur propria concupiscentia *Omnia* MS. tentatur à propria concupiscentia
materiæ illicitatione 5. MS. materiæ illectatione
non sufficit mentis intentio *Omnia* MS. non sufficit sola mentis intentio
castigatio corporis *Omnia* MS. castigatio corporalis
specialiter ad votum 8. MS. specialiter ad fomitem
Apostolus. In quibus ait 8. MS. Apostolus quibusdam ait
Vnde puritatem studentibus *Apertè deprauata est hæc lectio codicum impressorum, pro qua* MS. *cum Dion. constanter legunt*, Vnde puritati studentibus
vt harum naturalium passionum *Omnia* MS. vt harum carnalium passionum
remotio solitudinis apponenda *Omnia* MS. remotio solitudinis vtiliter apponenda

CAPVT VI.

In his tribus *Omnia* MS. In his ergo tribus
nisi ante genitricem *Omnia* MS. nisi ante generatricem
quod præuaricatione contraxit *Omnia* MS. quod præuaricationem contraxit
sed huius quadam similitudine 8. MS. sed huius quandam similitudinem
sperari ab eo 4. MS. sperare ab eo fructum
eam ausus est ingerere 8. MS. iam ausus ingerere
cùm esset vt lucifer *Omnia* MS. cùm esset lucifer
absque vllo incitamento 9. MS. absque incitamento
Illi namque dicitur *Omnia* MS. Illi namque dicit
hic dicit, si filius Dei es *Omnia* MS. hic, si filius Dei es

CAPVT VII.

quarum rationem *Omnia* MS. quarum narrationem
pro concupiscentia & voluntate sola 8. MS. pro cohibitione & concupiscentia voluntate sola
equidem cum affectatæ 8. MS. & quidem cum affectatæ

CAPVT VIII.

ad vsum ac necessitatem *Omnia* MS. ad vsum vel necessitatem
ita hanc eradicauerunt 8. MS. intantum hanc eradicauerunt
pulsentur vlterius, nihilominus, &c. 9. MS. pulsentur vlterius: At nihilominus

CAPVT IX.

Huius noni capitis argumentum ex Gemblacensi vetustissimo codice mutauimus, propterea quòd titulus qui passim præponitur, neque commodum sententiam, neque cum materia ipsius capitis conuenientiam vllam haberet: Quod etiam alibi subinde ex simili causa à nobis factum obseruare licet.

Nam solitarios quoque *Omnia* MS. Nam solitarios quosque

CAPVT X.

sequenti efficiatur exordium 4. MS. sequentis efficiatur exordium
aduersus sequentes nos inire *Omnia* MS. aduersus sequentes oportet nos inire
vt fornicatio subtrahatur *Omnia* MS. vt fornicatio subruatur
& maximè 8. MS. & vel maximè

vt superbia possit explodi 9. MS. vt superbia possit excludi
illa quæ commemorauimus ratione 8. MS. illa quam commemorauimus ratione
familiariter coniugatur 8. MS. familiariter coniungitur

CAPVT XI.

pro quo Her patriarchæ Iudæ filius *Ex cap. 38. Geneseos hæc lectio manifestè reprobari potest: non enim Her primogenitus Iudæ semen fudit super terram, sed Onan, quem Dominus percussit quòd rem detestabilem fecisset. Quamobrem rectius D. Dionys. & 8.* MS. *legunt*, pro quo Onan patriarchæ Iudæ filius
simili nos *Omnia* MS. similis nos
deterret exclusione *Omnia* MS. deterret exclusio
à nobis dispensata sunt 8. MS. à nobis dispersa sunt
desiderare acquirive compellit *Omnia* MS. desiderari acquirive compellit
deponite vos omnia iram 9. MS. deponite vos omnem iram
non vt illa feruens ad horam dirigitur 8. MS. non vt illa feruenter ad horam digeritur
reseruatur. Quæ omnia, &c. *Magna hic est lectionum varietas: Nam codex Plantinianus post verbum* reseruatur *interiicit hanc sententiam*, quod Manis dicitur. *Parcensis verò, & Isa.* quod Mehys dicitur *Iac. & Mart.* quod amutentum dicitur *Rub. Vill. Beth. Trud. Virid. & Gembl.* quod anni centum dicitur *Dion. Carth. nihil horum legit, sed cum excusis codicibus consentit. Rectius aut legeretur*, quod ἄλυς dicitur. *ἄλυς enim significat multam & longam mentis anxietatem: Inde ἀλυσθενῶ angor, exanimor, discrucior. Non erit etiam inconueniens si legamus μανίαν, quod videtur habere Plantinianum exemplar. Nam μανία significat insaniam illam qua mens tranquillitate & constantia vacua est.*
quod pro carnalibus 8. MS. quo pro carnalibus
secundum quod spiritalibus 8. MS. secundum quo pro spiritalibus

CAPVT XII.

immaculati esse credantur 8. MS. immaculati esse creduntur
Satius est *Omnia* MS. Satius enim est
cenodoxiæ laudibus compediris 8. MS. cenodoxiæ laudibus comprehenderis
fame ab hora tertia *Omnia* MS. fame etiam ab hora tertia
pulchrè in Regum libro *Omnia* MS. pulchrè satis in Regum libro
scilicet vt non eos *Omnia* MS. scilicet non vt eos
ad suas abduceret terras & longius asportandos *Omnia* MS. *omittunt copulam* &
in terra Ægypti capti *Omnia* MS. in terra Ægypti captiuati
& libertatem pristinam reuertemur 8. MS. & libertatem patriam reuertetur
Illos namque desperatius impugnat *Dion. &* MS. *omnia* Illos namque specialius impugnat

CAPVT XIIII.

ac meditationem sui cordis *Omnia* MS. ac meditationes sui cordis

& excipiat *Omnia* MS. & exploret
perſpexerit duriorem 9. MS. perſpexerit diriorem
redditur fortior *Omnia* MS. reddetur fortior
& infirmorum pugna 3. MS. & infirmiorum pugna
velut incautius 8. MS. velut incautus
quem indignum *Omnia* MS. qui ſe indignum
velut ſpecialem pugnam 8. MS. velut ſpecialem ſibi pugnam

CAPVT XV.

prouentum pugnæ atque victoriæ inflatus 7. MS. *cum Dionyſ. rectius legunt*, prouentu pugnæ atque victoriæ inflatus

CAPVT XXVI.

populus de hoc ſeptenario fomite vitiorum ac radice procedens *Omnia* MS. populus qui de hoc ſeptenario fomite vitiorum ac radice procedit
ſententiam intulerit 8. MS. ſententiam tulerit
manifeſtiſſimè perdocetur *Omnia* MS. manifeſtiſſimè perdocemur
paſſionum quam ſtudia virtutum 8. MS. *& Dion.* paſſionum vel vitiorum quam ſtudia virtutum

CAPVT XIX.

quod quantumlibet ardore *Omnia* MS. quod quantolibet ardore
in ciuitate ac miniſterio gaſtrimargiæ *Gembl. Trud. cum Dionyſ. legunt*, vicinitate ac magiſterio gaſtrimargiæ
naturalis viuet affectus *Sic legit Trudonenſis codex. & Mart. Gembl. verò cum aliis nonnullis pro* viuet *legit* viget
Ægypti dominationem non extinguimus *Omnia* MS. Ægyptiam nationem non extinguimus
Quod figuraliter *Omnia* MS. Quod ita figuraliter

CAPVT XX.

comprobatur gaſtrimargiæ ſpiritum 8. MS. comprobatur indiciis gaſtrimargiæ ſpiritum

CAPVT XXI.

redigerem quantitatem *Omnia* MS. redegerim quantitatem
doctrina hæc attingere *Omnia* MS. doctrina ita hæc attingere
de generali vitiorum cognitione 8. MS. de generali vitiorum cognatione

CAPVT XXIII.

Sed cùm ab Iſraële populo *Omnia* MS. Sed cùm ab Iſraëlis populo
plena gaudio lætitia MS. *omnia cum Dionyſ.* plena gaudio triſtitia

CAPVT XXIIII.

filij Sem fuerunt quondam *Omnia* MS. filij Sem fuerant quondam

CAPVT XXV.

inimicus voce magna 8. MS. inimicus tuus voce magna
iuſtæ diſcretionis *Omnia* MS. iuſtæ diſtrictionis

CAPVT XXVI.

Nam & nequiores 8. MS. Nam nequiores
hanc exercere debere 5. MS. hanc exhibere debere

CAPVT XXVII.

nec cognoſcere poteramus *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* nec cognoſcere penitùs anteà, nec diſcernere poteramus

COLLATIO SEXTA.

In ſeptem antiquiſsimis exemplaribus ponitur Abbatis Theodori Collatio poſt vtramque Sereni Abbatis Collationem, ſed Dionyſ. Carthuſianus hoc loco nobiſcum ponit.

CAPVT I.

vſque Arabiam 8. MS. vſque ad Arabiam

deficiunt fluenta Iordanis & Alphei ſui faciunt finem & cineres Sodomorum *Sic legunt paßim excuſi codices, niſi quòd pro* alphei *alij rectius legant* aluei *Sed Dionyſ. &* MS. *codices omnes ad hunc modum:* deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum, &c.

ampliſſima extenſione porrecta *Rectius* 8. MS. ampliſſima extenſione porrecti

ſummæ vitæ ac ſanctitatis viri monachi *Omnia* MS. *omittunt dictionem* viri

nos tamen vel noſtrorum 9. MS. nos tamen vel noſtra

tantum facinus conſenſiſſet *Dion. &* MS. *omnia,* tantum facinus conceſſiſſet

CAPVT II.

Sophonias propheta caſtigat *Omnia* MS. Sophonias propheta caſtigans

CAPVT III.

Tria ſunt enim *Omnia* MS. Tria ſunt omnia

his malè abuſi ſunt 8. MS. his malè vſi ſunt

verumetiam in virtute ſumma *Omnia* MS. verumetiam virtute ſumma

CAPVT IIII.

infligere, in cunctis 7. MS. infligere: Qui in cunctis

CAPVT VI.

& affectionibus eloquatur *Omnia* MS & affectibus eloquatur

creditur nec iniquo carcer nec equo calcar *Omnia* MS. creditur, nec equo calcar

CAPVT VIII.

pro crudelitatis ſuæ vitio *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* pro crudelitatis ſæuitia

fecit beatitudinem peruenire vel pertinere *Omnia* MS. fecit beatitudinem pertinere

CAPVT IX.

quia eum illuſtriorem 8. MS. qui eum illuſtriorem

In hoc eodem cap. poſt verba illa, ignauia ſui cordis ac puſillanimitate contraxerit *apud Dionyſ. Gembl. Trud. Mart. ſubiiciuntur verba quæ in* 10. *cap. in codicibus excuſis reperiuntur*, & ea quæ aduerſa ſunt, &c. *Quæ verò in hoc cap.* 9. *ſequuntur, apud illos ponuntur ad finem ſequentis decimi capitis: atque ita non aliud hic quam ſententiarum tranſpoſitio facta eſt.*

CA-

CAPVT X.

in scripturis sanctis ambidextri *Omnia* MS. in scripturis sanctis ἀμφοτεροδέξιοι, id est, ambidextri
& mox transitura 9. MS. & vt mox transitura
ad iracundiæ feruorem *Omnia* MS. cùm ad iracundiæ furorem
remotio cellæ similiter horreant *Omnia* MS. remotio cellæ simul horreant
Deo susceptos 3. MS. Deo subiectos *Dionys. legit* acceptos
ex valido tepidus *Omnia* MS. ex valido tabidus
durissimus prædo 5. MS. dirissimus prædo
de prioris gloriæ reliquiis 7. MS. de prioris gloriæ bonis
in aduersis causis *Omnia* MS. *cum Dionys.* in aduersis castus
carceris mitissimus vinctis 9. MS. *cum Dionys.* carceris mitissimus vinctus
Hic ergo *Omnia* MS. Hi ergo
de prosperis aduersisque capiamus 6. MS. de prosperis aduersisque capiemus
fuisse consecutum testatur *Omnia* MS. fuisse testatur

CAPVT XI.

quod in psalmis dicitur *Omnia* MS. quod in psalmo dicitur
ex persona Dei per Ieremiam *Omnia* MS. ex persona Dei ita per Ieremiam
Pro qua salutari emendatione 6. MS. *legunt* emundatione *Dionys. autem* emendatione
Paulò post hæc verba, Collationis auctor verba Ieremiæ ex 9. cap. tribuit Isaiæ: quod animaduertens Dion. Carthusianus pro Isaia substituit Ieremiam; Manuscripti codices tamen constanter legunt Isaiam.
Corripe, inquit, nos Domine 8. MS. Corripe, inquit, me Domine
vt ibi plagas *Dionys. &* 6. MS. vt vbi plagas
siue Core 4. MS. & sicut Core
non enim merentur salutari *Omnia* MS. non enim merentur saluari
Quibus per prophetam *Omnia* MS. Quibus etiam per prophetam
concretæ profunda rubigine 8. MS. concreta profunda rubigine
& consletur in medio eius 8. MS. *cum Dionys.* & compleatur in medio eius
caustica ignis indigent medicina 6. MS. castigatione ignis indigent medicina
animaduersiones siue vltionum causas 8. MS. animaduersionum siue vltionum causas
qui parum quidem *Omnia* MS. qui parum quiddam

CAPVT XIIII.

ad ea quæ ante se sunt semper extendens 8. MS. ad ea quæ in ante sunt se semper extendens
ad superiora condescendere *Omnia* MS. ad superiora conscendere
quisque illorum sanctorum *Omnia* MS. quisquis ille sanctorum

CA-

CAPVT XV.

ſi è cella non fuiſſet excurſus 6. MS. ſi è cella non fuiſſet excuſſus

CAPVT XVI.

in colluctatione quis &, vt ita dixerim, ſchemate conſtitutus *Locus obſcurus propter lectionum diuerſitatem: quamquam enim* MS. *omnia legant* in colluctationum quiſque vt ita dixerim : *pro eo tamen quod impreſſi libri habent* ſchemate *alij* ſcammate *alij* tramite *legunt. Iac. cum D. Dion. legit* caumate *hoc eſt aduſtione: Eſt enim* καῦμα *Græcum vocabulum quod nobis aduſtionem vel Siriaſin notat. Eſt autem apud Græcos magna affinitas litterarum* κ *&* χ *: ſimiliter quoque litterarum* υ *&* μ *: atque hinc fieri poteſt vt pro* καύματι *quidam legerint* σχάμματι.

Ad finem eiuſdem deſiderabantur in libris excuſis verba ſequentia : & quod magis verum eſt iuuantis gratiæ beneficio cuſtodiri : *quæ in* 8. MS. *codicibus & apud Dionyſium reperiuntur.*

CAPVT XVII.

virtute animæ decedente 8. MS. virtute animi decidente

Ante contritionem enim præcedit iniuria *Rectius Trud. & Carthuſianus*, Ante contritionem præcedit ruina *quamquam alia* 4. MS. *legant* incuria

monumenta tectorum *Omnia* MS. munimenta tectorum

riuatim poſt hæc influet 8. MS. vbertim poſt hæc influit

circumſpectam diligentiam retinens 8. MS. circumſpecta diligentia ſe retinens

ſenſus noſtri minus inquirere noueramus MS. 8. ſenſus noſtri inquirere non noueramus

COLLATIONIS SEPTIMÆ

CAPVT II.

vt ne ipſe quidem *Omnia* MS. vt ne ipſo quidem

euellens atque proiiciens 9. MS. auellens atque proiiciens

CAPVT III.

nec tamen *Omnia* MS. nec enim

robur aliquod firmitatis ſcientia nouimus aſſecutos 8. MS. robur aliquod firmitatis ac ſcientiæ nouimus aſſecutos

confuſionis aut pudoris *Omnia* MS. confuſionis & pudoris

exerceatur atque proficiat 7. MS. exerceatur atque perficiatur

vt à tepidis rudimentis 8. MS. vt à trepidis rudimentis *Et hoc modo etiam legit D. Dion.*

& firmo, vt ita dixerim, gradu diſciplinæ qualitate procedens 9. MS. & firmo, vt ita dixerim, gradu in illius diſciplinæ qualitate procedens

vt ſciam quid eſſe non poſſim non tamen apprehendere valeam, quod me eſſe debere cognoui ex quo, &c. 9. MS. vt ſciam quid eſſe non poſſim: ex quo, &c.

quam laborem tantum cordis contritione conferri 9. MS. quam luctum tanta cordis contritione conferri

conferri. Video namque me hac obseruantia nihil acquirere nisi dolorem inutilem vt numquam, &c. *Omnia* MS. conferri, vt numquam, &c.

voluerimus eum tenacissimis 8. MS. voluerimus tenacissimis

elabitur, ita vt hac intentione mentis laborem solummodo non profectum nos arbitremur aliquem esse cõsecutos ob quam rem 9. MS. elabitur. ob quam rem

CAPVT IIII.

necdum rebus rectè discursis *Omnia* MS. necdum rebus rectè discussis

præproperè definire 9. MS. proponere, definire, &c.

non de statu 8. MS. nec de statu

ferri aquarum leuitate ac liquore non posse 8. MS. ferre aquarum liquorem non posse

non solùm esse impossibile *Omnia* MS. non solùm non esse impossibile,

Mens semper mobilis *Omnia* MS. Νοῦς *itaque, id est, mens* ἀεὶ κινητὸς, καὶ πολὺ κινητὸς, id est semper mobilis

Vnde etiam in Sapientia *Omnia* MS. Quod etiam in Sapientia

scriptum est: Terrenum habitaculum *Omnia* MS. scriptum est γήϊνον οἴκημα βαρύνει νοῦν πολὺ φροντίζοντα, id est terrenum habitaculum, &c.

quo nos incassum dicitur *Omnia* MS. quod vos incassum dicitis

& immorandi robur acquirat 8. MS. & immorando robur acquirat

aduersus inimici suggestiones 8. MS. aduersas inimici suggestiones

quibus detrahebatur extrudere 9. MS. quibus distrahebatur extrudere

quæsierunt cogitationes multas 8. MS. *cum Dion.* quæsierunt cogitationes malas

Quicquid enim inueniri potest *Omnia* MS. Quicquid autem vt inueniri possit

CAPVT V.

perspicua significatione *Omnia* MS. hac tropica significatione *Sic etiam Carthus. legit.*

Sic igitur nos quoque *Omnia* MS. Si igitur nos quoque

poterimus ea 9. MS. potuerimus ea

propulsare si pro tantorum *Omnia* MS. *omittunt* si

Constitue tibi tribunos 9. MS. Constitue tibi chiliarchas *Cui lectioni Dion. suffragatur.*

habemus hanc imperandi potestatem 9. MS. habebimus hanc imperandi potestatem

aduersus spiritum concupiscentiæ stimulos *Omnia* MS. aduersos concupiscentiæ stimulos

sed spiritalia *Carth. cum* MS. sed potentia Deo

ad quos sint exercenda *Gembl. & Trud.* ad quos sint exerenda

in obedientiam Christi, præparati *Omnia* MS. in obedientiam Christi, & præparati

Quæ omnia sigillatim 8. MS. Quæ quidem quia sigillatim

fides

fides est quæ excipiens 8. MS. fides est scutum quæ excipiens
vitæ spatium prorogatur *Omnia* MS. vitæ spatium prærogatur
ab hostium telis *Omnia* MS. ab hostium semper telis
in illa quam voluerit *Omnia* MS. in illa qua voluerit
quomodo dilectos signet *Magna hic est in* MS. *exemplaribus lectionum diuersitas: Nam Plan. & Mart. legunt* quo eos delectu signet *Parc. & Isa.* qua eos dilectione signet *Virid. & Beth.* quo eos dilectos signet *Iac.* quoties eos dilectos signet *Rub. & Vill.* quomodo eos dilectos signet *Postremò Gembl. & Trud.* quo eos delectos signet *Atque hæc ex omnibus mihi maximè probatur, cui proximè accedit ea lectio quæ est in Plant. & Mart.*
Videtis bella Domini *Omnia* MS. Videtis ergo bella Domini
qui infirmatur inter vos 8. MS. qui infirmatur in vobis

CAPVT VI.

si mortificatas voluntates *Dionysius &* 8. MS. si mortificatas voluptates
vnus spiritus est cum eo *In omnibus* MS. *omittitur* cum eo *similiter quoque apud Dionysium.*
desperatione fraudamur *Omnia* MS. *cum Dionys.* desperatione frangamur
Nam qui suauis *Dionys. &* 4. MS. *legunt* sanus *sed Trud. & Gembl. cum impresso consentiunt.*
adhuc in seculo *Omnia* MS. adhuc in hoc seculo
Christi membrum *Omnia* MS. Christique membrum
quod in futurum dicetur *Omnia* MS. quod in futurum dicitur

CAPVT VIII.

ingerere voluissent 10. MS. inurere voluissent
non eis se confestim repulsa *Omnia* MS. non confestim repulsam

CAPVT X.

assumitur, etiam illorum substantiæ similiter coaptatur 8. MS. assumitur, non incongruè etiam illorum substantiæ similitudini coaptatur

CAPVT XI.

quod vidimus in arreptitiis *Omnia* MS. illud quod videmus in arrepticiis

CAPVT XII.

vel quod ea quæ ignorant 8. MS vel ea quæ ignorant
quidam verò tunc non norunt *Omnia* MS. quidam verò norunt
ab eis fieri credendum est *Omnia* MS. ab eis fieri posse credendum est
intercipit sensu, instigans ea quæ non vult vel quæ ignorat proloqui quod nonnumquam, &c. *Et D. Dionys. &* MS. *omnia sic legunt,* intercipit sensus; quod nonnumquam, &c. *nisi quod interiectam orationem Iacobæum exemplar in marginali spatio adscriptam habeat.*
& obruas intellectum 8. MS. *cum Dion.* & intellectu inuaso aut rationis organo per quam eum tibi resistere necesse est sauciato: neq; obruas intellectum
tuo pondere præfocato 8. MS. tuo pondere præfocans

CA-

CAPVT XIII.

tenuius quàm nostra sunt corpora *Dionys. & 8.* MS. tenuius quàm nos. Nam sunt corpora

corda hominum 8. MS. *cum Dionys.* corda filiorum hominum

CAPVT XIIII.

misisset in corde 8. MS misisset in cor

Quid ergo credi potest *Omnia* MS. Quomodo ergo credi potest

CAPVT XV.

in quæ propensius 8. MS. in quibus propensius

interiorem motum qui in abditis eius abscönditur, & vt manifestius aliquid exprimam in medullis &, vt ita dixerim ipsius latitantem *Omnia* MS. interiorem motum in medullis, vt ita dixerim, latitantem

oculum erexisse *Omnia* MS. oculum curiosius erexisse

seu viderint carnem commotam *Omnia* MS. seu viderint carne commotum

aduersus suggestiones immunditiæ suspirasse lasciuiam *Præferenda est lectio* MS. *exemplarium*, aduersus immundæ suggestionis suspirasse lasciuiam

seu vultum considerauerint 9. MS. si vultum considerauerint

fieri videmus *Omnia* MS. fieri videamus

CAPVT XVI.

cautè spargentes manu 8. MS. cauta spargentes manu

ad earum lapsum *Omnia* MS. ad arenarum lapsum

thesaurum nostri corporis *Dionys. &* MS. *omnia* thesaurum nostri cordis

CAPVT XIX.

Non enim poterit *Omnia* MS. Numquam enim poterit

quemadmodum dixisti *Omnia* MS. quemadmodum dixistis

humilitati submitti *Omnia* MS. humilitate submitti

CAPVT XXI.

nec luctatio *Omnia* MS. nec colluctatio: *quæ est genuina lectio.*

simplex tantum, & vt ita dixerim 8. MS. simplex tantum vt ita dixerim

Vbi enim agon indicitur *Omnia* MS. Vbi enim agon dicitur

necesse est vtrorumque 6. MS. necesse est vt & vtrimque

gaudium consequatur & palma *Omnia omittunt* & palma

cadat in ipso *Omnia* MS. cadat in ipsum

interioris hominis oculos possidet *Omnia* MS. interioris hominis oculos possidebat

euenire eis valeat ista lætitia *Omnia* MS. eueniret eis ista lætitia

& quærat à Deo *Omnia* MS. & quærit à Deo

super casso labore suo *Omnia* MS. super cassato labore suo

intelligere scelestum est *Omnia* MS, intelligere per quàm scelestum est

CA-

CAPVT XXII.

in nullo hominum 9. MS in nullum hominum
cùm animalia muta *Omnia* MS. cùm in animalia muta
ita dicentis *Omnia* MS. ita dicens

CAPVT XXIII.

Satis tamen nobis experientia 9. MS. Satis tamen nobis & experientia
expergefactis ad eorum qui dormituri erant custodiam *Omnia* MS. expergefactis aliis ad eorum qui dormituri erant custodiam
iunioribus ætate conferre 9. MS. iunioribus ætate conferri
ab impugnatione nostra pristina *Omnia* MS. ab impugnatione pristina
hac scilicet fraudulentia visibilium tentationum sine cessatione durius elidentes *Hunc locum ex Trudonensis Abbatiæ codice ita restituendum putamus*, hac scilicet nos fraudulentia inuisibilium tentationum dirius elidentes *Cui lectioni adstipulatur Carthusiani Paraphrasis, & sex alia* MS. *exemplaria, nisi quod in his pro* inuisibilium *legatur* visibilium

CAPVT XXIIII.

munitione diuina nudatos facile 9. MS. munitione diuina post facile

CAPVT XXV.

Licet multo grauius 8. MS. Licet multo illis grauius
patiatur inueniri diuina clementia omnem sordis eorum scoriam, &c. 8. MS. patitur inuenire diuina clementia omnem cordis eorum scoriam, &c. *Sic ferè Carthusianus.*

CAPVT XXVI.

inobediens fuit ori Domini, tradidit eum *Omnia* MS. inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum
& continentia vexatoris *Omnia* MS. & continentia prædatoris
in Abbate Paulo vel Moyse 8. MS. in Abbate Paulo & Moyse *Suffragatur & D. Dion.*
quam solitudinem nunc olim factam *Omnia* MS. quam solitudinem olim factam
obseruantia disciplinæ iustitiæ *Omnia* MS. obseruantia disciplinæ iustæque discretionis
Sed delato ad cœnobium *Omnia* MS. Nam delato ad cœnobium
quod de cadauere suo *Omnia* MS. quod cadauere suo
eius spiritus sancti virtute præstari 9. MS. ei spiritus sancti virtute præstari

CAPVT XXVII.

atque aucto remedio demonstrauit *Etsi Vill. Isa. Plant. & Parc. legant*, atque auctoritate remedij demonstrauit, *præferenda tamen videtur lectio Trudonensis & Gembl. quibus accedunt quinque alij* MS. *codices qui sic habent*, atque auctore remedij demonstrauit *Quam lectionem Paraphrasticè exponens Dionysius Carthusianus reddidit ad hunc modum*: demonstrauit velocitate curationis Moysi, & auctore remedij, puta Machario: Mox enim vt Macharius orauit pro Moyse spiritus nequam ab eo recessit citius verbo.

CA-

CAPVT XXVIII.

vt spiritu salui fiant *Omnia* MS. vt spiritus saluus fiat

CAPVT XXX.

impartire eam debere *Omnia* MS. impartiri eam debere
in ipsis latitare conatur 9. MS in ipsis latitare cognoscitur
velut quodam exurens fugat incendio *Dionys. cum* MS. velut quoddam exurens fugat incendium
inimicus insultabit offenso *Dionysius & MS.* inimicus insultabit obsesso
tantoque durius ac frequentius 9. MS. tantoque dirius ac frequentius

CAPVT XXXI.

thesaurizant sibi iram *Omnia* MS thesaurizat sibi iram
in quo vermes eorum non morientur *Omnia* MS. in quo vermis eorum non morietur
causam tamen 9. MS. causas tamen
Verumtamen si ita iusta loquar ad te MS. *omnia cum Dionys.* Verumtamen iusta loquar ad te
Prope esto ori eorum 9. MS. *cum Dionys.* Prope es tu ori eorum
respondent vt desperantes angeli *Omnia* MS. respondent desperantes angeli

CAPVT XXXII.

Tot autem esse immundos spiritus 8. MS. *cum Dion.* Tot autem esse in immundis spiritibus
non dubiè comprobantur 9. MS. non dubiè comprobatur
in nociuis incubationibus *Omnia* MS. innocuis incubationibus *Et D. Dion. legit*, pernoctant in innocuis incubationibus
affligere illos sæuissima cæde *Omnia* MS. afficere illos sæuissima cæde
bellis sanguinis quoque effusione *Omnia* MS. bellis quoque & sanguinis effusione
in quosdam fastus gutturisque *Dionys. &* 9. MS. in quosdam fastus gestusque
& ad familiaritatis statum 9. MS. & affabilitatis statum
esse velut illustres *Omnia* MS. seseque velut illustres
quosdam spiritus propheta enumerat *Omnia* MS. quosdam spiritus esse propheta enumerat
qui pilosi, quæ sirenæ, quæ lamiæ, quæ vlulæ *Omnia* MS. qui pilosi, qui sirenæ, qui lamiæ, qui vlulæ *Sic etiam legit Carth.*
quæ spiritalia nequitiæ *Omnia* MS. quíve spiritalia nequitiæ
ferocitatis suæ per quam principatum inter cæteras spiritales nequitias obtinuit leonis appellationem *Dion. &* MS. *omnia*, ferocitatis suæ leonis appellationem, &c.

Circa huius capitis 32. dimidium commissus est similis error ab auctore istius collationis, qualem in præcedentis collationis vndecimo cap. notauimus. Nam scriptura illa, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, non ex quarto, sed ex tertio Regum volumine sumpta est, quod mirum est à D. Dionysio non fuisse obseruatum.

CAPVT XXXIII.

Apostolus dinumerat *Omnia* MS. Apostolus enumerat
tantæ nequitiæ extiterint gradus *Omnia* MS. tanti nequitiæ extiterint gradus
& quemadmodum huic nequitiæ militarent *Omnia* MS. & quodammodo huic nequitiæ militarent

CAPVT XXXIIII.

de vestro pensiori colloquio *Omnia* MS. de vestro propensiori colloquio
quoniam hoc facere *Omnia* MS. quoniam nos hoc facere

COLLATIONIS OCTAVÆ

CAPVT I.

Nam pro muriæ quæ superiecta olei gutta, &c. *Ita passim legunt impressi codices; at Dionys. & 8.* MS. *vetustiora exemplaria rectius ad hunc modum:* Nam pro muria quæ superiecta olei gutta *Reliqua etiam exemplaria deprauate legunt* pro amurca
quotidianæ refectioni instillat *Omnia* MS. quotidie refecturus instillat
meatus non dicam vngere 7. MS. meatus non dicam linire
quæ quanto occultius *Omnia* MS. quia quanto abstinentia ipsa occultius
apposuit salem frictum, oliuas ternas *Ita legunt vetustiores libri, quibus Dionys. assentitur, pro quo alij habent,* apposuit sale frictas oliuas ternas
quam mature prolatam, ad huius horæ distuleramus indaginem *Omnia* MS. cuius in hanc horam distuleramus indaginem

CAPVT II.

tanta malitiæ diuersitas æmula nobis emersit? *Omnia* MS. tantæ malitiæ æmula nobis emersit aduersitas?
ordinibus militarentur MS. *omnia legunt* ordinibus militarent

CAPVT III.

quædam tam lucide etiam his qui acumen ingenij minus possident, euidenter effata est. *Rectius* MS. quædam etiam his qui acumine ingenij carent, tam lucide euidenterque effata est
sensus obscuritate velentur *Omnia* MS. sensus obscurentur seu velentur vmbra
indigeant, in superficie vocis *Omnia* MS. indigeant, & in superficie vocis
intellectus ac sententias præferentia *Omnia* MS. intellectus ac sententias præferant
obscurata mysteriis edidit *Omnia* MS. obscurata mysteriis sunt
scientia & notitia paterent 9. MS. scientia & notitia panderentur
& diligentia studiosorum, ac puritas cordis eorum, mentisque industria probaretur *Omnia* MS. & studiosorum alacritas atque industria probaretur

agrò optimo ac fertili 8. MS. *legunt* opimo *Dionyſ.* pingui
vel incongrua erunt *Omnia* MS. vel incongrua ſentientur
in vtrumque apta naſcuntur 8. MS. in vtrumque modum vſui apta noſcuntur
ignis calore lenita *Omnia* MS. ignis calore decocta
& animalium mitium vel ferarum ſeu volatilium oriuntur vſum *Omnia* MS. & animalium vel ferarum ac volucrum proferuntur
ſi allegoriæ explanatione 8. MS. ſi allegorica explanatione
ſine corruptionis labe 8. MS ſine corruptionis clade
ita commoda ſunt ac neceſſaria *Omnia* MS. ita commodè ac neceſſariè capiuntur
vitales animæ ſuccos impartiantur *Omnia* MS. vitales animæ ſuccos ſubminiſtret
ſimplex ſcilicet puraque narratio hiſtoricæ lectionis *Omnia* MS. ſimplicem ſcilicet puramque narrationem hiſtoricæ lectionis
ſecundum ſtatum ac menſuræ condicionem 8. MS. ſecundum ſtatus ac menſuræ ſuæ condicionem

CAPVT IIII.

neutra earum poteſt abſurda iudicari *Omnia* MS. poteſt vtraque rationabilis iudicari
cùm quælibet earum fidei non inueniatur obſiſtere *Omnia* MS. cùm neutra earum fidei inueniatur obſiſtere

CAPVT V.

quæſtio à nobis propoſita 8. MS. *cum Dionyſ.* quæſtio à vobis propoſita

CAPVT VI.

in bonæ voluntatis affectum. Non enim quis fixas atque immobiles natiuitatis ſeu naturæ ſuæ condiciones qualibet induſtria poterit immutare, nec vllo modo valebit non eſſe quod natus eſt, quemadmodum ne nos quidem condicionem mortis euadere, qui ob Adæ peccatum mortales naſcimur, nec angeli mortales effici, qui ita creati ſunt vt mori non poſſint. Hanc igitur, &c. *Tota hæc ſententia parentheſi interiecta in omnibus* MS. *& Carthuſiano omittitur. In Iacobæo autem exemplari poſita eſt in marginali ſpatio, vbi pro* angeli *legitur* angelos.

CAPVT VII.

creationis & officij ſui *Omnia* MS. creationis & opificij ſui
ac non habens *Omnia* MS. ac tamquam non habens
exerceret beneficia, ſolus extiterit, atque ab omni ſolita præſtandi munificentia fuerit alienus. *Omnia* MS. exerceret beneficia, ſolitarius atque ab omni munificentia alienus fuiſſe credatur
omnes boni angeli mei *Dion. &* MS. *omnia* omnes angeli mei
videntes eas ex nihilo proceſſiſſe *Omnia* MS. quas videbant ex nihilo proceſſiſſe
quodque mundo huic ſecundum hiſtoricum, imò Iudaicum ſenſum coæuum eſſe deſcribitur *Omnia* MS. quodque mundi huius ſecundum hiſtoricum, imò Iudaicum ſenſum ſignat ætatem

siue angeli, siue throni *Omnia* MS siue angeli, siue archangeli, siue throni
Ad finem capitis huius in excusis libris desiderantur hæc verba: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. *quæ & apud Dion. & in omnibus* MS. *inueniuntur adiecta.*

CAPVT VIII.

Quos tamen nonnullos *Parc. & Plant.* quos tamen non solos
ex illa beatissima statione ruisse *Omnia* MS. ex illo beatissimæ stationis apice ruisse
multos de principibus *Omnia* MS. multos principes
Quibus indiciis hoc ratio *Omnia* MS. quibus indiciis ratio
ratio diuersitatis huius colligitur 9. MS. ratio diuersitatis huius ita colligitur
vel certè de cælestibus *Dion. & 4.* MS. *omittunt aduerbium* certè
pro nequitiæ suæ merito in quæ in malum vnaquæque profecit *Omnia* MS. pro nequitiæ suæ merito in qua vnaquæque in malum creuit
hos inter se gradus *Iacob. Mart. Gembl. & Trud.* hos interim gradus
seu ordinum vocabula *Omnia* MS. & ordinum vocabula

CAPVT IX.

inuidiam extitisse *Omnia* MS. inuidiam specialiter extitisse
quando Adam dumtaxat & Euam *Omnia* MS. quando Adam & Euam

CAPVT X.

nota inussit *Omnia* MS. nota credidit inurendum
per quam inueniens *Omnia* MS. quæ inueniens
in sese erectum habentem 9. MS. in sese rectum habentem
cum homine haberet 7. MS. cum homine posset habere
sententia Domini vtilissimè eum in ima deiecit 9. MS sententia Domini vtiliter in ima deiectus est
sublime aliquid intuens incederet *Omnia* MS. sublime aliquid intuens excelsus incederet
reperet potius & humiliatus *Omnia* MS. reperet & humiliatus

CAPVT XII.

nec otiosi versantur *Omnia* MS. nec otiosi peruolitant
vtiliter ab humanis aspectibus *Omnia* MS. *omittunt præpositionem* ab
Nam non solum terrore *Omnia* MS. Aut enim terrore
in quo se *Omnia* MS. in quos se
consternarentur, nequaquam valentes, &c. *Omnia* MS. consternarentur atque deficerent nequaquam valentes, &c.
oculis intueri, sed etiam in ampliorem nequitiæ modum quotidiano iugique eorum exemplo & imitatione succensa gens humana proficeret *Omnia* MS. oculis intueri, aut certè nequiores quotidiè redderentur, exemplis eorum iugibus & imitatione vitiati
dum hæc flagitia quæ cùm inter homines *Omnia* MS. quia hæc flagitia quæ nunc inter homines
celantur, aperta visione iugiter intendentes *Omnia* MS. celantur, quæ si aperta visione iugiter conspicerent

nulla

nulla scilicet interueniente quiete, qua ab istis *Omnia* MS. nullo scilicet interueniente temporis puncto, quo ab istis
eos cernerent desinentes *Dionysius & MS. omnia* eas cernerent desinentes
quippe quos nulla lassitudo *Dionys. & MS. omnia* quippe quas nulla lassitudo
occupatio familiaris ac distentio *Omnia* MS. occupatio familiaris rei ac sollicitudo

CAPVT XIII.

homines impetunt, nequaquam eos à flagitiorum crimine perurgere cessantes etiam contra se, &c. *Omnia* MS. *omittunt orationem illam parenthesi inclusam.*
inimicanti populo Dei 9. MS. inimicam populo Dei
semetipsum liuens obiicere festinauit ne ocyus ad Danielem salutaris angeli consolatio peruolans, Dei quoque populum cui Gabriel archangelus præerat confortaret *Omnia* MS. semetipsum lubens, ne ocyus ad Danielem salutaris angeli consolatio perueniret, Deiq; populum cui Gabriel archangelus præerat confortaret, obiecit. *Sic quoque Dionys. legit.*
se facere potuisse *Omnia* MS. se ad eum peruenire potuisse
qui occurrens *Omnia* MS. & occurrens
ab ipsius impugnatione subripiens *Omnia* MS. ab ipsius impugnatione defendens
commeare fecisset *Omnia* MS. peruenire fecisset
nationi Persarum erat aduersus 8. MS. nationi Persarum videbatur aduersari
vel gaudere eas victoria *Omnia* MS. vel gaudeant victoria
vel diminutione tristari *Omnia* MS. vel diminutione crucientur
& ob hoc non posse *Omnia* MS. & ob hoc non possint
inter se quietas aut concordes existere *Omnia* MS. inter se esse concordes

CAPVT XIIII.

confessione testantur quæque spiritalia nequitiæ ab Apostolo nuncupantur suos exerceant principatus *Omnia* MS. confessione testantur, suos exerceant principatus
suas dominationes exerceant *Omnia* MS. dominationis suæ ditionem exerceant
nisi fuerint in quos potestates aut principatus suos agant *Omnia* MS. nisi fuerint super quos sibi vendicent principatus
designari calumniantibus Pharisæis 8. MS. designari blasphemantibus Pharisæis
in quibus in hoc seculo *Omnia* MS. supra quos in hoc seculo
vel principatus agere cognoscuntur *Omnia* MS. vel principatus administrare noscuntur

CAPVT XV.

Nam quia in bonam partem horum ordinum vocabula. *Omnia* MS. Nam quia bonæ parti eadem ordinum vocabula

sed officiorum vel meritorum *Omnia* MS. & officiorum vel meritorum
principes atque priores *Omnia* MS. *omittunt* atque priores
& quodammodo sit in eis firmius reclinata *Omnia* MS. & quodammodo in eis firmius reclinetur

CAPVT XVI.

Regi autem hos immundos spiritus *Omnia* MS. Regi autem immundos spiritus
templum quoddam reperiens *Omnia* MS. *cum Dionys.* antrum quoddam reperiens
vndique in vnum confluentium *Omnia* MS. vndique confluentium
constipatione ac deiectione longissima *Dionysius & MS. omnia* constipatione atque ordine longissimo
aliæ suo agmine sequebantur *Omnia* MS. aliæ sequebantur
aspectu terribilior turmis infinitis circumseptus aduenit *Omnia* MS. cunctis terribilior aduenit
iniuria summa iubebat expelli *Omnia* MS. iniuria iubebat expelli
inaniter ab eis expensum *Omnia* MS. inaniter expensum
cum fremitu & indignatione furoris *Omnia* MS. cum fremitu furoris
fauore cunctorum velut victores palmis remuneratos ac redimitos sertis, vtque fortissimos bellatores *Omnia* MS. fauore cunctorum, vt fortissimos bellatores
cum quadam sacra puella impulisse, vt stupri crimen incurreret dicebat *Omnia* MS. cum sacra puella non solùm impulisse, vt stupri crimen incurreret, sed etiam persuasisse, vt eam sibi iure coniugij retentaret
Super cuius hac prosecutione *Omnia* MS. Super cuius relatione
laudibus iste prælatus *Omnia* MS. laudibus eleuatus
nouerat commanere *Omnia* MS. nouerat commorari
qua deterrimus ille dæmon *Omnia* MS. qua teterrimus ille dæmon

CAPVT XVII.

qui illum semper protexerit 9. MS. qui illum semper protexerat

CAPVT XVIII.

Hi autem despicientes *Omnia* MS. Hi namque despicientes
velut Christianum hominem & imperitum *Omnia* MS. velut imperitum
ac sine litteris: volentesque eum & si nihil amplius *Omnia* MS. ac sine litteris virum volenteque eum si nihil amplius
ad impugnationem morsu liuoris adducti 9. MS. ad impugnationem hanc morsu liuoris adducti
ad eum quotidiè conuenirent *Omnia* MS. ad eum velut famulum Dei quotidiè conuenirent
nunc verò ad orationem *Omnia* MS. nunc verò orationi
in nequitia vehementiores 8. MS. in nequitiam vehementiores
suas expendentibus vires 7. MS. suarum nequitiarum expendentibus vires
sola magica arte quæsitæ 8. MS. tanta magica arte quæsitæ

CA-

CAPVT XIX.

Recurso autem die vel tempore asseruit se beatus Antonius amarissimis, &c. *Omnia* MS. Requisito autem ab illis proditæ impugnationis die asseruit se amarissimis, &c.
velut familiaribus suis obtemperant *Omnia* MS. velut familiaribus adulantur
domesticos eius effectos *Omnia* MS. *omittunt* effectos

CAPVT XX.

Illud quoque euangelistæ *Omnia* MS. Illud quoque euangelij

CAPVT XXI.

nunc quoque vel frequenter vel rarò idipsum non euenire contingeret 8. MS. nunc quoque idipsum vel non raro contingeret
iam fuerunt in seculis *Omnia* MS. non fuit in seculis
Sed ista quæstio historiæ huius *Plant. Parc. & Carth. legunt* Sed ita quæstio propositionis huius
fraternæ pietati succederet *Omnia* MS. fraternæ iustitiæ pietatique succederet
velut attaui traditione *Quædam* MS. *cum Dionys. legunt* velut antiqua traditione *Trudonense verò, Parc. & Plant.* velut auita traditione
pro merito sanctitatis tam suæ quàm patrum angeli Dei, &c. *Omnia* MS. pro merito sanctitatis angeli Dei
in quem tanta est *Omnia* MS. in quem tanta fuit
ita poterat efficaciter dicere *Omnia* MS. ita vt potuerit efficaciter dicere
Dominus dedit mihi bonorum horum *Omnia* MS. Dominus dedit mihi eorum
stellarum dispositiones vim spirituum *Omnia* MS. stellarum dispositiones naturas animalium & iras bestiarum & vim spirituum
& improuisa 9. MS. & in promptu cognoui
instinctu quidem dæmonum *Omnia* MS. instinctu quoque dæmonum
vt sacra illa cultura *Omnia* MS. vt sacro illo cultu
aquarum non corrumperentur iniuria *Omnia* MS. aquarum inundatione corrumpi non possent
quare ille cælauerat *Omnia* MS. qua cælauerat
Hi namque fines inuadere *Omnia* MS. Hi namque finitimos populari
rapinas inter homines agere *Omnia* MS. rapinas inter homines exercere
præda potius exigere *Omnia* MS. præda potiùs exigentes
necesse fuerat *Omnia* MS. necesse fuit

CAPVT XXII.

præsumptione vel nouitate coniugij *Omnia* MS. præsumptione coniugij
At cùm reiunctionis istius *Omnia* MS. At cùm seiunctionis istius

CAPVT XXIII.

intrinsecus tenebatur insertum *Omnia* MS. intrinsecus vigebat insertum
corrumpi cœpit libertate *Omnia* MS. penitùs corrupta iam fuerat libertate
seuerissima diraque districtio *Omnia* MS. seuera districtio
sententiam legem dans in adiutorium *Omnia* MS. sententiam dicentis legem dedit in adiutorium
animal decreuisset *Omnia* MS. animal discreuisset
monitus Abraham deuictis hostibus nihil accipere de eorum spoliis acquiescit *Omnia* MS. monitus Abraham spoliis hostium quæ sibi offerebantur
Dominus vnus est 5. MS. Deus vnus est

CAPVT XXIIII.

necesse esset superinduci *Omnia* MS. necesse esset adiungi
subsannantesque dicunt *Omnia* subsannantesque respondent
passus hominem sine lege transire *Omnia* MS. passus sine lege transire
immensæ præscientiæ Dei 6. MS. immensæ sapientiæ Dei
hæc de ipsa hæretica insania proferentur *Omnia* MS. hæc de ipso ab hæretica insania proferuntur
naturalis illius atque insitæ legis *Omnia* MS. naturalis atque insitæ legis
extrinsecus adhibita litteris descripta *Omnia* MS. extrinsecus adhibita litterisque descripta
naturali lege & integra permanente *Omnia* MS. naturali lege nec ad integrum violata
pro minimo dente *Omnia* MS. pro vno dente
declinarent verò inimicos *Omnia* MS. declinarent verò ab inimicis

CAPVT XXV.

carnis & animæ Apostolo pronunciante & quæ quo auctore procedat manifestiùs explanante *Omnia* MS. carnis & animæ quæ cui adscribatur auctori Apostolo manifestiùs distinguente
Quod quia & in ipsa *Omnia* MS. quamquam & in ipsa
ita deseruit *Omnia* MS. ita disseruit
Quibus testimoniis *Omnia* MS. Itaque his testimoniis
cùm voluerit facit subsistere *Omnia* MS. *omittunt* subsistere
carnis patres *Omnia* MS. carnis nostræ patres
vel Adam mortalem faciens *Omnia* MS. vel Adam in condicionem mortalitatis inducens
diei tertij subsequens aurora concludit *Omnia* MS. *omittunt* diei tertij
nauiculam collationis huius 8. MS. cymbam collationis huius
compendio nostræ rusticitatis *Omnia* MS. compendium nostræ rusticitatis
In quod nos quidem profundum *Omnia* MS. In quo nos quidem profundo
& sapientes prudentesque poterit conseruare *Omnia* MS. & sapientes in omnibus faciat

& à

& à diaboli telis protegere & custodire *Omnia* MS. & à diaboli telis protegat

laqueos eius incurrere *Omnia* MS. laqueos mortis incurrere

ac facilius facit *Trud. legit* ac stabilius facit

in illis verò *Omnia* MS. in his verò

citius facit eos *Omnia* MS. citius compellit eos

ita sermonibus eius accensi sumus *Omnia* MS. ita nos collationis huius sermo inflammauit

vt cum maiore sitis ardore ad cellam nostram reuerteremur quàm ad ipsius veneramus *Omnia* MS. vt cum maiore mentis ardore abeuntes à cella senis quàm antè venientes doctrinæ eius plenitudinem sitiremus

COLLATIONIS NONÆ

CAPVT II.

Ac perfectam nititur puritatem *Omnia* MS. ac perpetuam nititur puritatem

Inseparabilisque coniunctio inuicem sibi mutua ratione connexa *Omnia* MS. *omittunt* inuicem sibi mutua ratione connexa

de orationis affectu *Gembl. & Trud.* de orationis effectu

admittent quia nec superposita poterunt molem tantæ celsitudinis sustinere nisi prius vt communi vsus verbo proprius aliquid exprimam diligenter egesto prius, &c. *Omnia* MS. admittent nisi egesto prius, &c.

& effossis succiduis 6. MS. & effusis succidiis

euangelicæ petræ in sublime scansura superiecta fuerint *Omnia* MS. euangelicæ petræ superiecta fuerint

CAPVT III.

patere ac notati conspectibus *Omnia* MS. patere conspectibus

turrem pulsaturam cælos *Dionysius cum* MS. *legit* turrem intraturam cælos

mens atque animus *Omnia* MS. *omittunt* atque animus

CAPVT IIII.

ad Deum vel ipsa vel oratio eius *Omnia* MS. ad Deum oratio eius

prægrauata vltrà cælorum fastigia possit ascendere *Omnia* MS. prægrauata conscendat

CAPVT V.

secundum litteram perpetrata quod carnalem faciant & aggrauent animam *Omnia* MS. secundum litteram perpetrata aggrauent animam

dubitare non possumus esset tamen, &c. *Omnia* MS. est tamen

facilis declinatio si huc vsque pertingeret istius præcepti necessitas & maximè *Omnia* MS. facilis declinatio & maximè

ab omni actuali *Omnia* MS. ab omni seculi

crapula non minus noxia & ebrietas 8. MS. crapula & ebrietas

mouemini & non ab ebrietate *Parc.* vomite & non ab ebrietate

absque vsu & ebrietate *Omnia* MS. absque ebrietate

epularumque deliciis & affluentia *Omnia* MS. epularumque omnium affluentia

trium vel quatuor fieri domini procuremus *Pro.* domini *Parc. codex legit* nobis, *Mart. verò Rub. & Corſ. legunt* demum *Dionyſ. Carth. nihil horum : & in alius aliquot* MS. *vocabulum* domini *expunctum eſt , verùm non rectè: : Vult enim dicere Abbas Iſaac , quòd etſi duarum tunicarum velamen ſufficiat, his tamen non contenti , procuremus trium vel quatuor tunicarum domini fieri.*

& has eaſdem exquiſito ornatu *Omnia* MS. & has eaſdem exquiſiti ornatus

CAPVT VI.

noſtris mentibus non ineſſe 7. MS. noſtris mentibus ineſſe

obnubi nec apud cunctos homines ex aperto reprehenſibiles faciunt rigida mentis diſtrictione *Omnia* MS. obnubi rigida mentis diſtrictione

aggrauant monachi mentem *Omnia* MS. aggrauant mentem

ſecundum ſuum ſtatum ſeu comparationem *Omnia* MS. *omittunt* ſeu comparationem

CAPVT VII.

aliis caſualiter irrepentibus *Omnia* MS. aliis irrepentibus

diutius retardemus de qua principaliter ſitimus inſtitui ſuo hanc tempori reſeruantes *Omnia* MS. diutius retardemus ſuo hanc tempori reſeruantes

qua finem monachi 6. MS. qui finem monachi

CAPVT VIII.

cordis atque animi puritate 9. MS. cordis contritione atque animi puritate

ipſæ quoque momentis ſingulis reformantur 9. MS. ipſa quoque momentis ſingulis reformatur

CAPVT IX.

vtrum hæ ſpecies *Omnia* MS. vtrum hæ quatuor ſpecies

CAPVT XII.

vouemus Deo , vnde legitur, vota mea, &c. *Omnia* MS. vouemus Deo quod Græcè dicitur εὐχή, id eſt votum : nam vbi dicitur in Græco , τὰς εὐχάς μου ἀποδώσω τῷ κυρίῳ , in Latino legitur, Vota mea, &c.

ne moram feceris redde illud *Omnia* MS. ne moram feceris reddere illud

illud, id eſt, ſi oraueris. *Omnia* MS. illud in Græco ſimiliter ſcribitur, ἐὰν εὐχῇ εὐχὴν κυρίῳ, id eſt, ſi oraueris, &c.

ſeculari onere contemto *Omnia* MS. ſeculari honore contemto

diceturque de nobis *Omnia* MS. diceturque nobis

orare & non reddere 9. MS. orare te & non reddere

CAPVT XV.

ſupplicationum pinguium generari 9. MS. *omittunt* pinguium

pœnalis conſcientiæ ſpina *Omnia* MS. pœnali conſcientiæ ſpina

ore hominum comprehendi *Omnia* MS. ore hominum nec comprehendi

CA-

CAPVT XVIII.

resoluta atque deiecta 7. MS. resoluta atque reiecta
pietate flagrabimus & affectu *Omnia* MS. *omittunt* & affectu
in nostra conuersatione spiritalis actus appareat *Omnia* MS. in nostra conuersatione spiritali sanctus appareas

CAPVT XIX.

defixis desiderans & expectans 9. MS. defixis desideriis expectans
qui nec videre *Omnia* MS. quia nec videre

CAPVT XX.

sed eius vniuersi faciant voluntatem 8. MS. sed eius vniuersam faciant voluntatem
vel certè aliter accipiendum 4. MS. vel certè taliter accipiendum

CAPVT XXI.

illud nobilitatis ac substantiæ 9. MS. illam nobilitatis ac substantiæ
hoc verò proprietatem 9. MS. hanc verò proprietatem
vsus ipsius atque vtilitatis 8. MS. vsus ipsius atque vtilitas
in alia eius particeps esse *Omnia* MS. in illa eius particeps esse

CAPVT XXII.

acceptabilem sibi in nobis morum nostrorum *Omnia* MS. *omittunt* in nobis
clemens ac pium præbent erga se Dei iudicium promulgari ac redire *Omnia* MS. clemens ac pium erga se prouocent Dei iudicium promulgari
solemus nonnulli *Omnia* MS. solemus etenim nonnulli

CAPVT XXIII.

ne permittamur tentari vnde erit in nobis 9. MS. ne permittamur tentari & vnde erit in nobis
non est probatus. Non ergo hoc sonat 9. MS. non est probatus. Et iterum beatus vir qui suffert tentationem. Non ergo hoc sonat
quasi non permittas nos *Omnia* MS. id est vt non permittas nos
sed fac cum tentatione exitum, vt sustinere possimus 9. MS. sed cum tentatione & exitum da, vt sustinere possimus.

CAPVT XXVII.

contineat intrinsecus vel emittat 9. MS. contineat intrinsecus vel admittat

CAPVT XXVIII.

Nam nonnumquam cupiens 9. MS. *omittunt* Nam

CAPVT XXIX.

vno affectu vel virtute *Omnia* MS. vno affectu vel vna virtute
quas scilicet non penitùs *Omnia* MS. quas licet non penitùs

CAPVT XXXII.

sed obtinuisse nos 9. MS. si obtinuisse nos
hora ipsa orationis effusione *Omnia* MS. in ipsa orationis effusione

CAPVT XXXIIII.

amen enim dico vobis 9. MS. amen amen dico vobis
infructuosa ieiunij sterilitas *Omnia* MS. infructuosi ieiunij sterilitas
qui si clamauerit *Omnia* MS. quia si clamauerit
concedamus nos omnibus illis 9. MS. concedant nos omnibus illis
Per quam etiam solam si non pro amicitiarum merito atque virtutum interpellationis assiduitate daturum se Dominus quicquid oratus fuerit repromittit *Omnia* MS. Per quam etiam solam daturum se Dominus quicquid oratus fuerit repromittit
saltem animæ importunitatis instantia *Omnia* MS. saltem animet nos importunitatis instantia
cùm se dubitauerit exaudiri. Hîc dilucidè manifestat quod infatigabiliter Deum debeamus orare & non deficere. Quod autem infatigabiliter, &c. *Omnia* MS. cùm se dubitauerit exaudiri. Quod autem infatigabiliter, &c. *Nam verba illa per parenthesin interiecta quæ in excusis exemplaribus inueniuntur ex marginali spatio librariorum oscitantia atque inscitia in textum introducta esse videntur. Quod etiam Dionysii paraphrasis comprobat.*
quod non exauditus à prima die 10. MS. Quod exauditus à prima die
resistente diabolo remoretur 9. MS. resistente diabolo demoretur
Nam & si de patre legimus 10. MS. nam & sic de patre legimus
illum trinæ curuationis numerum 10. MS. *cum Dion.* illum trinæ orationis numerum
qui intento animo non supplicat *Omnia* MS. *omittunt negationem* non *quæ tamen apud Dion. inuenitur.*

CAPVT XXXV.

strictis labiis omnique silentio 9. MS. strictis labiis nostris omnique silentio
orantium sensus obstrepamus *Omnia* MS. orantium sensibus obstrepamus

CAPVT XXXVI.

Ne immorantibus nobis locum vel tempus inserere aliquid *Omnia* MS. ne immorantibus nobis inserere aliquid
His sancti Isaac sermonibus 9. MS. His sanctis sermonibus
sub placito plenioris tractatus iterum reuersuri 8. MS. *cum Dion.* supplices de pleniore tractatu iterum reuersuri
de promissorum satietate gaudentes *Dion. &* MS. *omnia* de promissorum securitate gaudentes
illius disputationibus senseramus *Omnia* MS. illis disputationibus senseramus

COLLATIONIS DECIMÆ

CAPVT I.

vt error seu ignoratio eius *Omnia* MS. vt ignoratio eius

CAPVT III.

illam anthropomorphon imaginem 10. MS. illam anthropomorphitarum imaginem

CAPVT IIII.

Licet nos etiam citra eius rei 10. MS. *cum Dionys.* licet nos etiam cura eius rei

quæ nuper oborta est nouitatem 9. MS. *cum Dion.* quæ nuper oborta est nouitásque

CAPVT V.

sub circumscriptione alicuius imaginationis existiment adorandum *Omnia* MS. sub circumscriptione alicuius imaginis æstimant adorandam

CAPVT VI.

vel humilem adhuc & carneum *Omnia* MS. vel humilem adhuc vel carneum

vel glorificatum & in maiestatis suæ gloria 9. MS. vel glorificatum in maiestatis suæ gloria

CAPVT VIII.

loquaci forsitan prosecutione proferri 8. MS loquaci forsitan prosecutione proferre

ad penetralia quoque perfectionis & excelsa fastigia 9. MS. ad penetrabiliora quoque perfectionis excelsa fastigia

quomodo citatam legendi peritiam 9. MS. *omittunt* citatam *Similiter & D. Dionys.*

quædam institutionis inesse fundamina 9. MS. quædam institutionis esse fundamina

Deus mente concipitur *Omnia* MS. Deus mente concipiatur

quo resipiscentes ilico reuertamur 9. MS. *cum Dion.* quo respicientes ilico reuertamur

materiam quærimus qua illam quæ obruta est spiritalem memoriam, &c. 9. MS. materiam quærimus illam quæ obruta est qua spiritalem memoriam, &c.

CAPVT X.

describere characteres quam pro typis 9. MS. describere characteres nisi quamprimum typis

orationis formula proponetur 8. MS. orationis formula proponitur

Erit namque ad perpetuam *Omnia* MS. Erit itaque ad perpetuam

certum est eum semper esse præsentem *Omnia* MS. certus est eum semper esse præsentem

murus est impenetrabilis lorica *Omnia* MS. murus est, & impenetrabilis lorica

Nam qui semper *Omnia* MS. Nam qui se semper

dicendum subinde mihi est *Omnia* MS. dicendum proinde mihi est

somnus allidit, deputatum quieti tempus 7. MS. somnus allidit, ac epulatus quietis tempus, &c.

diabolicis artibus in somnis 10. MS. diabolicis insomniis

Per

Per extincta sentio *Omnia* MS. extincta sentio

libidinis incentiua genitalem membris meis, &c. *Omnia* MS. libidinis incentiua & genitalem membris meis

Iste euigilanti cogitationes anticipet 9. MS. is te euigilante cogitationes anticipet

CAPVT XI.

atque ita per seculi huius paupertatem constricta *Omnia* MS. *cum Dion.* atque ita versiculi huius paupertate constricta

Et ita quis per istiusmodi paupertatem 9. MS. *omittunt* quis

laudabunt nomen Domini 9. MS. laudabunt nomen tuum

incipiet deinceps *Omnia* MS. incipiat deinceps

excellentissimis eorum *Omnia* MS. excelsissimis

iugi pascua vegetatus 8. MS. iugi pascuo vegetatus

orationem propriam fundens cordis compunctione depromat *Omnia* MS. *cum Dion.* orationem propriam profunda cordis compunctione depromat

vel negligentia nostra perierit *Omnia* MS. *cum Dionys.* vel negligentia nostra pepererit

& ita magistris affectibus eruditi 9. MS. & ita magistrantibus effectibus eruditi *Priorem lectionem habet D. Dionysius.*

inexplebili spiritus alacritate *Omnia* MS. inexplicabili spiritus alacritate

CAPVT XII.

immobiliter retentemus assequi valeamus *Omnia* MS. immobiliter retineamus

CAPVT XIII.

Cùm orat psalmum aut aliquam recolit lectionem, cùm decantat aliud quid vel meditatur quàm textus ipsius continet psalmi. *Deprauata est hæc lectio & distinctio codicum impressorum: In* MS. *& Carthus. sic legitur,* Dum orat, psalmum aut aliquam recolit lectionem: dum cantat, aliud quid meditatur quàm textus ipsius continet psalmi

nec opportunè recipiens vel emittens 8. MS. nec opportunè recipitur vel dimittitur

agi videtur incursibus 8. MS. agi videatur incursibus

vel immorandi in eis 9. MS. vel immorandi eis

CAPVT XIIII.

nullo modo poterit apprehendi 9. MS. nullo modo poterunt apprehendi

sacri cœnobij vsibus 10. MS. sacris cœnobij vsibus

prius fuerint abdicatæ, *Post hæc verba in Rub. Virid. Beth. Corss. Parc. Isa. & Iac. subiicitur hæc vel similis sententia:* atque ita in hanc solam obseruantiam defixa fuerit sui operis tota mentis intentio *Dionysius verò, Trud. Gembl. & reliqua* MS. *nihil tale habent, videturque sententia hæc ad textus integritatem minimè pertinere.*

informationis loco ab incipientibus tradiderat 9. MS. *omittunt præpositionem* ab

absque vllius obseruantiæ vinculo 9. MS. absque vllius perseuerantiæ vinculo

vinculo *Pro quo etiam B. Dionyſ. legit*, abſque vinculo perſeuerantiæ alicuius in vno
ad capeſſendam animæ puritatem 8. MS. ad compenſandam cordis atque animæ puritatem *Ita legit & Dionyſ.*

IN PRÆFATIONE SEPTEM CONSEQVENTIVM COLLATIONVM.

admirabili claritate fulgetis etiam multi ſanctorum, &c. 10. MS. *pro* etiam *habent* & *Verùm multò rectius in Trud. & Plant. vtrumque omittitur: quibus etiam fauere videtur D. Dionyſ.*

COLLATIONIS VNDECIMÆ

CAPVT II.

Archebij epiſcopi præſtitit aduentum *Omnia* MS. Archebij epiſcopi præſtitiſſet aduentum
cùm in ſupradicta Thenneſo 9. MS. cùm in ſupradicta Panepheſio

CAPVT III.

ex ea cuncta, vt fama eſt, in regios cibos ſubminiſtrabantur 9. MS. ex ea cunctæ, vt fama eſt, regioni cibus ſubminiſtrabatur
optimas olim terras *Omnia* MS. opimas olim terras

CAPVT IIII.

quia & monaſterio eius 10. MS. qui & monaſterio eius

CAPVT V.

quo huc de Bethleemitici cœnobij 9. MS. quod huc de Bethleemitici cœnobij

CAPVT VI.

aut affectus boni ipſius 8. MS. aut affectus hominis ipſius *Dionyſ. tamen legit quemadmodum excuſa exemplaria.*

CAPVT VII.

gradu proficiente conſcendet 8. MS. *legunt* gaudio proficiente conſcendet
quia in ſemetipſum reuerſus 7. MS. qui in ſemetipſum reuerſus

CAPVT VIII.

maiore quàm amiſſa fuerat pietate 8. MS. maiore quàm emiſſa fuerat pietate

CAPVT IX.

dimicans & lethalia aduerſariis vulnera frequenter infligat 9. MS. *omittunt* &

CAPVT X.

& non faciens dignè plagis vapulabit multis 10. MS. ſi non fecerit dignè plagis vapulabit multis
ſeque reminiſcens tam diu ſimilium paſſionum, &c. 9. MS. reminiſcens ſe tam diu paſſionum ſimilium, &c.
Dei protectione ſaluatum non iracundiam 8. MS. Dei protectione ſaluatum vt non iracundiam
errantibus intelliget impendendam 8. MS. errantibus intelligeret impendendam

mere-

merebitur peruenire *Omnia* MS. poterit peruenire
similitudinem præferamus *Omnia* MS. similitudinem perferamus
& vt bonum 9. MS. *omittunt* &.
A quibus se quisquis extrahere *Trud. & Gembl. rectius legunt*, à quibus quisquis abstrahere
iustus enim miseretur animas pecorum suorum *Sic legunt Trud. Gembl. Mart. cum aliis nonnullis Dionys. verò Beth. Virid. Plant. Corss.* animas peccatorum suorum *Iacobæum exemplar* animarum pecorum *Sed ea lectio præferenda est quæ habet* pecorum, *cui consentaneum est quod Vulgatus Bibliorum interpres legit, Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia. Prouerb. 12.*

CAPVT XII.

Non enim poterat *Omnia* MS. Nec enim poterat
excellentiorem omnibus viam caritatis 10. MS. excellentiorem omnibus caritatem

CAPVT XIII.

Isaias vnus prophetarum *Omnia* MS. *omittunt* Isaias
non manet in domo in æternum, filius manet in æternum *Dionysius & MS. omnia omittunt postrema illa verba* filius manet in æternum
maioribus se ditatum donis à Domino sic profitetur *Omnia* MS. maioribus se ditatum bonis à Domino profitetur

CAPVT XIIII.

degentes in corpore regenerari *Omnia* MS. degentes in corpore peregrinari

COLLATIONIS DVODECIMÆ

CAPVT II.

Si fuerit inter vos homo 10. MS. si fuerit, inquit, inter vos homo
accidere quippiam 10. MS. accendere quippiam *Dionysius tamen legit* accidere
corruptæ tantummodo voluptatis *Sic legunt Trud. Gembl. & Corss. reliqua verò* MS. *cum Dionys. legunt* voluntatis

CAPVT III.

videmus abiecisse substantias 8. MS. vidimus abiecisse substantias

CAPVT IIII.

desiderio atque amore inflammemur 8. MS. desiderio atque amore inflammetur

CAPVT V.

per huius rei quam dicimus veritatem *Plant. & Iac.* super huius rei quam dicimus veritate
ne rursus ab eadem deuoluatur *Omnia* MS. ne rursus ad eadem deuoluatur
& profectibus expoliata *Omnia* MS. & profectibus expolita

CAPVT VI.

dirissimis dæmonum prœliis *Omnia* MS. durissimis dæmonum prœliis

qua

qua ſemetipſum 6. MS. quæ ſemetipſum
à Domino ſubrelictus *Dionyſius & Mart. legunt* à Domino ſibi relictus *Beth. verò, Virid. Rub. & Iſa.* à Domino ſubitò relictus

CAPVT VII.

quam voluptariam antè ſentiebat *Omnia* MS. quàm voluntariam antè ſentiebat

CAPVT VIII.

dulcedinis vel vnguedinis 10. MS. dulcedinis vel pinguedinis

CAPVT XI.

in perpetuum confringit 9. MS. in perpetuum confregit
verè ſectatoribus puritatis *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* veris ſectatoribus puritatis
vt humoris quotidiana illa collectio *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* vt humoris quotidiani illa collectio
pigrius arefactis influens membris 10. MS. *legunt*, prius arefactis influens membris
rubus innoxio igne circumdatus *Dionyſ. &* 9. MS. rubus innoxio igne circumdata

CAPVT XII.

ſpeciali munificentia 10. MS. ſpeciali magnificentia
cùm illum ignem 10. MS. qui illum ignem
& egeſtate atque anguſtia rerum præſentium etiam voluntariè perfruentem 10. MS. & egeſtatem atque anguſtiam rerum præſentium etiam voluntariè perferentem
Vt prætermittam illas 9. MS. Et vt prætermittam illas
inſperati gaudij alacritate *Sic eſſe legendum præter D. Dion. Paraphraſim, docent duo vetuſtiſſima* MS. *Trud. & Gembl. Nam in aliis pro* inſperati *ferè legitur* inſpirati
ad illos ignitos cordis exceſſus *Hæc eſt lectio Trudonenſis exemplaris & impreſſorum, ſed D. Dionyſ. Gembl. Corſ. Vill. & reliqua* MS. *legunt* ad illos ignotos cordis exceſſus

CAPVT XIII.

inexpertus mente percipere *Omnia* MS. inexpertus mente non valet percipere

CAPVT XV.

voluptatum diuerſitate vel virium *Dionyſ. Plant. & Iac. legunt* voluntatum *quamquam priorem lectionem magis probandam putem.*
decerni poteſt *Omnia* MS. diſcerni poteſt

COLLATIONIS DECIMÆTERTIÆ

CAPVT I.

ſenem operiremur *Omnia* MS. ſenem repperiremus
meritum humanæ cauſaſſet induſtriæ *Ita legunt vnà cum excuſis codicibus Trud. & Gembl. Sed rectius Dionyſ. &* 8. *alia* MS. meritum humanæ caſſaſſet induſtriæ

cùm quidem nos *Omnia* MS. cùm quiddam nos
quid moueret inquirit *Omnia* MS. quid mouerit inquirit

CAPVT III.

Nam cùm & bonum virtutis 8. MS. Nam cùm & boum virtus

CAPVT V.

quandam portiunculam *Omnia* MS. quandam μερίδα, id est portiunculam
internam mentis ac perfectam 10. MS. internam mentis perpetuam ac perfectam
quidum physiognomon dixisset, oculi corruptores, &c. 10. MS. quidam physiognomon dixisset ὄμματα παιδεραστοῦ, id est, oculi corruptores, &c.
hac dicitur compressisse sententiã, quiescite, &c. *Omnia* MS. hac dicitur compressisse sententia, παύσασθε ἑταῖροι, εἰμὶ γὰρ, ἀλλ᾽ ἀπέχω, hoc est, quiescite, &c.
Etenim sum, sed contineo *Omnia* MS. Etenim sum, sed contineo me
ait: Quod gratis venditur, morte non emas *Omnia* MS. ait τὸ δωρεὰν πωλούμενον, θανάτῳ μὴ ἀγόραζε, id est, Quod gratis venditur, morte non emas

CAPVT VI.

nec districtionem ieiuniorum *Omnia* MS. nec districtiones ieiuniorum
in quo hoc exercere 10. MS. in quo hæc exercere

CAPVT VII.

sed retractat cogitans 10. MS. sed retractans cogitat
Indurauerunt facies suas *Beth. Virid. & Dionys. legunt* Indurauerunt ceruices suas

CAPVT VIII.

negligi se ac despici ab ea *Omnia* MS. negligi se ab ea
præced t iugiter prouidentia *Trud. & Iac.* præcedat iugi prouidentiã
propheta apertissimè confitetur *Omnia* MS. propheta Domino apertissimè confitetur.
occasiones præstruit vitæ 8. MS. occasiones præstat vitæ

CAPVT IX.

cui autem facilè pateat 6. MS. cùm autem facilè pateat
Quid sit quod iterum commonemur *Omnia* MS. Quid etiam sit quod iterum commonemur
cor nouum in visceribus eorum *Omnia* MS. cor nouum & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum
quod ipsum propheta 5. MS. quod ipse propheta
obdormiam in morte 7. MS. obdormiam in mortem
à Domino indigeat adiuuari *Omnia* MS. *omittunt* à Domino

CAPVT X.

Salomon quoque, inclinet corda nostra, &c. 10. MS. Salomon quoq; ait inclinet corda nostra, &c.

CAPVT XI.

an quia Deus misereatur *Omnia* MS. an quia Deus miseretur
singula hæc credentes *Omnia* MS. singula hæc quærentes
tenuere voluntati 8. MS. tenuere voluntatem

aduer-

aduersum me malum 7. MS. aduersum me in malum
vt saluos faceret populos multos *Omnia* MS. & saluos faceret populos multos

CAPVT XII.

inesse signaret *Omnia* MS. inesse designaret
vtrum ne bonus ex Deo *Omnia* MS. vtrum ne bonus & ex Deo
resuscites gratiam quæ est in te *Omnia* MS. resuscites gratiam Dei quæ est in te
Præuenit ergo hominis voluntatem quia dicitur *Omnia* MS. Præuenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini de qua dicitur
expectat nos Dominus, vt misereatur nostri *Omnia* MS. expectat Dominus, vt misereatur vestri
Quærit nos Dominus 10. MS. Quærit Dominus

CAPVT XIII.

vt nihilominus gratia Dei *Omnia* MS. & nihilominus gratia Dei
supra modum vltra comparationem æternum pondus gloriæ *Omnia* MS. *omittunt* vltra comparationem

CAPVT XIIII.

alioquin dixisset, amen dico vobis non dedi *Omnia* MS. alioquin dixisset, non dedi
Si surrexerit inter vos *Omnia* MS. si surrexerit, inquit, inter vos
fidem probare disponit *Omnia* MS. fidem probare disposuit
vt haberet consuetudinem 8. MS. & haberet consuetudinem
vt alternis passibus 3. MS. vt alterius passibus
at mox paululum derelictum *Omnia* MS. *omittunt* at
decidere leuiter sinens 2. MS. decidere leniter sinens
& quem liberæ voluntatis arbitrio *Omnia* MS. *omittunt* &

CAPVT XV.

voluntas Christi sufficeret *Omnia* MS. voluntas Christi sola sufficeret
in verbi eius præceptione *Omnia* MS. in verbi eius prædicatione

CAPVT XVI.

gratiam Dei dispensari 10. MS. gratiam Dei dispensare
tamen non secundum infirmitatem 8. MS. *omittunt* non

CAPVT XVII.

saluator noster est *Omnia* MS. saluator est

CAPVT XVIII.

ipsius operationis affectum *Omnia* MS. ipsius operationis effectum
laborem fecit tanti itineris non sentire 9. MS. laborem fecit tam inuij itineris non sentire

COLLATIONIS DECIMÆ QVARTÆ

CAPVT II.

ad hanc Theoreticen *Omnia* MS. ad Theoreticen

CAPVT III.

quæ sunt extrinsecus apprehendit *Omnia* MS. quæ sunt extrinsecus apprehendet
qui solus opificij sui vires 9. MS. qui solus officij sui vires

CAPVT IIII.

qui in vicinia ciuitatis 4. MS. *cum Dionys.* qui in vicina ciuitate

CAPVT VII.

vxorio vinculo colligatum 10. MS. vxorio vinculo obligatum

CAPVT VIII.

quod est Agar. 9. MS. quæ est Agar.
eos qui dormierunt in Christo *Omnia* MS. *omittunt* in Christo
simplicem historicæ expositionis ordinem *Omnia* MS. simplicem historiæ expositionis ordinem
resurrexit tertia die secundum scripturas *Omnia* MS. *omittunt* secundum scripturas

CAPVT IX.

sed emendationis gratia *Omnia* MS. sed emundationis gratia
si scientiæ spiritalis *Omnia* MS. si scientiæ spiritali
inducas summum ori tuo silentium 10. MS. indicas summum ori tuo silentium
non vt quidam *Omnia* MS. *omittunt* non
Nam qui hac passione deuictus est 7. MS. Nam qui hac passione deuinctus est
nec enim eruditio singularis 10. MS. *cum Dionys.* nec enim eruditio secularis

CAPVT X.

duplicem nobis conferet fructum *Omnia* MS. duplicem nobis confert fructum

CAPVT XI.

in legis & Iudaismi superstitionibus MS. in lege & Iudaismi superstitionibus
Timeo autem ne sicut serpens 8. MS. Timeo autem vos ne sicut serpens

CAPVT XII.

per illam quam tenuiter videor attigisse notitiam 9. MS. pro illa quam tenuiter videor attigisse notitia
velut illis infecta carminibus 5. MS. *omittunt* illis

CAPVT XIII.

Anima enim quæ in satietate est fami illudit *Lectio ista excusis codicibus cum D. Dionysio communis est, cui tamen præponenda est ea quæ in 12. MS. codicibus reperitur,* Anima enim quæ in satietate est fauis illudit. *quæ iis quæ proximè antegressa sunt rectius cohæret.*
cum sensuum canitie *Omnia* MS. cum sensus canitie
neque declinetis ad dexteram, neque ad sinistram *Omnia* MS. *cum Dion.* neque ad dexteram neque ad sinistram

CAPVT XIIII.

fœtidum atque putridum siue corruptum *Omnia* MS. fœtidum atque corruptum
odoratissimum mirrhum semel horrendis, &c. *Rectius* 3. MS. *cum Dionys. legunt* odoratissimam myrrham semel horrendis, &c.

CAPVT XV.

simplicis fidei pietate contenta *Pro* pietate *omnia* MS. *legunt* puritate *& pro*

& pro contenta 4. MS. *habent* contecta: *quamquam prior lectio quæ est apud Dionys. rectius habere videatur* contenta

CAPVT XVI.

is vtique non habet, cui dicitur *Omnia* MS. is vtique non habet populus cui dicitur
sacrilego ore blasphemat *Omnia* MS. sacrilego ore blasphemauit
operibus iustis spem propagemus *Omnia* MS. operibus iustitiæ propagemus
tenere debere decernit *Omnia* MS. teneri debere decernit
& postea ea intulit *Omnia* MS. & pòst intulit
Hi ergo quos dixistis *Omnia* MS. Hi ergo quos dixisti
ita mulieris malè moratæ *Omnia* MS. *cum Dionys.* ita mulieri malè moratæ
de quibus dicitur *Omnia* MS. de quo dicitur
foliorum dilatabantur luxuria *Omnia* MS. philosophorum delectabantur luxuria

CAPVT XVII.

Si enim & intellexerit *Omnia* MS. *cum Dion.* Si enim intellexerit
non solùm nullam pro hoc laudem *Omnia* MS. non solùm nulla pro hac laude præmia

CAPVT XIX.

qui indignum se prædicationi euangelicæ reprehensibili conuersatione præbuit. 8. MS. *legunt*, qui dignum se prædicationi euangelicæ irreprehensibili conuersatione præbuit. *Hic tamen præferendam censeo lectionem excusorum codicum quæ & argumento capitis huius* 19. *consona est, & apud D. Dionys. inuenitur.*

COLLATIONIS DECIMÆ QVINTÆ

CAPVT I.

disputationis ordo peruenerat 8. MS. disputationis ordo peruenit
obtrectationis aditu reserato 8. MS. obtrectationis auditu reserato

CAPVT III.

& Aristotelicas ignorantem spinas vellet abducere 8. MS. & Aristotelicis ignorantem spinis vellet abducere
multiloquium eius breuitate concludens 6. MS. *cum Dionys.* multiloquium eius auctoritate concludens
exterritus conscientia suæ infidelitatis *Omnia* MS. exterritus de conscientia suæ infidelitatis
corpora mortuorum *Omnia* MS. corpora verò mortuorum
super hostias impositas pyræ piè idcirco descendere postulauit *Omnia* MS. super hostias impositas purè idcirco descendere postulauit

CAPVT IIII.

Quid si etiam Abbatis Abrahæ, &c. *Omnia* MS. Quid etiam Abbatis Abrahæ

CAPVT VII.

Nec semper necessaria nec omnibus commoda nec omnibus conceduntur.

duntur *Omnia* MS. nec ſemper neceſſaria nec omnibus conceduntur
vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. ſtatimque ſubiunxit *Omnia* MS. *omittunt verba illa*, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem
qui gloriantur in dato falſo *Omnia* MS. qui gloriatur in dato falſo

CAPVT X.

experimentis rectiùs proferemus *Omnia* MS. experimentis rectiùs proferamus
duriora mihi ceſſerint dæmonum prœlia *Omnia* MS. diriora mihi ceſſerint dæmonum prœlia
necdum pura excocta *Omnia* MS. necdum ad pura excocta

COLLATIONIS DECIMÆSEXTÆ

CAPVT I.

quæ appellatur Thymnis MS. *omnia cum Dion.* quæ appellatur Thymus
qui eloquentiam penitùs ignorabant *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* qui eloquentiam Ægyptiam penitùs ignorabant

CAPVT II.

dati acceptíve depactio *Hanc lectionem confirmare videtur D. Dionyſii Paraphraſis quæ legit* pactio dati & accepti *Sic etiam habet Iacobæum exemplar & quædam alia* MS. *Porrò Trud. Gembl. Beth. Rub. Virid. & Mart. legunt* dati acceptíve defectio
ab omnibus ſeparata eſſe cernuntur *Rectius* 5. MS. ab omnibus ſeparat & ſecernit

CAPVT III.

flagrantiſſima eſſent ſoliditate deuincti *Omnia* MS. flagrantiſſima eſſent ſodalitate deuincti
ſed vnius patientia ſeruabatur 4. MS. ſed vniuſcuiuſque patientia ſeruabatur
ſtomachi ſui infirmitates & faſtidia *Omnia* MS. ſtomachi ſui infirmitatiſque faſtidia
& vnito ſtudio *Omnia* MS. & vt vnito ſtudio
non locorum vnita fratres habitatio coniungit 8. MS. non locorum vnita fratres habitatione coniungit

CAPVT VI.

Quam enim iniuſtum *Omnia* MS. Perquam enim iniuſtum
ſupellex viliſſima quæ ſuperfluit 6. MS. ſupellex viliſſima quæ ſuperfluit
qui primum litium cauſam *Omnia* MS. qui primam litium cauſam
fratris credere decreuit examini 9. MS. fratris cedere decreuit examini
quo ſi fratri ſuo 9. MS. cum quaſi fratri ſuo
ſuccenſeat illam Domini, &c. 8. MS. ſuccenſeat irrogatam illam Domini, &c.

CAPVT VIII.

citò inimicus diſiungit 8. MS. citò inimicus ille diſiungit

CA-

CAPVT X.

consortio adhærere ætas iunior hortaretur 9. MS. consortio fratrum adhærere ætas iunior hortaretur
infusa à diabolo luce clarius fulgebant 7. MS. *cum Dion.* infusa à diabolo velut luce fulgebant

CAPVT XI.

fraudulenter effundat 6. MS. fraudulenter offundat

CAPVT XIIII.

non quo vir iustus 9. MS. non quod vir iustus
Sed hic vnius dilectio 8. MS. Sed hæc vnius dilectio
quam & virginitatis priuilegium *Omnia* MS. quam ei virginitatis priuilegium

CAPVT XVII.

qui eos lenire desiderat 9. MS. qui eam lenire desiderat
aduersus fratrem concipere teneréve tristitiam *Omnia* MS. aduersus fratrem concipi retineríve tristitiam
aut ita dixisset *Omnia* MS. aut ista dixisset
omnibus sit generaliter adhibenda *Omnia* MS. omnibus sit generaliter exhibenda
nostræ conuersationis *Dion. &* 8. MS. nostræ conuersionis

CAPVT XVIII.

Affectus enim peccati *Dionys. cum omnibus* MS. Effectus enim peccati
veritatem non loquentur *Omnia* MS. veritatem non loquetur
vis huius doloris exaggeratur *Omnia* MS. vim huius doloris exaggerat
abscondissem me forsitan ab eo *Omnia* MS. abscondissem me vtique ab eo

CAPVT XIX.

à nonnullis fratribus sciremus admitti 9. MS. à nonnullis fratribus scissemus admitti
vsque ad horam sextam vel vt multum nonam *Hæc lectio est in plerisque MS. pro qua Trud. Gembl. Cors. & alia quædam pro* vel vt *coniunctim legunt aduerbium* velut *omissa voce* nonam, *ad hunc modum*, vsque ad horam sextam velut multum negant se posse differre, &c.
iracundiæ satietate sustentent 8. MS. iracundiæ satietate sustinent

CAPVT XX.

cùm vtique vel leui, &c. 3. MS. cùm itaque vel leui.

CAPVT XXII.

sed vt intimis 6. MS. sed in intimis
intra se moueatur interior 8. MS. *omittunt* se

CAPVT XXVI.

& ea potissimum respondebit *Omnia* MS. & ita ea potissimum respondebit

COLLATIONIS DECIMÆ SEPTIMÆ

CAPVT I.

Secreti colloquij nobis, &c. 8. MS. secreti colloquij in nobis

CAPVT II.

Quo si reuersi fuerimus 9. MS. Quòd si reuersi fuerimus
cuius onere prægrauati *Omnia* MS. cuius rei onere prægrauati

CAPVT IIII.

deiectiores nos animo contemplatur *Omnia* MS. deiectiores nos animo contemplatus
Cur itaque vultus vestri *Omnia* MS. Quid vtique vultus vestri

CAPVT V.

caritate nos compellente coram cunctis fratribus in speleo in quo Dominus ex aula, &c. 8. MS. caritate nos compellente depromisimus, & quam coram cunctis fratribus in speleum in quo Dominus noster ex aula, &c.

CAPVT VII.

conuersationis vestræ imitabilem puritatem 9. MS. *cum Dionys.* conuersationis vestræ inimitabilem puritatem

CAPVT VIII.

quod maioris est commodi prælegatur 4. MS. quod maioris est commodi præeligatur
quod leuioribus subiacet detrimentis, vt quodam dictum est loco, De maximis malis minima deligas. Proinde, &c. 11. MS. quod leuioribus subiacet detrimentis. Proinde, &c. *D. Dionysii quoque Paraphrasis priorem lectionem repudiat.*
vestra patefacit assertio *Omnia* MS. vestra patefecit assertio
tepidioris vitæ, vt dicitis, status 8. MS. tepidioris vitæ, vt dicitis, statu

CAPVT IX.

definitione correcta 7. MS. definitione correpta *Sed Dionys. fauet impressis codicibus.*
manum dexteram porrigere *Omnia* MS. manum dexteramque porrigere

CAPVT XII.

benedictionem primogenitis destinatam *Omnia* MS. benedictionem primogenito destinatam
destinationem mentis ac propositum 10. MS. destinationem mentis eorum ac propositum

CAPVT XIIII.

demutatio ferramenti 8. MS. demotatio ferramenti *D. Dionys. legit* mutatio ferramenti
perfectioris plenitudinem consecutus *Omnia* MS. perfectionis plenitudinem consecutus

CAPVT XV.

pacti fidem licito dissolui *Omnia* MS. pacti fidem dissolui, &c.

CAPVT XVI.

tumor sapientiæ gentilis offenditur 6. MS. tumor sapientiæ gentibus offenditur
corruptio voluntatis sufficit 9. MS. corruptio voluptatis sufficit

CA-

CAPVT XVII.

recipienda sunt perfugia 8. MS. recipienda sunt profugia
velociter auferendam *Omnia* MS. velociter absumendam

CAPVT XVIII.

Cùm etiam vxorum 3. MS. Cùm etiam sancti viri vxorum

CAPVT XIX.

antiqua illa libertas 8. MS. *omittunt vocem* antiqua
contaminari noluerit *Omnia* MS. contaminare noluerit
prius hæc congruentius inferemus *Omnia* MS. post hæc congruentius inferemus
consilium Achitophel vtile *Omnia* MS. *omittunt* vtile
Et vbi illud Apostoli *Omnia* MS. Et vbi est illud Apostoli
sed ea quæ aliorum *Omnia* MS. sed quæ aliorum

CAPVT XX.

præcipui principes Apostolorum Paulum 5. MS. præcipui principes Apostolum Paulum
quæ generanda sunt damna præualet 6. MS. quæ gerenda sunt damna non præualet
Vbi factus est *Omnia* MS. Vbi factus sit
ritu cærimoniarum legalium teneretur 6. MS. ritus cærimoniarum legalium teneret
tamquam & ipse *Omnia* MS. tamquam si & ipse
In Atheniensi vrbe gentilium vbi vigebat impietas, quo vsus sit prædicationis exordio, attende 8. MS. *omittunt verbum* attende *& sic legunt* Lege in Atheniensi vrbe gentilium vbi vigebat impietas, quo vsus sit prædicationis exordio
Vtile enim sine dubio sibi fuerat *Omnia* MS. Vtile enim sine dubio fuerat
Et è contrario quibusdam 3. MS. vt è contrario quibusdam
Sampson illam diu occultatam mendacio veritatem 8. MS. Sampson illum diem occultatum mendacio veritate

CAPVT XXI.

Quid si oblatum à fratre, &c. 9. MS. Quod si oblatum à fratre, &c.
expleturum esse se credit 9. MS. expleturum esse se credidit

CAPVT XXII.

nos quoque fatemur *Omnia* MS. nos quoque fateamur
immobiliter tenere sententiam *Omnia* MS. immobilem tenere sententiam

CAPVT XXIII.

necessario hoc humilique mendacio *Omnia* MS. necessario humiliq; mendacio

CAPVT XXIIII.

irrationabili istius veritatis *Omnia* MS. irrationabilis istius veritatis
iactantiam noxiæ vanitatis incurrere *Omnia* MS. iactantiam noxiæ vanitatis enarrare

CAPVT XXV.

alios pro benedictionis desiderio, alios pro misericordia, alios pro alicuius occultatione mysterij *Omnia* MS. *omittunt* alios pro misericordia

& non audiremus eum 9. MS. & non audiuimus eum

verumetiam apud Deum humilitate saluberrima *Omnia* MS. *omittunt* apud Deum

vt veritatem quæ mulieris mendacio tegebatur exculperet *Huic lectioni suffragantur vetustissimi codices, Trud. Gembl. Cors. & alij: Porro Iacobæum exemplar legit* exculparet: *& alia quatuor minoris momenti* exsculperet

sagacissimo veritatis iudicio 5. MS. sagacissimo veritatis indicio

vt sit apud me est est, non non 9. MS. vt sit apud me est & non

non veni vltra Corinthum 10. MS. non veni Corinthum

vt non in tristitia *Omnia* MS. ne iterum in tristitia

Quod si quis vult præscium conuersionis eorum *Pro* vult MS. *passim rectius legunt* velut *sed minus probanda videtur illorum lectio qui pro* præscium *legunt* præstigium *quamquam sic legant Trud. Cors. Mart. & alia nonnulla*

per Ieremiam perpetuò protestatur *Omnia* MS. per Ieremiam prophetam protestatur

CAPVT XXVI.

hoc quoniam opere fuerat executus 6. MS. hoc quod iam opere fuerat executus

de libro tuo quem scripsisti *Omnia* MS. de libro quem scripsisti

CAPVT XXVII.

superueniente saniore tractatu 8. MS. superueniente seniorum tractatu

CAPVT XXVIII.

vbi illud Psalmistæ ponimus eloquium 10. MS. vbi illud Psalmistæ postponimus eloquium

CAPVT XXX.

quia non tanta quilibet fratrum, &c. *Cors. Trud. & quædam alia* MS. *omittunt vocem* tanta *pro qua alij legunt* tantum

super diuulgatione eius impugnatione *Omnia* MS. super diuulgationis eius impugnatione

CAPVT XXXI.

ne perniciosa semetipsum obliget seruituté *Omnia* MS. perniciosa semetipsum obligat seruitute

imperitia nostri sermonis offendit *Omnia* MS. imperitia nostri sermonis offenditur

IN PRÆFATIONE SEPTEM CONSEQVENTIVM COLLATIONVM.

Emissis iuuante gratia Christi 9. MS. Emensis iuuante gratia Christi

vobis sancti fratres *Omnia* MS. vobis ô sancti fratres

antiquarum virtutum discretione *Omnia* MS. antiquarum virtutum districtione

vt vtrique professioni 8. MS. vt vtræque professioni

in congregationis laudabili subiectione perdurant 9. MS. in congergatione laudabili subiectione perdurant
sed periculo fame etiam illic *Omnia* MS. sed periculosam etiam illic

COLLATIONIS DECIMÆOCTAVÆ

CAPVT I.

vndiq; curiosos oculos tenderemus 9. MS. vndiq; oculos tenderemus
Abbatem Pyamon 9. MS. Abbatem Pyamonem
velut quendam sublimissimum Pharum *Omnia* MS. velut quandam sublimissimam Pharum *Dionys. Carth. legit*, velut altissimam quandam pyrum
pharum, id est, signum primus circumspectantium, &c. *Omnia* MS. *omittunt* id est signum *B. Dionysius corruptè legit* pyrum *pro* pharum. *Comparat enim Cassianus Piamonem Abbatem sublimissimæ Pharo, hoc est turri altissimæ, eo quod virtute ac meritis aliis omnibus excelsior atque eminentior appareret. Pharus enim turris erat altissima prope Alexandriam, nauigantibus lumen præbens nocturno tempore. Vnde etiam aliæ turres in hunc vsum factæ, φάροι dicuntur, quasi φάνοι, eo quod faces præbeant & lumen.*
in excelsi montis vertice constituta *Omnia* MS. in excelsi montis vertice constitutus
prætermittenda credimus *Omnia* MS. prætermittenda credidimus
spopondimus memoriæ traditurus 9. MS. spopondimus tradituros
summa nos gratulatione susceptos *Omnia* MS. summa gratulatione susceptos

CAPVT II.

ac perfectissimorum quorumque 9. MS. ac perfectorum quorumque
sed vt secedentes in cellulas *Lectio corrupta: pro qua rectius habent* MS. *omnia* ac secedentes in cellulas

CAPVT III.

in id vsque propellet 9. MS. in id vsque propellit
callidus hostis illudat *Omnia* MS. callidus hostis illudit

CAPVT V.

post Apostolorum recessum *Omnia* MS. post Apostolorum excessum
Atque ita incaluit *Omnia* MS. *cum Dion.* Atque ita coaluit
monachi siue monozétes à singularis ac solitariæ vitę districtione, &c. *Omnia* MS. monachi siue monozantes singularis ac solitariæ vitæ districtione
etiam nunc in districtis cœnobiis *Omnia* MS. etiam nunc adhuc in districtis cœnobiis

CAPVT VI.

Vnde profectò, id est, de hoc perfectorum numero *Omnia* MS. De hoc perfectorum numero
vel impatientiæ morbo *Omnia* MS. nec impatientiæ morbo
ex illa quam diximus Apostolicą disciplina *Omnia* MS. ex illa, quam diximus, disciplina
Quis, ait, est 9. MS. Quis autem est
in solitudine in inaquoso 9. MS. in solitudine in siccitate
Beatus qui tulit iugum 9. MS. Beatus qui tollit iugum

CAPVT VII.

quod in Anania & Sapphira *Omnia* MS. quod in Ananiã & Sapphiram
rem

rem summæ virtutis affectant 8. MS. resumere virtutes affectant
vt eorum traditionibus instituti, suas discant vincere voluntates *Omnia* MS. aut eorum traditionibus instituti, suas discunt vincere voluntates
etiam amplius in operibus diurnis 7. MS. & iam amplius in operibus diurnis
vel nosocomio vel indigentibus 9. MS. vel œconomo vel indigentibus
ac profusiori proficiat voluptati *Omnia* MS. aut profusiori proficiat voluptati
ad meritum virtutis illius 9. MS. ad meritum virtutis illorum *Huic lectioni fauet B. Dionys.*
metallis Ponti & Armeniæ relegati 9. MS. metallis Ponti & Armeniæ delegati

CAPVT VIII.

Huic capiti in excusis codicibus præponitur nomen Abbatis Piamonis quod in nullis MS. *inuenitur.*
iugum humilitatis ac pœnitentiæ *Omnia* MS. *cum Dionys.* iugum humilitatis ac patientiæ

CAPVT IX.

an vtroque nomine 9. MS. an in vtroque nomine

CAPVT X.

habitationem significans monachorum *Omnia* MS. habitaculum significans monachorum

CAPVT XI.

humi potius insidebat 9. MS. humi potius residebat

CAPVT XIII.

nec profugio solitudinis 9. MS. nec perfugio solitudinis
non similiter ipse tentetur *Omnia* MS. non similiter ipse tentatur

CAPVT XIIII.

in qua repausem 8. MS. *cum Dionys.* quam repausem
vel rixis vel violentia 9. MS. vel rixis vel vinolentia
obiicientis ei & maledicis obtrectationibus increpantis 9. MS. obijciente ei & maledicis obtrectationibus increpante
multimodis indignationibus lacessita *Omnia* MS. multimodis indignitatibus lacessita
dedisti mihi in qua repausarem 9. MS. dedisti mihi quam repausem

CAPVT XV.

ante hunc Pafnutium *Omnia* MS. ante hunc eundemque Pafnutium
se totum tradens locum pœnitentiæ, &c. 9. MS. se totum tradidit locumque pœnitentiæ, &c.
nullo hominum teste occultè commiserat *Omnia* MS. *omittunt* occultè
quæ erat maturitate ætatis augenda *Omnia* MS. *omittunt* ætatis

CAPVT XVI.

non tamen impugnationis aditum aduersus eum tentator inuenire non potuit 9. MS. *omittunt vtrumque* non

spem

ſpem ſui cordis affixerat 9. MS. ſpem ſui cordis infixerat
E contra ille, &c. 9. MS. Et è contra ille
ab inteſtinis hoſtibus liberari lædi minimè poterimus *Omnia* MS. *omittunt* liberari
Satan inter Archangelos 10. MS. Satan inter angelos
quos omnes tales tamque perfectos in tempore illo fuiſſe manifeſtum eſt, quales nunc perpaucos vix in cœnobiis inuenimus 8. MS. quos omnes tales nobis inuenimus *Sed impreſſorum codicum lectioni accedit Dionyſii Paraphraſis.*
ſed beati Paſnutij 10. MS. ſed beati potius Paſnutij
Nec ſubuerſione illius deſtruamur 10. MS. ne ſubuerſione illius deſtruamur
inter homines acquiſitam 8. MS. inter homines acquiſita

CAPVT XVII.

fomentum alicuius curationis *Omnia* MS. fomentum vllius curationis
iiſdem ſe percutiendos 9. MS. iiſdem ſe percutientes
non culpa eorum quibus liuent 9. MS. *cum Dionyſ.* non culpis aliorum quibuſlibet
quod nolunt prodere 6. MS. quod non vult prodire
humili ſatisfactione placatur 10. MS. humilitatis ſatisfactione placatur
vno tantum huius mali morſu 9. MS. vno tanto huius mali morſu
vulnus in corpore ſentiatur 8. MS. vulnus in corpus ſentiatur

COLLATIONIS DECIMÆNONÆ

CAPVT I.

in honore tamen 9. MS in honorem tamen
ſollemniter curabatur 9 MS. ſollemniter celebrabatur
diſtinctis orbibus *Omnia* MS. diſtinctis ordinibus
vt ſonitus etiam auerſorum *Trud. legit* aduerſorum, *hoc eſt, ex oppoſito ſedentium, ſicut Dionyſ. reddidit.*
patientiæ huius non tam euidentibus, &c. 9. MS. patientiæ huius virtutem tam euidentibus
qui experti talium non erant *Omnia* MS. qui expertes talium non erant

CAPVT II.

Cuius reſponſionis humilitatem 9. MS. Cuius profeſſionis humilitatem

CAPVT III.

in cœnobij congregatione tranſegeram 9. MS. in cœnobij congregatione tranſieram
& minus de præſumpta 9. MS. & minus eſſet de præſumptæ
in maioribus promiſſionibus *Omnia* MS. in maioribus profeſſionibus
quiddam mendacij crimen *Omnia* MS. quoddam mendacij crimen

CAPVT IIII.

in Domino ſuam gratiam largiente *Omnia* MS. id Domino ſua gratia largiente

id eſt

id est ad manuensem sportam *Omnia* MS. id est ad manuensi sportã
duxerim postponendos *Omnia* MS. dixerim postponendos

CAPVT V.

paranda humanitatis necessitate *Omnia* MS. parandæ humanitatis necessitate
ingentium curarum *Sic legit D. Dionys. & quædam* MS. *Alij legunt* indigentium curarum
obedientiæ subiectione recompensetur *Omnia* MS. obedientiæ subiectione pensetur

CAPVT VI.

non animi panis *Omnia* MS. non annui panis
vt aceto amurcaque permixtis 8. MS. vt aceto muriæque permixtis *D. Dion. legit* iniuriaque
& ita duos cibos 8. MS. & inter duos cibos
In tantum sanè materialium, &c. *Omnia* MS. In tantum sanè hæc ἀλικῆς χρῆσις, id est materialium, &c.
tranquillitas omnibus occupationibus absoluta 9. MS. tranquillitas ab omnibus occupationibus absoluta

CAPVT VIII.

Non enim aperte minima *Omnia* MS. Non enim à parte minimã
pro miraculo referenda *Omnia* MS. pro miraculo proferenda

CAPVT IX.

Sed hæc non integra *Omnia* MS. Sed hoc μερίτικη, id est, non integra, &c.
Anachorita contemtum *Omnia* MS. Anachorita ἀκτημοσύνην, id est, contemtum
quantumque in ipsis erat 8 MS. quantum in ipsis erat

CAPVT X.

à secreti sui consuetudine *Dionys. &* 9. MS. à secreti sui solitudine
in vtramque partem imperfecti *Omnia* MS. in vtraque parte imperfecti

CAPVT XI.

eiusdem fragilitatis ac mensuræ 9. MS. eiusdem fragilitatis atque miseriæ *At D. Dionys. legit* mensuræ
qui in cœnobialibus *Omnia* MS. *omittunt* in
cœnobij congregatione 9. MS. cœnobij conuersatione

CAPVT XII.

pro languoribus ignorantia 9. MS. pro languoribus ignorantiæ
errore vel necessitate contractis *Sic legit cum impressus Dionys. Carth. Sex alia* MS. *legunt* constrictis *pro* contractis. *Porrò Trudonensis Codex & Iac. habent* constricti
humili tandem cautela *Omnia* MS. humili tandem & cauta
extirpata non fuit 8. MS. extirpata non fuerat
vel tacita indignatione iam eius culpauerimus tarditatem *Omnia* MS. vel tacita indignatio nimiam eius culpauerit tarditatem

CAPVT XIIII.

tacitè fuisse commotam 9. MS. tacita conscientia fuisse commotam

leuissimi

leuissimi verbi prolusione *Demptis tribus aut quatuor* MS. *exemplaribus Beth. Virid. Iacob. & Plant. è quibus tria priora pro* prolusione *legunt* prolatione *postremum autem* impulsione *consentit ista excusorum codicum lectio cum reliquis* MS. *Carth. verò legit* confusione
hostis vmbra conterruit 9. MS. hostis vmbra contriuit
Quid ergo perniciosius 9. MS. Quid rogo perniciosius

CAPVT XV.

tristitiæ impatientiæ 9. MS. tristitiæ vel impatientiæ
maioribus irritationum augmentis *Omnia* MS. maioribus irritationis augmentis

CAPVT XVI.

ex industria *Omnia* MS. de industria
aduersus ea 9. MS. aduersus eam
velut sub sacræ lectionis historia *Omnia* MS. vel sub sacræ lectionis historia
imaginationem possit admittere 9. MS. imaginem possit admittere
ad illecebram 5. MS. ad illecebra
Hoc Abbas Ioannes 9. MS. Hic Abbas Ioannes

COLLATIONIS VIGESIMÆ

CAPVT I.

super instituendis renunciantibus 9. MS. super instituendis renunciationibus
breui sermone perstrinxeram *Omnia* MS. breui sermone perstrinxi
Panephisi Ægyptia *Omnia* MS. Panephisi Ægypti *Carthusianus legit* Panephisi vrbe Ægypti
fructum præmij vacuaret *Omnia* MS. fructum præmij euacuaret
non singularis vitæ vbertatem *Omnia* MS. *cum Dionys.* non singularis vitæ securitatem
prælegit monasterio subiugari *Omnia* MS. prælegit cœnobio subiugari
omnis congregatio 9. MS. omnis illa congregatio
proditionis suæ imputans casum 9. MS. proditionis suæ imputans causam
virtutes eius ac merita 9. MS. virtutis eius merita

CAPVT III.

Non debet huic capiti initio præponi nomen Germani, *sicut passim fit in impressis codicibus: nam Dionys. &* MS. *omnia omittunt, eo quod in fine præcedentis capitis positum sit.*
sermo doctrinæ, iter arduum, &c. 9. MS. sermo doctrinæ tuæ iter arduum *Sic etiam legit Carth.*
ad illa non posse proficere 10. MS. ad illam non posse proficere
ab eo quod est deterius deficere *Omnia* MS. ab eo quod est deficere
singulare præsidium medelam nostris potest conferre vulneribus 9. MS. singulare præsidium medelæ nostris potest conferri vulneribus

CAPVT IIII.

tanta admiratione suscipitis 9. MS. tanta admiratione suscepistis
vt cum ea 9. MS. vt ea

labore operis vestri 9. MS. laborem operis vestri
dictorum nostrorum exequetur industria 9. MS. dictorum nostrorum exequitur industria
breuiter vt possumus complectemur 9. MS. breuiter vt possumus complectamur
quanta eius vtilitas, quanta virtus, quantaque sit gratia 9. MS. quanta eius vtilitas, quantaque sit gratia

CAPVT V.

& iudex indulgentiæ 8. MS. & index indulgentiæ

CAPVT VII.

iniquitatem ego agnosco *Omnia* MS. iniquitatem meam ego agnosco
Illud etiam adiiciant *Omnia* MS. *omittunt* adiiciant
vitiorum atque actuum *Omnia* MS. vitiorum atque affectuum
est merces operis tui *Omnia* MS. est merces operi tuo

CAPVT VIII.

Denique ostendit eas subiungens *Omnia* MS. Denique subiungit ostendens eas
Dixi enim ait pronunciabo *Omnia* MS. Dixi enim pronunciabo
impietatem cordis mei *Omnia* MS. *cum Dionys.* impietatem peccati mei
per emendationem morum; Nam auferte, inquit, &c. *Omnia* MS. *omittunt* Nam
Nonnumquam misericordiæ ac fidei 9. MS. Nonnumquam etiam misericordiæ ac fidei
& potum meum *Omnia* MS. & poculum meum
diuitum muneribus præferantur *Omnia* MS. diuitum muneribus præferuntur
Dominus repromittat *Omnia* MS. Dominus repromittit
alienæ sanitatis *Omnia* MS. alienæ salutis
humilitatis affectu submissus implora 8. MS. humilitatis affectu subnixus implora
mortificatione cordis & corporis assequitur 8. MS. mortificatione cordis & corporis assequetur
quia scriptum est *Omnia* MS. quia sicut scriptum est
in membris animæ nostræ *Omnia* MS. in membris nostris
de futuris seu venturis *Omnia* MS. de venturis
lætitiæ alacritate profundit 8. MS. lætitiæ alacritate profundet
ad ea quæ in ante sunt extenditur *Omnia* MS. ad ea quæ in ante sunt extendetur

CAPVT IX.

hoc fieri non oportet *Omnia* MS. hoc fieri penitus non oportet
à contemplationis puritate *Omnia* MS. à contemplatione puritatis
impudendæ respuat voluntatis *Omnia* MS. impudendæ respuat voluptatis
prætereuntium iudicio non euadit *Omnia* MS. prætereuntium iudicio non euadet
sed exili, inquit 8. MS. sed exi, inquit

neque intendas oculum tuum 9. MS. neque intendas oculo tuo
dices autem percusserunt me *Omnia* MS. dices autem, ferierunt me
Derelictis ergo non solum, &c. 9. MS. Derelictis autem non solum, &c.
videntur apud homines rectæ 9. MS. videntur hominibus rectæ
in profundum inferi *Omnia* MS. in profundum inferni

CAPVT X.

sine dubio peruenietur *Omnia* MS. sine dubio peruenitur

CAPVT XI.

ab ipsis minutis *Omnia* MS. ab istis minutis
iustus cadit in die *Omnia* MS. *omittunt* in die
& resurget 9. MS. & resurgit
vel volentes peccata incurrimus 9. MS. *cum Dionys.* vel volentes frequenter incurrimus
Et pro quibus 8. MS. Et quibus
Proinde ad perfectionis culmen 9. MS. *omittunt* ad

COLLATIONIS VIGESIMÆ PRIMÆ

CAPVT I.

religiosa sedulitate prospiciunt *Omnia* MS. religiosam sedulitatem prospiciunt
vicissitudinem cuperet recompensare 9. MS. vicissitudinem cuperet repensare

CAPVT II.

ô filij pia vestrorum munerum largitate 9. MS. ô filij carissimi pia vestrorum munerum largitate
fideliter exequentes 9. MS. fideliter assumentes

CAPVT III.

hi autem ex quadragesima 9. MS. hi autem ex quinquagesima *Sed priori lectioni suffragatur D. Dionys. sicut & in sequentibus duabus notis.*
voluntaria addat ad debita 9. MS. voluntariè addat ad debita

CAPVT IIII.

& vltus est interfectos 9. MS. & vlulatus est interfectos
Non bibemus vinum 8. MS. Non bibimus vinum

CAPVT V.

discipulis & amicis suis 9. MS. discipulis suis & Apostolis
manifestissimè peruidetur *Omnia* MS. *cum Dionys.* manifestissimè peruidetis
Quorum facilitatem vsqueadeò *Huic lectioni fauet Carth. sed octo* MS. *codices legunt* Quorum infelicitatem vsqueadeò, &c.
Moyses pondus imponit 9. MS. Moyses pondus apponit
Hic consilio tantum volentibus & ad perfectionem festinantibus Dominus occurrit 9. MS. *cum Dionys.* Hic consilium tantum volentibus & ad perfectionem festinantibus Paulus occurrit
perfectione virtutis non immeritò coronari 9. MS. virtute perfectionis non immeritò coronari

CAPVT VI.

veniam verò infirmitate superatis impartiens 9. MS. veniam verò impartiens fragilitati

inter honestos homines 9. MS. inter honorificos homines

CAPVT VII.

nec humanæ caritatis officium diuini amoris virtuti præfertur *Sic legit Dionys. cum impressis. porrò* MS. *omnia, hoc modo:* & humanæ caritatis officium diuini amoris virtute præfertur

CAPVT VIII.

desiderio euangelicæ perfectionis 9. MS. documento euangelicæ perfectionis

annis singulis pendere 9. MS. annis singulis dependere

ne audisse quidem se aliquando 9. MS. ne audisse quidem se arbitraretur

pari vt senes sorte præriperet 8. MS. *eâque vetustiora legunt* parive senes sorte præriperet *Quamquam prior lectio magis mihi probetur, quam etiam Carthusiano placuisse video.*

CAPVT IX.

malle se vel cum vnius membri dispendio 8. MS. malle se vult cum vnius membri dispendio *Sed lectio quæ in excusis inuenitur, commodiorem videtur habere sententiam.*

sicut eos euangelicus sermo condemnat *Hic rursum deprauatè legunt* 8. *codices* MS. sicut eos euangelicus sermo commendat *Non enim commendantur in Euangelio qui citra adulterij crimen vxoria vincula dissoluunt, sed condemnantur. Et sic quoque legit Dionys. Carth.*

primæ statim condicionis lege 9. MS. prima statim condicionis lege

insuper etiam me à discipulatu retrahas 8. MS. arbiter etiam me à discipulatu retrahas

CAPVT X.

Deo auctore prolatum 9. MS. Deo auctore probatum

CAPVT XIIII.

sicut non iustificat custoditum 8. MS. *cum Dionys. omittunt negationem* non

hæc reperientur aduersa 9. MS. hæc reperiuntur aduersa

& ex quorum persona *Omnia* MS. *omittunt* &

cur non merentur *Omnia* MS. cur non mererentur

Dissolue colligationes impietatis 8. MS. Dissolue obligationes impietatis

CAPVT XV.

& veritas, vel prædicta præcepta virtutum *Omnia* MS. *cum Dionys.* & caritas vel prædictarum præcepta virtutum

vtilitatis eorum summam *Omnia* MS. vtilitatis suæ summam

in retentatione eorum 9. MS. in retentione eorum

CAPVT XVI.

mens purificata suo concilietur auctori *Omnia* MS. *cum Dionysio* mens pacifica suo concilietur auctori

CAPVT XVII.

Ieiunio vbi non solùm specialia præfixa sunt tempora *Omnia* MS. *cum Dionys.* ieiunium cui non solùm specialia præfixa sunt tempora

CAPVT XVIII.

congruum esse ieiunium nec necessarium 9. MS. congruum esse ieiunium & necessarium

necessarium alicui cùm vel festiuitas temporum vel interueniens caritatis occasio indulgentiam refectionis admitti 9. MS. necessarium cum aliqua vel festiuitatis tempore vel interueniens caritatis occasio indulgentiam refectionis admiserit

post resurrectionem quadraginta dies *Omnia* MS. post resurrectionem per quadraginta dies

CAPVT XIX.

cum discipulis fuerit *Omnia* MS. cum discipulis suis fuerit

CAPVT XX.

Non incongrua interrogatio vestra 9. MS. Non incongruè interrogatio vestrà

Ideo namque in ipsis diebus 9. MS. Ideo namque in istis diebus

CAPVT XXI.

non erga famulatum corporis *Omnia* MS. non erga famulum corpus *D. Dionys. legit* circa corpus seruile

CAPVT XXII.

qui nonnumquam super statu 9. MS. qui numquam super statu *D. Dionys. tamen legit* nonnumquam *quod etiam sensui totius periodi magis congruere videtur.*

Omni igitur cautione atque sollertia, iugis circumspecti cordis seruetur intentio, ne quo modo iudicio, &c. 9. MS. Omni enim cautione, atque sollertia iugi, si circumspecti cordis seruetur intentio, quomodo iudicio, &c.

non est bonum *Omnia* MS. non est bona

CAPVT XXIII.

statuta consuetudinis sollemnitas conseruetur 9. MS. statutæ consuetudo sollemnitatis conseruetur

pro festiuitate temporis *Omnia* MS. pro festiuitatis tempore

quod mox amittere cogat incauta saturitas 9. MS. quod mox amitti cogat incitata saturitas

quarum continentia diebus ieiunij pro integritate pudicitiæ vtebamur *Rub. & Vill. legunt* quarum continentia diebus festis integritatem pudicitiæ tuebamur *Beth. & Virid.* quarum continentia diebus festis pro integritate pudicitiæ vtebamur *In reliquis autem ferè sic legitur* quarum continentia pro integritate pudicitiæ vtebamur *Porrò D. Dionys. lectio talis est* per quarum continentiam tuebamur integritatem pudicitiæ diebus profestis *Lectori iudicium relinquimus.*

CAPVT XXV.

plenitudini totius summæ omnino non deerit *Omnia* MS. plenitudini totius summæ omnino nihil deerit

CAPVT XXVI.

Nam cùm experrecti à somno *Omnia* MS. Nam cùm expergefacti à somno

prima labiorum claustra reserantes 9. MS. primo labiorum claustra reserantes
præsumptio liuentis attaminet inimici 7. MS. præsumptio libentis attaminet inimici
anticipationis nequissimam consuetudinem *Omnia* MS. anticipationis nequissimæ consuetudinem

CAPVT XXVII.

vna quemadmodum diximus ratio *Omnia* MS. vna ratio
Sex ergo hebdomadas ieiunia persoluunt *Omnia* MS. Sex ergo in hebdomada ieiunia persoluunt
triginta dies per sabbatha sexies reuoluta *Omnia* MS. *omittunt* per sabbatha

CAPVT XXVIII.

quemadmodum diximus 9. MS. quemadmodum esse diximus
triginta sex semis, &c. *Omnia* MS. triginta & sex semis
licet hoc ad propositam non pertineat quæstionem *Omnia* MS. *omittunt* hoc

CAPVT XXIX.

qui omnia sua 9. MS. quia omnia sua

CAPVT XXX.

Sciendum igitur sanè *Omnia* MS. Sciendum sanè
qui per totum anni spatium æquali ieiunio concludebantur *Omnia* MS. qui totum anni spatium æquali ieiunio concludebant
desciscens quotidiè credentium multitudo *Omnia* MS. descendens quotidiè credentium multitudo
ne eas vsui cunctorum fidelium secundum Apostolorum, &c. *Omnia* MS. nec eas vsui cunctorum secundum Apostolorum, &c.
prodesse posset & perfectis præiudicare non posset *Omnia* MS. prodesse possit perfectis præiudicare non possit

CAPVT XXXI.

non potest fallax hæc Apostoli esse sententia 5. MS. non potest lex hæc Apostolica esse sententia *Alij codices pro* fallax *legunt* falsa *Sed D. Dionysius nostræ lectioni accedit.*
vincit dominatio peccatorum *Omnia* MS. viget dominatio peccatorum

CAPVT XXXII.

Quæstionem rursus immodicam 9. MS. Quæstionem rursus non modicam
Gratia autem dicit, si vis perfectus esse *Omnia* MS. Gratia, si vis perfectus esse
Lex talionum, conuiciorum & iniuriarum non prohibet vltionem *Rectius Dionys. & 9.* MS. Lex talionem conuiciorum & iniuriarum non prohibet vltionem
congeminatione iniuriarum vel cædis quæ fuerint irrogatæ nostram patientiam vult probari 9. MS. congeminationem iniuriarum vel cædis quæ fuerint irrogata, nostra patientia vult probari

vt pro

vt pro ipsis Deo semper censeat supplicandum *Omnia* MS. vt pro ipsis etiam Deo semper censeat supplicandum

CAPVT XXXIII.

Cùm igitur quis hoc,&c. *Omnia* MS. Quisquis igitur hoc,&c.
caritas quæ diffusa est *Omnia* MS. caritas Dei quæ diffusa est
vni tantum feminæ mancipetur *Omnia* MS. vni tantum feminæ mancipatur
amburat quicquid attigerit 4. MS. adurat quicquid attigerit
voluptas ipsa culpabilis est *Dionys. cum* 9. MS. voluntas ipsa culpabilis est
ad velocissimos adulteriorum raptatur excessus 6. MS. *legunt* adulterorum
Legis ergo famuli à licitorum vsu ad illicita prolabuntur *Omnia* MS. *omittunt præpositionem* à
Sicut autem viuit 9. MS. Si autem viuit *Dionys. legit* sicut
in coniugij amore *Omnia* MS. in coniugij amatore
primitias tantum est reddere contentus *Omnia* MS. primitias tantum redimere contentus est
In illis verò *Omnia* MS. In illos verò
abiicit mæsta cunctatio 9. MS. abiget mæsta cunctatio
maximè eleemosynæ rore restinguat 9. MS. maximè hoc eleemosynæ rore extinguat
sed ferendo 9. MS. sed sufferendo
pro calumniantibus sibi *Omnia* MS. pro calumniantibus se
sed viuit sub gratia *Omnia* MS. sed sub gratia

CAPVT XXXIIII.

quæ à gratia mandantur implere 9. MS. ea quæ gratia mandat implere
sed legis adhuc vinculis præpeditum *Omnia* MS. sed sub legis adhuc vinculis præpeditum
præsumptiua libertatis securitate soluuntur *Omnia* MS. præsumptiuæ libertatis securitate soluuntur
mandata non suscepit *Omnia* MS. mandata non suscipit

CAPVT XXXV.

plerumque etiam experrecti *Omnia* MS. plerumque etiam expergefacti

CAPVT XXXVI.

sed plenè atque perfectè 9. MS. sed principaliter atque perfectè
sed in illa cordis voluntaria & inuisibili puritate 8. MS. sed illam cordis voluntariam & inuisibilem puritatem
Quam cùm beatus Apostolus ita prædicet *Omnia* MS. quam beatus Apostolus ita prædicat
sed interna conscientiæ fides *Omnia* MS. sed quid interna conscientiæ fides

COLLATIONIS VIGESIMÆ SECVNDÆ

CAPVT I.

cùm ipso noctis initio 7. MS cùm in ipso noctis initio

CAPVT III.

inerti felicitate consequitur *Iac. Beth. & Virid. legunt* facilitate *Dionys.* securitate

magis dixerim securitatem habere quàm laudem *Rectiùs* MS. *omnia* magis dixerim securitate quàm laude *nempe dignum esse.*

inimicitias non cauens *Omnia* MS. inimicitias non cauendo

Qua re fit, vt ante legitimi temporis, &c. 4. MS. Quibus ante legitimi temporis *Alij* Quarum ante legitimi temporis, &c.

sed nec adhuc ex fraude nequitiæ *Omnia* MS. sed adhuc ex fraude nequitiæ

diuino placere conspectui 9. MS. diuino tantummodo placere conspectui

à sacrosancta nos communione deterreat *Omnia* MS. *omittunt pronomen* nos

grauius sentiunt fuisse pulsatos 9. MS. grauius sentiunt fuisse pollutos

puritatis alitricem *Omnia* MS. puritatis altricem

CAPVT IIII.

somni illusione pollutos 9. MS. somnij illusione pollutos

CAPVT V.

naturali necessitate profusam *Omnia* MS. naturali necessitate propulsam

absque sensu voluptatis *Trud.* absque sensu voluntatis

ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit 8. MS. ad impedimentum nostræ sanctificationis obtuderit

Probet autem seipsum homo *Omnia* MS. Probet autem primum semetipsum homo

Multi enim qui eum *Iac.* Multi enim qui cum *Trud. ponit vtramque lectionem*

priusquam ad vesperam abluatur aqua 9. MS. priusquam ad vesperam ablutus sit aqua

CAPVT VI.

nec fratris nota districtione 4. MS. nec fratris nota districtio

si in hac obstinatione durasset *Isa. & Rub.* si in hac abstinentia durasset *Dionysius quoque in eandem ferè sententiam ita legit* ne perdurando in priuatione sacramenti dignissimi

concreti non possunt non egeri *Huic lectioni suffragatur Carthusiani Paraphrasis: Verum codices* MS. *penè omnes habent* concreti non possunt egeri

merebimur illam quæ promittitur 8 MS. merebuntur illam quæ promittitur

melius à filiis & filiabus *Omnia* MS. melius quàm filiis & filiabus

qui sub veteri testamento 9. MS. qui in veteri testamento

dicuntur esse censendi *Omnia* MS. dicimur esse censendi

alibi idem propheta 9. MS. alibi per prophetam ait

seruos suos, inquit, vocabit nomine alio 9. MS. seruos meos vocaui nomine alio
qui benedictus est *Omnia* MS. qui benedicendus est
non sit reputata virginitas *Omnia* MS. non est reputata virginitas
in vasis eorum *Omnia* MS. in vasis earum
interioris enim fotu ac pabulo puritatis 8. MS. interioris enim potu ac pabulo puritatis
in die Domini nostri Iesu Christi conseruauerunt 9. MS. in die Domini nostri Iesu Christi non seruauerunt

CAPVT VII.

vt licet hæc 9. MS. vt si hæc
pro suo merito eius edulium 9. MS. per suum meritum eius edulium
veram confestim iustitiæ gloriam possidebo 9. MS. veram confestim gloriam possidebo
multa enim meam conscientiam latent *Omnia* MS. multa enim etiam meam conscientiam latent

CAPVT IX.

quasi incorporale ac diuinum ei aliquid assignauit *Omnia* MS. quasi incomparabile ac diuinum ei aliquid assignauit
vnicum ac singulare suspiciens *Omnia* MS. vnicum ac singulare suscipiens

CAPVT X.

Vade satanas *Omnia* MS. Vade retro satanas
memoria scripturarum 9. MS. auctoritate scripturarum
cùm idem insidiarum artifex *Omnia* MS. vt idem insidiarum artifex
qui & in patibulo *Omnia* MS. quia in patibulo

CAPVT XI.

similis siquidem peccatrici *Omnia* MS. similis scilicet peccatrici
peccati similitudine fallerentur 8. MS. peccato simili fallerentur
surgens increpauit ventos & mare *Omnia* MS. surgens imperauit ventis & mari

CAPVT XII.

magna cunctis qui ex vtriusque, &c. *Omnia* MS. magna à cunctis qui ex vtriusque, &c.
in veræ carnis assumptione susceperit 9. MS. & veræ carnis assumptionem suscepit
qui peccatum non fecit *Omnia* MS. quia peccatum non fecit
blasphemiæ superbiæ crimine 9. MS. blasphemiæ superbiæque crimine

CAPVT XIII.

inter sancti & peccatoris 9. MS. inter iusti & peccatoris
tantæ vtilitati humani generis 8. MS. tantæ vtilitatis humani generis
Qui illo etiam tempore *Omnia* MS. Quid illo etiam tempore
gressus hominis dirigetur *Omnia* MS. gressus hominis diriguntur
suppositione manus Dominicæ reparabitur 9. MS. suppositione manus Dominicæ reparabit
& à tantis 9. MS. & tantis

CAPVT XIIII.

vastitate perterritus *Omnia* MS. vastitate conterritus
oneribus mortalitatis oppressus 9. MS. oneribus mortalitatis oppressi

COLLATIONIS VIGESIMÆ TERTIÆ

CAPVT I.

habitat in me peccatum 9. MS. habitat in membris meis peccatum
vel proximi sanguinem fundat *Omnia* MS. vel sanguinem fundat
aucupentur ac de ignominia, &c. *Isa. Rub. Be h. & Virid. legunt* aucupantes etiam timeant ne libidinum satietate tardius potiantur ac de ignominia, &c. *Sed vetustiores & emendatiores codices cum Dionys. nostræ lectioni accedunt.*
laudem sibi quandam 8. MS. fidem sibi quandam *Dionysius legit* laudem
cum requie corporis *Omnia* MS. cum requie cordis & corporis
flagitiorum eius crimina *Omnia* MS. flagitiorum eos crimina
Vt iniquè agerent 9. MS. Vt iniqua agerent
quemadmodum hi peccent corpore *Omnia* MS. quemadmodum hi qui peccant corpore
mente seruiant Deo *Omnia* MS. mente seruiunt Deo
carnis expleant voluptatem *Omnia* MS. carnis expleant voluntatem

CAPVT II.

Superest igitur vt virtutum sensus *Omnia* MS. Superest igitur vt virtutem sensus
larga humanitas 9. MS. larga humilitas *Priorem lectionem agnoscit Dionysius.*
quique iugi ecclesiarum, &c. 9. MS. Quid quod iugi ecclesiarum, &c. *cum interrogationis nota ad finem periodi.*
tantis Apostolis abundauerit bonis 9. MS. tantis Apostolus abundauerit donis
quod illud sit bonum cuius perfectione, &c. 9. MS. quid illud est boni cuius perfectione, &c.
vniuersis quæ possidet 9. MS. vniuersis quæ possedit

CAPVT III.

Maria bonam partem 9. MS. Maria optimam partem
ita illa omnia 9. MS. ita & illa omnia
non solùm in præsenti *Omnia* MS. non solùm ad præsens
Omnes sicut vestimentum *Omnia* MS. Omnia sicut vestimentum
& gratiam consequentur *Omnia* MS. & gratiam consequuntur
tenere meritum bonitatis 9. MS. tenere hoc meritum bonitatis

CAPVT IIII.

nónne multa pronunciari bona in euangelio legimus *Omnia* MS. nónne cùm multa pronunciari bona in euangelio legerimus
hos omnes cùm secundum se bonos, &c. 9. MS. hos omnes secundum se bonos, &c.

dabit

dabit bona petentibus se 9 MS. dabit spiritum bonum petentibus se
quæ dicuntur ordinata *Omnia* MS. quæ dicitur ordinata
qui multò minus peccauerunt 9. MS. qui multò minus impij sunt
impiorum collatione iustificet *Omnia* MS. peiorum collatione iustificet
Multum etenim sanctos 9. MS. Multos etenim sanctos

CAPVT V.

quieta mente suspiciat *Omnia* MS. quieta mente suscipiat
perfici posse pronunciat *Omnia* MS. perfici posse pronuncians
passionum innumerositate *Omnia* MS. passionum numerositate
Quibus laboribus licet magna, &c. *Omnia* MS. Quibus licet magna, &c.
tantis actualibus ditari fructibus *Hæc lectio passim est in impressis, sed manifestè deprauata, pro qua* MS. *omnia legunt* tantis ac talibus ditari fructibus
inseparabilis Christi societatis *Omnia* MS. inseparabilis Christi societas

CAPVT VI.

si fieri possit *Omnia* MS. si fieri posset

CAPVT VII.

solitudinis secreta sectatus est, vniuersorumque mortalium, &c. 9. MS. solitudinis secreta sectatus vniuersorum mortalium, &c.
laberetur intuitu rerum *Omnia* MS. laberetur & intuitu rerum
vel occupationibus actuum *Omnia* MS. vel occupatione actuum
ab ipsa quoque orationis intentione 9. MS. in ipsa quoque orationis intentione
Quis, inquam, tam exercitus *Sic legit Corsendonckensis codex & alij nonnulli. At Trud cum 4. alijs legit* exertus D. *Dionysius vero* exercitatus
multitudo grauissima est. Velut si in aliquam, &c. *Rub. Virid. Isa. & Beth. post finem periodi, hæc verba interueniunt*: Solet autem fieri, vt dum minora vitia vitantur, maiora celerius caueantur: *Quæ verba neque apud Carthusianum, neque in vetustioribus* MS. *codicibus inueniuntur.*
quibus summum perfectionis est studium 9. MS. quibus perfectionis est studium
peccati næuo candorem conscientiæ 9. MS. peccati næuo puræ candorem conscientiæ
assistente etiam aduersario *Omnia* MS. assistente etiam è contra aduersario
non solùm non leui peccato *Omnia* MS. non solùm leui peccato
cogitationis improbæ vanitatem secutus *Trud. & aliquot codices alij habent* cogitationis improbæ vanitate securus
Nec sanè nos aliud in hunc errorem præcipitat nisi quia impeccantiæ ipsius virtutem, &c. *Omnia* MS. Hæc sanè nos in hunc errorem causa præcipitat, quia impeccantiæ ipsius virtutem, &c.
damnantur, quibus si nos, &c. *Omnia* MS. damnantur à quibus si nos, &c.
obnubit auara cunctatio *Omnia* MS. obnubilat auara cunctatio
Feriunt me, sed non dolui 9. MS. Ferierunt me, sed non dolui.

CAPVT VIII.

superbia vitæ est, & ambitio seculi quæ non est ex patre *Omnia* MS. superbia vitæ est quæ non est ex patre

CAPVT IX.

per extentas in sublime lineas 9. MS. per extensas in sublime lineas
sollicita moderatione *Trud.* sollicita meditatione
ac tutissimum firmamentum 9. MS. ac firmissimum fundamentum
sed quia illi ad eam 9. MS. sed quia illi in eam
carnis pondere dilabantur 9. MS. carnis pondere dilabuntur
immutabilisque substantia neminem lædit *Omnia* MS. immutabilisq; substantia ipsa quidem neminem lædit
omnes vos accenditis ignem *Omnia* MS. omnes vos accendentes ignem

CAPVT X.

& veniam pro omnibus 9. MS. & veniam veraciter pro omnibus
à gratia Domini iugiter postulantes 9. MS. ac gratiam Domini iugiter postulantes
& iam vsque ad Deum iugiter ingemiscunt *Omnia* MS. etiam vsque ad vltimum vitæ suæ finem
semper incidere 9. MS. semper incurrere

CAPVT XI.

visibilia vniuersa transcendentes *Omnia* MS. visibilia vniuersa transcendens
conantur soli Deo semper vniri *Omnia* MS. conatur soli Deo semper vniri
& pertrahit sensum *Omnia* MS. & captiuum pertrahit sensum
compellens scilicet eos *Omnia* MS. compellens scilicet eum
terrenæ cogitationi submitti *Omnia* MS. terrena cogitatione submitti
cum dispensationi religiosæ, &c. 9. MS. cum dispensatione religiosæ, &c.
in quem lata est 9. MS. in quem locuta est
& per quam maledicta terra *Omnia* MS. qua maledicta terra
quarum aculeis, id est, vitiis carnis non obtusis, spiritus semina præfocantur *Omnia* MS. quarum aculei naturalia virtutum semina præfocant

CAPVT XII.

Omne enim humanum genus *Omnia* MS. Omne igitur humanum genus
Apostolus spiritalem asserit 4. MS. Apostolus spiritalem adscribit
lex quæ iubet 9. MS. lex hæc quæ iubet
Quod ergo istud *Omnia* MS. Quid rogo istud
alieno cupit domino mancipari *Omnia* MS. alieno cupit dominio mancipari
perpetua vendere seruitute 9. MS. perpetua dedere seruitute
iugo deprimit seruitutis 9. MS. iugo reprimit seruitutis

priui-

priuilegium exequi non fuisset 9. MS. priuilegium assequi non fuisset
sub hac vitæ condicione 9. MS. sub habita condicione *Isa. legit* sub auita condicioné
eisdem famulis causam, &c. *Omnia* MS. eisdem famulis peccatorum causam

CAPVT XIII.

iniquo venundauit commercio *Omnia* MS. iniquo venundedit commercio
dum puritatis amore flagrantes 6. MS. natura puritatis amore flagrantes
Sed factum est istud *Omnia* MS. Sed factum est in nobis istud
primus delictor excepit 9. MS. primus peccator excepit
Lex enim spiritus vitæ *Omnia* MS. Lex enim vitæ
cum remissionem debitorum 9. MS. cum remissione debitorum
à Domino precantur, absoluit 9. MS. à Domino precatur absolui

CAPVT XV.

veritas compellit confiteri 6. MS. veritas compulit confiteri
in illud mortis corpus incurrerit *Omnia* MS. in illud mortis corpus irruerit
pro his in futuro *Omnia* MS. pro his in futurum
legi Dei seruire permittat? *Omnia* MS legi Dei seruire permittit
aut hoc de supradictis 9. MS. aut hoc de his supradictis
abstrahens nos à lege Dei *Omnia* MS. abstrahat nos à lege Dei
captiuans nos legi peccati 7. MS. captiuans lege peccati
continentiam, sobrietatem, humilitatem, iustitiam, misericordiam 9. MS continentiam, misericordiam, &c.
vel quotidiana Christi gratia *Omnia* MS. *cum Dion.* non quotidiana Christi gratia
sed vt dictum est *Omnia* MS. sed vt sæpe dictum est
sed de innocentiæ causarentur 9. MS. sed de innocentia causarentur
Quicquid ergo lex illa 9. MS. Quod ergo lex illa

CAPVT XVII.

semper indigentem indignam esse sentiunt *Omnia* MS. semper indignam esse senserunt
nisi vera perfectione & integra puritate contemplationem Dei meruisset agnoscere *Omnia* MS. nisi veram perfectionis & integram puritatem, contemplatione Dei meruisset agnoscere
de suorum hoc eum labiorum *Omnia* MS. de suorum hoc labiorum
& peccauimus *Omnia* MS. & nos peccauimus
vt immundi omnes nos *Omnia* MS. vt immundus omnes nos
immunda vel horrida iudicantur *Omnia* MS. immunda vel horrenda iudicantur

CAPVT XVIII.

cum elationem nostri cordis vel negligentias auersatus *Omnia* MS. cum elatione nostri cordis vel negligentia aduersatus
non tam ex persona populi 9. MS. non tam ex persona Pauli *Iac. legit* non tam ex persona peccantium *Dionys. Carth.* ex persona populi vitiosi

CA-

CAPVT XIX.

inter reliqua illic sublimia *Omnia* MS. inter reliqua illa sublimia
quæ non nisi sanctis *Omnia* MS. quæ quoniam non nisi sanctis
& malis & infidelibus *Omnia* MS. *omittunt priorem copulam*
tamque superbia diabolici furoris *Omnia* MS. tam superbia diabolici furoris
aut nescierit esse posse *Omnia* MS. aut nesciret esse posse
ab eo distractum se sentiat deliquisse *Omnia* MS. ab eo distractus se sentiat delinquere

CAPVT XX.

necesse est dum animus *Omnia* MS. necesse est vt dum animus
maiora quàm nouit *Omnia* MS. *cum Carth.* maiora quàm agit

CAPVT XXI.

Plura siquidem denotat *Omnia* MS. Plurima siquidem denotat
ad sublimiora conscenderit *Omnia* MS. ad sublimiora contenderit
Itaque si dicentes 9. MS. *omittunt coniunctionem* si
non habemus in nobis 9. MS. non habentes in nobis
Postremò si cordi est 8. MS. Postremò si cordis est
à quibus hoc manifestius *Omnia* MS. à quibus manifestius
sine macula se esse posse peccati *Omnia* MS. macula se carere peccati
magis est propter animæ medicinam *Omnia* MS. magis est & propter animæ medicinam
& non potius sanctos *Omnia* MS. & non potius vt sanctos
singulis ea Dominicis ob remedium, &c. *Omnia* MS. singulis ea Dominicis diebus ob remedium

COLLATIONIS VIGESIMÆ QVARTÆ

CAPVT I.

Collatio Abbatis Abraham *Omnia* MS. Collatio Abbatis Abrahæ
Christo fauente procuditur *Omnia* MS. Christo fauente producitur
traditiones atque instituta concludens 8. MS. traditiones concludens
hi vigintiquatuor senes *Omnia* MS. hi vigintiquatuor seniores
subiectis sunt capitibus oblaturi 9. MS. subiectis capitibus ornaturi
& vobis qualemcumque sermonem *Omnia* MS. & nobis qualemcumque sermonem
quæ ad repetendam *Omnia* MS. quia ad repetendam
quotidianis animæ æstibus 9. MS. quotidianis animi æstibus
nullis prospiciendi victus distentionibus 9. MS. nullisque prospiciendi victus distentionibus
erat maioribus nostris auita possessio 9. MS. erat maioribus nostris habita possessio
ipsaque amœnitas regionum *Omnia* MS. ipsarumque amœnitas regionum
maxima victus præbere compendia *Omnia* MS. magna victus præbere compendia
ingemiscens ita ait *Omnia* MS. ingemiscens ita respondit

CAPVT II.

hæc quæ commemoraſtis *Omnia* MS. hæc quæ commendaſtis
à quatuor milibus paſſuum *Omnia* MS. è quatuor milibus paſſuum
quantaſuis vberes glebæ diuitias *Omnia* MS. quantaſuis vberis glebæ diuitias

CAPVT III.

hamo trahere debeat *Omnia* MS. hamo attrahere debeat

CAPVT IIII.

Super cuſtodiam meam ſtabo *Omnia* MS. Super cuſtodiam meam, inquit, ſtabo
vt aſcendam ſuper petram *Omnia* MS. & aſcendam ſuper petram
Calami ſiue Purfurionis eremo *Omnia* MS. Calami ſiue Porphyrionis eremo
Et idcirco nec multiuolam 9. MS. Et idcirco multiuolam, &c.

CAPVT V.

necdum poſſunt vel norunt *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* necdum poſſunt vel nolunt

CAPVT VI.

abſque vllius medietatis examine *Omnia* MS. abſque illius medietatis examine
tam excelſæ altitudinem molis *Omnia* MS. tam excelſæ magnitudinis molem
ſtructuram illam ædificij ſpiritalis *Omnia* MS. ſtructuram illius artificij ſpiritalis
in corde ſuo cupiens exhibere *Omnia* MS. in corde ſuo cupiens Domino exhibere
imprudenter attollit *Omnia* MS. imprudenter attollet

CAPVT VII.

virtutum imitatione fundatæ 8. MS. virtutum imitatione fundata
experientiæ noſtræ teſtimonio *Omnia* MS. experientiæ noſtræ teſtimoniis
nec vos minimum reſpuiſtis *Omnia* MS. nec vos nimium reſpuiſtis
non ſolùm in propriis *Omnia* MS. non ſolùm propriis

CAPVT VIII.

ſi virilibus atque fortiſſimis Saulis armis, &c. 6. MS. ſi viribus atque fortiſſimis Saulis armis
& quibus ætas robuſtior *Omnia* MS. *omittunt copulam* &
primæuo puero potuerunt inferre perniciem *Omnia* MS. primæuo potuerunt inferre perniciem
Itaque xenodochij vberrimus fructus eſt *Omnia* MS. Ita etiam xenodochij vberrimus fructus eſt
abſque vllo corporis perferunt tegumento *Omnia* MS. abſque corporis perferunt tegumento
in illis torpedinis, vt fama eſt, regionibus *Trud. & Mart. legunt* turbidis regio-

regionibus *Corſ. Virid. Rub. & Beth.* turpidis *Sed veriſimile eſt ſcribarum oſcitantia o in e conuerſum & torpidis legendum eſſe, quomodo habet Iacobæus codex & Dionyſ. Carth. Quod etiam arguunt verba ſequentia,* & velut frigore nimiæ infidelitatis obſtrictis, &c.

CAPVT IX.

veſtris foueri ſolatiis 8. MS. veſtris fouere ſolatiis

CAPVT X.

nullum ambiguitati locum *Omnia* MS. nullum ambiguitatis locum
hic etiam ipſam quotidie aquam *Omnia* MS. hic etiam aquam

CAPVT XI.

ab omni cura & ſollicitudine diurni operis abſoluto MS. *omnia pro* diurni *legunt* diuturni *D. Dionyſius tamen priorem lectionem videtur prætuliſſe. Cæterùm pro* abſoluto *rectius legi* abſolutum *ex* MS. *omnibus clarum euadit, neque etiam reclamat Dionyſ.*
licet id nunc ipſe non ſentias *Omnia* MS. licet id tu ipſe non ſentias
Feriunt me, ſed non dolui 9. MS. Ferierunt me, ſed non dolui
Et comederunt alieni *Omnia* MS. *omittunt* &
fructu manuum tuarum 9 MS. fructum manuum tuarum
mercede fraudant 8. MS. mercede defraudent

CAPVT XII.

agapen alienæ operationis MS. *omnia vbique per m legunt* agapem
fructibus ſuſtentari gloriantur *Omnia* MS. fructibus gloriantur
qui quicquid ad neceſſitatem 8. MS. *omittunt* qui
qui victus neceſſaria ſubminiſtrant agapem 9. MS. qui victui neceſſariam ſeminant agapem
omnem habitationis gratiam *Omnia* MS. omnem amœnæ habitationis gratiam

CAPVT XIII.

neceſſaria victus *Omnia* MS. neceſſaria victui ſuo
centumque denarios expleta omni corporis cura *Mart. Corſ. Trud. & Rub. legunt* tantumque denarios, &c. *Iac.* tantumque denarios tres, &c. *Verum impreſſorum codicum lectioni fauet Carth.*
vt non ſolùm nihil redigere 8. MS vt non ſolùm nihil redigeret
quotidiana exuberantia conferebatur 9. MS. quotidiana exuberantia conferebat
quicquid acquiſierint profligabunt *Omnia* MS. quicquid acquiſierint perdunt
miſit eas in ſacculum *Omnia* MS. mittet eas in ſacculum
quotidiana animi diſtentione diſpergit *Omnia* MS. quotidiana animi diſtentione diſperdit

CAPVT XIIII.

illuſionum noſtrarum manifeſtauit errores *Omnia* MS. cogitationum noſtrarum manifeſtauit errores

CAPVT XV.

aures oculóſve perſuaſerit *Omnia* MS. aures oculóſve inuaſerit

eumque se ad articulos quosque *Omnia* MS. cum se in articulos quosque

pro illius corruptione *Omnia* MS. pro illius causis

Si concupiscibilem vulnerabit portionem 9. MS. *cum Dion.* Si concupiscibilem corruperit portionem

noxia terrenaque generabit *Omnia* MS. noxia terrenaque germinabit

CAPVT XVI.

per elationem cenodoxiæ, quam patefecit, &c. 4. MS. per elationem cenodoxiæ ad hanc quam patefecit, &c.

peruagationum vanitate raptamini 7. MS. peruagationum vanitatem raptamini *At priorem lectionem magis probare videtur Carthusiani Paraphrasis.*

CAPVT XVII.

Quemadmodum enim ingruentibus quibusdam, &c. *Omnia* MS. *omittunt coniunctionem* enim

quæ fuerint infirmiora 8. MS. quæ fuerint infirma

laqueos præstruentes *Omnia* MS. laqueos perstruentes

decipere moliantur *Omnia* MS. decipere moliuntur

misericordiæ laude, si adhuc, inquit *Omnia* MS. misericordiæ laude permotus si adhuc, inquit

offensam Dei faciant *Omnia* MS. offensam Dei faciunt

aptum norat insidiis *Omnia* MS. apertum norat insidiis

laqueum deceptionis ac mortis intendens 5. MS. *habent* intendit *Trud. codex* incurrit

cum his eum tribus *Omnia* MS. cum in his eum tribus

nihil tamen tam versutis *Omnia* MS. nihil tamen versutis

CAPVT XVIII.

mentis perspexit intuitu 8. MS. mentis perspicit intuitu

maxima existit causa *Omnia* MS. maxima extitit causa

quod interdum à fratribus frequentati *Omnia* MS. vt interdum à fratribus frequentati

nequaquam possumus inhærere *Omnia* MS. nequaquam possimus inhærere

quam per castigationem corporis *Omnia* MS. quam pro castigatione corporis

inuenire possibile est *Omnia* MS. inueniri possibile est

CAPVT XIX.

ac secundum interiorem hominem 9. MS. *legunt* anteriorem *Cui accedit D. Dionys. qui habet* pristinum seu veterem hominem

& qui me contemnunt *Omnia* MS. qui autem me contemnunt

velut miris amœnitatibus non sunt loca, &c. *Omnia* MS. *cum Dionys.* velut miris amœnitatibus consitas in eorum corde depingens, ignota etiam quædam, & quæ penitùs nusquam sunt loca

aliquando permittet *Omnia* MS. aliquando permittit

CAPVT XX.

licet molesta nobis *Omnia* MS. licet molesta vobis

tam corpori quàm ſpiritui noſtro *Omnia* MS. *cum Dionyſ.* tam corpori quàm ſpiritui veſtro
indefeſſa pertinacitate *Omnia* MS. indefeſſa pernicitate *Dionyſ. reddidit* viuacitate
maiora nobis conferet lucra *Omnia* MS. maiora nobis conferens lucra

CAPVT XXI.

Quid eſt quod manu tua geſtas? *Omnia* MS. Quid eſt quod manus tua geſtat?
per nimietatem continuæ intentionis *Omnia* MS. per nimietatem continuæ tenſionis
virtuti ſpiritus cùm neceſſitas poſcit obſecundare non poterit *Quidam codices* MS. *legunt* virtutis, *ſed in aliis littera s deleta eſt, quod etiam Dionyſianæ Paraphraſi conſentaneum eſt.*

CAPVT XXIII.

de mundi huius ſubſtantia ſiuerimus 7. MS. de mundi huius ſubſtantia nouerimus *At D. Dionyſ. legit* permiſerimus
ſemperque ad Domini reſpiciens paſſiones 8. MS. ſemper ad Dominum reſpiciens
in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis, &c. *Omnia* MS. in infirmitatibus, in paſſionibus, in anguſtiis, &c.
tunc fortior ſum & potens *Omnia* MS. tunc potens ſum
voluntariè pro Chriſto offerens *Omnia* MS. *omittunt* offerens
euangelici illius præcepti meditatione continua *Omnia* MS. *omittunt* continua

CAPVT XXIIII.

Vt autem nobis contrario *Omnia* MS. Vt autem nobis è contrario
terrenarum ſcilicet facultatum materiis retentis *Omnia* MS. terrenarum ſcilicet facultatum materias retentantes
quo dilaceremur ſculpens 4. MS. quo dilaceremur exſculpens
noxiarum ſuſcipere voluntatum *Iac. & Corſ.* noxiarum ſuſcipere voluptatum
vt etiam leuiſſima contumelia *Omnia* MS. vt etiam pro leuiſſima contumelia
non eſſe timorem mei *Omnia* MS. non eſſe timorem meum
amara videtur & ſentitur *Omnia* MS. amara ſentiatur
niſi quia eam *Omnia* MS. niſi quia eum
inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues? Nos, inquam, non eſſe, &c. *In omnibus* MS. *ita legitur & diſtinguitur hic locus*, inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ? Leues nos, inquam, eſſe, &c.
deſideriorum cautibus exaſperamus *Omnia* MS. deſideriorum cautibus aſperamus
nuptiali veſte reptamus 7. MS. nuptiali veſte raptamus *Dionyſ. tamen legit* reptamus
abſtinebit ab eis *Omnia* MS. abſtinebit ſe ab eis
Eccleſiaſtes ſignificanter expreſſit *Omnia* MS. Eccleſiaſtes ſatis ſignificanter expreſſit

CA-

CAPVT XXV.

manebit ſemper inuiolabilis *Omnia* MS. manebit ſemper immobilis

Paulo poſt hæc verba, Collationis auctor profert ſententiam ex cap. 2. Michææ quam Abdiæ tribuit. Quod etiam à B. Dionyſio animaduerſum eſt, qui pro Abdia Michæam ſubſtituit.

perſecutionibus ærumnisque vallatum *Omnia* MS. paſſionibus ęrumnisque vallatum

de impatientia triumphare *Sic legunt D. Dionyſ. Iac. & aliquot codices. Porro Trud. Corſ. Gembl. Vill. & cæteri emendatiores habent* de patientia triumphare

regibus Iuda, principibus & ſacerdotibus eius & omni populo *Omnia* MS. regibus Iuda & principibus & omni populo

bellabunt aduerſum te *Omnia* MS. belligerabunt aduerſum te

praua in directum *Omnia* MS. praua in directa

quoniam ſuauis eſt Dominus *Omnia* MS. quàm ſuauis eſt Dominus

peruigilibus curis, quibus non abſque, &c. *Omnia* MS. peruigilibus curis, in quibus non abſque, &c.

CAPVT XXVI.

occaſionem huius ſententiæ 9. MS. occaſione huius ſententiæ

iſtis diebus quibus carnalis copulatur affectio *Omnia* MS. iſtis quibus carnalis caritas copulatur affectibus

cum vlla pœnali *Omnia* MS. cum illa pœnali

in propriis vbique ſuccedit *Omnia* MS. in propriis vbique ſuccedet

Fidelis viri totus mundus diuitiarum eſt *D. Dionyſ. &* MS. *omittunt* eſt

in paſſione fragilis deſiderij 9. MS. in paſſionem fragilis deſiderij

iugem animi lenitatem *Omnia* MS. iugem lenitatem patientiæ

retributionem in horum affectuum commutatione centuplam peruidebis 6. MS. retributionem ad horum affectuum comparationem centuplam peruidebis

centuplum eſſe meliora *Omnia* MS. centuplo hæc eſſe meliora

quantitatis magnitudine ſupercreſcit *Omnia* MS. quantitatis magnitudinem ſupercreſcit

pro contemptu mundialium commodorum *Omnia* MS. pro contemptu mundi & aliorum commodorum

innumera monaſteriorum habitacula *Omnia* MS. innumera monachorum habitacula

vt proprios dominos ſummis ſuſcipiunt *Omnia* MS. vt proprios dominos ſubmiſſè ſuſcipiunt *Dionyſ. Carth. legit* humiliter ſuſcipiunt

Quiſquis autem hæc humilitate ſincera, &c. *Omnia* MS. Qui enim hæc humilitate ſincera

ab aliis patienter admittit *Omnia* MS. ab aliis patienter admittet

quàm deferre famulatum *Omnia* MS. quàm recipere famulatum, *hoc eſt, viciſſitudine aliqua nunc alteri impendere, nunc ab eodem officium accipere.*

Qui ſuauis & ſine dolore eſt *Etſi* MS. *paſſim legant* Qui ſanus & ſine dolore eſt, *videtur tamen impreſſorum lectio præferenda eſſe, cui etiam Carthuſianus adſtipulatur.*

non aliis, sed voluntatibus suis *Sic videtur legisse D. Dionys. sic etiam legunt Iacobæus & Corsendonckensis codices. Reliqui verò habent* voluptatibus *quod non solùm in hac periodo, sed etiam in sequentibus aliquot sententiis à nobis obseruatum est.*

vt loquaris sermonem *Huic lectioni præter Carthusianum suffragatur cap. 58. Isaiæ, vnde sententia hæc sumpta est. quamquam* 8. *codices* MS. *legant* vt non loquaris sermonem

Pro Christi autem militia nemo status calumniam commouere 8. MS. Per Christi autem militiam nobilitatis nemo status contumeliam commouere

Lyco oppido 8. MS. Liquo oppido

velut Dominum venerentur 5. MS. velut Dominum venerarentur

orationibus meritisque committant *Omnia* MS. orationibus meritisque committerent

viuacitatem latentium sensuum 9. MS. *cum Dionys.* viuacitate latentium sensuum

sed vt vobis *Omnia* MS. sed vt magis vobis

Finiunt Notæ Collationum D. Ioannis Cassiani.

SE-

SEPTEM
D. IOANNIS CASSIANI
LIBRI DE VERBI INCARNATIONE PROPTER RARITATEM

manuſcriptorum codicum ad vnicum dumtaxat exemplar, quod è bibliotheca Colonienſium Auguſtinianorum petitum eſt, repurgati ſunt.

IN PRÆFATIONE AD LEONEM ROM. EPISCOPVM.

poſt illum proditæ inſcitiæ ac pudorem MS. poſt illum proditæ inſcitiæ pudorem

mi Leo venerande MS. mi Leo veneranda ac ſuſpicienda, &c.

Romanæ eccleſiæ ac diuini miniſterij MS. Romanæ eccleſiæ meæ ac diuini miniſterij

ſed periculoſa progreſſio MS. ſed periculoſa profeſſio

ſcilicet vt in reſurgentem in eccleſia Dei ſinuoſis tractibus MS. ſcilicet vt in ſurgentem in eccleſias Dei ſpinoſis tractibus

effectum negotij ab ipſo poſtules MS. effectum imperati negotij ab ipſo poſtules

LIBER PRIMVS DE INCARN.

CAPVT I.

Itaque nouo inauditoque miraculo MS. ita vt nouo inauditoque miraculo

CAPVT II.

ſinguli ex ſui ſimilitudine MS. ſinguli ex ſimilitudine

& maximè Beligarum vrbe MS. ex maxima Velgarum vrbe

hæreſi quæ nunc extat MS. hæreſi quæ nunc extitit

Sint quamuis eius nonnulla alia MS. Sint quamuis nonnulla alia

CAPVT III.

ſine vlli peccati contagione MS. ſine vlla peccati contagione

Euacuantes quantum in ipſis fuit, omnem diuinæ redemtionis gratiam MS. Euacuantes quantum in ipſis fuit omne ſacri aduentus donum & omnem diuinæ redemtionis gratiam

cognitam ſibi hæreſin MS. cognatam ſibi hæreſin

ab eccleſia eſſe diſiunctam, (quam ſcit ſibi vtique peruerſitate coniunctam) MS. *omittit hæc poſteriora verba parentheſi incluſa.*

CAPVT IIII.

conſentaneæ ſibi in quibuſdam priſtina illa, &c. MS. conſentaneæ ſibi in quibuſdam ſunt priſtina illa

CAPVT V.

exemplo essent MS. exemplo esset
Sic ergo minimè MS. Si ergo minimè
quasi in inferiora se MS. quasi inferiora se
cum Domino natum esse dicamus MS. cum Deo natum esse dicamus
facere incipiamus duos Christos MS. facere incipimus duos Christos
fidei credulitate suscepimus MS. fidei credulitate suscipimus
accipiendo quod Deus est MS. accipiendo quod Dei est
se in inuicem ingredientibus MS. se inuicem ingredientibus
in vnam redactam arbitremur MS. in vnam redactas arbitremur
qui capabilis non capax est MS qui capax non capabilis est
sed eiusdem plenitudinis atque virtutis MS. sed eiusdem semper plenitudinis atque virtutis
vnum eundem Dei filium MS. vnum eundemque Dei filium
crucifixus est infirmitate MS crucifixus est ex infirmitate

CAPVT VI.

vllus omnino adhuc extat MS. vllus adhuc omnino extitit
displiceret, probatam negare pietatem MS. displiceret, quia professio impietatis est probatam negare pietatem
vbi nemo dissensit MS. vbi nemo dissentit
falsitas esse noscenda est MS. falsitas esse noscendum est
qua Deum ex homine dignata est MS. qua Deus ad homines venire dignatus est

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

iisdem erroribus emergat MS. iisdem scrobibus emergat
habent suorum damnatione MS. habent in suorum damnatione
ad languoris damnationem MS. ad languoris curationem

CAPVT II.

nemo enim, inquiens, antiquiorem separet MS. nemo enim, inquiens, antiquiorem se parit
quod natiuitatem Dei MS. quo natiuitatem Dei
Dei filium nominaret MS. Dei filium nominauit
nasceturin te sanctum MS. nascetur ex te sanctum
quam diuini obumbratio sustineret MS. quam diuina obumbratio sustineret
voluntas Dei imperiumque sufficit MS. voluntas Dei imperiumque suffecit
ipsius adfuturam deceret maiestatem MS. ipsius adfuturam diceret maiestatem
virtus obumbrata patris MS. virtus obumbrauit patris
hæc tibi summa deberet MS. hæc tibi summa deberent

CAPVT III.

mentitus esse propheta Dei spiritus dici non potest MS. mentitus esse per prophetam Dei spiritus dici non potest

& diuinitati Deus MS. & diuinitati Dei
his omni mundo Deum qui nascebatur MS. his omni mundo qui nascebatur
quasi ipsius de quo dicebat MS. quia ipsius de quo dicebat
redemtorem vestrum non agnoscitis MS. redemtorem vestrum me non agnoscitis
Deus vester quem suspenditis MS, Deus vester sum quem suspenditis
& ideo propheta & illic vbi natus est MS. & ideo à propheta, & vbi natus est
vel pietas benigna MS. vel pietas tam benigna
plus amoris impendit MS. quia plus honoris impendit

CAPVT IIII.

missus ad destituendum MS. missus ad destruendum
& Dominum à diuinitate MS. & Deum à diuinitate
Ecce hic vir Dei MS. Ecce hic vas Dei
Deum apparuisse diceres MS Deum apparuisse dicens
Licet ne ad significandum MS. scilicet ne ad significandum

CAPVT V.

sola humana condicio MS. sola, vt ais, humana condicio
gratiam dari se optabat MS. gratiam dari hominis optabat
in sapientia impietatis alienæ MS. in insipientia impietatis alienæ

CAPVT VI.

quam omnes vtrumque hoc credimus MS. nos, inquam, omnes vtrumque hoc credimus
vocabitur filius Dei, hoc est, illius filius nuncupabitur quo generante est generatus. Dei ergo filius, &c. MS. vocabitur filius Dei. Dei ergo filius, &c.

CAPVT VII.

omnis in ipsa stat hominis conceptione MS. omnis in ipsa statim hominis conceptione
quod erat esse à Deo acceperat MS. quod erat à Deo acceperat

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Vitam autem eorum MS. Vita autem eorum
Deus benedictus in secula. Ex quibus Christus enim, inquit, secundum carnem qui est super omnia Deus Christum vtique, &c. MS. Deus benedictus in secula. Christum vtique, &c.
aut ex virgine in Christo editum confitere MS. aut ex virgine Deum in Christo editum confitere

CAPVT III.

Species verborum & alia MS. Species verborum est alia
quia super omnia Deus. Hoc dicit, &c. MS. quia sit super omnia Deus benedictus in secula: ac per hoc & illud ibi, Qui est super omnia Deus; & hoc dicit, &c.
Christum secundum carnem: & hic, non nouimus iam Christum secundum carnem. Hoc ait, Quia est Deus, &c. MS. Christum secundum carnem; Quia est Deus, &c.

prædicatio: licet sibi, &c. MS. prædicatio: & licet sibi
quasi sententiæ expressionem confirmat MS. quasi sententia expressiore confirmat
secundum carnem, vt agnosceretur fuit quondam quod secundum carnem MS. secundum carnem quamdiu quod secundum carnem agnosceretur fuit
nunc iam non cognouimus MS. nunc iam non nouimus
totum verè ex maiestate diuina MS. totum viuere ex maiestate diuina

CAPVT IIII.

nomen in eo humanitatis iam non est MS. nomen enim in eo hominis iam non cadit

CAPVT V.

per alterutrum blasphemiæ peruersitate MS. per alterutram blasphemiæ peruersitatem

CAPVT VI.

lateresque in tenebris MS. iaceresque in tenebris
qui è cælo loquaris MS. qui è cælo loqueris
fulgore tuæ diuinitatis obrueres MS. fulgore tuæ diuinitatis obruis
cuius vocem audiam MS. cuius vocem audio
maiestatem ferre non possim MS. maiestatem ferre non possum
fulgore diuini luminis obrutus MS. fulgore diuini luminis obumbratus
audito è cælis Iesum MS. audito è cælis Iesu
deuota vt conuersus voce respondit MS. deuota vt conseruus voce respondit
vna tantum pia & sana confessio MS. vna tantùm pia, vna tantùm sana confessio

CAPVT VII.

Alio loco ad Romanam ecclesiam MS. Alio autem loco ad Romanam ecclesiam
ante tribunal Dei dixit MS. ante tribunal Christi, in alia ante tribunal Dei dixit
in filio Christo MS. in filio Dei Christo
spiritum ipsum vtique homo nisi in spiritu Christi habere non potest MS. spiritum ipsum vtique honorandi Dei nisi in spiritu Christi habere non potest

CAPVT VIII.

& gentes sapientiam quærunt MS. & Græci sapientiam quærunt
virtutem pietatis suæ non enarrauit MS. virtutem pietatis suæ non eneruauit
diffidentia insipiens denegauerat MS. diffidentia insipiens degenerauerat

CAPVT IX.

Pauli prædicatio fecerat MS. Pauli prædicatio habuerat
tali hac affirmatione MS. tali affirmatione

CAPVT X.

Exire hic & progredi MS. Exire hinc & progredi

perse-

persequeris in opinionis impiæ telo MS. persequeris opinionis impiæ telo
non minus grauis MS. non minus illi grauis
prædicationem hanc Dominicæ passionis non solùm imminuo MS. prædicationem hanc sacræ crucis, prædicationem hanc Dominicæ passionis non solùm non imminuo
Nunc enim qui crucifixus est MS Hunc enim qui crucifixus est
quod in hoc sermo meus MS. quod hic sermo meus
quæ abscondita fuit MS. quæ abscondita est
quam perfectè tantummodo sapientes sciant MS. quam perfecti tantummodo sciant
sapere vnquam per se poterit MS. sapere vnquam per se potuerit
in carne natum Dominum qui negat MS. in carne natum qui negat
quamlibet impiè negatis MS. quamlibet impiè negetis

CAPVT XI.

habere me forsan præter ea quibus vsus sum testimonia MS. habere me forsan alios quorum vtar testimoniis

CAPVT XII.

clauis à te in ecclesiis collocata MS. clauis à te in ecclesiis collata
quia Christi generatrix MS. quia Christi genitrix
ille testatus filium Dei MS. ille testatur filium Dei
sed euangelia testantur MS. sed euangelista testatur
Sed nouum prodigiosi commenti genus MS. Sed nouum hoc prodigiosi commenti genus
vt cùm scriptum sit legatur MS. vt cum & quid scriptum sit legatur

CAPVT XIII.

& Dei testimonium MS. & Dei patris testimonium
qui inspirauerit tibi MS. quis inspirauerit tibi

CAPVT XIIII.

qui fide ecclesiæ non tenetur MS. qui fidem ecclesiæ non tenet

CAPVT XV.

paucis sermonis sui conteret MS. paucis sermonibus suis conteret
stultam illam verbosam calliditatem sapientiam MS. stultam illam verbosa calliditate sapientiam
historicæ euangelicæ prædicationem MS. historiæ euangelicæ prædicationem
Thomas Apostolus contigisset MS. Thomas Apostolus contigisse
& de Christo meo quem compalpaueram MS. & de Christo Domino meo quem palpaueram

CAPVT XVI.

vt Dominum Deum nostrum etiam hac re, &c. MS. vt Dominum nostrum Deum etiam hac re, &c.
quam etiam illi MS. qua etiam illi
veritatis necessitate, licet Iesum, &c. MS. veritatis necessitate cogente licet Iesum
ex homine ac Deo natus MS. ex homine à Deo natus
ille nominatus MS. ille & nominatus

in quo mihi complacui MS. in quo mihi complacuit
Dicens enim hic est MS. Dicens ergo hic est
Ergo Christus. Impleta est, &c. MS. Ergo Christus filius Dei est. Impleta est
aliud spiritus descensionis MS. aliud in spiritus descensione
super proprij filij sui nomen etiam dilecti & complaciti sibi filij nomen adiecit MS. insuper proprij filij sui nomen adiecit
& quia digito indicante MS. & quasi digito indicante
quod peculiariter patri complacitus MS. quod peculiariter dilectus, & peculiariter patri complacitus

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

vt apertè quorum veritas MS. vtpotè quorum veritas
euangelicis testimoniis MS. euangelicis atque angelicis testimoniis
Deum fuisse monstremus MS. Deum semper fuisse monstremus

CAPVT II.

suum vtique suum MS. suum vtique filium
vt quod Dei in omnibus licet MS. vt quod ei in omnibus licet

CAPVT III.

Quid ergo ait MS. Qui ergo ait

CAPVT V.

indiscreta vtriusque nominis maiestate MS. discreta vtriusque nominis maiestate
eum qui missus, Iesum Christum esse MS. eum qui missus sit Iesum Christum esse

In cap. sexto huius quarti libri circa medium capitis in excusis exemplaribus ponuntur hæc verba, Oportuerat itaque quisquis es. *quæ quoniam imperfectam continent sententiam, in margine adscriptum est,* Videtur hic aliquid deesse. *At in MS. verba illa non leguntur, sed post vocabulum* memorauit *subnectitur statim,* Audi, inquam, &c.

vbi erat prius. Filium hominis è cælo, &c. MS. vbi erat prius. Filium hominis in cælo fuisse dixit. Filium hominis è cælo, &c.
Deus locutus est, verbum illius summa ratio est MS. Deus hoc locutus est, mihi verbum illius summa ratio est
& eundem filium hominis MS. & eundem se filium hominis
ipsum ait ascendisse quem descendisse MS. ipsum autem ascendisse dicit quem descendisse

CAPVT VII.

quomodo Iesus Christus MS. quoniam Iesus Christus

CAPVT IX.

nunc de propheticis veteribus MS. nunc de prophetis veteres
vt filium Deum noscerent MS. vt filium Dei Deum noscerent
eodem ipso quoque scriptura sacra per prophetam MS. eodem ipso quoque per prophetam, &c.
Non reputabitur, inquit, alius præter eum MS. Non reputabitur ergo, inquit, scriptura sacra alius præter eum
Pulchrè his propheta MS. Pulchrè hic propheta

vt vnitus

vt vnitus à cunctis Dei patris filius disceretur MS. vt vnigenitus à cunctis Dei patris filius diceretur
aduentus Domini ac diuinitatis MS. aduentus Domini ac natiuitas
quam in quo dictum MS. quam de quo dictum
tui erunt, post te ambulabunt MS. tui erunt serui, post te ambulabunt
vincti manibus pergent MS. vincti manicis pergent
personam populi confitentis MS. personam populi confirmantis

CAPVT X.

post infelicem ignorantiam MS. post infelicem illam ignorantiam

CAPVT XI.

aduentum creditur harum gentium significari MS. aduentum crediturarum gentium significati
quorum etiam nos MS. quorum etiam alios
in quibus est Domini amor MS. in quibus vnus est Domini amor
& nec præter te Deus MS. & non est præter te Deus
Dictum prophetæ & Apostolus euidenter exposuit MS. Dictum prophetæ Apostolus euidenter exposuit
naturæ significatione MS. naturarum significatione

CAPVT XIII.

etiamsi nunc nouit. Vides ergo, &c. MS. etiamsi nunc nouit non nisi per Christum tamen nouit. Vides ergo, &c.
quàm illi filium qui negabant MS. quàm illi qui Dei filium negabant
vnita dissecas MS. vnita discindis
quàm ea ipsa de se MS. quàm si ipsa eam de se

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

hæresim Pelagianæ hæreseos disciplinam MS. hæresim illam Pelagianæ hæreseos discipulam
in vtroque esset damnabilis mendacij MS. in vtroque nefandi esset damnabilis mendacij
impossibilitatem expectas humanam MS. impossibilitatem spectas humanam

CAPVT II.

non Deum, sed susceptorem Dei MS. non Deum, sed sumtorem Dei
non propter se quia sit Deus MS. non propter se quasi sit Deus
imperiali statuæ comparans MS. imperiali statuæ Dominum comparans
Pelagium, qui pænè omnes impietates vicerit MS. Pelagium ipsum, qui pænè omnes impietate vicerit

CAPVT III.

Deus dixit: inhabitabo in eis MS. Deus dixit, quia inhabitabo in eis
vt terrenæ fragilitatis MS. vt terrenæ fragilitati

CAPVT IIII.

id est, vel vt velit MS. id est, vel vt cùm velit
vnigenitus autem filius MS. vnigenitus autem tantùm filius

qui habetur in ſpiritu: idem credendus in maieſtate qui naſciturus in carne MS. qui habetur in ſpiritu : idem credendus in corpore qui creditur in maieſtate, quia naſciturus in carne

CAPVT V.

in quo ipſo ſtatim, &c. MS. in quo in ipſo ſtatim
vel vt atque euidentius MS. vel vt verius atque euidentius
hic homo Dei eſt MS. hic homo Deus eſt

CAPVT VI.

dilectiſſimus ille ac deuinctiſſimus MS. dilectiſſimus ille ac deuotiſſimus
ſibi non imputaret periculum MS. ſibi imputaret periculum
ſacramentum vitæ cum Deo carnis MS. ſacramentum vnitæ cum Deo carnis, &c.

CAPVT VII.

in ipſo creata ſunt, & in ipſo conſtant MS. in ipſo creata ſunt & ipſe eſt ante omnes & omnia in ipſo conſtant
aut in principatu eorum MS. aut primatu eorum
vt in eo MS. quod in eo
& verbum Dei ante vniuerſa *In* MS. *omittitur copula* &

CAPVT VIII.

Quod quidem Apoſtoli MS. Quod quidem quamuis Apoſtoli
audiui ab eo MS. audiui à Deo
Neque enim ego à me venio MS. Neque enim ego à meipſo veni
neceſſe eſt ſemper fuerat MS. neceſſe eſt fuerit
totum iam ſibi diuinitatis vnitas vindicaret MS. totum iam ſibi vniti vnitas vindicaret
nec præterit initium MS. nec præteriti initium
iam fuiſſe dicebat MS. iam ſe fuiſſe dicebat

CAPVT IX.

Apoſtolus tam euidentibus teſtimoniis MS. Apoſtolus tot & tam euidentibus teſtimoniis
& à decem millibus Iudæorum eum in deſerto, &c. MS. & Chriſtum à Iudæis tunc in deſerto
Circa dimidium huius noni capitis in codicibus impreſſis hæret ſententia, ad illa verba, & qui eum etiam poſt partum virginis Deum denegas. *Quæ verò ſequuntur vſque ad hæc verba,* Et ideo ſanctus Ioannes, &c. *ex* MS. *codice interſecta ſunt : ex quorum adiectione totius diſputationis contextus & ſententia alioqui ſuſpenſa & imperfecta abſoluitur.*

CAPVT X.

& hic eſt Antichriſtus MS. & hoc eſt Antichriſti
qui fuiſſe Deum in eo denegas MS. qui fuiſſe eum Deum negas
Vterque enim negauit MS. Vterque enim Ieſum negauit

CAPVT XI.

viri ac mulieris nominibus adiungat? Omnes à carnali, &c. MS. viri ac mulieris nominibus adiungens, omnes à carnali, &c.

Et quid

Et quid post hæc ? quasi cum magna, &c. MS. Et quidem post hæc quasi cum magna, &c.

CAPVT XII.

sacramentum quod inquirendum MS. sacramentum ad quod inquirendum

CAPVT XIII.

palam appareret in mundo MS. palam appareret mundo

CAPVT XIIII.

de eius plenitudine sunt MS. de eius plenitudine omnes sunt

CAPVT XV.

in aduentum temporum MS. in aduentu temporum
& quasi conceptum mutuo postulabant MS. & quasi concentu mutuo postulabant
nemo liberare MS. nemo enim liberare
qua re alius liberatur MS. qua à se alius liberatur

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

nec intelligere sensus potest MS. nec concipere sensus potest
appositionemque sufficeret MS. appositionemque suffecerit
fidelium ac sapientium menti MS. fidelium ac sapientium mentibus

CAPVT II.

Si enim numero pares sunt, specie non dissimiles MS. Sicut enim numero pares sunt, sic specie non dissimiles
Nam cùm illi hordeacei fuerint, & hi quantum ad ingenium nostrum pertinet, hordeacei dici possunt. MS. Nam cum illis hordeacei dici possunt.
ex domesticis testimoniis MS. ex Dominicis testimoniis
Vt qui per cibum fecit non deficere in via saturos, per hunc faciat non deuiare saturatos MS. vt qui per cibum illum fecit non deficere in via saturatos, per hunc quoque faciat non deuiare saturatos
saluatorem omnibus curam MS. salutarem omnibus curam

CAPVT III.

vt his testimoniis sacris MS. hic enim ordo est, vt superatus iam testimoniis sacris
vt vnum perimens MS. vt vnum permittens
quia in vnum ab Apostolis MS. quia in vnum collata ab Apostolis
sed sensum omnium scripturarum MS. & sensum omnium scripturarum

CAPVT IIII.

per hominem enim id fecit MS. per homines enim id fecit
Sicut enim immensam MS. Sicut enim vniuersam
quicquid ille per suos MS. quicquid illic per suos
credendum esse MS. credendum est esse

CAPVT V.

in eo fidere diceres MS. in eo te viuere diceres

Qui

Qui vtinam fuisses MS. Quod vtinam fuisses

CAPVT VI.

quam prius dixisti MS. quam prius ipse dixisti
eadem te via ipsa confessio MS. eadem te tua ipsa confessio
aut si negatur MS. aut si negaueris
Deinde ex eo, inquit symbolum, id est, ex patre natum MS. Deinde inquit symbolum ex patre natum
ante omnia secula & non factum. Quod vtique non nisi vnigenito, &c. MS. ante omnia secula & non factum: Hoc symbolum per te locutum est, hoc tu per symbolum: Iesum Christum ante secula ex Deo patre natum & non factum. Numquid aliquid de phantasiis his quibus nunc furis symbolum dicit? Numquid etiam tu ipse dixisti? Vbi hic statua? Vbi organum tuum inquam? Absit enim, vt hoc alterius sit quàm tuum. Vbi illud quod Dominum Iesum Christum statuæ instar adfirmans, non quia Deus, sed quia imago Dei adorandum putas: & ex Domino maiestatis organum faciens, non propter se eum, sed propter eum qui quasi in eo spiret ac resonet honorandum esse blasphemas? Dixisti in symbolo Dominum Iesum Christum natum ex Deo patre ante omnia secula, & non factum: quod vtique non nisi vnigenito, &c.

CAPVT VII.

In portenta nunc atque prodigia recidisti MS. In portenta nunc atque prodigia recessisti

CAPVT VIII.

quomodo id habere poterat vt veniret? Homo autem, &c. MS. quomodo id habere poterat vt veniret? Vides ergo quomodo ipse aduentus nomine fuisse ante designatur adueniens: quia facultatem non habuerat, nisi cui ex hoc ipso quod erat, suppetere poterat vt veniret. Homo autem, &c.
in vtraque re præposita MS. in vtraque re præpotenti

CAPVT IX.

natus est, & crucifixus MS. natus est ex Maria virgine & crucifixus
Apostolos prædicare non pudet MS. Apostolos prædicare non puduit
auditus ipse accepit MS. auditus ipse accipit

CAPVT X.

Vt quid doces Christianos MS. Vt quid doceas Christianus
Christum non credens cùm ipsum in cuius Dei templo sunt Deum neges MS. Christum non credere eum in cuius Dei templo sint Deum negare
Decorem te & episcopum putas MS. Doctorem te & episcopum putas

CAPVT XII.

sapientiam prædicat. Ergo si absque dubio sapientia Dei Christus, ergo absque dubio Christus Deus MS. sapientiam prædicat. Ergo absque dubio Christus Deus
Nos ergo, inquit, prædicamus MS. Sic ergo, inquit, prædicamus
Videri potest impietas MS. videri posset impietas

CAPVT XV.

& in Iesum Christum filium Dei. Dicis autem ex Maria, &c. MS. & in Ie-

in Ie-

in Iesum Christum filium Dei. Habes ergo hic Iesum Christum filium Dei. Dicis autem ex Maria, &c.
duos vtique Christos esse blasphemes MS. duos vtique Christos esse blasphemas

CAPVT XVI.

Quod enim in ea est MS. Quod enim in ea natum est

CAPVT XVIII.

& in vnum genitum & eundem tamen vnigenitũ & primogenitũ Dominũ omnium, &c. MS. & in vnum genitũ, Dominum omniũ, &c.

CAPVT XIX.

Et ideo Maria cum carnalibus oculis MS. Et ideo Martha cum carnalibus oculis, &c.
seculi istius sapientia MS. seculi huius spatia
omnis futura æternitas & immensitas MS. omnis futuræ æternitatis immensitas

CAPVT XX.

nihil nouum, nec præcipuum MS. nihil nouum, nec principium

CAPVT XXI.

quem cùm hominem tantummodo MS. quem tu hominem tantummodo
à prophetis atque Apostolis Dei etiam ante secula prædicatur? MS. à prophetis atque Apostolis Deus etiam ante secula prædicatur?
& in Deum Iesum Christum MS. & in Dominum Iesum Christum
secula compaginata sunt MS. secula creata sunt

CAPVT XXII.

quod vnitas homini MS. quod vnitus homini
hominem is à Deo MS. hominem quis à Deo
per Christum omnia prædicat MS. per Christũ omnia facta prædicat
Ita scilicet incorporans MS. Ita scilicet concorporans
nec homo ininitiabilis MS. nec homo initiabilis

CAPVT XXIII.

& seruitutis minus multo MS. & seruitus minus multo
die qui subiectus est MS. die qui subsecutus est
Scatent his rationibus exemplum MS. Scatent his rationum exemplis
ante illum, & post illum venerit MS. ante illum fuerit & post illum venerit

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

illigata ingentibus spiris MS. colligata ingentibus spiris
ad destruendas omnes munitionum cogitationes MS. ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes
anguis sordidum & ferale contagium MS. anguis huius sordidum & ferale contagium
sancti spiritus dona MS. sancti spiritus tui dona
decora respondeant MS. decora resplendeant
inserens in cauernis serpentum MS. inserens in cauernas serpentum
ex ouilibus errorum MS. ex cubilibus errorum
sacramentum tandem ac puro lumine intuentes MS. sacramentum reserato tandem ac puro lumine intuentes

CA-

CAPVT II.

æquum arbitror adnitar exoluere MS. æquum arbitror vt enitar exoluere
expleta penitùs expoſitione MS. expleta penitùs ſponſione
Nemo ergo, inquit MS. Nemo ergo, inquis
Vnde venit cauſa pariendi MS. quia non venit cauſa pariendi
Ego id etiam de creaturis MS. Ego id etiam Dominum de creaturis

CAPVT III.

blaſphema calumniatrix eſt quia ais MS. blaſphema calumniatrix eſt qua ais
verbis enim quàm re MS. verbis enim magis quàm re
etiam hic reſponſum puta MS etiam de hoc reſponſum puta
non videntis penitùs Dei omnipotentiam? Dic mihi, &c. MS. non videntis penitùs Dei omnipotentiam cantilenæ? Dic mihi.
turbas in eremo non ſemel pauit MS. turbas Dominus Ieſus Chriſtus in eremo non ſemel pauit
cauſa inuiſibilis & arcana ſaturauit: qua cauſa ac etiam miraculo natum in Galilæa vinum de aquis legimus, &c. MS. cauſa inuiſibilis & arcana ſaturauit; præſertim cùm plus multo ſuperfuerit ſaturitati, quàm appoſitum fuerat eſuritioni. Qua ratione hoc totum factum eſt, vt cùm ſatietatem edentes caperent, etiam augmentis ineffabilibus cibus ipſe diteſceret? Natum in Galilæa, &c.
Dic mihi quomodo MS. Dic mihi ergo quomodo
hanc naturam habuit cùm plus multo ſuperfuerit quàm ſatis fuerit eſuritioni? Qua ratione hoc totum eſt, vt cùm ſatietatem edentes caperent, augmentis ineffabilibus cibus ipſe dehiſceret, vt aquas ex ſe ſumtas in optima vina mutaret? MS. hanc naturam habuit, vt aquas ex ſe ſumtas in optima vina mutaret
qui potens ſit vtique ex ſolitis noua condere MS. qui potens ſit vtique & ex inſolitis noua condere

CAPVT IIII.

quia vetus vtique omnium condicio MS. quia auctor vtique omnium condicionum
& quicquid homo poteſt, quia ipſe, &c. MS. & quicquid homo poteſt, & quicquid non poteſt, quia ipſe, &c.

CAPVT V.

quòd diſſimilia ſibi quælibet parere non poſſint MS. quòd diſſimilem ſibi res quælibet parere non poſſit
ex atomis animalia naſcuntur MS. ex inanimis animalia, ex inſenſibilibus ſenſibilia naſcuntur
Concinnitatem pedum, attem orium elegantiamque pinnarum MS. Concinnitates has pedum ingeniorum elegantiamque pennarum
poſt hæc talia addi MS. poſt hæc & alia addi
velle ſufficit MS. velle ſuffecit

CAPVT VI.

qui ſine ſemine naſcitur Adam MS. qui ſine ſemine natus eſt Adam
in quo imago reparatur MS. in quo imago reparabatur
ſi ei Deum quidpiam prætuliſſes MS. ſi eidem quidpiàm prætuliſſes.

CA-

CAPVT VIII.

subtili quidem impietatis arte MS. subtili quippe impietatis arte
scelus negantis quasi sub nomine confitentis MS. scelus negantis sub nomine confitentis

CAPVT IX.

Latuisse ergo in cælo MS. Latuisse ergo in eo
venturum omnibus prædicabant MS. venturum omnibus prædicebant
quem in concertatione MS. quem etiam in concertatione

CAPVT X.

Numquid Maria quid loqueretur MS. Numquid Martha quid loqueretur
morborum remedia vel membrorum restitutiones MS. morborum restitutiones

CAPVT XI.

Deum humana in humilitate quærebat MS. Deum in hominis humilitate quærebat
sed magnis signorum indiciis, magnis rerum experimentis MS. *vtrobique legit* magis
euidentem se ac manifestandæ claritati Dei indicem dederat MS. euidentem se ac manifestam declarati Dei indicem dederat

CAPVT XIII.

suspicari tamen compellabatur MS. suspicari tamen compellebatur
inter ipsas iniuriarum dignitates MS. inter ipsas iniuriarum indignitates

CAPVT XIIII.

quod Apostolus MS. quod idem Apostolus
reserata sacra voluminis serie MS. reserata sacri voluminis serie
insinuare in omnibus cupiens MS. insinuare omnibus cupiens

CAPVT XVII.

quod ipse per se vniuersa fecerit MS. quod ipse per se atque in se vniuersa fecerit
auxilio alterius eguisse credendus est MS. auxilio alterius eguit

CAPVT XVIII.

quod auferre Domino nostro niteris MS. quia id auferre Domino nostro niteris

CAPVT XIX.

nec potestatis vis fuisse MS. nec potestatis hoc vis fuisse
præcipio, inquit, tibi per spiritum pythonem MS. præcipio, inquit, tibi ad spiritum pythonem
Postremo qui potestatem à Deo acceperunt, numquam potestatem ipsam ad eum à quo acceperant retulerunt MS. Postremo hi qui potestatem à Deo acceperunt, numquam potestate ipsa, vt sua vsi sunt, sed potestatem ipsam ad eum à quo acceperant retulerunt.
Tu ergo qui idem vis Dominum fuisse MS. Tu ergo qui idem Dominum fuisse dicis

CA-

CAPVT XX.

Numquid ad potestatem extendendam MS. Numquid ad potestatem exercendam

CAPVT XXI.

Discerne hic si potes, quis potior, quis maior MS. Discerne hic si potes, quis maior

spinosam sabuli fidem ostendis in germine MS. spinosa soboles idem ostendis in germine

templum dicis factum esse MS. templum Dei dicis factum esse

CAPVT XXVII.

sed planè Dominum Deum omnium MS. sed plenè Dominum Deum omnium

CAPVT XXVIII.

Sed tamen aliquos non despicias MS. Sed tamen aliquos tibi quos non despicias

quid de nobis agitur MS. quod de nobis agitur

CAPVT XXIX.

Hæc ergo intentio MS. Hæc ergo, inquit, intentio

quia sit mater appellat MS. quia sit mater Dei appellat

CAPVT XXX.

ad confundendas blasphemias tuas MS. ad confutandas blasphemias tuas

CAPVT XXXI.

vt dignatio suæ maiestatis MS. vt dignatio sacræ maiestatis

Finiunt animaduersiones in septem D. Ioannis Cassiani de Verbi Incarnatione libros.

AD LECTOREM.

N Notis Variarum lectionum, amice Lector, siue in Castigationibus proximè antegressis, multa quidem obscura & difficilia Ioannis Casiani loca excussimus; sed quoniam aliæ insuper Græcolatinæ & obscuræ voces ac sententiæ in his ipsis operibus passim occurrunt, operæ pretium nos facturos existimauimus, si harũ omnium breuem Elucidationem Alphabetico ordine hoc loco subiiceremus.

ABsis, siue apsis, *Græcè ἀψὶς, est rotæ vel fornicis curuatura. Significat quoque vinculum, παρὰ τὸ ἅπτειν τὸ δεσμεῖν. Apud Homerum verò accipitur pro foramine retis, nam & in retibus apsides inueniuntur. Cassianus pro curuatura cameræ ac testudinis vsurpasse videtur, siue pro circumferentia rotæ, in qua figuntur radij.* Col.24.cap. 6.

Agape pro conuiuio in decretis bis positum inuenitur. Hinc in Gangrẽsis synodi canone 11.*ita legitur: Si quis despicit eos qui fideliter agapes, id est, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuscemodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit. Sic olim prisci Christiani conuiuiola sua, præsertim illa ad quæ pauperes vocabantur, agapas appellabant. Cassianus pro eleemosyna, & subuentione ac misericordia fratribus impensa vocabulum hoc vsurpat. Dicitur autem ἀγάπη ab ἀγαπάζομαι, hoc est, diligo, adamo, colo, complector. Hac voce D. Iudas in Canonica sua epistola vsus est, pro qua Latinus interpres reddidit epulas, in illis verbis,* οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν. *quod ad verbum reddi potest: hi sunt in dilectionibus vestris, siue inter caritates vestras, hoc est, in conuiuiis quæ pauperibus refocillandis exhibetis.* Coll.24.cap.12 & alibi.

Amurca *Plinio autore est sanies olei: siue sordes olei quæ præcedunt: nam quæ sequuntur, feces vocantur. Valet autem plurimum contra culices & limaces. Hinc examurcatus dicitur, qui sordibus purgatus est.* Coll.19. cap. 8.

Athera *Græcis* ἀθήρα *sorbitiuncula est pulticulæ liquidæ similis ex zeæ tenuissimo polline. Sic Cassianus hoc loco dicit pulmentum lenticulæ, atheran appellari.* Coll.15.cap.10

Bacucæi *videntur fuisse dæmones barbara appellatione à patribus in Scythica eremo habitãtibus sic appellati; sicut B. August. lib.* 15. *de ciuit. Dei asserit quosdam esse dæmones, quos Galli Dusios vocant.* Coll.7.cap. 32.

Biothanati *dicuntur, qui violẽta morte ab aliis illata pereũt, aut qui sibiipsis mortem consciscũt: qualis fuit senex ille Hero, de quo Cassianus Col.* 2.*c.*5.*qui fœda diaboli illusione deceptus in puteum se præcipitauit; ideóque Pafnutij Abbatis sententia, memoria & oblatione pausantium, hoc est, mortuorum indignus habitus. Iudas quoque proditor, sicut hoc loco scribit Cassianus, vitam suam biothanati morte conclusit: quia sibi manus iniecit violentas, & in desperationẽ actus laqueo se suspẽdit. Est verò hæc vox secundũ deriuationem Græcanica, conflata ex dictione βίη, hoc est, vis siue violentia, & θάνατος, quod significat mortem.* Lib.7.Instit. cap.14.

Birrorum *ornamentũ apud Atrebates in Gallia fuit percelebre: & erat magni pretij vestis: nam & B. Hierony. in Iouinianum scribens homines illos pretiosos fuisse testis est.* Lib.1.Instit. cap.7.

Lib.4.Instit. cap. vlt. — Breuiarium *posuit pro Anacephalæosi, hoc est, breui & summaria recapitulatione, in qua repetitio rerum summatim fit. Suetonius in Augusto hac voce vsus est, cùm ait: Fecit & breuiarium totius imperij, quantum militum sub signis vbique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis. Ponitur nonnunquam idem vocabulum pro compendio siue opere conciso, quod Græcis dicitur ἐπιτομή.*

Coll.3.cap.1. — Bubalus *est bos siluestris, colore niger, fortissimis cruribus & breuibus: cornua habet longa & inflexa parui pili, & parua caudæ. Ob hanc causam, cùm sit admodum agreste hoc animal, Pafnutio Abbati propter agrestem & solitariam vitam, Bubali cognomentum inditum fuisse videtur: quemadmodum colligere licet tum ex hoc primo tertiæ Collationis capite, tum ex quintodecimo capite decimæoctauæ Collationis,*

Lib.5.Instit. cap.18. — Cestus. *in Notis variarum lectionum diximus de hoc vocabulo quòd significet Zonam virgineam qua in legitimis nuptiis ornabatur spôsa, & quam maritus prima nocte dissoluebat. Et quoniam eadem vox nonnunquam pro legitima copula & maritali concordia siue castitate accipitur, idcirco visum nobis erat Cassianum ieiunia cestis comparare, quia instar cinguli cuiusdam, vinciunt, ligant, & stringût carnis nostræ libertatem, vt eo facilius cohibeatur. Verum postea comperi rectius hoc loco legi, cæstibus, per diphthongum in quarta declinatione. Erat enim cæstus lorum quo pugiles pugnam inter se committebant, vel genus clauæ pilas plumbeas loris bubulis appensas habens, quo Daretem & Entellum pugnasse legimus: à cædendo. Etiam generaliter arma pugilum dicuntur cæstus. Ad hunc igitur modum metaphoricè ieiunia quoque vocantur cæstus quidam spirituales, quibus caro veluti loris & baculis quibusdam subigitur, domatur atque eliditur.*

Coll.8. cap. 1. — Caricam, *quidam putant aridam ficum significare, cùm sit tamen species quædam in Syria, Plinio tradente & in Caria ficum eiusmodi copiose nasci, Strabo autor est. D. Hieron. quoque in vita S. Hilarionis scribit illum caricis sub vesperam vsum fuisse.*

Lib.10.Instit. cap. 7. — Caustica medicamenta: *Græcè καυστικὰ φάρμακα sunt acerba & austera medicamenta, vtpote incisiones & ea quæ habent vim causticam, hoc est, vstiuam. Inde καυτήριον, cauterium, instrumentum est quo putridæ carnes aduruntur.*

Lib.11. Instit. cap.1. & alibi. — Cenodoxia *idem sonat quod vanæ gloriæ cupiditas, nam κενὸς est vanus, siue vacuus & inanis: & κενοδοξεῖν est inani gloria duci.*

Lib.10. Instit. cap. 14. — Cespite eodem pullulare *dicuntur, quæ ex eadem radice pullulant, aut ex eadem origine & fonte procedunt. Sic enim hanc phrasim in sua Paraphrasi reddidit B. Dionysius.*

Coll.8. cap.1. — Cicer, *ἐρέβινθος Græcè, genus est leguminis de quo Plinius lib. 18. Ciceris natura est gigni cum salsilagine: ideo solum vrit, nec nisi madefactum pridie seri potest.*

Lib.1.Instit. cap. 5. — Colobium *secundum Græcam deriuationem simplici, non gemino ll scribêdum videtur: Græcè κολόβιον. Erat apud Romanos genus tunicæ, quo antiquiores apud illos vti consueuerant, sic dictum quòd sine manicis esset ac mutilatum, extantibus extra eam brachiis: Tali namque veteres vtebantur ne essent impeditiores. Nam κόλοβον breue, mutilatum siue truncatum significat. Et sic accipit quoque Cassianus hoc loco: nempe pro tunica breui sine manicis, humero tenus exerta; qua vtebantur monachi & eremitæ, vti est apud Beroaldum.*

Lib.1. Instit. cap. 4. — Cucullus; *cucullam vocant barbari. Genus est vestimenti, caput & ceruicem vsque ad superiorem humerorum partem tegens. Est autem generale vocabulum; & pro nautico, militari, aut rustico tegmine ad pluuias ac tempestates arcendas inuentus*

uento frequenter accipitur. Cassianus verò pro indumento monastico & innocentiæ symbolo ac nota hanc ipsam vocem vsurpauit. Monachi enim cucullis induuntur, vt simplicitatis ac modestiæ admoneantur; & secundum Apostoli sententiam intelligant se stultos in hoc seculo esse debere, vt euadant sapientes.

Decaniæ videntur fuisse decem fratrum congregationes, siue decuriæ, quibus singulis præpositus quispiam præsidebat: & hic vicaria siue mutatoria indumenta fratribus præscripto tempore administrabat. Lib. 4. Instit. cap. 10.

Embrimia quæ dicantur non satis assequor: Græcis verò ἐμβρέγματα sunt omnes inspersiones quibus frontem siue tempora medica ratione conspergimus: siue liquidum quodcumque quod corpori applicatur, linteolis aut lana stuppisque exceptum. Atque hæc interpretatio non male etiam huic loco quadrat. Coll. 1. cap. vlt.

Entheca accipitur pro Gazæ repositorio: Græcis ἐνθήκη. Theca verò communionem habet significationem, & pro quouis loculo accipitur in quo aliquid recondimus. Lib. 4. Inst. cap. 14. & alibi.

Exagio seniorum congruunt ea quæ illorum iudicio examinata probantur. Videtur enim exagij vocabulum à Græco ἐξηγέομαι deductum esse; quod præter alia etiam significat narrare, exponere, examinare, & commentari. Ab hac sententia nō longè recedit D. Dionysii paraphrasis, quæ habet, Seniorum actibus adæquari. Coll. 1. cap. 22

Fauni apud Poëtas sunt agrorum & siluarum numina; Cassianus verò Faunos vocat malignos spiritus, quos alij incubos appellant; ab incubatione siue oppressione nocturna, qua voci spirituique liberum meatum intercipiunt. De his B. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. ita scribit: Multi se expertos vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audiuisse confirmant, Siluanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos sæpe mulieribus extitisse, & earum appetisse ac peregisse concubitum. Quanquam etiam Incubi vocabulum ipsam nocturnam oppressionem & suffocationem, quæ sæpenumero absque vlla dæmonis illusione dormientes infestat, significet. Is morbus copia vaporum ex voracitate & cruditate nasci solet, ac veluti ingens aliquod pondus vniuersum corpus grauare. Coll. 7. cap. 32.

Gastrimargia, ipso Cassiano interpretante libri quinti Instit. cap. primo, gulæ concupiscentiam, helluationem & nimiam ingluuiem sonat: quomodo apud Aristotelem in Ethicis accipitur. Nam γαςὴρ significat ventrem & locum illum in quo cibus & potus continētur: μάργος verò edacem siue petulantem & proteruum. Gastrimargus itaque is propriè dicendus, qui sola libidine ductus, nulla verò naturæ appetentia ventrem suum infarcit; nec ideo comedit aut bibit vt naturam reparet; sed ideo tantum, quia hoc ei volupe & iucundum est. Lib. 5. Instit. & alibi.

Gillo secundum quorundam opinionem rusticum siue agrestem & barbarum hominem significat: sed hoc loco apud Cassianum, est vocabulum fictilis vasis, quod alij voce itidem barbara & inusitata baucalem nuncupauerunt. Lib. 4. Instit. cap. 16.

Graphium, Græcè γραφεῖον; erat stylus ferreus aut æneus, quo veteres in suis pugillaribus scribebant. Hinc Ouidius lib. 1. Amor. Quid digitis opus est graphium lassare tenendo? Lib. 4. Instit. cap. 13.

Homophagia duros & incoctos cibos significat: ὠμόφαγος enim dicitur is qui crudis vescitur, item carniuorus, sanguinarius, & qui cruda carne alitur. ὠμὸς verò immaturum, crudum, durum & non coctum notat. Lib. 4. Instit. cap. 22.

Lapsanium: de hac voce consule varias lectiones siue castigatorias Notas, huic operi adiunctas: in quibus diximus à lapsana tractum hoc vocabulum, quod siluestre olus significat, Plinio teste in naturali historia. Lib. 4. Instit. cap. 11.

Lenticulæ grana, vocat illa grana quæ lenti simillima sunt, sui tamen generis; & quoniam grana ista minima sunt, hinc factum est Prouerbium τὸ ἐν τῇ φακῇ Lib. 4. Instit. cap. 20.

φακῆ μύρον, id est, in lenticula vnguentum: quod in eos dici solet qui nullo rerum discrimine quas agunt, dicúntve, pari nixu cuncta moliuntur. Propterea inquit Philosophus scite admodum dixit Stratis in Euripidem inuectus, Si lenticulam decoquas, vnguentum ne indideris.

Lib. 5. Instit. cap. 39. Libraria manus, sicut ex deductione totius capitis manifestum euadit, non aliud est quàm bene accuratéque pingendi scribendíque libros scientia.

Lib. 3. Instit. cap. 3. Lucernaris hora secundum B. Dionysii paraphrasin est vespertina hora: nam hæc ab ortu solis videtur esse vndecima. Lucernaris autem dicta esse apparet, quòd tum lucernæ accendi solerent, propter aduentantes tenebras.

Lib. 1. Instit. cap. 7. Mafors videtur esse vox barbara, & Latinis scriptoribus inusitata; cuius vsum & significationem habes hoc loco apud Cassianum.

Coll. 1. cap. 6. Matta significat stoream siue tegetem, lodicis similitudinem habentem, quæ fit ex lino, cannabe, iunco, palma, scirpo, aut sparta: vbi stuppa, vel fœnum, vel lana rudiores, vel aliquid simile infertum est.

Lib. 1. Instit. cap. 8. Melotes siue melota, Græcis μηλωτὴ, pellis est ouina, caprina, aut cuiusuis quadrupedis vnà cum lana corpori detracta. μῆλον namque pecus vel omne quadrupes significat. Melotam alibi peram Cassianus appellasse videtur, vt pote Col. 11. cap. 3. Cum accepissemus, inquit, peram & baculum vt ibi moris est monachis vniuersis viam arripientibus.

Lib. 4. Instit. cap. 22. Menominia: non inuenitur hoc vocabulum apud Latinos scriptores: sed apud homines illos quorum instituta & exempla hic recenset Cassianus, pro minimis & salitis pisciculis accipiebatur.

Lib. 2. Inst. cap. 13. & 15. & li. 3. cap. 7. Missa apud Cassianum non accipitur pro liturgico sacrificio, sed pro missione siue dimissione. Nam missum esse apud veteres subinde accipiebatur pro, finire; & missa pro completione ac fine. Mittere enim & missum facere, pro dimittere legitur apud autores classicos: & missio apud veteres iureconsultos pro dimissione. Nocturna igitur missa, de qua in argumento tertiidecimi capitis, libri secundi, loquitur Cassianus, non aliud est quàm dimissio illa quæ noctu peracta oratione publica fiebat: quando quisque illorum ad cellulam suam sese recipiebat. Et in titulo capitis decimiquinti, missa orationum, est ipsa dimissio ab oratione. Rursus libri tertij Instit. cap. 7. Is qui tardiusculè ad orationem accedit, iubetur pro foribus totius congregationis missam præstolari; donec egredientibus cunctis submissa in terram pœnitentia, negligentiæ vel tarditatis suæ impetret veniam. Et cap. 8. Contenti somno qui nobis post vigiliarum missam vsque ad lucis indulgetur aduentum. Quibus in locis missa vigiliarum aut congregationis, est ea dimissio qua vigiliis peractis quisque ad sua reuertebatur. Rursus lib. 11. Instit. cap. 15. Missa catechumenorum est ea dimissio quæ in sacrificio eucharistico per diaconum certo quodam ritu & verborum forma imperabatur. Nam is lecto prius euangelio catechumenos exire iubebat, prusquam sacerdos tremenda mysteria aggrederetur. Sanctus quoque Benedictus in regula sua, quod de publicis precibus dicit cap. 9. infiniantur: & cap. 12. & 13. completum est, pro eo cap. 17. dicit, missæ sint, & fiant missæ: hoc est, compleatur, finiantúrque. Hinc etiā à gemina dimissione quæ in missæ sacrificio fieri quondā solebat; in quarum priore catechumeni & qui vel suo vel ecclesiæ iudicio, communione corporis Christi censebantur indigni: posteriore autē dicente ministro, λάοι ἄφεσις, vniuersus populus dimittebatur. ab hac inquam vtraque missione missam appellatam nonnulli putauerunt.

Coll. 18. cap. 5. Monozantes iidem sunt quos alio nomine monachos vocamus: nam & monazonium monachis in solitudine destinatum locum interpretantur. A solitudine enim vtrumque vocabulum deductum est.

Muria

Muria nonnumquam pro liquamenti genere accipitur apud Poëtas, quod ex thynno pisce conficiebatur: aliàs vero pro salsugine siue liquore ex sale resoluto, quē salmuriam vulgo appellant: denique accipitur & pro superiore fæce olei: quæ significatio huic loco congruere videtur, Coll.8.cap.1.

Muxaria. Pery legendum est, Græcè μυξάρια vel μύξα sunt fructus arboris ē prunorum genere: quos sebesten nominant barbari. Ibidem.

Naphtha est bituminis flos tenuissimus apud Persas: de quo scribit Plinius li. 2.cap.150. quòd tanta ei sit cum igne cognatio, vt flamma in eum transeat vndecumque visum. Id quod & Dioscorides affirmat lib. 1.cap.99. Præfert autem piceum glutinum, cui si auicula insederit, volatu præpedito, mox prorsum euanescit: quodsi ignem conceperit, pulueris tantum iniectu restingui valet. Aiūt ex naphtha ignem illum componi, quem Græcanicū appellant, qui pæne inextinguibilis est. Hoc igitur loco Cassianus non aliud vult asserere, quàm peccata & vitia quæ nobis fornax concupiscentiæ nostræ suggerit, multo acrius multóque perniciosius in animum nostrum desæuire atque grassari, quàm vel naphtha, vel pix, vel quiduis aliud. Lib.5.Instit. cap. 14.

Pancarpum fuit spectaculi genus vulgò sic appellatum, quo apud Ethnicos principes magnis præmiis propositis aduersus ferociores belluas decertabant homines. Forte autem hinc tracta est appellatio, quòd qui victores euaserant, pancarpiis donabantur: hoc est, coronis ex variis & pæne omnibus florum generibus compositis. Coll.5.cap. 14.

Paracaraxima siue paracaragmata sunt adulterina & falsa signa siue numismata: Et qui eiusmodi monetā cudunt, Paracaractæ vocantur. Nā παραχαράττειν est adulterare, & falsò signare. Sic versutissimus dæmon, & hæretici, illius ministri, multa edunt opera quæ externam quidem pietatis speciem præ se ferunt; sed ad fraudem & illusionem destinantur. De cuiusmodi operibus multa videre est apud Cassianum in duabus primis Collationibus. Coll.1.cap. 20.

Pausantes vocantur, qui ab hoc seculo ad aliam vitam commigrauerunt; ibíque à laboribus vitæ huius quiescentes, redemtionem sui corporis exspectant. Deducitur à verbo Græco παύομαι, id est, cesso siue quiesco. Coll.2.cap. 5.

Paximacia sunt paruuli panes vix libræ vnius pondus habentes Ita enim Abbas Moses interpretatur Coll.2.cap.19. παξιμάδιον verò siue παξιμὰς vox est Romana panem bis coctum significans. Lib. 4.Inst.cap. 14.& alibi.

Pharus siue φάρος insula est prope Ægyptum oblonga paruáque, contra Nili ostia nunc continenti coniuncta, quæ portum Alexandriæ efficiebat: in quo portu, teste Strabone, turris ingens, in altissima rupe ædificata erat, quæ nauigantibus nocturno tempore lumen præbebat: quæ que ab hac ipsa insula quoque Pharus dicta est. Inde verò omnes eiusmodi turres & machinæ quæ lumen errantibus aut periclitantibus præstant, φάροι vocantur, quasi φάνοι, quòd ex illis faces appareant. Hinc etiam Piamonem Abbatem propter insignes animi dotes ac virtutes sublimissimas cuidam Pharo comparat Cassianus. Coll.18.cap. 1.

Philargyria, sicut ipse Cassianus in primo capite lib.7. Institutionum exponit, est pecuniæ cupiditas immoderata: Nam quod nos argentum, Græci ἀργύριον vocāt. Lib.7.Inst. cap. 1.& alibi.

Planetica vocabulum Latinis incognitum, significat ornamentum pretiosum quo ad ostentationē & pompā homines vsi fuisse videtur. Dionysius legit planicas. Lib.1.Instit. cap.7.

Plectæ quas in vlteriore Ægypto syras vocabant, dicuntur res plicatæ, contextæ & inuolutæ: sicut hoc loco plectæ palmarum sunt, quæ ex foliis palmarū intexebantur. Græcis πλεκτὴ, à πλέκω, id est, plico, texo, concinno, siue implecto. Coll.18.cap.15

Posterula, vel est vox diminutiua à postico, vt sit paruum quoddam posticū in posteriori ædiū aut murorū parte collocatū: vel à postibus, hoc est, lateribus ostiorū. Sed prior deriuatio Grammaticorū legibus, & huic loco Cassiani magis conuenit. Lib.5. Instit. cap. 11.

Coll. 19. cap. 4. Procherium *vocat Caßianus canistrum quod erat ad manum; Græcè προχείριον, hoc est, inquit, admanuensis sporta: Nam πρόχειρος idem valet quod expeditus, promtus, qui ad manum est, siue paratus. Hinc etiam Latinè Prochiros vocant illos scribas qui manu expediti sunt.*

Lib. 4. Inst. cap. 13. Psiathium, *vti ex Collationis decimæoctauæ capite vndecimo apparet, locus fuit planè abiectus & humilis; seu potius vilis sella, in qua synaxeos tempore monachi considebant. Apud veteres enim primaria sedes dicebatur πρῶτον ξύλον, hoc est, primum lignum, siue cathedra prima: quæ autem iudicum sellis insternebantur, & humiliora scamna psiathia nuncupari solita erant.*

Lib. 1. Instit. cap. 6. Rebrachiatoria: *In excusis Caßiani exemplaribus pro Græca voce ἀναβολὰς hactenus lectum fuit, analaboys: pro quo Dion. Carth. legit, anabore. Videtur autem legendum, ἀναβόλαια siue ἀναβολάγια, hoc est, indumenta, sic dicta, quòd de inferioribus ad superiora eleuentur; pectorique iungantur. Vnde & pro amictoriis ponuntur, quibus humeri operiuntur. D. Hieron. in 4. cap. Isaiæ, Mutatoria, inquit, & pallia; quæ significantius ἀναβόλαια transtulit Symmachus, ornamenta sunt mulierum, quibus pectora & humeri proteguntur. Sic quoque ἀναβολὴ propriè quidem intermißionem, siue cunctationem & procrastinationem sonat, subinde tamen etiam pro indumenti genere siue pallio accipitur. At hoc loco apud Caßianum, Rebrachiatoria siue ἀνάβολαι sunt redimicula, fasciæ, siue ornamenta dependentia quibus vestes sub humeris colliguntur stringunturque. Græci alio nomine ταινίας vocant.*

Lib. 5. Inst. cap. 30. Sagum, *Græcè σάγος, apud Romanos genus erat indumenti breuioris, quo tempore belli vtebantur: sicut non obscurè ex octaua Ciceronis Philippica intelligi potest. Verùm hoc loco & alibi apud Caßianum significat genus stragulæ vestis, quo plerique monachi contra communem illam & austeram viuendi rationem vsi fuisse videntur. Huius diminutiuum est sagellum, pro quo deprauatè apud Dionysium Carth. Collationis quartæ cap. vltimo legitur sacellum.*

Coll. 1. cap. 6. Scalpellum. *scalprum siue scalper est instrumentum quo quid inciditur: cuiusmodi est instrumentum chirurgorum, quo carnem putrefactam aut ossa excidunt. Accipitur & nonnumquam ita largè, vt ad omne fricatorium instrumentum extendatur: quale illud quoque est quo putredinem ab auribus educimus.*

Coll. 23. cap. 9. Schœnobates, σχοινοβάτης, *Latinè funambulus, qui per funes graditur: Nã σχοῖνος funis dicitur, & βαίνω ascendo. Iuuenalis Satyra 3. Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia nouit.*

Lib. 4. Instit. cap. 13. Sportella *diminutiuum est à sporta, quæ genus est vasis ex vimine, sparto, iunco, aut simili leuiore materia. Apud Ciceronem autem ad Papyrium Pætum, sportella accipitur pro quodam bellariorum genere, in illis verbis, dediscendæ sunt tibi sportellæ & artolagani tui. Hoc loco verò & paßim apud Caßianum in priore significatione sumi videtur.*

Coll. 7. cap. 2. Struma *est quædam congeries prauorum humorum: quales sunt in tumoribus ceruicem, alas aut dorsum infestantibus: Scrofulam vocant barbari. Caßianus ponit pro carnalis concupiscentiæ humoribus, à quorum infestatione Serenus Abbas angelico ministerio liberatus est.*

Lib. 2. Inst. cap. 10. 11. & alibi passim. Synaxis *erant celebres conuentus & congregationes, in quibus monachi ad vnam concionem & communem locum oraturi vel sacram lectionem siue exhortationem audituri conueniebant. Dicitur autem synaxis ἀπὸ τοῦ συνάγειν, hoc est, à congregando siue colligendo. Inde & Synagoga deriuatur.*

Coll. 20. cap. 2. Syncellitæ *sunt qui vel easdem, vel vicinas inhabitant cellulas.*

The-

Theriaca, θηριακὴ medicamentum est præstantißimum ex multis simplicibus conflatum, & aduersus venena omnia præsentißimum. Sic dictum, ἀπὸ τῶν θηρίων, hoc est, à viperis ac venenatis bestiis: siue quòd earum carnes recipiat hæc compositio (fit enim ex viperina carne) siue quòd aduersus theria, hoc est, feras veneno imbutas præseruet. Nam θηρία, vniuersim quidem bestias indicat: Medicis autem pro venenatis tantummodo accipitur. Coll. 18. cap. vlt.

Trapezitæ Græcis dicuntur quos Latinè nummularios, mensarios, siue monetarios appellare possumus: sic dictos à moneta siue argento: non quòd argentea vasa cælent vel inaurent; hoc enim fabrorum est: sed quòd apud illos examinarentur pecuniæ & deponerentur, interdum fœnerato, interdum gratuito. Horum tabernæ, argentariæ vocabantur. Græcis autem τραπεζῖται à mensa nomen habent. Nam τράπεζα mensam significat. Apud Iudæos quoque fuisse trapezitas siue nummularios, qui in templo Ierosolymitano decreto sacerdotum constituti mutuam sub cautione pecuniam dabant, ex Euangelio manifestum est. Quoniam autem hi propter continuum pecuniæ vsum, adulterinos & exoticos nummos à bona & probata moneta optimè discernebant: hinc trapezitarum appellatio, generatim ad omnes illos extenditur qui iudicandi peritia valent; & inter aurum & aurichalcum, inter triticum & zizania, inter verum & falsum, inter bonum & malum rectè prudentérque discernunt. Et in hac significatione hoc vocabulo vsus est Ioannes Caßianus. Coll. 1. cap. 20. Matth. 21. & Ioan. 2.

Trogalia pro cicere fricto in Scythica eremo accipiebantur, quemadmodum Caßianus ipse testatur. Coll. 8. cap. 1.

Vua hoc loco pro morbo accipitur. Nam in intima oris parte portio quædam carnis visitur staphylophoros nuncupata, id est, vuigera. Columellam alij vocant, Græcis γαργαρεών caruncula est, quam gutturi pro tegumento natura dedit, nomine à genere soni indito. Quæ si humoris vbertate contumuerit, & affluxu materiæ ex partibus circumiacentibus productior euaserit, speciem & formam vuæ accipit: qui morbus à similitudine Græcis σταφυλὴ, Latinis Vua dicitur. Lib. 5. Instit. cap. 30.

Xerophagia cibi sunt aridiores siccioresque, nam ξηροφαγεῖν non aliud est quàm aridioribus & exsiccantibus vti cibariis, vel etiam duris & crudis; nam ξηρὸς aridum, durum, & siticulosum significat. Lib. 4. Instit. cap. 21.

ANNOTATIONES SIVE CENSORIÆ NOTÆ AD D. IOANNIS CASSIANI LIBROS.


GELASIUS Pontifex distinctione xv. cap. Sancta Romana. D. Ioannis Cassiani opera inter Apocrypha numerat. Et B. Prosper Cheremonis Abbatis de Gratia & libero hominis arbitrio disceptationem, quæ Collatione tertiadecima continetur, ex professo damnat, edito ad eius confutationem breui opusculo, quod inscribit, Contra Collatorem. Quocirca ne incautus lector istius Cheremonis & aliorum Abbatum, quorum sententias in Collationibus refert Cassianus, autoritate persuasus in errorem vllum impingeret, censuras istas ad calcem operis ipsius consulto duximus adiiciendas.

Libro sexto Institut. cap. 18.

Diuersa sunt dona, et non omnibus vna gratia Spiritus sancti tribuitur, sed ad quã vnusquisque se studio, vel industria sua dignum aptúmque præbuerit. Denique cum in omnibus Apostolis sanctis virtus integritatis perfecta fuisse credatur, abundantius tamen scientiæ donum exuberauit in Paulo, quia se ad hanc aptum sollerti studio atque industria præparauit.

Annotatio prima.

PElagianorum sententia fuit, Deum sua munera non merè gratuitò sed secundum hominum merita distribuere. Sed aliud docet catholica & orthodoxa fides: Non enim efficiuntur sapientes, iusti, ac temperati qui se ad hasce virtutes aptos idoneósque faciunt: sed quos Deus liberali & gratuita sua bonitate virtutibus istis ornare dignatur. Nam Deus in donis suis liber est, & nemini obstrictus. Quanquã non prorsus sit diffitendum, nostrum quoq; esse adniti, velle, & laborare, vt diuinæ beneficentiæ ac munerum ipsius capaces efficiamur: dummodo tamen hanc ipsam animi præparationem illi quoque adscribamus; à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit. At fides & prima bonæ volũtatis motio, à solo Deo nullo nostro merito datur: id quod apud Ioannem indicat Christus illis verbis, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quãuis enim ij qui (Ioan. 6.) secundum

secundum naturæ legem honestè & laudabiliter viuunt, tales sese præstent qui minus sint inepti minusque indigni gratia Dei ac muneribus illius: non tamen aptos, idoneos aut dignos se, diuino adiutorio excluso, facere possunt. Verùm quia homini per baptismum semel iustificato, & quantum in se est ex inhabitante Spiritu facienti, Deus in his quæ sunt & ad permanendum in iustitia & ad salutem necessaria, nūquam deest (Spiritus enim adiuuat infirmitatem nostram, inquit Apostolus: Et ipse Deus apud eundem Apostolum, Non te deseram neque derelinquam) idcirco rectè à Cassiano dictum est, vnumquemque nostrum in ea potissimum virtute excellere, in qua se studio ac labore indefesso exercuerit: & scientiæ donum in Apostolo Paulo exuberauisse, quia se ad hanc sollerti studio atque industria præparauit. Rom. 8. Hebr. 13.

Lib. 12. Instit. cap. 14.

Vt enim dicimus conatus humanos apprehendere perfectionem per seipsos sine adiutorio Dei non posse, ita pronunciamus laborantibus tantum ac desudantibus misericordiam Dei gratiamque conferri: & , vt verbis Apostoli loquar, volentibus & currentibus impartiri, &c. Et rursum: *Præsto est namque occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.*

Videntur etiam hæc verba Pelagianam hæresin redolere, quibus asserit autor Deum laborantibus tantum suam gratiam largiri, nostrum verò esse bonæ voluntatis occasionem Deo offerre, qua prouocatus, munera sua in nos effundat. Verùm secus res habet: loquitur enim non de paganis aut infidelibus aut impiis hominibus; sed de his qui adoptione facti sunt filij, & quos Spiritus inhabitat: atque ita non excludit in ista præparatione diuinum adiutorium: quasi possit homo suapte sponte laborare, & se ad gratiam Dei suscipiendā disponere; sed excitat in his verbis ignauiam nostram: vt nos qui Spiritum Dei accepimus, qui semel illuminati sumus, qui donum cæleste gustauimus, in his quæ sempiternam nostram promouent salutem, ingenium & vires omnes impendamus: id quod vnicè ab omnibus in Christo & per Spiritum sanctum renatis expostulat diuina maiestas. Quòd verò in hisce verbis nihil diuinæ gratiæ derogare voluerit Cassianus, ex quinque subiectis capitibus dilucidè videre licet: in quibus suam de gratiæ necessitate sententiam latissimè prosequitur, eamque tum ratione, tū diuinæ scripturæ autoritate corroborat: docens omnia studia nostra, labores, & conatus cassos esse atque irritos, nisi diuino adiutorio & præueniamur in bono, & omni momento fulciamur ac sustentemur. Quam sententiam adeò diffusè & clarè hic prosequitur, vt persuasum mihi habeam ea quæ in hisce capitibus ex propria scripsit sentētia, instar Apologetici cuiusdam suscipienda esse aduersus eos qui illum de diuinæ gratiæ adiutorio perperam & contra catholicæ atque orthodoxæ fidei doctrinam sensisse arbitrati sunt. In his siquidem monasticarum Constitutionum duodecim libris, sicut & in libris de Incarnatione verbi propriam sententiam exponit. In Collationibus autem illorum refert opiniones quos loquentes introducit: In quibus si qui subinde errores cum vera & catholica doctrina pugnantes inueniantur, ij Collatoribus ipsis, non Cassiano sunt adscribendi. Secunda.

Coll. 1. cap. 17.

Mentem quidem non interpellari cogitationibus impoßibile est; suscipere verò eas siue respuere omni studenti poßibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnino pendet à nobis, ita probatio vel electio consistit in nobis. Nec tamen ex eo quod diximus impoßibile esse mentem cogitationibus non adiri, totum vel incursui, vel malis spiritibus tribuendum est, qui eas nituntur ingerere: alioqui nec liberum in homine maneret arbitrium, nec in nobis staret nostræ correptionis industria.

Tertia. ABbates isti quos in Collationibus loquentes introducit Ioannes Cassianus frequenter ita loqui videntur quasi gratiæ Christi vnà cùm Pelagio fuerint iniquiores: sed facile est plerosque illorum ab hoc errore vindicare, si animaduertamus eos non loqui de his qui omni gratia Dei vacui solò liberæ voluntatis arbitrio aguntur; sed de Christianis, & his qui in vitæ monasticæ perfectione magnos fecerunt progressus: qui per spiritum adoptionis facti filij, in eo quod semel acceperunt perseuerant, crescunt, & progrediuntur. De quibus etiam locutus est Pynufius Abbas lib. 4. Instit. cap. 42. cùm ait nō debere nos patientiæ virtutem de aliorum probitate ac modestia exspectare; id est, vt tunc eam tantummodo possideamus cùm à nemine fuerimus irritati; quod ne possit non euenire, nostræ non subiacet potestati: sed potius de propria humilitate & longanimitate, quæ in nostro pendet arbitrio. Non enim hic exclusit adiutorium gratię Dei, sed negat patientiam sola aliorum hominum modestia acquiri posse: nostro autē studio ac labore opus esse vt acquiratur: procul dubio de illis loquēs quos diuinus spiritus inhabitās ad culmen perfectionis assequendum omni momento extimulat & inuitat. His itaque propter habitualē gratiam, vt vocant Theologi, cùm assiduè agantur spiritu Dei, quemadmodum difficile non est assidua exercitatione & malorum tolerantia patientiæ summum apicem attingere, ita quoque impuras & ab immūdis spiritibus suggestas, siue è nobisipsis exortas cogitationes repellere & refutare: quanquam interim dubitandum non sit quin sicut hæ cogitationes partim à malignis spiritibus suggeruntur, partim oriuntur ex nobis; ita quoque earundem refutatio atque reiectio libero nostro arbitrio & gratiæ Dei coniunctim adscribenda sit. Omitto quod in quibusdam Ms. codicibus legitur, Suscipere verò eas siue respuere, omni studenti per gratiam Dei possibile est: quòd ea lectio nō videatur esse genuina, & in perpaucis, iisque recentioribus tantum exēplaribus, inueniatur.

Lib. 4. Instit. cap. 42.

Col. 1. cap. 19.

Ex nobis oriuntur cogitationes, cum naturaliter ea quæ gerimus, vel geßimus, vel audiuimus, recordamur. De quibus B. Dauid, Cogitaui dies antiquos, inquit, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte, cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Quarta. BEatus Dauid in psalmo septuagesimosexto, vnde sumtus est hic versus, de illa dierum antiquorum & sempiternorum annorum recordatione loquitur, quæ confert ad veram & Christianam pœnitētiam: qua peccata commissa consideratione æterni & infernalis supplicij

pliciј plangimus, & ſic nos exercẽdo expurgamus, & ſcopamus ſpiritũ noſtrum. Ad quem etiam modum S. Ezechias in Cantico, recogitat omnes ſuos in amaritudine animæ ſuæ. Porro iſtiuſmodi recordatio non oritur in nobis ex ſolis liberi arbitrij viribus; ſed à Domino cælitus percuti debet petra pectoris noſtri, vt ex oculis noſtris largiter fluãt aquæ & fontes lacrymarum, quibus vetera peccata noſtra defleamus. Quanquam fieri poſsit, vt peccatores ſubinde malè à ſe tranſacti temporis exigant rationem, & annorum æternorum recordentur, de vera animi conuerſione & vitæ melioris propoſito nondum quicquam definientes: cuiuſmodi recordatio ex his quæ naturaliter geſsimus vel audiuimus, excluſo etiam diuino adiutorio, in nobis eſſe poteſt. Et hæc videtur eſſe Abbatis Moyſi ſententia. Iſaiæ.

Col. 3. cap. 12.

Sicut occaſiones ſalutis diuerſis modis Deum cognoſcimus operari, ita noſtrum eſt occaſionibus à diuinitate conceſsis enixius vel remiſsius famulari. Nam ſicut Dei fuit vocantis oblatio; Exi de terra tua: ita Abrahæ fuit exeuntis obediẽtia &c.

IN opere iuſtificationis noſtræ quædam à ſolo Deo efficiuntur, quędam verò coniunctim & libero noſtro arbitrio & Deo ſunt adſcribenda. Nam ipſe prior ſpiritum ſalutis nobis adhuc in ira ſua conſtitutis & immeritis inſpirat, & vt bene velimus efficit: deinde verò excitata praua noſtra voluntate, operatur vnà nobiſcum velle & perficere pro bona voluntate, ac demum perficit & ſupremam adiicit manum. Nec aliud vult hoc loco Paſnutius Abbas, quemadmodum liquido videre licet ex his quæ tum in hoc capite, tum in ſequentibus vſque ad finem Collationis, ac præſertim decimonono & vigeſimoſecundo capitibus ſubiiciuntur. Nos enim per hæc quæ protulimus, inquit, non liberum hominis arbitrium volumus ſubmouere: ſed huic adiutorium & gratiam Dei per ſingulos dies ac momenta neceſſariam comprobare. Quinta.

Coll. 4. cap. 7.

Hanc pugnam vtiliter noſtris quoque membris inſertam, etiam in Apoſtolo ita legimus: Caro enim cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, Hæc autem inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæcumque vultis illa faciatis. Habes & hic pugnam inuiſceratam quodammodo corpori noſtro diſpenſatione Domini procurante. Quicquid enim generaliter, & ſine alicuius exceptione omnibus ineſt, quid aliud credi poteſt niſi ipſi humanæ ſubſtantiæ poſt ruinã primi hominis velut naturaliter attributum? & quod vniuerſis congenitum concretumque deprehenditur, quomodo non credendum ſit arbitrio Domini non nocentis ſed conſulentis inſertum?

COncupiſcentiam, quæ membris noſtris ab ipſa origine propter culpam primorum hominum inſita atque ingenita eſt, qua ſpiritui caro perpetuò reluctatur, ipſi Deo tanquam autori tribuit Abbas Daniel: Quod ſi de naturali appetitu intelligatur qua concupiſcimus & appetimus ea omnia quæ naturæ noſtræ ſunt conſentanea, veriſſimam habet ſententiam: quia Deus vt naturæ, ita quoque omnium facultatum & virium naturalium autor eſt. Si verò in ipſa concupiſcẽtia ſpectemus exceſſum illum & declinationem à rectitudine rationis, Sexta.

qua

qua spiritui caro perpetuò obluctatur, id non perinde Deo adscribendum est; nisi forsitan hac ratione, quia Deus hominibus post ruinam primorum parentum frenum illud originalis iustitiæ, quo ratio inferiores vires omnes intra præscriptos à se limites continebat, subtraxit: quo ablato necessariò consecutum est vt vires illæ sentiendi, veluti indomiti equi capistro & repagulis omnibus solutis, quoquouersum ferantur. Sic ferè Petrus Lombardus in secundi sententiarum distinct. 31. proposita interrogatione, vtrum concupiscentia sit à Deo an aliunde? respondet, quòd ea consideratione qua pœna est propter peccatum inflicta Deum habeat autorem; qua verò consideratione culpa est, diabolum aut hominem reprobum. In his enim qui baptismatis sacramento initiati atque regenerati sunt, vbi ratio amplius non paret concupiscentiæ, sed illi renititur atque obsistit, non est peccatum, dicente Apostolo ad Rom. 8. quòd nihil sit damnationis in iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem sed secundum spiritũ ambulant: relinquitur tamen in illis concupiscẽtia in pœnam, & vt sit renatis virtutis exercendæ materia. Id quod Abbas Daniel hoc loco dispensatione atque arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis factũ esse affirmat. Eandem sententiam latissimè prosequitur B. Augustinus lib. 5. in Iulianum, 3. & 7. capitibus.

Coll. 7. cap. 4.

A nobis earum qualitas pendet: quia cogitatio bona, inquit, scientibus eam appropinquat, vir autem prudens inueniet eam. Quicquid autem vt inueniri possit nostræ prudentiæ industriæ que subiectum est, si non fuerit inuentum, nostræ sine dubio desidiæ vel imprudentiæ, non naturæ vitio imputandum est. Cui sensui Psalmista quoque congruit dicens, Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Videtis ergo in nostra ditione consistere, vt siue ascẽsus, hoc est, pertingentes ad Deum cogitationes, siue descensus, ad terrena scilicet & carnalia corruentes in cordibus nostris disponamus, &c.

Septima. DE inconstantia humanæ mentis & euagationibus, ad quas à theoria spiritalium & diuinarum rerum animus noster delabi solet, proposita erat disputatio: vtrum eæ naturæ vitio, an verò ipsis hominibus imputari debeant. Cùm enim per singula momenta cogitationibus lubricis euagetur animus, si ad Dei timorem siue theoriã sese componat spiritalem, vsque adeò vt etiam summo conamine nostro & tenacissima cordis intentione non posse prohiberi videatur, quin ad alia & externa dilabatur: idcirco quibusdam persuasum erat, non nostro, sed naturæ vitio has animæ peruagationes humano generi insitas esse. Huic quæstioni respondet Abbas Serenus, mentem humanam quidem esse semper ac multum mobilem; nec posse vnquam otiosam consistere, sicut & Sapiẽtis dictat autoritas, qui dicit terrenũ istud habitaculum aggrauare mentem multa cogitantem: sed nostrũ interim esse asserit vt in alterutram partem mens continuo ac diutino exercitio inflectatur: atque ita longo vsu assuefacta circa bonum aut malum circumagat indefessos volatus (sic enim ille loquitur) & immorandi robur acquirat. Non ergo hanc nostri animi euagationẽ vel Deo creatori, vel naturæ humanæ debemus adscribere. Vera est enim scripturę sententia, Quia Dominus fecit hominem rectum: ipsi autem quæ-

quæsierunt cogitationes multas. Quod ergo subiicit Abbas Serenus, à nobis pendere cogitationum nostrarum qualitatem, non sic est accipiendum quasi in solis liberi arbitrij viribus positum sit vt spiritalibus tantùmmodo studiis animus noster incumbat: sed negare vult illam animi nostri mobilitatem & euagationem Deo aut naturę imputãdam esse: cùm in nostra potestate sit accedente diuinæ gratiæ auxilio longã assuefactione animum ad honesta tantum, sancta, castaque studia & cogitationes inclinare. Atque hæc est huius capitis quarti aperta & dilucida sententia. Cuiusmodi locutiones apud D. Chrysostomum, Nazianzenũ, & alios veteres, immo & apud ipsum Augustinũ strenuum diuinæ gratiæ assertorem passim inueniuntur. Nam hic sermon. 36. in sermonibus de diuersis ita loquitur: Multo maius est quod timere debes, (loquitur de suppliciis gehennæ & mortis æternæ) & in potestate habes ne veniat tibi quod times, & maius est, & longè maius, incomparabiliter maius quod timere debes, & in potestate habes ne veniat tibi: etenim si bene vixeris, si malè vixeris, moriturus es. Non effugies vt non moriaris seu viuẽdo bene, seu viuẽdo malè. At verò si elegeris hic bene viuere, in æternas pœnas non mitteris.

Coll. 7. cap. 8.

Sicut in dæmonibus est instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi, siue acquiescendi libertas est attributa.

Consentaneũ est hoc iis quæ proximè antegressa notatione diximus: nempe istam animi nostri lubricitatem volubilitatemque, qua sæpenumero à sancta theoria ad externa minimeque ad rem pertinentia euagatur, non esse dæmonibus adscribendam, sicut volebat Abbas Germanus; sed nostræ potius supinitati ac tarditati, qui nõ assuefacimus nosipsos sanctis & spiritalibus exercitiis. Quamquã enim aduersariæ illæ potestates profectui nostro semper insidientur; rectè tamen Serenus Abbas negat illos esse impulsores malorum. Nam si ita esset, inquit, nullus omnino hominum posset vitare peccatum quodcumque illi in cordibus nostris ingerere voluissent, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita & ad compellendum facultas violenta suppeteret. Quamobrem sicut in illis est instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi, siue libertas acquiescendi est attributa. Quod tamen cum exclusione diuini adiutorij minimè accipiendum esse, ex subiectis verbis manifestum est; subiicit enim: Quorum tamen potentiam & impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adiutoria Dei è contrario conferamus: de quo dicitur, Maior est enim qui in nobis est, quàm qui in mundo. Cuius auxilia multo vehementiore militant virtute pro nobis, quàm aduersum nos eorum multitudo confligit. Nam bonorum rerum non tantùm suggestor, sed etiã fautor atque impulsor est Deus, ita vt nonnumquam nos etiam inuitos & ignorantes attrahat ad salutem. Hactenus Abbas Serenus. Octaua.

Coll. 7. cap. 13.

Licet pronunciemus nonnullas esse spiritales naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certè aër iste subtilis: tamen incorporea nullatenus æstimanda sunt: Habent enim secundum se corpus quo subsistunt,

sistunt, licet multo tenuius quàm nostra. Nam sunt corpora secundum Apostoli sententiam ita dicentis, Et corpora cælestia & corpora terrestria. Et iterum, Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Quibus manifestè colligitur nihil esse incorporeum nisi solum Deum.

Nona. DE corporibus Angelorum vetus est apud Philosophos & Theologos agitata quæstio: aliis corpora eis attribuentibus ac solum Deum spiritum & merè incorporeum esse statuentibus, aliis negantibus. Ea verò receptior magisque probata sententia est, quæ Angelos corporis expertes facit. Sic enim tradit B. Dionysius cap. 2. cælest. hierarch. & de diuinis nominibus cap. 4. Sic Athanas. lib. de communi essentia patris & filij & spiritus sancti, Gregor. Naz. orat. 2. de Theolog. Chrysost. homil. 22. in Genes. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 10. Theodoret. contra Græcos lib 3. sub finem, Sophronius in epist. ad Episc. Constantinop. quæ lecta est in sexta synodo, actione 11. Damasc. lib. 2. orthodox. fid. cap. 3. Gregor. Magnus lib. 4. Moral. cap. 9. Beda lib. 1. de elementis Philosoph. Denique B. Thomas Aquin. lib. de spiritalib. creaturis, artic. 5. lib. 2. contra Gētes cap. 91. & 1. parte Summæ Theolog. quæst. 50. & 51. Cui etiam suffragantur Scholastici Doctores in secundi libri Sentent. distinctionem octauam scribentes. Potest hæc ipsa sententia rationibus quoque stabiliri: Nam Angeli in diuinis litteris passim vocantur spiritus, quod est incorporeæ substantiæ vocabulum. Rursus Marci 5. & Lucæ 6 refert scriptura in vnum hominem legionem integram dæmonum ingressam fuisse. Legionis nomine autem (vti B. Hieron. lib. 4. in Matthæum autor est) sex millia dæmonū comprehenduntur: qui si corporei essent, nequaquam in vnum hominem ingredi potuissent. Ad extremum in synodo Lateranensi sub Innocentio tertio celebrata, caput primum manifestè significat Angelicam naturam corporeæ substantiæ expertem esse. Sic enim habet verba illius synodi: Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem scilicet, & spiritalem, Angelicam scilicet & mundanam. Deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.

Coll. 7. cap. 30.

Communionem sacrosanctam à Senioribus nostris nunquam meminimus energumenis interdictam: quinimo, si possibile esset, etiam quotidie eis impartire eam debere censebant.

Decima. EXemplo cuiusdam Andronici Abbatis aliorumque energumenorum, qui per Eucharisticam communionem à dæmonibus liberati fuerunt, ostendit Abbas Serenus energumenos à salutaris huius escæ perceptione minimè arcendos esse: quamquam propter exscreationes, vomitum, & eius generis alia incommoda, quibus hi qui à dæmonibus obsidentur obnoxij esse solent, non nisi maturo cum iudicio & accurato circumstantiarum omnium examine præmisso, ad tremēda hæc & sacrosancta mysteria sint admittendi. Id quod non debet videri mirum: cùm sæpenumero etiam his qui sola corporis ægritudine laborant, sacra communio iustis de causis negetur; ne qua sanctissimo augustissimoque Sacramento irreuerentia irrogetur.

Coll. 7.

Coll. 7. cap. 32.

Tot autem esse in immundis spiritibus quot in hominibus studia, non dubiè comprobatur. Nam nonnullos eorum quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur; sed derisu tantummodo & illusione contenti, fatigare eos potius studeant quàm nocere: Quosdam verò solummodo innocuis incubationibus hominum pernoctare &c.

Beatus Antonius apud Athanasium de ingeniorum diuersitate quæ in dæmonibus existit, loquens, dicit quosdam summum nocendi verticem attingere: alios autem ex comparatione illorum pæne innoxios videri: & singulos pro possibilitate virium suarum diuersa contra singulas causas sumsisse certamina: omnibus tamen hostile cõtra Christianos, maximè verò contra Monachos & Virgines Christi odium esse. Quod ergo hic dicit Abbas Serenus, quorundam eiusmodi esse ingenium, vt iocari quàm nocere malint, sic accipiendum est; diuina virtute eis ademtam esse nocendi facultatem: ideoque ludicra illusione contentos esse, quia non permittuntur nocumentum siue læsionem aliquam inferre: quod vtique facerent nisi diuinitus prohiberentur. Omnibus enim inest nocendi voluntas; ideoque bene monet S. Antonius, vt omnes illorum machinationes, iocos, applausus, cachinnos, aliaque omnia quæ circa nos gerunt habeamus suspecta: quia cum furore & truculentia nocere nequeunt, his dolis atque artibus circumuenire student. Spernendæ sunt, inquit, eorum increpationes & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio. Ob id enim familiares nobis species assumunt, vt affinitate virtutum nocentes, facilius virus interserant, & innocentes quosque per speciem honestatis elidant. Et paucis interiectis: Propterea etiam Dominus cùm de scripturis loquentẽ iubebat tacere, quia peccatori dicit Deus, quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum? Omnia dæmones simulant, colloquuntur sæpe cum fratribus, & eos sæpe conturbãt, sæpe inconditos excitant sonitus, manus apprehendunt, sibilant, insipienter cachinnant, vt vel in puncto peccati Christianum pectus introëant. Cumque ab vniuersis fuerint repulsi, ad extremum debilitatẽ suam lamentatione testantur. Et Dominus quidem quasi Deus, & suæ conscius maiestatis obmutescere his imperabat, nos autem vestigiis sanctorum inhærentes, eandem gradiamur viam; qui memoratas subtilius fallacias peruidentes, canebant, Cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et iterum: Ego verò tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Et factus sum sicut homo non audiens. Christus silentium vt Dominus imperauit, vt nos diabolo nihil credamus; & vincemus. Si orare compellunt, si ieiunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine id agamus. Denique etiamsi irruentes, mortem nobis intentare videantur, ridendi potius sunt quàm timendi: quia cùm sint debiles minantur cuncta, nec faciunt. Hactenus ex B. Antonio. E quibus verbis clarum est, Vndecima.

est, omnia illa quæ dæmones circa nos faciunt, vt nos ad sui familiaritatem per iocos, cachinnos, & similes ineptias adducant, eò spectare vt ipsi nos ad peccandum alliciant: ideoque omnis illorum societas cautè prudenterque vitanda est, vt nulla in re eis acquiescamus, nullã etiam quacumque in re sermonibus aut consiliis illorum adhibeamus fidem. Sic enim Corinthios monet Apostolus 1. epistolæ 10. cap. Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Et ad Ephes. 6. cap. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Rursum D. Petrus 1. epistolæ 5. cap. Aduersarius vester diabolus, inquit, tanquã leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret. Ex quo tempore enim in baptismate diabolo renunciauimus & hostẽ nobis esse professi sumus, capitale odium inter nos & illum intercessit; vsqueadeò vt nunquam velit cuiquam in vno prodesse, quin multo acerbius, perniciosius, ac grauius lædat in alio. Cuius rei euidens testimonium & exemplum videre est apud D. Gregor. lib. 1. Moral. cap 9. Quo loco scribit virginem quandam energumenam per magos & ariolos ab vnico dæmonio liberatam fuisse, sed in locum illius sex aut septem millia dæmoniorum successisse. Et B. Leo serm. 19 de pass. Domini adfirmat dæmonem, si non in corpore, in anima tamen semper nocere ac lædere. Quod etiam confirmat D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 79.

Coll. 8. cap. 7.

Ante condicionem huius visibilis creaturæ, spiritales cælestésque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, ei gratias referentes indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat &c.

Duodecima. SPiritales substantias multo ante creationem cæli & terræ extitisse, Deumque multis antè seculis laudauisse, recepta fuit olim apud priscos Christianos sententia, sicut hoc loco Serenus Abbas adfirmat. Cui etiam adstipulatur D. Basilius hom. 1. hexaëm. enarrans illa verba Genesis, In principio creauit Deus cælum & terram: Et homil. 2. ad illa verba, Terra autem erat inanis & vacua. Origenes quoque in libris περὶ ἀρχῶν, & potissimum libr. 3. cap. 3. & homil. 4. in Isaiam. Gregor. Naz. orat. in Christi natiuitatem. Ambros. lib. 1. hexaëm. cap. 5. & in Præfatione primi psalmi, Hilar. lib. 12. de Trinit. paulo vltra dimidium libri. & in libello contra Auxentium paulo ante finem. Hieron. in 1. cap. epistolæ ad Titum. Isidorus Hispalens. lib. 1. de summo bono cap. 12. Damasc. lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 3. & complures alij tam Græci quàm Latini. Porro B. Augustinus quamquam magis probet opinionẽ asserẽtium angelos simul cum cælo & terra creatos esse, in vndecimo tamen de ciuitate Dei volumine cap. 32. permittit vt in hac cõtrouersia quod quisque velit opinetur; dummodo spiritales substantias Deo non faciat coæternas; sed omnia visibilia & inuisibilia fateatur in tẽpore condita esse. Ad eundem quoque modum Theodoretus quæst. 3. in Genesin posteaquam aduersus D. Basilium copiosè multa disseruisset, ita demum concludit: Illud porro scire necesse est, omnia quæcumque existunt, excepta sancta Trinitate, naturam habere corruptioni obnoxiam. Hoc autem concesso, si quis angelorum turbas ante

cælum

cælum & terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis. Quod igitur Lateranensis synodus Romæ sub Innocentio tertio celebrata cap. 1. habet, Creatorem omnium visibilium & inuisibilium, spiritalium & corporalium sua omnipotenti virtute simul ab initio vtramque de nihilo condidisse naturam, spiritalem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; non sic accipiendum est, quasi in verbis istis prior illa sententia vti falsa reprobetur, sed propositum concilij erat Origenis cæterorumque qui spiritales substantias productas à Deo dixerunt, vt spiritali dignitate potirentur, deinde cùm peccassent creata fuisse corpora omnia, quibus velut carceribus inclusæ scelerum darent pœnas, errorem confutare. Sic enim locum hunc intellexit S. Thomas in expositione primæ Decretalis. Esse autem posteriorem illam sententiam veritati magis consentaneam, diuinarum litterarum, & multorum etiam veterum Scriptorum demonstrat auctoritas. Nam Exodi 20. scribit Moyses, Deum sex dierum spatio cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt creasse. Angelos autem esse in cælo, & idcirco cælestem militiam appellari nemo est qui ambigat. Quocirca confiteri oportet illos etiam sex dierum illorum spatio creatos esse. Ecclesiasticus quoque 18. cap. dicit, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, nempe intra sex primos mundi dies. Et D. Ioannes 1. epist. 3. cap. diabolum ab initio peccasse dicit: certum est autem ipsum fuisse in cælo quando peccauit: nam hoc significant illa verba Christi Lucæ 10. Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cælo. Clarum igitur euadit ipsum vnà cum cælo conditum esse. His accedunt prima illa verba Genesis, In principio creauit Deus cælum & terram; hoc est, vt Philo & alij complures exponūt, cęlum & terra ante omnia alia creata sunt; ita tamen vt cæli nomine angeli quoque & sub terra corporeæ res & animatæ intelligantur. Suffragatur quoque superioribus D. Epiphan. in hæresi Pauli Samosateni, quæ est 65. August. lib. 11. de ciuit. cap. 6. & 9. & lib 12. cap. 15. Theodoret. quæst. 3. in Genes. & Gregor. Magnus lib. 32. Moral. cap. 10. Vt interim omittamus multos ex his quos antè produximus in patrocinium prioris sententiæ, si diligenter introspiciantur, nostræ sententiæ non derogare. Nam plerique illorum non tam asserunt quàm dubitant, vtramque sententiam proponentes in medium: alij verò sui temporis vulgò receptam opinionem referunt, sicut hoc loco fecit Abbas Serenus. Denique Magister Sentent. cum tota turba Scholasticorum posteriori sentētię subscribit lib. 2. Sentent. distinct. 2. Quapropter nobis quoque magis probatur ea sententia, quæ cum Augustino & his quos commemorauimus angelos, ait, significari cælorum nomine, quando Moyses Deum in principio cælum & terram fecisse dicit: ideoque primo die cum ipso cælo creatos esse. Hinc etiam B. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 14. ad illa verba, Cùm me laudarent astra matutina, dicit angelos vocari astra matutina quia primo manè creati sunt. Nec debet quicquam mouere ratio ab Abbate Sereno in contrarium adducta ex illis verbis Iob, Quando facta sunt simul sidera, laudauerunt me simul omnes angeli mei. Nam ad illam obiectionem respondent Theodoretus & Epiphanius locis notatis; stellas quarto demum die creatas fuisse. ac propterea iam tum potuisse angelos Dominum laudare, sicut reuera quoq; laudabant. Quod verò

 obij-

obiiciunt, si angeli non fuissent ante mundum creati, consequens fore Deum aliquando laudatoribus caruisse: ita dissoluit Theodoretus, vt dicat Deum non indiguisse laudatoribus: quemadmodum ne nunc quidem illis opus habet. Deinde etiam hi qui statuunt angelos prius factos esse, diffiteri tamen nequeũt Deum illis multò semper fuisse antiquiorem: ac proinde semper fuisse tempus aliquod quo Deus laudatoribus careret, numquam tamen indigeret.

Coll. 8. cap. 10.

Priorem diaboli lapsum quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per inuidiam subsecuta est: quæ inueniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem, ita vt etiam cuiusdam colloquij atque consilij cum homine posset habere consortium, sententia Domini vtiliter in ima deiecit: vt non iam sicut ante sublime aliquid intuens excelsus incederet, sed vt solo cohærens reperet, & humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis atque operibus pasceretur.

Tertiadecima. GEminam diabolo ruinam in hisce verbis tribuit Abbas Serenus: Priorem superbiæ, qua in cælum ascendere, super astra Dei solium suum exaltare, & Altissimo similis esse voluit: Posteriorem inuidiæ, qua primos nostri generis auctores ad peccandum induxit. Addit quoque, ante secundam hanc inuidiæ ruinam fuisse adhuc in dæmone aliquid rectitudinis, quam posteriore illa transgressione amiserit: nempe cùm Dominus illi diceret, Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Vtrumque hoc loco nobis erit excutiendum. Ac primum quidem quod ad ruinam dæmonis attinet, illud in confesso est ipsum cùm sit spiritalis & incorporeus propria actione non potuisse peccare nisi duplici illo peccati genere, superbiæ videlicet & inuidiæ: quod vtriusque obiectum (vt vocant) sit spiritale: illius quidem excellentia propria, huius autem excellentia aliena vti impedit nostram. Aliorum verò peccatorum obiecta sunt pecuniæ, cibus, potus, voluptates tangendi & gustandi, torpor, & similia: ideoque peccata quæ circa res istas versantur, non possunt dæmones propria actione admittere, sed consilio tantùm, exhortatione, suggestione, consensu, & similibus modis. Vtrum autem illorum duorum, superbiæ & inuidiæ altero prius à dæmone fuerit admissum controuersè disputatur. Nam B. August. lib. 11. de Genes. ad litter. cap. 14. scribit quorundam hanc fuisse sententiam, dæmonem tum demum peccauisse, quando hominem ad imaginem Dei creatum fuisse vidit, & hanc ei gloriam inuidisse: quod metueret ne præ se ad immortalem vitam, vnde ipse exciderat, eleuaretur: postea verò superbiæ culpam qua Altissimo æqualis esse voluit accessisse. Ita opinati sunt D. Cypr. serm. de zelo & liuore, & D. Basil orat. de Inuidia. Contrà B. Augustinus loco commemorato multis rationibus ostendit inuidiam superbia fuisse posteriorem. Initium enim omnis peccati superbia, inquit Ecclesiasticus. Et de diabolo scribit S. Iob, ipsum esse regem super omnes filios superbiæ. Et Thobias 4. cap. Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumsit omnis perditio. Huic sententiæ suffragantur, D. Athanas. quæst. 6. ad Antiochum, Gregor.
Eccl. 10.

Naz.

Naz. orat. de natiuit. Christi, Chrysost. lib. 1. de compunct. cordis. Theodoret. in Epitome diuinorum decretorum cap. de dæmonibus, & lib. 3. contra Græcos. Ambros. in psal. 36. ad illa verba, Vidi impium superexaltatum. & epist. 84. ad Demetriadem, quam Prospero plerique adscribunt. D. Hieron. in cap. 14. Lucæ, August. lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 6. & lib. 14. cap. 13. Leo epist. ad Turbium cap. 6. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 14. 15. 16. & 17. Damascen. lib. 2. fid. orthod. cap. 4. Anselm. lib. de casu diaboli cap. 4. & Bernard. serm. 22. in Cantic. Accedit & ratio: nam dæmon primos homines tentauit ad superbiam, ideoque verisimile est ipsum quoque per superbiam primum corruisse. Sic enim ratiocinatur D. August. lib. 14 de ciuit. Dei cap. 13. Præterea rex ciuitatis Dei, inquit August. loco notato maximè enituit ac illustris fuit virtute humilitatis ac modestiæ, ex aduerso igitur princeps tenebrarum & rex diabolicæ ciuitatis potissimum ac primum per superbiam corruit. Rursus Michaël archangelus & militiæ cælestis princeps cum diabolo quondam conflixit, eique maximè aduersatur. Is autem ab humilitate nomen accepit; nam Michaël idem valet, ac si dicas, quis vt Deus? & significat reprehensionem superbiæ, vt ne quis Deo velit æquari, aut similis haberi: id quod Satanicæ illi superbiæ, qua Lucifer peccauit, aduersatur. Ad extremum inuidia ex sua natura superbia posterior est, atque ex ipsa procedit: quemadmodum eruditè D. Bonauentura exponit in secundi libri Sentent. distinct. 21. scribens, Superbus, inquit, amat excellentiam, atque ita nullum sibi parem admittit, sed excellentiam appetit singulariter & solus possidere: & ideo statim vel actu, vel habitu inuidet, cùm nolit bonum quod possidet, alteri esse commune. Hæc Bonauentura. Credibile itaque est dæmonem multò antè per superbiam, qua in cælum conscendere nitebatur, lapsum fuisse quàm primi homines à Deo creati essent. Nam hi sexto demum die ex limo terræ formati sunt: illum autem verisimile est exiguo admodum tempore in veritate stetisse, & paulò post creationem suam, nempe primo die per superbiam cecidisse. Creato verò homine, animaduertens diabolus ipsum in eo statu constitutum, quo poterat fraudibus & dolis suis illum circumuenire, & in suam redigere potestatem; vel quo, si diuinæ iussioni pareret, ad sempiternam felicitatem, è qua ipse dæmon exciderat, conscendere potuisset; superbia atq; liuore inflammatus hominem tentare cœpit, eumque cum omni sua sobole & posteritate tyrannidi suę subiugare, & à spe cælestis retributionis deturbare conatus est. Et superbia quidem illum stimulauit in eo quod hominem sibi subdere voluit, illique præesse & imperare. Inuidia autem in eo quod à sempiternæ beatitudinis adeptione ipsum arcere studuit. Neque verò licet existimare id quod hoc loco scribit Abbas Serenus, fuisse in dæmone post priorem superbiæ ruinam, qua Deo æquari voluerat, aliquid rectitudinis, quo per subsecutum inuidiæ peccatum diuina permittente iustitia spoliatus sit: nam quemadmodum angeli post primum bonæ volũtatis actum & meritum, ita in bono confirmati sunt, vt ab eo excidere numquam possint: ad eundem planè modum maligni spiritus ad primum superbiæ peccatum in malo ita obduruerunt, vt ad bonum se conuertere numquam potuerint, & extra statum merendi cõstituti omnem suam rectitudinem & integritatem amiserint.

Hinc D. Damasc. lib. 2. fid. orthod. cap. 4. id quod in hominibus est mors, id in dæmonibus primam illam ruinam fuisse dicit: propterea quòd sicut per mortem omnis merendi ac demerendi via nobis præcluditur, ita in dæmonibus primus ille casus ante hominis creationem omnem itidem merendi potestatem eis ademit. Hominibus enim totum hoc mortalis vitæ tempus pro statu viæ constituit Deus: dæmonibus autem breuissimum quoddam temporis spatium ab exordio statim creationis illorum concessit; in quo vel sempiternam beatitudinem, vel perpetuam, horrendam ac iustissimam Dei desertionem promererentur. Nec mouet nos quod Serenus Abbas sententiã suam ex eo stabilire nititur, quòd dæmoni ante inuidiæ culpam qua hominem ad peccandum allexit, nõdum negatum fuerit consortium & colloquium cum hominibus: non enim hoc arguit fuisse in eo aliquid rectitudinis: cùm etiamnum ea facultas penes illum relicta sit, vt se in humanam speciem, vel etiam in angelum lucis transformans nostris obtutibus obiiciat, & verborum illecebris in nostram sese familiaritatem insinuans, in peccati foueam incautos præcipitare studeat. Porrò quod attinet ad ea verba quæ Dominus ad serpentem locutus est, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnes bestias terræ; Super pectus tuum gradieris, &c. maior difficultas est: propterea quòd per hanc sententiam videatur dæmoni aliquid rectitudinis, libertatis, & facultatis ademptum esse, nec eum omni ornatu suo in quo conditus erat exutum fuisse, nisi post secundam illam transgressionem qua hominem per inuidiam seduxit. Quamquam enim iuxta B. Chrysostomi enarrationem verba illa ad corporalem serpentem primò directa sint, contendit tamen B. Augustinus lib. 11. de Genes. ad litter. cap. 36. vel de solo dæmone, vel certè præcipuè de illo esse intelligenda. Is enim posteaquam superbia & liuore inflammatus hominem tentauisset, vt ei non solùm ad cælestem beatitudinem, quam ei inuidebat, aditum præcluderet, verumetiam sibi suęque tyrannidi per superbiam subiiceret, eumque iam in peccati consensum pertraxisset, diuina id exigente iustitia cumulauit sibi damnationem: & quia vniuersum genus hominũ sibi obstringere & subdere voluerat, idcirco maledictum illum pronunciat Dominus præ omnibus bestiis terræ: ac si diceret; Tu qui imperium supra homines vsurpare voluisti, censeberis ab omnibus maledictus, eris que miserrimus & vilissimus, non tantùm inter peccatores, sed etiam super omnes belluas & animantia terræ. Gradieris super pectus tuum, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ: Hoc est, confisus in calliditate propria, futurum sperabas quod superbo & elato pectore supra omnes homines imperium obtineres: at contra quam sperabas eueniet: nam præter terram nihil comedes: hoc est, terrenos, carnales & abiectos homines, quos Dominus eiicit atque euomit ex ore suo. Nam homo, inquit August. in pœnam peccati factus est diaboli cibus: Quãdo enim serpenti dictum est, Terram comedes, dictum est etiam homini, Puluis es. Si ergo homo peccator puluis, & puluis serpentis cibus, ergo homo peccator serpentis est cibus. Hæc Augustinus. Hoc igitur est dignissimum illius superbiæ diabolicæ, qua hominibus vniuersis imperare voluit, supplicium, vt solos terrenos, puluerulentos, & peccatorum sordibus inquinatos comedere possit ac debeat, eisq; præsidere: Hi autem qui ima-

Genes. 3.

Lib. de agone Christiano, cap. 2. & lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 17.

qui imaginem terreni hominis exuere nituntur, quos diuina Scriptura subinde cælum & cælestes appellat, ab illius tyrannide per Christum eximerentur. Hoc enim verbis illis significatur quæ statim subiunguntur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. In qua sententia per semen serpentis Antichristum, per semen mulieris Christum intelligi docent D. Irenæus lib. 3. contra hæres. cap. 38. D. Leo serm. 2. de Natal. Domini, & B. Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 19. Deus enim, inquit Leo, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuncians serpenti, futurum semen mulieris quod noxij capitis elationem sua virtute contereret: Christum scilicet in carne venturum Deum hominemque signans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Hæc ille. Christus itaque est illud semen mulieris benedictum, quod contriuit caput, hoc est, fastum illum & superbiam callidissimi serpentis, effecitque ne ille sui imperij terminos latius extenderet, sed solis impiis, terrenis, & peccatoribus, qui mundi istius spurcitiis ac sordibus inuoluti nihil præter terram & carnem sapiunt, dominaretur. Hinc iam dilucidè intelligi potest, sententiam istam qua Dominus serpenti maledixit, nihil rectitudinis diabolo ademisse; neque verbis illis, Super pectus tuum gradieris, significari quod ante secundam transgressionem rectus fuerit (quemadmodum Serenus Abbas intellexisse videtur) sed quia supra omnes homines erigere se, ipsisque præsidere voluerat, idcirco in terram prostratum atque deiectum fuisse: dictumque illi esse, Super pectus tuum gradieris, & ad instar illorum animantium quæ terra pascuntur & viuunt, tu etiam præter terram nihil comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

Coll. 8. cap. 17. & Coll. 13. cap. 12.

Quòd vnicuique nostrum duo cohæreant angeli, id est, bonus & malus, Scriptura testatur, &c.

SVmta est hæc sententia de duobus angelis vnicuique nostrum deputatis, quorum alter sit ad custodiam, alter ad exercitium, ex antiquissimo libro quem vocant Pastoris, quem ab Hermete discipulo, cuius aliquando meminit Apostolus Paulus, dictatum asserunt. Eandem sententiam Origenes quoque tutatus est homil. 35. in Lucam. Verùm quod ad libri illius qui Pastoris inscribitur auctoritatem attinet, quãquam apud Athanasium, Theodoretum, & alios pro canonico subinde citetur, Diuus Hieronymus tamen in prologo Galeato, & Gelasius Pont. in concilio 70. Episcoporum inter apocryphos illum reiecerunt. Neque mouere nos debet Origenis auctoritas; nam is in multis passim hallucinatus est. D. Prosper quoque in Opusculo aduersus tertiam decimam Collationem edito, hanc ipsam sententiam de duobus angelis, altero maligno, altero bono vti falsam reiicit. Nec mirum: Nam neq; necesse fuit duos angelos nobis deputari, neque congruum aut conueniens. Ipsi enim dæmones non egent incitatione aliqua vt nos infestẽt aut ad peccandum incitent, cùm ad id faciendum ex peruersæ naturæ suæ inclinatione ipsi propẽdeant. Si verò etiam Deus malum angelum Quartadecima.

nobis deputasset in exercitium, videretur profecti peccati auctor esse, nimirum ipsum peccati auctorem, fomitem, siue causam nobis subministrans. Porrò satan ille qui D. Iobum tentasse dicitur, non fuit illi à Deo peculiariter ad exercitium deputatus, quemadmodum opinatur Abbas Serenus: sed credibile est fuisse draconem illum & serpentem antiquum, de quo Ioannes in Apoc. qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem, qui obambulat & circumit quatuor angulos terræ, qui olim vnà cum angelis suis in ipso creationis suæ exordio cum Michaële & angelis eius in cælo decertans, non præualuit; sed prostratus est & proiectus cum angelis suis in terram. Ad eundem modum quod dicitur in psal. 108. Diabolus stet à dextris eius, non significat Iudæ traditori singularem aliquem malignum spiritum assignatum fuisse, qui ei assiduè fuerit à dextris: sed dæmonem (quem in præcedenti hemistichio appellauerat peccatorem, in illis verbis, Constitue super eum peccatorem) Iudæ præualiturum fuisse. Sic enim constitutus est super illum peccator, siue satan quia traditus est auctori omniũ scelerum, & is potestatem atque imperium in illum accepit. Eadem igitur est & posterioris hemistichij sententia, Diabolus stet à dextris eius: pro quo in Chaldæa Paraphrasi legitur, Diabolus stet super dexteram eius: quam translationem Hebraica veritas quoque admittit: Hoc est, Dæmon præualebit viribus aduersus illum, & dominabitur ei, quia dextræ eius præualebit. Est enim familiare diuinis litteris per dextram supremam hominis potestatem ac vires intelligere. Vnicum igitur angelum custodem, ac veluti nutriciũ, & pædagogum nobis dedit Deus: maligni autem sæpè plures & varij nos infestant: quibus ille satan & serpens antiquus veluti satellitibus vtitur ad nos expugnandos: vbi autem expugnauerint, tum dicitur supra nos constitutus & stare nobis à dextris siue supra dextram.

Apocal. 12.

Coll. 8. cap. 21.

Nullo modo credendum est spiritales naturas coire cum feminis carnaliter posse. Quòd si aliquando hoc secundum litteram fieri potuisset, quomodo nunc quoque vel frequenter, vel rarò idipsum non euenire contingeret; & absque semine, vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonum cerneremus; cùm præsertim eos constet libidinum sordibus admodum delectari: quas procul dubio per semetipsos exercere plus quàm per homines mallent, si illud vllo modo potuisset impleri.

Quintadecima.

Diuus Augustinus lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 23. de coitu spirituum immundorum cum hominibus contrariam habet sententiam iis quæ hic à Sereno Abbate dicuntur, Apparuisse, inquit, hominibus angelos in talibus corporibus, quæ non solùm videri, verumetiam tangi possent, verissimè sacra Scriptura testatur: & quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audiuisse confirmant Siluanos & Faunos, quos vulgò Incubos vocant, improbos sæpè mulieribus extitisse, & earum appetisse ac peregisse concubitum: & quosdam dæmones quos Galli Dusios nominant, hanc assiduè immunditiam & tentare & efficere plures, talesque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur.

Extat

Extat & Innocentij octaui epistola Decretalis, aduersus maleficarum mulierum hæresin, in qua leguntur hæc verba: Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum complures vtriusque sexus personas propriæ salutis immemores, & à fide catholica deuiantes cum dæmonibus, incubis & succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, opportunis remediis, prout nostro incumbit officio, prouidere volẽtes, statuimus, vt inquisitores per nos deputati debitum inquisitionis officium in huiusmodi personas exequantur. Sunt qui Serenum Abbatem excusantes dicunt eum non voluisse negare, quin dæmones cum hominibus possint coire, sed id non posse naturaliter fieri & naturali animantium more, hoc est, semen de sua substantia communicando. Nam possunt quidem dæmones, Augustino teste, non solùm coire cum feminis, sed etiam sobolem procreare & verè homines generare; non tamen proprij seminis virtute, quod nullum ex seipsis habent, cùm sint incorporei, sed ope alieni seminis, quod ipsi maribus succubantes turpiter exceperunt, quodque exceptum feminis incubantes infuderunt: ita vt iuxta B. Augustini in tertio de Trinitate sententiam is qui ex eiusmodi generatione nascitur, non dæmonis, sed hominis filius sit. Qui ad hunc modũ Abbatem Serenũ excusant, videntur pro carnaliter, legisse naturaliter: cùm tamẽ MS. codices omnes, quos nobis quidẽ hactenus videre licuit, legãt carnaliter. Iam verò quòd addit dęmones libidinũ sordibus maximè oblectari, quodque eas per semetipsos mallent quàm per homines exercere, si hoc vllo modo fieri potuisset: id nobis quoq; non videtur probandum. Dæmones enim voluptatibus & illecebris carnis non propter se delectantur, tamquam illæ sint naturæ illorum consentaneæ, sed quòd experimento & longo rerum vsu didicerint eam esse naturæ nostræ prauitatem fœditatemque, vt illis cupiditatibus semel implicata eluctari nequeat. Nullum enim est vitium quod perinde effeminatos ac molles efficit homines atq; luxuria, nullum æquè obtundit, obnubilat, & obfuscat ingenij acumen. Absorbetur enim ratio per voluptates venereas, intellectus obscuratur, sensus peruertitur, & vniuersæ corporis atq; animi vires ligantur, eneruantur, franguntúrq;: ita vt nihil amplius homo percipiat de his quæ Dei sunt: Nam cæcitas illa & obtusio mentis tollit omnem spiritalium rerum non tantum gustum, dulcedinem & suauitatem, verumetiam cognitionem. Rectè autem reprehendit Serenus Abbas illos qui asserebant feminas à bonis beatisque angelis adamatas, & fœdis congressibus vitiatas, cùm dicitur in Genesi, Videntes filij Dei filias hominum quòd pulchræ essent, &c. Nam impossibile est, vt corporeæ illæ mentes contemto diuino amore in quo olim fuerant per Dei gratiam confirmatæ, sese demiserint ad impuram feminarum libidinem, mutata angelica natura in humanam formam iuxta poëticarum metamorphoseon fabulas. Id quod disertè ostendit B. Chrysost. homil. 22. in Genes. Augustin. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 23. & quæst. 3. in Genes. & Philastrius Brixiensis Episc. cap. 108. catalogi sui aduersus hæreses.

Cap. 8.

Genes. 6.

Col. 9. cap. 19.

Secunda petitio mentis purißima aduenire iam iamque regnum sui patris exoptat: nempe illud quod præstituto tempore omnibus est perfectis & filiis Dei generaliter repromissum; in quo eis dicetur à Christo, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, intentus quodam modo illud obtutibus ac defixis desiderans & exspectans, dicénsque ad eum, Veniat regnum tuum. Nouit enim testimonio conscientiæ suæ, cum apparuerit, mox eius se futurum esse consortem.

Sextadecima. IPse spiritus, inquit Apostolus ad Rom. 8. cap. testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei: Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et D. Ioan 1. epist. 5. cap. Qui credit, inquit, habet testimonium Dei in se. Quamquam hæc testificatio non ita certa sit aut euidens vt non liceat de ea dubitare: nemo enim nostrum nisi per diuinam reuelationem certò cognoscere potest, sítne amore an odio dignus, nemo certò statuere quòd futurus sit hæres cælestis & sempiternæ retributionis; sed spiritus diuinus suggerit nobis tale testimonium, vt bene confidere de Dei bonitate debeamus, vtque ipsa conscientia nostra propter consortium fidei, propter commune vinculum caritatis & communicationem meritorum Christi quæ nobis in sacramentis applicantur, certa cum fiducia propriæ salutis & æternæ vitę bona exspectare audeat. Sic enim spes Christianorum à Theologis finiri solet, quòd sit virtus infusa diuinitus, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona exspectatur. Hæc eò à nobis annotata sunt, ne quis existimet Abbatem Isaacum his verbis cum sectariis nostri temporis adfirmare voluisse, quòd quisque nostrum certo & infallibiliter apud se statuere debeat se cōsecuturum esse vitam æternam. Nam huic sententiæ sacræ litteræ passim reclamāt. Monet enim Ecclesiasticus, ne quemquam beatum dicamus ante

Eccl. 11. mortem. Et Apostolus Paulus vult nos metuere, ne ab olea excidamus;
Rom. 11. & vt qui stat, videat ne cadat: ideoq; hortatur etiam vt cum timore &
1. Cor. 10. tremore salutem nostram operemur. Quis enim sciat se in profectu iustitiæ perseueraturum vsque in finem? nisi ab illo aliqua reuelatione fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, inquit August. lib. 2. de bono perseuer. cap. 13. & de corrept. & grat. cap. 13. & rursum lib. 11. de ciuit. Dei cap. 11.

Coll. 9. cap. 24.

Videtis ergo qualis nobis ab ipso qui per illam exorandus est iudice orationis sit modulus & forma proposita: in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis seu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale, æternitatum conditor implorari.

Septimadecima REdarguit Abbas Isaac illos qui potiora & spiritalia bona posteriore loco habent, & his prætermissis temporalia petunt à Deo. De temporalibus enim & caducis bonis, quamquam à Deo quoque exspectari & experiri debeant, minima nobis cura esse debet. Non enim frustrà nos monet Christus, vt primum quæramus regnum Dei & iustitiam eius, ac tum fore promittit, vt reliqua nobis adiiciantur. Et hanc fuisse istius Abbatis sententiā ex subiectis verbis liquidò animaduertere

uertere licet. Subiicit enim: Itaque magnificentiæ eius ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare: & offensam potius quam propitiationem iudicis sui, vilitate orationis incurret.

Coll. 9. cap. 34.

Si cunctæ exauditionum causæ nos omnino deficiunt, saltem animet nos importunitatis instantia: quæ absque vlla meriti vel laboris difficultate, in cuiusque volentis sita est potestate.

NOn excluditur diuinæ gratiæ adiutorium, quia quemadmodum absque illo non possumus orare, ita neque assidui vel importuni esse in oratione. Quod ergo Abbas Isaac hanc importunitatis instantiam in cuiuscumque volentis potestate positam esse dicit, intelligi debet de iis quos inhabitans spiritus sanctus assiduè regit ac ducit, & in quibus longo vsu confirmata est bene agendi atque orandi voluntas. Videat Lector Annotationem tertiam. Decimaoctaua.

Col. 10. cap. 2.

Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die (quem prouinciæ illius sacerdotes vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt: & idcirco non bifariè, vt in occiduis prouinciis, sed sub vna diei huius festiuitate huius sacramenti sollemnitatem concelebrant) epistolæ Pontificis Alexandrini, &c.

SEntentia quæ hac parenthesi intercluditur, dubia, obscura, & explicatu difficilis est: quam obscuritatem potissimum inducit illa disiungens coniunctio, vel, quæ pro copulante videtur accipienda esse: hoc sensu, quòd apud Ægyptios sacerdotes recepta fuisse videatur ea sententia quæ habet, Christum liberatorem nostrum eodem die natum & baptizatum, quo Magis ex Perside venientibus est manifestatus. Nam hac de re variant veterum sententiæ. Quamquam ea opinio iam satis obtinuerit apud Christianos, qua creditur Dominus eodem die à Magis adoratus, & euoluto trigesimo ætatis suę anno baptizatus. De Natiuitate autem incerta & varia est opinatio: quam nos aliis relinquimus discutiendam. Cæterùm quod attinet ad celebrationem istarum festiuitatum, constat ex Florentina synodo, occasione Armenorum controuersiam aliquando fuisse in ecclesia, quo potissimum tempore celebrari deberent: quam controuersiam Eugenius Pontifex eius nominis quartus in suo illo decreto quod synodo Florentinæ adiungitur, definiuit. Nam in cap. 8. Constitutionis illius Apostolica auctoritate mandat Armenis, vt consuetudinem Romanæ ecclesiæ, quæ sanctorum Patrum testimoniis & omnium aliarum ecclesiarum tam Græcarum quàm Latinarum consuetudini consentanea est, suscipiant sequanturque: vtque Annuntiationis Deiparæ virginis festum die vigesimaquinta mensis Martij, Natiuitatis D. Ioan. Baptistæ vigesimaquarta Iunij, Natalem Christi vigesimaquinta Decembris, Circumcisionem prima Ianuarij, Epiphaniam sexta Ianuarij, & Purificationem secunda Februarij, festiua ac sollemni recordatione celebrent.

Decimanona.

Epiphan. in heresi 51. Origen. homil. 8. de diuersis tomo 2. Ambr. serm. 22. & D. Iansenius in Concordia Euangelica.

Coll. 13. cap. 8.

Cum in nobis Deus ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, & incitat ad salutem: incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse, &c.

Vigesima. HÆc Cheremonis Abbatis sententia prorsus hæretica est, quam idcirco prudens Lector vsque ad finem Collationis pertranseat. Multa enim hic proferuntur ad extollendas liberi arbitrij vires, & ad deprimendam diuini adiutorij necessitatem: quæ idcirco etiam Dionysius Carthus. in sua Paraphrasi consulto omisit, & in locum illorum rectam, orthodoxam, & catholicam de gratia & libero hominis arbitrio doctrinam substituit. Est autem, vt compendio rem totam exponamus, hæc Abbatis Cheremonis sententia; quædam ab hominibus rectè geri præueniente & incitante illos diuinæ gratiæ beneficio: quædam verò ex solo naturæ ductu excluso Dei adiutorio; ita tamen vt Deus ipse quod inchoatum est atque inceptum perficiat. Hanc sententiam posteaquam sub finem octaui capitis illis verbis quę hic annotata sunt proposuisset; prosequitur deinde & confirmat in cap. nono: deinde verò vndecimo, duodecimo, tertiodecimo, quartodecimo, quintodecimo, & septimodecimo capitibus, argumentis ex sacra scriptura, ex variis exemplis, ac demum ex ipsa ratione depromtis corroborat. Verùm B. Prosper Regiensis episcopus peculiari volumine hunc errorem confutauit, quod inscribit, contra Collatorem. Est autem perplexa & difficilis de gratia & libero arbitrio disceptatio, propter pugnantes & contrarias hæreses: quarum altera libero arbitrio, altera gratiæ Christi iniquior est: ideoque mediocritatem & veritatem ipsam attingere perquam difficile est. Cui accedit quod ipsa quoque Scriptura diuina liberi arbitrij vires ita subinde extollit quasi gratiæ multum derogatum voluerit, subinde ad gratiam omnia referre videtur libero arbitrio excluso. Quamquam secus res habeat: Nam spiritus sanctus vtramq; hæresin, de gratia scilicet Pelagianorum & Manichæorum de natura exorituram præuidens sermonem suum in diuinis litteris ita temperare voluit, vt propter vtrumque errorem alibi ad gratiam, alibi ad liberum arbitrium omnia retulisse videretur: nempe vt hinc intelligeremus nos esse συνεργοὺς, hoc est, cooperatores gratiæ Dei. Concurrunt enim gratia & liberum arbitrium: atque ita ea loca scripturæ sanctæ quæ pugnare inter se videntur, facilè rediguntur in concordiam, si nostræ voluntatis actum & conatum cum Dei auxilio copulemus: ita tamen vt ipsi Deo primas & potiores partes tribuamus. Ipse enim in nobis omnem bonæ voluntatis motionem anteuertit, & ex nolentibus, rebellibus, & refractariis volentes facit: id quod in nostris viribus itum non est. Nam voluntas nostra qua eligimus & refugimus, ita est deprauata per peccatum & inobedientiam primorum hominum, vt suis naturalibus præsidiis non possit quicquam velle, nedum facere, quod ad salutem conferat, nisi gratuito Dei munere prius excitata atq; adiuta fuerit. Deinde verò semel per gratiam liberata & sanata, non potest in eo quod bonum rectúmque est persistere atque proficere, nisi per momenta singula diuinæ gratiæ pręsidiis adiuuetur. Deus enim est qui

qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Quod regius propheta Dauid in psal. 29. quoque agnoscit, cùm ait, Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Minimum igitur est quod in opere iustificationis nostræ à nobisipsis agitur, ita vt penè totum Deo sit adscribẽdum: nam ipse prior nos vocat & mouet: deinde efficit vt velimus, ac demum consummat ac perficit voluntatem nostram. In primo itaque & tertio nihil libertati nostræ licet tribuere: quia sicut Dei gratia ad bonum nos prior inuitat, ita sola etiam voluntatem nostram perficit. Sed in medio, nimirum in ipso consensu, &, vt ita loquamur, volitione, gratię cooperatur nostra voluntas: sic tamen vt hic etiam potissimas ac primas partes obtineat gratia, secundarias voluntas nostra. Ea propter in diuinis litteris maior frequentiorque est diuinæ gratiæ, quàm nostræ voluntatis commendatio: nempe quia ab illa est præcipuum robur & efficiendi facultas: & quia hoc propter nos ita fieri expediebat, ad eximendam scilicet è mentibus nostris omnem arrogantiam. Quis enim te discernit ô homo? Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et alibi: Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Rursus 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra omnis ex Deo est. Nemo igitur ad gratiam vel ad quodlibet bonum per cogitationem bonam se quoquo modo disponere potest, absque singulari munere & gratia ipsius Dei. Nam B. August. lib. 1. cont. duas epist. Pelag. cap. 19. rectè monet non dixisse Christum neminem posse ad ipsum venire nisi pater eum duxerit, sed, nisi traxerit: vt ostendat quod antequam Deus præueniat nemo velit ire: ac proinde neminem esse qui se disponat. Nam qui se disponit, hic certè vult ire. Hinc etiam Dauid in psal. 76. Et dixi, inquit, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi. Sic Isaias cap. 65. ex persona ipsius Dei, Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui de me non interrogabant. Sic Ieremias in Threnis cap. 5. Conuerte nos ad te Domine, & conuertemur. Conuerti autem procul dubiò est disponi ad salutem & gratiam: quam dispositionem hic à Deo exspectandam esse his verbis insinuat propheta. Sic denique S. Ezechiel cap. 36. Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen meum. Deus ergo in nullo mortalium quicquam inuenit, cuius intuitu ipsum vocet ad salutem: sicut de Zachæo & Latrone sentit Abbas Cheremon: sed quicquid circa hominem facit, ex mera misericordia & gratia sua immeritis & indignis præstat. Id quod non solùm ex diuinis litteris luce clarius demonstrari potest, verumetiam apud veteres & orthodoxos patres passim docetur. Nam in synodo Arausicana quæ paulò post tempora Cassiani coacta & celebrata est, & quam D. Leo pontifex huius erroris occasione conuocauit, negant patres posse quenquam inuocare Dei gratiam absque gratia; Si quis, inquiunt, per inuocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, & Apostolo idem dicenti; Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui de me non interrogabant. Et rursum canone 4. illius synodi, & sequentibus

Philip. 2.
1. Corinth. 4.
1. Corinth. 12.
Ioan. 15.
Canone 3.

quentibus ex ipsius Augustini verbis quasi ex professo aduersa sententia vtpote hæretica & falsa condemnatur. Posteaquam enim Pelagij doctrina, qua ille homines omnia bona opera velle & facere posse statuebat absque gratia Dei, nisi nomine gratiæ intelligeretur liberum arbitrium, lex, doctrina, correptio, & his similia externa adminicula, ab ecclesia reiecta fuisset: exorti sunt quidam alij in Galliis ac potissimum apud Massiliam, quos vocant Reliquias Pelagianorum, qui mediam quandam viam inter orthodoxam ecclesiæ doctrinam & Pelagianum errorem ingressi, docebant non posse quidem homines ad veram iustitiam peruenire sine auxilio Dei, attamen ipsum Deum omnibus offerre atque proponere salutem ac fidem, nec aliud requirere aut exspectare quàm promptitudinem voluntatis nostræ: Posse autem vnumquemque ex viribus liberi arbitrij velle credere, & velle sanari: quamquam Dei esset hanc voluntatem perficere & consummare. Isti ergo Dei gratiam fonti publico comparabant, de quo possent quicumque vellent haurire: Vel Soli, qui omnes illuminat dummodo oculos aperiant, nec aliud impedimentum opponant: Vel liberalissimo Medico qui omnes volentes gratis curare paratus sit. Ita docuit Faustus quidam Galliarum Episcopus, & permulti alij, inter quos etiam venit numerandus iste Cheremon Abbas. Sed contra hunc errorem scripsit D. Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 5. In opusculis contra Collatorem, Ad obiectiones Vincentianas, Ad capitula Gallorum, & alibi. Scripsit etiam hac de re in epistola quadam ad Augustinum quæ est in Tomo sept. operum Augustini: Cui adiuncta est eiusdem argumenti D. Hilarij Arelatensis epistola ad eundem Augustinum. Et occasione eiusdem erroris videtur Gelasius Pont. in concil. 70. Episc. Ioannis Cassiani opuscula inter Apocrypha recensuisse; sicut & libros Fausti Galliarum Episcopi. Laudat vero B. Augustini & Prosperi scripta in quibus hic error confutatus est. His adiciendi sunt D. Fulgent. de Incarn. & gratia Christi cap. 13. 17. 18. & seq. Gregor. homil. 9. in Ezechielem. Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio. Innocentius primus epist. ad concil. Carthaginiense, quæ est 91. inter epistolas Augustini. Cælestinus primus in epistola ad episcopos Galliarum, vbi dicit coërcendos esse illos qui contra B. Augustini sententiam in hac materia sentirent aut scriberent. D. Hieron. contra Pelagium scribens. Denique B. August. propè infinitis locis, & præcipuè in libro de gratia & liber. arb. cap. 14. & 17. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. vlt. & lib. 2. cap. 8. 9. & 10. lib. 4. in Iulian. cap. 8. epist. 107. ad Vitalem, & in duobus libris ad Prosperum & Hilarium: altero de prædestinat. sanct. altero de dono perseuerantiæ. Huc spectant & illæ comparationes scripturæ sacræ, quibus anima nostra vel luto vel terræ inaquosæ similis esse describitur. Sic enim regius Propheta posteaquam dixisset neminem
Psal. 142. in conspectu Dei iustificatum iri, paulò post adiunxit: Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi: Si absque aqua siue arida est anima nostra, nihil itaque germinare potest. Deinde si rectè Ieremias in cap. 18. & Apost. ad Rom. 9. luto compararerunt animam humanam: nihil igitur ex sese ipsa potest, sed à Domino omnem non solùm agendi facultatem, verumetiam præparationem exspectare debet: quemadmodum lutum non tantùm formatur à figulo in vas figu-

figulinum, sed ab eodem etiam præparatur, mollitur, ac disponitur. Hæc à nobis breuiter quantũ instituti nostri ratio postulat, dicta sufficiant. Nam dissolutiones argumentorum quæ ab isto Cheremone in mediũ allata sunt ád eneruandam diuini adiutorij necessitatem, apud D. Prosperum videre est, qui singula diffuse admodum in opusculo contra Collatorem prosequitur & perstringit.

Coll. 17. cap. 8.

Satius est vos hoc mendacij, vel non impletæ promissionis subire dispendium, quod semel præteritum, nec ipsum vltra iam repeti, nec alia per semet poterit generare peccata; quàm in illud incidere, per quod tepidioris vitæ, vt dicitu, status quotidiano vos atque interminabili afficiat detrimento.

NOn temerè ea quæ ab isto cap. octauo vsque ad finem Collationis de mentiendi licentia trádit Abbas Ioseph, Dionysius Carthusianus in suá Paraphrasi omisit. Nam B. Augustinus in libris de mendacio & cõtra mendacium, & alibi passim, nulla de causa mentiri licere grauissimis rationibus demonstrat: In cuius sententiam cæteri quoque orthodoxi Scriptores descendunt. Verùm Origenes in Commentario epist. ad Galat. & in sexto Stromatum libro simulationes & mendacia Christianis hominibus licita esse asseuerat. Homo, inquit, cui mentiendi necessitas incumbit, attendat vt sic interdum vtatur mendacio tamquàm condimento & medicamine, vt seruet mẽsuram eius: nec excedat terminos quibus vsa est Iudith contra Holofernem, & vicit eum prudenti simulatione: imitetur Esther, quæ Artaxerxis sententiam diu tacita gentis veritate correxit: & in primis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artificioso impetrasse mendacio. Ex quo perspicuum est nisi ita mentiti fuerimus, vt magnum nobis ex hoc aliquod quæratur bonum, iudicandi sumus quasi inimici eius qui ait, Ego sum veritas. In eodem libro approbat Platonis sententiam quæ est in tertio de Repub. libro: vbi habet Plato, Deo quidem indecens & inutile esse mendacium: hominibus verò quandoque vtile & necessarium, vt eo tamquam medicamento vtantur, ad magna bona procuranda, vel magna mala euitanda. Rursus lib. 10. Stromatũ, addit Petrum & Paulum non vera, sed simulata contentione inuicem apud Antiochiam contendisse, vt eo simulationis genere Iudæos & Gentiles inter se de legalibus dissidentes ad concordiam reuocarent. Quæ fuit etiam B. Hieronymi sententia in epist. ad D. August. & in Commentario epist. ad Galat. docentis hypocrisin bonis viris in tempore necessariam ad imitationem multorum illustrium virorum, de quorum numero Hieu rex Israël sub fallaci promissione colendi Baal, sacerdotes eiusdem Baal interemit, Dauid ficta insania periculum vitæ euasit, Paulus simulata obiurgatione Petrum nullius culpæ reum ad terrorem Iudaizantium reprehendit: & vt Iudeos Christo lucrifaceret Timotheum circumcidit, ipseque caput totondit in Cenchris, & facto caluitio oblationem obtulit in Ierusalem. Videtur quoque cum D. Hieronymo sensisse S. Chrysostomus: qui in fine primi libri de sacerdotio fraudes, dolos, ac deceptiones quæ non nocendi studio, sed magni alicuius boni gratia suscipiuntur, quandoque adeò necessarias esse Vigesimaprima.

adfir-

adfirmat, vt aliqui pœnas luerint quia fraudes nõ exercuerunt. Id quod non solùm confirmat exemplo militum, qui in bello, vario stratagematum genere hostes suos fallunt; & Medicorum qui multis artibus ægrotos circumueniunt, vt sumant amara pharmaca: sed etiam auctoritate Apostoli Pauli quem hoc simulationis genere sæpè fuisse vsum scribit, & hac ratione multas myriades Iudæorum ad se traxisse. Fraudis, inquit, magna vis est, dummodo non fiat animo fraudulento: Cæterùm qui recto semper calle ingreditur, de eo numquam deflectens, sæpè fit vt ei etiam cui non astum aliquem struxerit, malorum incommodorumque quamplurimorum auctor sit. Itidem in epist. ad Galat. scribens existimat cum B. Hieronymo Petrum & Paulum non vera, sed simulata contentione, ad discipulorum & fidelium qui præsentes aderant vtilitatem, summa animi concordia inter se contendisse: vt dum Petrus à Paulo simulata reprehensione propter legalium obseruationem redargutus, non contradicit, sed quasi delictum suum agnoscens obmutescit; Iudæi, & qui legalia seruanda putabant, resipiscerent; & à legalium obseruatione abstinerent. Eidem sententiæ adstipulantur Theodorus Heracleæ Episcopus, Eusebius Emesæ Episcopus, Didymus Alexandrinus, Apollinarius Laodiceæ episcopus, Theodoretus Cyri episcopus, Theophylactus, & Oecumenius in epistolam ad Galat. scribentes. Addunt insuper, neutrum illorum Apostolorum simulando peccasse, eo quòd liceat, imò & oporteat simulationem pio iuuandi studio nonnumquam adhibere. Sed has illorum assertiones D. Augustinus in libris duobus ad Consentium, quorum alter est de mendacio, alter contra mendacium, ex professo damnat: & in epist. ad D. Hieron. dolet eam aliquando abs Hieronymo defensam fuisse. Sic enim loquitur in ea epistola: Legi quædam scripta quæ tua dicerentur in epistolas Pauli: quarum vnam ad Galatas cùm enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus à perniciosa simulatione reuocatur: ibi mendacij patrocinium susceptum abs te tali viro, non mediocriter doleo. Mihi enim videtur exitiosissimè credi, eos homines per quos nobis diuina Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid fuisse mentitos. Alia quippe quæstio est, Sítne aliquando mentiri viri boni? Et alia quæstio est, Vtrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit? imo verò non alia, sed nulla quæstio est. Admisso enim semel in tantum veritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non vt cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur. Si enim mentiebatur Apostolus Paulus cùm Apostolum Petrum obiurgans diceret, Si tu Iudæus cùm sis, gentiliter, & non Iudaicè viuis, quemadmodum gentes cogis Iudaizare? & rectè illi videbatur Petrus fecisse, quem non rectè fecisse & dixit, & scripsit; quid respondebimus cùm exurrexerint peruersi homines, &c. Idem prosequitur Augustinus epistola 9. ad eundem Hieronymum 3. & 4. capitibus. Petrus itaque non fictè aut simulatè, sed verè ac iustè à Paulo reprehensus est: quòd illa simulatio in Iudæorum salutem suscepta, in scandalum & perniciem gentilium vergeret, & illos in errorem illum induceret, quo existimare potuerant ritus legales ab omnibus seruãdos esse.

Epist. 8. cap. 3.

esse. Quamquam etiam fateri oporteat, acerbius subinde de Petro scripsisse diuum Augustinum; cùm ait illum superstitiosa & praua simulatione legis onera gentibus imponere voluisse: & dum hanc ipsam simulationem inter grauia illius crimina admiscet: quemadmodum videre est in Commentario epistolæ ad Galatas, & de Agone Christiano cap. 30. Porrò autem non esse neq; vnquam fuisse licita mendacia, ne veteris quidem instrumenti tempore, (sicut Abbas Germanus sensisse videtur in cap. 18. huius Collationis) Scriptura manifestè docet Exodi 23. Non suscipies vocem mendacij, inquit Dominus, nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium. Et paucis interiectis: Mendacium fugies. Rursus Propheta regius in psalmo quinto: Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sapiens quoque in Prouerbiis, Suauis est homini panis mendacij, inquit, & posteà os eius implebitur calculo. Et Sapientiæ 1. cap. Os quod mentitur occidit animam. Denique Ecclesiastici 17. Noli velle mentiri omne mendacium. Quam sententiam latissimè prosecutus est B. Augustinus in duobus illis ad Consentium libris, vbi neque pro seruanda pudicitia, neque pro vita temporali tuenda, neq; vlla omnino de causa aduersus Priscillianistas (quorum erat illa sententia; iura, periura, secretum prodere noli) mentiri licere ostendit. Et beatus Ioannes Anachoreta, magnus ille propheta apud Palladium cap. 43. historiæ Lausiacæ, docet neque paruum, neque magnum mendacium esse fingendum, etiam humilitatis tuendæ causa (id quod Abbas Ioseph cap. 21. & 22. huius collationis permittit) eo quòd mendacium omne à malo sit, vti Ioannis octauo capite dicitur. Sic etiam D. Iustinus in Apologia secunda dicit Christianos mori malle, quàm semel mentiri. Ambrosius lib. 2. in Lucam circa initium libri, Os iusti, inquit, nescit mendacium. Et B. Hieron. in Apolog. 1. contra Rufinum arguit Origenistas propter locum paulò antè ex 6. Stromat. lib. à nobis adductum. Accedit B. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 2. vbi etiam leuissima mendacia dicit esse peccata. B. Isidorus quoque in lib. synonymorum omne mendacij genus fugiendum esse definit. Et Innocentius Papa eius nominis tertius in decretalibus tit. de vsura, cap. Super eo, diuini præcepti verbo constanter vetari adfirmat, ne quis etiam pro alterius vita seruanda mẽtiatur. Atque huic sanctioni pontificiæ omnes Theologorum scholæ subscribunt in tertij sentent. dist. 37. & 38. scribentes qui non solùm mendacium omne profitentur esse peccatum, verumetiam omnem siue noxiam siue officiosam simulationem & fraudem esse vitium veritati cõtrarium, & ad mendacij crimen pertinere. Nam siue sermone siue quocumque facto vel lædendi vel iuuandi studio quispiam mentiatur, mendax est, & omne mendacium peccatum. Et Aristoteles in quarto Ethicorum libro, Mendacium, inquit, ex sese prauum est & fugiendum : verum autem omne bonum atque laudabile. Quodsi ex se malum est & vituperabile mendacium, nullo igitur fine, nullâve circumstãtia bonum effici potest; ne tum quidem quando humilitatis vel pudicitiæ ac salutis causa suscipitur : sicut furtum, rapina, & similia peccata, si ad proximorum subuentionem referantur non propterea peccati rationem amittunt, quia ad finem honestum atque vtilem ordinantur: eo quòd in propria ratione malitiam includant, &, sicut

Cap. 20.

Cap. 7.

sicut Philosophi loquuntur, habent conuolutam malitiam. Iam verò quod attinet ad ea quæ in ista Collatione ex sententia Iosephi Abbatis scripsit Cassianus, vt rem totam compendio absoluamus, respondemus ex sententia S. Augustini totam mendaciorum multitudinem quæ in diuinis litteris contineri videntur, in duas classes diuidi posse. In quarum priore statuendi sunt hi qui reuera mentiti non sunt, tametsi mentiti videantur. Primum enim errat in eo Abbas Ioseph quòd sponsionis ac promissionis mutationem cum mendacio confundit: in hanc sententiam, vt quemadmodum consilium ac propositum licet mutare dum aliquid nobis melius ac sanius occurrit atq; suggeritur; ita quoq; mentiri licere asseueret. Nam sponsionem quidem etiam iureiurando confirmatam, præsertim si incauta & imprudens sit, absque vllius mendacij periculo licet mutare & corrigere. vnde B. Isidorus bene monet, vt in malis promissis rescindatur fides, sicut habetur 22. q. 4. cap. In malis. Hinc rectè Abbas Ioseph cap. octauo istius Collationis, Veniabiliter, inquit, imo & laudabiliter definitio incauta mutabitur, si ad salubriorem transeat partem: nec constantiæ præuaricatio esse credenda est quoties sponsio vitiosa corrigitur, sed temeritatis emendatio. Id quod deinde rationibus & exemplis ex diuina scriptura & aliunde allatis, nono, quartodecimo & vigesimoseptimo capitibus confirmat. Verùm sponsionis siue pactionis correctio non est mendacium, vti ipse existimauit: Qui enim aliquid promittit, si habeat voluntatem exequendi id quod promittit, non mentitur quando promittit: quia non loquitur aliud quàm facere intendit. Si autem non implet quod promisit, videtur quidem violare fidem, quia consilium & institutum mutat: potest tamen ex duplici causa correctio ista atque mutatio excusari. Priore, si promiserat id quod non licet, aut cuius executio diuinæ legi contraria est: Qui enim promittendo peccat, corrigendo promissionem suam bene facit. Rectè itaque Dauid postquam temerè iurasset se occisurum Nabal, rogatus & increpatus ab vxore sententiam & iuramentum suum retractauit, intelligens se iurare non debuisse quod posteà cernebat se facere non debere. Id quod bene annotauit B. Augustinus contra mendacium cap. 9. Posteriore, si res ipsæ, rerumque circumstantiæ & condiciones mutatæ sunt: vt enim rectè dicit Seneca libro quarto de beneficiis, cap. 34. & 35. tenetur homo id facere quod promisit, si omnia permaneant immutata: alioqui enim non fuit in promittendo mendax, quia promisit quod habebat in mente: nec fuit infidelis non implendo, quia eædem condiciones non extant. Et ad hūc
2. Cor. 1. modum oportet Apostolum Paulum à mendacio vindicare, quòd non iuerit Corinthum quò se iturum promiserat; quia propter superuenientia impedimenta, ire prohibebatur. Nec aliter intelligendæ sunt minæ illæ quibus Deus in scripturis Ezechiæ mortem, Niniuitis subuersionem & excidium, & peccatoribus diuersa supplicia comminatus est: quas intuitu superuenientis pœnitentiæ illum legimus relaxasse ac remisisse: quæ omnia hic Abbas in confirmationem sententiæ suæ adducit cap. 25. huius Collationis, vt statuat licita esse mendacia. Quasi verò Deus etiam, qui est prima & infallibilis veritas, absque ingenti blasphemia aliquando mentitus fuisse credi possit. Non distinxit igitur Auctor inter comminationem & affirmationem; item inter men-
dacium

dacium & propositi mutationem, qualis fuit illorum angelorum quos Moyses scribit prius noluisse ingredi domum ipsius Lot, sed posteà precibus illius adductos vt sententiam mutarent. Quòd deinde in cap. 8. simulationes & fictiones omnes putat esse mendacia ipsósque Apostolos asserit mendacio subinde vsos fuisse; id quoque falsum est: Quamquam enim B. Petrus, sicut paulò antè à nobis dictum est, in eo quòd cibos discerneret, & similia quædam legis præcepta propter Iudæos obseruaret, simulatione sit vsus, non tamen mentitus fuisse putandus est: non enim mentimur nisi falsum aliquid intendamus: nec omne quod fingimus mendacium est, inquit Augustinus, sed quando id fingimus quod nihil significat. Cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem veram, non est mendacium; sed aliqua figura veritatis. Et profert argumentum simile in figuratis locutionibus, quales sunt metaphoricæ, ironicæ, hyperbolicæ, antiphrasticæ; in quibus fingitur quædam res non vt asseratur vera, sed proponitur vti figura alterius quod asserere volumus. Ad hunc igitur modum Christus in Euangelio finxit se longius ire, quia composuit motum suum quasi volentis ire longius; siue ad significandum quod ipse longè adhuc abesset à fide illorum, vt vult Gregorius; siue, quia cùm longius ab eis discessurus esset in cælum per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra, quemadmodum exponit August. lib. 2. quæst. Euang. cap. vlt. Et in lib. contra Mendacium cap. 13. Talis fuit & Apostoli Petri simulatio, qui se Iudæum in Iudaicis illis obseruationibus simulabat, nō quòd Iudæus esse aut haberi vellet, sed ne Iudæi offenderentur, si vnà cum gentibus legis onera contemsisset. Similem quoque simulationem habuit & suscepit in se Apostolus Paulus, quando Iudæis Iudæus, infirmis infirmus, his qui sine lege erant, quasi sine lege fuerit, & omnibus omnia factus est vt omnes lucraretur. Hæc enim, teste B. Augustino, compassione misericordiæ dicta sunt, non simulatione fallaciæ. Fit enim tamquam ægrotus, qui ministrat ægroto; non cùm se febres habere mentitur: sed cùm animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret. Nam vtique Iudæus erat; Christianus autem factus, non Iudæorum sacramenta reliquerat, quæ conuenienter ille populus & legitimo tempore, quo oportebat acceperat. Ideóque susceperat ea celebranda, cùm iam Christi esset Apostolus, vt doceret non esse perniciosa iis qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant custodire, etiam cum Christo credidissent: non tamen in eis iam constituerent spem salutis, quoniam per Dominum Iesum salus illa quæ illis sacramentis significabatur, aduenerat. Quapropter non ideò Petrum emendauit, quòd paternas traditiones obseruaret: quod si facere vellet, nec mendaciter, nec incongruè faceret; sed quoniam gentes cogebat iudaizare: quòd nullo modo posset nisi ea sic ageret, tamquam adhuc etiam post Domini aduentum necessaria saluti forent: quod vehementer per Apostolum Paulum veritas dissuasit. Nec Apostolus Petrus hoc ignorabat; sed id faciebat timens eos qui de circumcisione erant. Hucusque D. Augustinus. Quam sententiam etiam prosequitur in lib. contra mendacium 12. & 13. capitibus, exponens multa similia loca Euangelij, quæ mendacio patrocinari videntur. Quibus adnumerari debet factum Apostoli Pauli quod vrget Abbas

Genes. 19.

Lib. 2. quæst. Euang. cap. 51.

Lucæ 24.

Homil. 23. in Euang.

Epist. 9. ad Hieron.

Ioseph in cap.20.huius Collationis, quo iussus est, ab Apostolo Iacobo & Senioribus ecclesiæ Mosaicos ritus Ierosolymis obseruare, ne videretur legem contemnere aut improbare. Nam in hoc facto non vsus est praua simulatione Apostolus; sed quòd verus esset legis æmulator voluit indicare; quodque de lege non sentiret perperam aut perniciosè, sed eius obseruationem his qui ex Iudæis conuersi erant esse liberam; Gentibus autem nequaquam imponendam. Hinc B. August. in lib. de mendacio cap.5. excusat eundem Apostolum à suspicione simulationis, quę illi imputari posset propter Timothei circumcisionem & alia quædam Iudaica sacramenta ab eo obseruata: & asserit eum hoc fecisse ex libertate sententiæ suæ, qua prædicauit nec gentibus prodesse circumcisionem nec Iudęis obesse. Ideoque & Timotheus, inquit, cùm in præputio vocatus esset, tamen quia de Iudæa matre ortus erat, & ostendere cognatis suis debebat ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in disciplina Christiana, vt sacramenta illa quæ legis veteris essent, abominaretur, circumcisus est ab Apostolo: vt hoc modo demonstraret Iudæis, non ideò gentes ea suscipere quia mala sint, & perniciosè à patribus obseruata: sed quia iam saluti non necessaria propter aduentum tanti sacramenti quod per tam longa tempora tota vetus illa scriptura propheticis locutionibus parturiuit. Minoris momenti sunt quæ isthic adferuntur ex 17. Actorum Apostolicorum capite, aut ex epistolis ad Romanos & Corinthios. in quibus etsi multa dicat & indulgeat Apostolus ex affectu misericordiæ, nihil tamen habet in quo fallacis simulationis aut mendacij iure argui possit. Huc referri possunt omnia bellica stratagemata, militares insidiæ, cæteræque Medicorum & Iudicum simulationes: quæ remoto omni falsitatis crimine in sola veritatis occultatione consistunt. Nam in illo iudicio Salomonis 3. Reg.3. cap. quod Abbas Ioseph adducit in cap.25. ad statuendam mentiendi licentiam; item in verbis Iosephi Patriarchæ Gen. 42. quæ ille ad fratres suos non tam asserendo, quàm explorando & tentando locutus est, nullum mendacium continetur. Rursus, nec illi mentiti sunt, qui figuratè, mysticè ac propheticè locuti fuisse describuntur. Cuiusmodi locutionis exemplum habemus in Iacob Patriarcha, in illis verbis, Ego sum primogenitus tuus Esau. Non est enim hoc mendacium, inquit August. lib. contra mendacium cap.10. sed mysterium: Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligēdum, dicentur esse mendacia. Quod absit omnino. Idem prosequitur Augustinus quæstione 74. in Genes. & Amb. lib.2. de Iacob cap.2. & Innocētius tertius in cap. Gaudemus, titulo de diuortiis. Verisimile etiam est ipsum Iacob non ignorauisse quòd secundū diuinam prouidentiam quæ illum ad primogenituram delegerat, verè primogenitus erat, & iure fratri suo antepositus. Id quod ex matre scire poterat, quæ reuelationem huius mysterij diuinitùs acceperat. Non rectè igitur Abbas Ioseph, cap.12. & 17. huius Collationis, Patriarcham Iacob asserit non solùm pro mendacio suo nullam contraxisse damnationem aut reprehensionem, verumetiam perpetua benedictionis hæreditate ditatum esse. De Dauid
1.Reg.22. quoque insaniam simulante, dubium non est, quin, sicut alibi passim, ita hoc

ita hoc loco etiam Christi typum & figuram expresserit. Porrò ij qui aliquid veri adfirmantes, aliquid etiam quod verum esset vtili silentio contic..erunt, ad hanc priorem quoque non mentientium classem pertinent. Hoc enim dilucidè docet B. Augustinus in Commentario psalmi quinti enarrans verba illa, Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ: Ne quis arbitretur, inquit, perfectum & spiritalem hominem, pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, siue sua, siue alterius, debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare, siquidem aliud est falsum dicere, aliud est verum tacere; vt si quis fortè vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Ad quem modum Abraham Patriarcha Genesis 12. cap. quando Saram sororem suam esse dixit, non est mentitus: sed dicendo verum, veritatem tamen aliquam subticuit. Erat enim soror ipsius non ex matre, sed ex patre, vt loquitur Scriptura. Id quod recentiores nonnulli, inter quos est Caietanus in Genesim, & Dominicus Soto lib. 2. de iustit. & iur. quæst. 3. art. 8. propriè dictum accipiunt, quasi Sara non fuerit quidem vterina soror Abrahæ ex eadem matre, sed ex eodem patre genita. Sed huic intellectui repugnat Iosephus lib. 1. Antiq. c. 14. D. Hieron. in quæst. super Genes. explicans caput vndecimum, & Augustin. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 19. & lib. 22. contra Faustum c. 35. qui dicunt Saram non fuisse eius sororem, si propriè loqui velimus, sed filiam fratris. Nam Genesis 11. cap. posteaquam dixerat Moyses Abrahamum & Nachor accepisse vxores; illum quidem Sarai, hunc Melcham; statim addit Melcham & Iescham filias fuisse Aram fratris Abrahæ & Nachor. Iescham autem D. Hieron. asserit fuisse Saram: non enim credibile est scripturam prodidisse nomen patris Melchæ & non Saræ. Sic existimat D. August. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 12. Deinde propriam sororem accipere vxorem, natura penitùs abhorret, vsqueadeò vt Leuitici 20. occidi iusserit Dominus illum qui sororem, siue ex patre siue ex matre, accepisset vxorem. Est verò diuinis litteris familiare auos vocare patres, nepotes filios, & consanguineos fratres: sicut Danielis 5. cap. Nabuchodonosor vocatur pater Balthasaris, cuius auus erat, quemadmodum scribit in illum locum S. Hieronymus. Et Lot Cap. 13.
in Genesi vocatur frater Abrahæ; cùm tamen ex 11. cap. constet ipsum fuisse filium fratris Abrahæ. Rursus Tobias iunior cap. 8. libri Tobiæ dicit quòd non luxuriæ causa sororem suam acceperit vxorem: quæ tamen non erat propriè soror. Quapropter in eandem planè sententiam accipiendum est, Saram fuisse sororem Abrahæ, quia consanguinea erat, & fratris sui filia. Aliquid ergo veri tacuit, inquit August. non falsi aliquid dixit Abraham: quando tacuit vxorem, dixit sororem. Hoc & filius eius fecit Isaac. Nam & ipsum nouimus propinquam suam coniugem fuisse sortitum. Quod verò idem Abraham cap. 22. Geneseos, immolaturus filium, ad pueros suos dicebat, Exspectate hic cum asino, ego autem & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos: D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. sic exponit, vt fateatur eum illic fuisse mentitum dissimulando, & simul etiam prophetasse, sicut fecit Caiphas, qui nesciens prophetauit:

atque ita eadem verba putat fuisse mendacium vti ab Abrahamo proferebantur, & prophetiam quantum à Deo dirigebãtur. Rectiùs tamen mea sententia B. Augustinus sermone 72. de tempore & lib. 2 Retract. cap. 22. negat in his verbis Abrahamum fuisse mentitum: Credebat enim Deum statim à morte excitaturum fuisse Isaac, si eum immolasset: atq; ita se vnà cum illo ad pueros reuersurum: iuxta illud quod Apostolus de illo dicit in epistola ad Hebr. Fide obtulit Abraham Isaac filium suũ, arbitrans quod & à mortuis suscitare potens est Deus. (Cap. 11.)

In secunda classe reponimus eos de quibus dubitare non licet quin mentiti fuerint: quomodo mentitus est Dauid coram Achimelech sacerdote. Rex Hieu siue Iehu cum sacerdotibus Baal, Raab pro exploratoribus Iudæorum, Chusi ad Absalon pro salute regis Dauid, Iudith ad Holofernem, obstetrices Hebræorum, Thamar, & complures alij. Verùm ex horum facto & mendacio neutiquam efficitur licita esse mendacia. Non omnia enim, inquit Augustinus lib. 2. contra mendacium cap. 9. quæ à sanctis vel iustis viris legimus facta, transferre debemus in mores: sed etiam hinc discere quàm latè pateat, & ad quos vsque perueniat; quod Apostolus ait, Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, instruite huiusmodi. Præoccupationes enim sunt istæ, in quibus delinquitur; dum quid faciendum sit, aut ad horam non videtur, aut qui viderit vincitur; vt scilicet fiat peccatum, cùm vel latet veritas, vel compellit infirmitas. Quãquam enim diuina Scriptura hęc mendacia recenseat, nusquam tamen ea laudat vel approbat. Nam illos ipsos quidem qui mentiti fuerunt nonnumquam laudatos & bonis temporalibus à Deo cumulatos legimus; nullo modo tamen existimare licet, remuneratam siue laudatam in eis fuisse fallaciam siue mendacium: sed pietatem, caritatem, & fidem qua complexi sunt illos, pro quibus mentiri non timuerunt: quẽadmodum prolixè & eruditè prosequitur B. Augustinus contra mendacium cap. 14. 15. 16. & 17. Quocirca perperam Collator iste censet Raab meretricem mendacij sui merito populo Dei adnumeratam, aut genealogiæ Christi à Matthæo insertam fuisse; vel Patriarcham Iacob propter mendacium suum Domini benedictione ditatum fuisse, sicut latissimè notatis capitibus prosequitur Augustinus.

(1. Reg. 22. 4. Reg. 10. Iosue 1. cap. 2. Reg. 17. Iudith 11. Exod. 1. Genes. 38. Galat. 6. Cap. 17. Coll. 17.)

Præter enumerata diuinæ Scripturæ testimonia & exempla, quæ auctor adducit ad statuendam mentiendi licentiam, cauendæ sunt in hac ipsa Collatione, sententiæ aliquot perniciosæ, quas hic ex ordine subiiciemus:

Coll. 17. cap. 17. & 19. Prima est: *Mendacio tamquam elleboro vtendum esse, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo.* Corporis quidem salus & vita mendacio subinde seruatur; at quia ex sese prauum est, idcirco nulla ei vis inest animum medendi; sed quacumque tandem causa adhibeatur, nocumentum ei infert; dicente Scriptura, Os quod mentitur, occidit animam.

Cap. 17. Secunda: *Quando graue aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia: ita tamen vt reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur.* Quod non est aliud dicere; quàm facienda esse mala, vt veniant bona.

Ibidem & alibi passim. Tertia: *Deum non respicere nec æstimare vocalem siue externam veritatis confessionem, sed intimam tantummodo cordis pietatem.* Repugnat Apostolus: qui

qui dicit, Corde credi ad iuſtitiam, ore autem fieri confeſſionem ad ſalutem. Et regius Propheta pſalmo 14. ab homine iuſto vtrumque requirit: vt & veritatem loquatur in corde ſuo, nec agat dolum in lingua ſua.

Quarta: *Per mendacium potuiſſe quoſdam iuſtificari.* Abſit à Chriſtianis mentibus vt credant iuſtitiam mendacio comparari. Non enim eſt iuſtitia vbi dolus regnat vel falſitas. Ibidem.

Quinta: *Caritate excuſari mendacium ſi ad ſeruandam alterius vitam, vel propriam aut alienam pudicitiam, vel propter magnum aliquod bonum ſuſcipiatur. Nam Sapiens dicit eruendos eos qui ducuntur ad mortem. Et Apoſtolus: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Rectiùs B. Auguſtinus in libris de mendacio & contra mendacium, docet ita ſtudendum eſſe alienæ ſaluti, vt propriam tamen non poſtponamus: Si quis, inquit, ad te confugerit qui mendacio tuo poſſit à morte liberari, non es mentiturus: Os enim quod mentitur, occidit animam, &c. Eruendi itaque ſunt quidem qui ad mortem ducuntur, ſed non per vias obliquas, per furta, per fornicationes, per mendacia, aut quæcumque alia peccata. Nam per hæc non promouetur caritas, ſed violatur. Cap. 19.

Sexta: *Veritas quibuſdam nocuit & profuit mendacium. Nam Doëg Idumæus cùm apud Saulem prodidiſſet factum ſacerdotis Achimelech pro hac veritate eradicari meruit de terra viuentium, vt dicitur in pſal. 51. in qua terra Raab meretrix pro mendacio cum ſua cognatione plantata eſt. Samſon quoque prodita veritatis iuſtas tulit pœnas.* De Raab diximus illa non eſſe remuneratum mendacium, ſed pietatem & fidem in exploratores vrbis & terræ Ierichontinæ. Nec refert quòd veritatis confeſſio ſi incautè & imprudenter facta ſit, quibuſdam malè ceſſerit. Illos enim non tam veritas eiúſve confeſſio quàm imprudentia qua vſi ſunt, in diſcrimen adduxit. In martyribus autem confeſſio veritatis quamquam temporale nocumentum eis attulerit, non propterea infelices fuiſſe putandi ſunt; ſed hoc eis ad gloriam ceſſit, & ad ſempiternam victoriam atque ſalutem. Cap. 20.

Septima: *Qui mirabilia virtutum ſuarum, vel proprios actus, quos neceſſe erat ad inſtructionem iuniorum in Collatione proferri, ſub aliorum ſolebant colorare perſonis, quid aliud poſſumus quàm apertum ſuper his iudicare mendacium? Ad quod etiam nos ſuo magiſterio doctor gentium euidenter inſtituit: qui reuelationum ſuarum magnitudinem ex alterius maluit proferre perſona dicens: Scio hominem in Chriſto, ſiue in corpore, &c.* Friuolum planè argumentum: Nam qui in tertia perſona de ſe loquitur non propterea mentitur, nihil enim falſi enunciat: quamquam aliquid veri taceat. Veritatem autem ſilentio premere, non eſt mentiri, ſicut antè dictum eſt, niſi falſitas aliqua miſceatur. Cap. 24.

Octaua: *Humilitatis cauſa mentiendum eſſe, vt ne quis etiam interrogatus prodat aliis proprias virtutes, & ne prodendo iactantiam noxiæ vanitatis incurrat.* Hanc ſententiam damnat B. Auguſtinus in hæc verba: Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras: Veritas autem ipſa in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, vt etiam eſſe cognoſcas: Veritas autem ipſa eſt, vt quod es dicas. Nam quomodo eſt humilitas vbi regnat falſitas? Plura videre eſt apud Gratianum 22. q. 2. Cum humilitatis, qui eſt Canon nonus, & ſeq. Nec mouet nos argumentum Ioſephi Abbatis quod ha- Cap. 21. 23. & 24.

bet in cap. 21. huius Collationis: Adfert enim illic testimonia euangelica, quibus vetat Dominus, ne velimus videri ieiunantes. Et rursum: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera. Quam obiectionem bene dissoluit B. Gregorius homil. 11. super Euangelia: Inuentus thesaurus, inquit, absconditur vt seruetur: quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus, quasi quidam latrunculi iter nostrum obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Hoc autem dico, non vt proximi opera nostra bona non videant, cùm scriptum sit, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est: sed vt per hoc quod agimus laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. Hactenus ex Gregorio. Qui ergo de virtute quam habet, aut de bono aliquo operè à se admisso interrogatus, veritatem confitetur; nec in eo sibi placet, sed Deo fert acceptum, illique gloriam omnem adscribit, non peccat in illam legem, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera: quæ de sola intentione ac proposito animi nostri disponit ac præcipit.

Has sententias Iosephi Abbatis videtur Ioannes Cassianus ita commemorasse, vt sese quoque de iis non immeritò suspectum nobis reddiderit. Nam & sub finem Collationis ita loquitur: Hac beatissimi Ioseph institutione atque doctrina velut diuino oraculo confirmati, in Ægypto residere maluimus, &c. & quod magis ad rem facit, in lib. 6. Institutionum de Archebio Abbate scribens, dicit illum religiosa circumuentione & caritatis mendacio apud fratres vsum fuisse. Quæ locutio non aliud sonare videtur, quàm quòd seruandæ caritatis gratia, & ad iuuandos alios mendacia rectè adhibeantur. Id quod hactenus ostendimus non licere. Imo nullum est omnino caritatis mendacium; non enim pugnant caritas & veritas: sed contrà potius, caritas mendacio & falsitati inimica est.

Lib. 6. Instit. cap. 37.

Quòd denique in vltimo cap. istius Collationis septimædecimæ vetat Abbas Ioseph ne monachus quicquam definiat, aut quicquam certi statuat de obseruandis corporalibus exercitationibus, vtpotè de irremisso ieiunij rigore, de vini, siue olei, siue carnium perpetua abstinentia, de progressu cellulæ penitùs cohibendo, de lectionis seu meditationis incessabili iugitate; non est intelligendum de his quæ sollemni voto in religionibus subinde promittuntur; nam hoc licet in approbata religione; sed de his quæ quisque monachus priuata quadam temeritate apud se spondet: quæ res vti imprudentiæ, ita periculi plena est.

Coll. 20. cap. 8.

Quis est qui non possit suppliciter dicere, Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non operui? vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur, Et tu remisisti impietatem cordis mei. Quòd si verecundia retrahente, reuelare peccata tua coram hominibus erubescis: illi quem latere non pos-

non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas; ac dicere, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: qui & absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio donare consueuit.

SImilia loca complura videre est apud D. Chrysostomum Ioannis Cassiani præceptorem, homil. 2. in psalmum 50. homil. 4. de Lazaro in cap. 6. Lucæ, homil. de publicano in cap. 18. Lucæ, homil. 31. in 12. cap. epist. ad Hebr. homil. de pœnitentia & confessione, homil. 8. de pœnitentia, & hom. 5. de incomprehensibili natura Dei: quæ loca Lutherani vnà cum Caluino cap. 9. Institutionis adducũt aduersus sacramentalis confessionis necessitatem. Sed perperam & imperitè: non enim loquuntur Chrysostomus & Cassianus de secreta & auriculari confessione, quæ sacerdotibus fiat, & sacramenti pœnitentiæ pars est: sed hoc solùm dicere volunt, quòd non sit ad salutem necessaria illa theatralis & publica confessio, quæ in publica pœnitentia olim fiebat: quando pœnitens ceu in theatro coram Episcopo, sacerdotibus, & populi multitudine crimen aliquod enorme confitebatur. Ad hanc igitur confessionem eos qui occultè deliquerant, D. Chrysostomus adigere noluit; tum quòd non iudicaret omnia occulta peccata publicanda esse; tum quòd circa hæc ipsa tempora publica confessio metu furentis populi à Nectario Constantinopolitano Episcopo ipsius Chrysostomi prædecessore abrogata esset: idque propter matronam quandam à diacono sub confessionis prætextu compressam: sicut refert Zozomenus lib. 9. histor. Tripar. cap. 35. Vigesimasecunda

Coll. 21. cap. 4.

Sic & Dauid præcepta legis cognouimus supergressum: qui præcipiente Moyse vt inimicus talio redderetur, non solùm hoc non fecit, verumetiam dilectione complexus est persequentes: & pro his Domino piè supplicans, etiam lugubriter fleuit, & vltus est interfectos.

VIdetur alludere ad secundi Libri Regum caput primum, vbi refert diuina scriptura, quòd Saule, Ionatha, & multis aliis in prœlio Philisthinorum interfectis, eaque re ad aures ipsius Dauidis perlata, Dauid sciderit vestimenta sua, omnesque viri qui erant cum eo: & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt in die illa vsque ad vesperam super Saul & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israël, eò quòd corruissent gladio. Puerũ verò Amaleciten qui hæc nunciabat, interfici iussit, eò quòd manum suam misisset in Christum Domini. Erat hæc eximia quædam Dauidis in Saulem hostem suum pietas, quà illi semper pepercit, rogauit pro eo Dominum, & pro mortuo lacrymatus est, & ieiunauit. Quòd verò Theonas Abbas de lege talionis dicit, illam à Moyse præceptam esse, non sic intelligas velim, hanc præceptionem ad omnes pertinuisse; ita vt cuiq; læso permissum fuerit tantundem damni inferre ei à quo læsus esset, quantum passus fuisset: sed ad iudices lex illa pertinebat: qui in Repub. iuxta Philosophi sententiam sunt veluti medium & iustum quoddam animatum, ea quæ inæqualia sunt ad æqualitatem redigentes. Nam in Vigesimatertia. Arist. lib. 5. Ethic. cap. 4.

cap. 21. Exodi vbi lex ista decreta est, præscribitur norma quædam certa, quam Iudices in puniendis delictis sequi debeant. Sic enim habet illius capitis initium, hæc sunt iudicia quæ propones eis, &c. Et Leuit. 24. paulò post repetitã taliònis legem subdit Dominus Deus, Æquum
Cap. 19. iudicium sit inter vos, siue peregrinus siue ciuis peccauerit. Denique in Deuteronomio præcipit Dominus, vt penes iudices, & sacerdotes sit pœnæ istius definitio: qui cùm inuenerint falsum aliquem testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. At Iudæi, ac potissimũ Scribarum & Pharisæorum schola, ad omnes etiam priuatos homines legem hanc extendebat; quasi quilibet illorum posset à proximo suo si ab illo læsus esset, hanc talio-
Cap. 5. nis pœnam exigere. Huic porrò prauæ illorum opinioni occurrens Christus apud Matthæum, hortatur ne vindictam vllam à fratribus expetamus, sed vt percutienti dexteram maxillam parati simus etiam alteram, si opus est, percutiendam offerre. Audistis, inquit, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente: Ego autem dico vobis nõ
Contra Adimãtum cap. 8. resistere malo. In quibus duabus sententiis, inquit Augustinus, duorum testamentorum differentia demonstratur: sed amborum tamen ab vno Deo constitutorum. Nam quoniam primo carnales homines ardebãt multò amplius se vindicare quàm erat illa iniuria de qua querebantur; constitutus est eis primus lenitatis gradus, vt iniuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim & donare aliquando posset iniuriam, qui eam primo non superare didicisset. Vnde Dominus iam per euangelij gratiam ad summam pacem populum deducens, huic gradui superædificauit alterum: vt qui iam audierat non ampliorem vindictam quàm quisque læsus esset reddere, placata mente totum se donare gauderet. Quod etiam in illis veteribus
Psal. 7. libris Propheta prædicat, dicens: Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuẽtibus mihi mala. Et alius Propheta dicit de huiusmodi viro patiente iniurias, & lenissimè tole-
Thren. 3. rante; Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Ex quo intelligitur & mensuram vindicandi rectè carnalibus constitutam, & omnimodam iniuriæ remissionem non tantùm in nouo testamento esse præceptam, sed longè antè in veteri prænunciatam. Eandem sententiam prosequitur idem Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 25. Quis, inquit, facilè contentus est tantùm rependere vindictæ, quantum accepit iniuriæ? Nónne videmus leniter læsos homines, moliri cædẽ, sitire sanguinem, vixque inuenire in malis inimici vnde satietur? Huic igitur immoderatæ ac iniustæ vltioni, lex iustum modum figens pœnam talionis instituit, hoc est, vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium rependat; quod non fomes, sed limes furoris est: non vt id quod sopitum erat hinc accenderetur; sed ne id quod ardebat, vltra extenderetur: Imposita est enim iusta vindicta, quæ iustè debetur ei qui passus fuerit iniuriam. Quod autem debetur, etsi benignè remittitur, non tamen iniquè repetitur. Itaque cùm peccet qui immoderatè vult vindicari, non peccet autem qui vult iustè vindicari: remotior est à peccato, qui omnino non vult vindicari, & ideò subdit: Ego autem dico vobis non resistere malo. In eandem sententiam B. Hieronymus enarrans hunc D. Matth. locum, ita scribit: Dominus noster vicissi-
tudinem

tudinem tollens, truncat initia peccatorum: In lege namque culpa emendatur, hic peccatorum auferuntur exordia. Hæc ille. Lex igitur illa quæ talionem præcipiebat, iudicibus data erat, vt iuxta illius præscriptum iusta fieret compensatio: non enim licebat læso ei à quo læsus erat talionem reddere, sed iudex qui pœnam hanc decernebat, idem & exigebat.

Coll. 21. cap. 5.

Non ergo Christus ad excelsa virtutum fastigia quemquam præcepti necessitate constringit, sed liberi arbitrij prouocat potestatem, & salubritate consilij & desiderio perfectionis accendit.

PRouocat quidem Christus liberi arbitrij vires: sed nos non sequimur neque paremus vocanti, nisi ex munere ipsius Dei. Nam ipse tangit corda nostra, mouet, excitat, inclinat, & facit vt ambulemus in præceptis ipsius: nec tantùm in præceptis, siue iussionibus, verùm etiam in consiliis euangelicis suscipiendis: quæ quo sunt excelsiora sublimioraque, eo ampliore gratia Dei, vt impleantur, indigent. Sed hæc latè prosecuti sumus in tertiadecima notatione: idcirco breuitati hoc loco studebimus, lectorem ad eum locum remittentes. Multa siquidem huiuscemodi loca passim occurrunt, è quibus nos quædam tantummodo indicauimus. In quibus illud semper Lectorem meminisse volo, quod in tertia Annotatione à nobis dictum est, nimirum Abbates istos non loqui de iis qui diuinæ gratiæ prorsus expertes sunt; sed de his quos inhabitans spiritus moderatur, & ad bonum semper inuitat, nec vnquam otiosos esse patitur: atque ita non excluditur nec vlla iniuria fit gratiæ Dei, quæ semper cooperari intelligenda est. Similis locus est in septimi capitis principio in illis verbis, In nostra situm est potestate, vtrum sub euangelij gratia, an sub legis velimus terrore consistere. Quod excluso Dei adiutorio, hæreticum & falsum est. Vigesimaquarta

Col. 21. cap. 9.

Si ego, inquit B. Theonas, te abstrahere à morte non possum (alloquitur vxorem suam) nec tu me separabis à Christo. Tutius est autem mihi cum homine, quàm cum Deo habere diuortium. Adspirante itaque gratia Dei, definitionis suæ executionem instanter aggressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderij sui passus est ardorem: Nam confestim omni mundana facultate nudatus, ad monasterium peruolauit.

ETsi factum istud Abbatis Theonæ, quo post lapsum quinquennij tempus (quo cum sua coniuge in matrimonio vixerat) ad monasterium reclamante vxore confugit, à Patribus Ægypti adeò non sit reprehensum, vt ipse quoque propter varias animi sui dotes, & Apostolicarum signa virtutum ac prodigiorum, in Diaconiæ munere multis aliis summis ac sublimissimis viris prælatus sit: quemadmodum scribit Cassianus cap. decimo huius Collationis: nullo modo tamen trahendum est in exemplum: Nam Canones omnes repugnant: Non enim potest Deo accepta esse stulta & fallax promissio, qua quis rem non suam offert, sed quæ in alterius est potestate. Ideoque si vir sui corporis potestatem non habet, secundum Apostoli sententiam, sed mulier; Vigesimaquinta

& viciſſim mulier non habet ſui corporis liberam poteſtatem, ſed vir: non poteſt ergo vinculum coniugale, quod per ſuperuenientem carnis copulam, & per mutuam corporum traditionem conſummatum perfectumque eſt, niſi ſola corporis morte diſſolui: nec poteſt alter in alterius præiudicium continentiæ votum Deo nuncupare. Hinc rurſus Apoſtolus ad Romanos: Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, inquit, alligata eſt legi, (nempe connubij) ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Porrò ſi matrimonium contractum quidem ſit per mutuum conſenſum aliaq; omnia quæ ad huius ſacramenti perfectionem neceſſaria eſſe Tridentina ſynodus definiuit; nōdum autem acceſſit carnalis copula per quam vterque ſuum corpus in alterius transferat poteſtatem: manet adhuc libertas illa ad vota ſanctiora etiam inuito altero tranſeundi: quamquam ſecus opinatus ſit Eraſmus Roterodamus, qui prioris epiſtolæ ad Corinthios cap. ſeptimum enarrans, putat non debere ſponſum ſua ſponſa fraudari propter approbatæ religionis ingreſſum. At contrà ſacri Canones definiuerunt: quemadmodum videre licet cap. Verùm de conuer. coniugatorum, & cap. Ex publico, & 27. q. 2. ex Euſebio, & ex Nicolao, can. Scripſit. Vt omittamus exempla Macharij, Alexij, & aliorum quos legimus celebratis nuptiis ante matrimonij conſummationem caſtitatis voto ſeſe adſtrinxiſſe. Quod etiam de D. Ioanne Euangeliſta quidam ſenſerunt, quem aſſerunt è mediis nuptiis à Chriſto ad Apoſtolatus honorem euocatum atque euectum fuiſſe. Si verò poſt conſenſum commixtio & mutua corporum traditio fuerit conſecuta; tollitur iſta libertas, vt neuter ſine alterius voluntate religionem ingredi aut profiteri queat. Quemadmodum enim ſpiritalis illa & prior copula, quæ per mutuum conſenſum in ipſius ſacramenti ſuſceptione efficitur, per ſolum religionis ingreſſum, qui eſt velut mors quædam ſpiritalis, dirimitur: ita carnalis copula & corporum commixtio, ſola corporis morte diſſolui poteſt; niſi fortè ex mutuo conſenſu vterque coniunx religionem velit profiteri. Hinc rectè B. Auguſt. in pſal. 149. Si dicat vir, inquit, continere iam volo; Nolo autem, vxor: non poteſt. Quod enim tu vis, illa non vult. Numquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alij nupſerit te viuo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compenſari. Redde debitum, & ſi non exigis, redde. Pro ſanctificatione perfecta Deus tibi computabit, ſi non quod tibi debetur exigis, ſed reddis quod debes vxori. Rurſus epiſtola 199. ad Ediciam: Secundum verba Apoſtolica etiamſi vir continere voluiſſet, & tu noluiſſes, debitum tibi reddere cogeretur. Et epiſtola 43. Vna ſola cauſa eſſe poteſt, qua te ad id quod vouiſti, non modò non hortaremur, ſed etiam prohiberemus implere ſi fortè tua coniunx hoc tecum ſuſcipere animi vel carnis infirmitate recuſaret. Nam vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi: & ſi præproperè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quàm perſoluenda promiſſio. Non enim Deus exigit ſi quis ex alieno aliquid vouerit; ſed potius vſurpare vetat alienum. Hucuſque ex Auguſtino: qui alibi etiam hanc ſententiam, Apoſtoli Pauli auctoritate corroborat; nam is 1. Cor. 7. non vult coniuges ſeinuicem fraudare carnali debito, niſi ad tempus, vt vacent orationi, idque ex mutuo con-

Cap. 7.

33. q. 5. Can. Si dicat vir, & can. Secundum verba, & can. Vna ſola.

Lib. 1. de Adult. coniugiis cap. 2.

consensu: Et iterum reuertimini, inquit, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Accedit ad iam dicta Remensis concilij auctoritas, in quo decretum est, vt is qui vxorem suam velari permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur. Et S. Gregorius lib. 5. epistola 49. ad Vrbicum Abbatem: Quia Agatho præsentium lator in monasterio dilectionis tuæ cõuerti desiderat; hortamur vt cum omni eum dulcedine dilectioneque suscipias. Quem tamen ita suscipiendum esse cognosce, si & vxor ipsius similiter conuerti voluerit. Nam cùm vnum vtorumque corpus coniugij copulatione sit factum, incongruũ est partem conuerti, & partem in seculo remanere. Præterea Alexander tertius Exonensi Episcopo scribens de conuersione coniugatorum c. 4. Cùm sis, inquit, prædictus scientia litterarum, ignorare non debes sanctorum Patrum esse constitutioni contrarium, vt vir vxore sua, aut vxor viro eius non assumente religionis habitum, debeat religionem intrare. Ad monasterium conuerti desiderans, prohibetur suscipi, nisi vxor eius pariter conuertatur. Nam cùm vnum vtrorumque corpus coniugij copulatione sit factum, incongruum est partem conuerti, & partem in seculo remanere. Inde est quod auctoritate Apostolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo, virum vel vxorem, nisi vterque ad religionem migrauerit, transire permittas. Verùm si vxor ita senex est & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, vt ea in seculo remanente, & castitatem promittẽte ad religionem transeat vir eius. Nec refert, quòd Canones isti multò post Theonæ Abbatis & Cassiani tempora editi sunt, cùm matrimonium consummatum, ex sua condicione & natura, nõ autem ex Pontificia habeat auctoritate, quòd dissolui nequeat. Cuius vinculi tres potissimum causæ sunt: Primum enim sacramenti ratio impedit ne possit vllo modo dirimi: vnde Eugenius pontifex in synodo Florentina: Tertium bonum, inquit, est indiuisibilitas matrimonij, propter hoc quòd significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm vinculum legitimè contracti matrimonij perpetuum sit. Sic etiam Apostolus Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Eãdem rationem subinde vrget B. August. de bono coniugali cap. 7. lib. 5. contra Iulian. cap. 9 lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 10. & 21. Altera ratio sumitur ex lege quam Deus in paradiso primis hominibus præscripsit: & quam Christus apud Matthæum repetit & confirmat, cùm ait: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Ad hanc legem respexit Apostolus 1. Cor. 7. His, inquit, qui matrimonio iuncti sunt præcipio nõ ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Hanc quoque legem vrget B. August. in libris ad Pollentium de adulterinis coniugiis; & cap. 7. libri de bono coniugali, vbi hanc legem vocat diuinam regulam. Denique insolubile est coniugium ex ipsa lege naturæ: id quod illa Christi interrogatio videtur insinuare, quæ est apud Matthæum: Non legistis, inquit, quia qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos: ac si dicat,

33. quæst. 5.

Vide etiam ibidem cap. 8. Vxoratus, & cap. 13. Ad Apostolicã.

Genes. 2.

Cap. 19.

cat, ideo sic condidit Deus naturam in gemino illo sexu, vt ex ipsius naturæ constitutione intelligeretur non posse matrimonium vlla ratione dirimi aut dissolui. Hinc B. Hieron. enarrans hunc Matthæi locum, dicit Christum legem naturalem in testimonium adduxisse. Nisi enim ab ipsa lege naturæ, & ex primæua creatione vinculum istud humanæ naturæ insitum fuisset: sed tantùm ex constitutione aliqua posteriore obligaret, non stringeret igitur ethnicos & infideles: quod falsum est: Nam Innocentius cap. Gaudemus, titulo de diuortiis, ethnicis repudium esse illicitum, ipsosque cum prima vxore permanere debere, affirmat. Hinc apud Gentes & præsertim apud Romanos vitio vertebatur si quis coniugem repudiasset. Nam Spurio Carbilio qui quingentis vigintitribus annis ab Vrbe condita vxorem repudiauit, id vitio datum fuit, vti Aulus Gellius libri quarti cap. 3. auctor est, & Valerius Max. lib. 2. cap. 1. Huius enim Spurij exemplo complures alij Romani leuissimis de causis coniuges repudiabant: quemadmodum scribit Plu-
Cap. 9. tarchus in Romanis Problematis. Nec verisimile etiam est Iudæis vnquam licitum fuisse repudium; quemadmodum hic ad suæ voluntatis confirmationem & excusationem asserit Theonas; sed propter duritiam cordis ipsorum impunè tantummodo permissum erat, vt vxores dato libello repudiarent. Fuit autem hic error Scribarum & Pharisæorum, sicut apud Matthæum videre licet, quod repudium tempore legis licitum fuisse crederent: quod etiam senserunt Durandus, Petrus de Palude, Scotus in sententias Magistri scribentes & Alfonsus Thostatus Abulensis episc. Matthæum enarrans. Verùm cum hac sententia
Matth. 5. pugnat ipse Christus apud Matthæum. Dictum est, inquit, Quicũque
Deuter. 24. dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: Et qui dimissam duxerit, adulterat. Si adulterat qui dimissam duxerit, non est igitur ipsa dimissio sic licita, quasi per
Matth. 19. eam coniugium dissoluatur. Rursus apud eundem Matthæum tentantibus Dominum Pharisæis & percunctantibus, ánne liceret quacunque ex causa dimittere vxorem? respondet, Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Rursum interrogant: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere? Ait illis, Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Ac si diceret: Moyses quidem præcepit dari libellum ante dimissionem, in quo dimittendæ vxoris accusatio scriberetur: ipsam autem dimissionem & repudium non præcepit, quamquam non puniuerit propter duritiam vestram. Ab initio autem non fuit sic: quia alia fuit Dei voluntas, & aliud institutum in paradiso: id quod magis inuiolatum seruari conueniebat. Sed & ipsa lex
Cap. 24. Moysis quæ est in Deuteronomio, palam arguit ipsum Moysen adeò non præcepisse repudium, vt etiam fateatur eam quæ repudiata est non esse liberam aut solutam à lege viri, sed pollui si misceatur alteri. Si acceperit homo vxorem, inquit, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij,

pudij,& dabit in manu illius,& dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam dederitq; ei libellum repudij,& dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino. Et S. Ieremias cap. 3. Vulgò dicitur,inquit,Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: numquid reuertetur ad eum vltrà ? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa ? Si polluta, contaminata, & abominabilis est eiusmodi mulier, non erat igitur soluta à lege & vinculo prioris mariti,nec legitimæ erant secundæ nuptiæ quas dato repudij libello contraxerat. Hanc sententiam amplectuntur D. August. contra Faustum lib. 19. cap. 26. Chrysostomus in 5.& 19.Matth. capita: & D. Hieron. in c. 19. Matt. Minus momenti habent rationes aliæ quas adducit iste Theonas : Nam verba illa quibus Dominus patrem,matrem,vxorem, aut filios, aut agros relinquentibus centuplum promittit in hoc seculo, & in altero vitam æternam ; non ita sunt accipienda, inquit Chrysost. Hunc locum enarrans,vt per eas nuptiæ intelligantur diuellendæ aut dirimendæ; nisi forte cum vtriusque coniugis consensu. Et B. Augustinus: In iis quæ Dominus dimittenda mandauit,etiam vxor commemorata est,inquit,quam nullis humanis legibus licet vendere, Christi autem legibus nec dimittere excepta causa fornicationis. Quid sibi ergo volunt ista præcepta ? Non enim possunt inter se esse contraria ; nisi quia occurrit aliquando necessitatis articulus, vbi aut vxor dimittatur aut Christus : vt alia omittam , si ipsi vxori maritus displicuerit Christianus: eique proposuerit , aut à se diuortium , aut à Christo. Hic ille quid eligat,nisi Christum,& dimittat vxorem laudabiliter propter Christum ? Ambobus quippe Christianis Dominus præcepit, ne quisquam vxorem dimittat excepta causa fornicationis. Vbi autem quælibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur,vt si infidelis consentit habitare cum viro fideli , vir non dimittat vxorem. Similiter & vxor fidelis virum , si cum illo habitare consenserit. Quòd si infidelis,inquit,discedit,discedat: Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi: id est,si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem,ne ita se subiectum deputet seruituti , vt ipsam dimittat fidem , ne coniugem amittat infidelem. Hoc & de filiis atque parentibus , hoc de fratribus & sororibus intelligitur ; propter Christum omnes esse dimittendos cùm proponitur ista condicio,vt Christum dimittat, si illos secum esse desiderat.Hæc eo loco Augustinus. in quibus verbis dilucidè exponit, quomodo intelligi debeant illæ scripturæ, quibus admonemur vt parentes,fratres,cognatos,vxores, insuper & animã nostram odio prosequamur: vt ex hac expositione manifestũ euadat, quàm friuolũ & infirmum sit argumentum quod hinc sumit Abbas Theonas ad diuortij ac repudij sui excusationem . Non enim dixit Dominus apud Matthæum quòd quisquis dimiserit vxorem , patrem aut matrem, centuplum accipiet: sed qui hæc dimiserit,inquit, propter nomen meum,id est, propter nomen Christi aut Christiani : nempe cùm illa condicio proponitur,vt vel Christi nomen, vel illa sint deserenda. Ad eundem planè modũ,ineptum est & illud quod addit,se ad euadendã gehennæ pœnam

Matth. 19.

Epist.89.q.4.

1.Cor.7.

pœnam ad sanctiora vota transire debuisse: & rursum quod subdit, Si ego non possum te à morte abstrahere, nec tu me separabis à Christo. Videtur enim in hisce verbis damnare coniugij sacramentum, quod tamen Apostolus dicit magnum esse sacramentum, in Christo & ecclesia: & ad Hebræos scribens, Honorabile connubium, inquit, in omnibus, & torus immaculatus. Hinc rectè etiam B. Augustinus, Desinant isti, inquit, contra Scripturas loqui, & in suis exhortationibus ad maiora sic excitent, vt minora non damnent. Num enim & sanctam virginitatem aliter exhortando persuadere non possunt, nisi coniugalia vincula damnauerint, cùm docente Apostolo, Vnusquisque donum proprium habeat à Deo, alius sic, alius autem sic? &c. Non oportet igitur coniugatorum ordinem aut coniugij leges ab ipso Deo in paradiso institutas, & inditas homini, & à Christo rursum in noua lege laudatas ac sacramenti honore ditatas damnare: nec licet coniugale vinculum prætextu sanctioris voti dirimere, sicut fecit iste Theonas coniuge sua reclamante: quamquam id cum vtriusque consensu, & si vterque ad religionem probatam transire velit legitimè fieri queat. Quòd si quis obiiciat hunc Theonam totius collegij sui suffragio, omnibus aliis in Diaconiæ munere prælatum fuisse, atque adeò ab ipso Deo edendorum miraculorum dono fuisse exornatum: respondebimus in ipso zelum illum & studium perfectionis ac pudicitiæ remuneratum fuisse, non autem diuortium: quemadmodum 21. Annotatione diximus de iis qui mentiti aliquando fuerunt: Deum in illis numquam laudasse mendacium, sed bene pietatem illam ac studium iuuandi eos pro quibus mentiti fuisse leguntur. Videtur autem hic Theonas in seipso sensisse pudicitiæ donum, attendisseque quod non tam sua voluntate quàm parentum imperio coniugij leges suscepisset; sicut habet caput primum huius Collat. eoque confidentiùs dimissa coniuge ad monasterium peruolasse.

Ephes. 5. Hebr. 13. Epist. 89. q. 4.

Coll. 21. cap. 29.

Quadragesimæ lege is qui iustus est atque perfectus non tenetur: nec exigui huius canonis subiectione contentus est: quem profectò illis qui per totum annum deliciis vel negotiis secularibus implicantur ecclesiarum principes statuerunt, &c. Et post pauca: *Cæterum iusti, quibus lex non est posita, quique spiritalibus officiis non exiguam illam, id est, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt à decimarum legalium functione, idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coarctarit, audent stationem ieiunij absque vlla disceptatione laxare.*

Vigesimasexta.

Apostolus Paulus 1. Timoth. 1. cap. cùm dicit legem iusto non esse positam, sed iniustis & non subditis, impiis & peccatoribus; de lege veteri intelligendum est, quæ timorem habet coniunctum, coactionem, & pœnam. Nam paulò antè hortatus erat suum Timotheum, vt denunciaret quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, &c. Deinde addit: A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legisdoctores; non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia

quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. Q. d. lex illa vetus habuit suam vtilitatem in populo Dei, quem timore vrgebat, & erat illi veluti pædagogus quidam ad Christum: sed vt habet timorem coniunctum, & compellit atque cogit, non pertinet ad iustos & ad voluntarios: quales illi sunt qui per gratiam noui testamenti & per inhabitantem spiritumsanctum legem custodiunt: nam hos non opus est timore aut pœnis adigere ad legis obseruationem: quamquam alioqui etiam præceptum sit iustis, vt non occidant, non fornicentur, non furtum faciant. Lex verò pro lege veteri hoc loco accipitur, & in ea plenitudine, vt in se comprehendat omnia illa territamenta, comminationes, pœnas & onera quæ à Moyse veteri populo data erant. Hæc enim cessare debuit, quando per gratiam noui testamenti renati homines, non amplius timore aguntur, sed spontè ac libenter iustitiam colunt, & præcepta caritatis de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta custodiunt. Hanc esse huius loci sententiam manifestè indicat B. Augustinus concione decima super psalmum 118. exponens illum versiculum, Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Numquid talis erat ille, inquit, qui dicit, Legem pone mihi Domine, qualibus beatus Apostolus dicit positam legem? Absit: Si enim talis esset, non superius dixisset, Viam mandatorum tuorum cucurri. Quid ergo quod orat vt sibi lex à Domino ponatur, si non ponitur iusto? An eo modo non ponitur iusto quomodo posita est populo contumaci in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus, secundum vetus testamentum in monte Sina, in seruitutem generans: sed secundum nouum testamentum, de quo scriptum est per Ieremiam prophetam: Post illos dies, dicit Dominus, dabo leges meas in mentibus eorũ, & in cordibus eorum scribam eas. Ecce quomodo voluit iste legem poni sibi à Domino; non sicut iniustis & non subditis ad vetus testamentum pertinentibus: sed sicut sanctis, filiis liberæ, hoc est supernæ Ierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ sancto spiritu tamquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur: non quam memoria teneant & vita negligant. Hactenus Augustinus. Fallitur ergo Theonas dum putat Apostolum de omni lege locutum fuisse, ideoque viros iustos ac religiosos ad legem Ecclesiastici ieiunij non adstringi; sed posse illud propter honestam & sanctam aliquam necessitatem laxare & soluere. Omnis enim anima potestatibus sublimioribus subdita est; non esset autem subdita potestati superiori, nisi etiam legibus illius esset subiecta: Nec potest quisquam quantumuis iustus ac probus ab obligatione earum legum quæ toti Reipub. Christianæ præcipiuntur eximi; nisi lex ipsa aut legislator iusta de causa dispenset. Quòd si quis fortè contendat Apostolum Paulum de omni præceptione ac lege locutum fuisse, non tamen hinc efficiet iustos non teneri quadragesimalis ieiunij obseruatione, sicut vult Abbas Theonas: sed negat Apostolus iustos esse sub lege, quia nulla est lex quæ in illos habeat vim coactiuam, vt loquuntur, sicut habet in iniustos: atque ita iusto non est lex posita, quia ipsi sibi sunt lex, inquit Apostolus, dum ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Omnes itaque legi subiecti sunt iusti atque iniusti: sed hoc à se inuicem distant; quòd illi spontè ac libenter parent; hi autem inuiti co- Rom. 2.

guntur:

guntur: & eis lex omnis dura, acerba, & obseruatu difficilis est. Fuit autem hic error Theonæ Abbatis Begardis & Beguinis communis; qui dixerunt homines Christianos ad ecclesiastica ieiunia non teneri cùm ad perfectionis statum peruenerunt: qui error in Concilio Viennensi sub Clemente quinto condemnatus est.

Col. 21. cap. 30.

Sciendum sanè hanc obseruantiam quadragesimæ, quamdiu ecclesiæ illius primitiuæ perfectio inuiolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti huius necessitate, nec quasi legali sanctione constricti, arctissimis ieiuniorum terminis claudebantur, qui per totum anni spatium æquali ieiunio concludebantur.

Vigesimaseptima.

QVadragesimalis ieiunij obseruationem, esse Apostolicam sanctionem & traditionem, B. Hieron. in epistola ad Marcellam aduersus Montani errores, manifestè significat, in hæc verba: Nos vnam quadragesimam secundum Apostolorum traditionem tempore nobis congruo ieiunamus: illi tres in anno quadragesimas faciunt, quasi tres passi sint Saluatores. Cui adstipulatur Canon 69. inter canones Apostolorum, D. Clemens Rom. lib. 5. Apostolicarum Constitutionum cap. 12. D. Ignatius in epistol. ad Philipp. cap. 4. vbi quadragesimæ ieiunium, Dei & hominis imitationem appellat. Basilius Magnus oratione de ebriosis, & in vtroque de Ieiunio sermone. In quorum altero dicit Angelos tempore quadragesimæ per omnes Ecclesias ieiunantes describere: & minus esse periculi si miles abiecto clypeo ad inimicorum aciem & castra transeat, quàm si Christianus quispiam extra catalogum ieiunantium inueniatur. In eandem sententiam B. Ambros. serm. 2. non leue peccatum esse asserit indictam à Domino quadragesimam violare: quia qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. His assentiuntur Epiphanius, Leo, Hieronymus, Theophilus, Eusebius, Chrysost. & plures alij vetusti Patres: qui concordi sententia tradunt quòd ab exordio nascentis ecclesiæ fuerit Apostolica doctrina & constitutio, de hoc ieiunio suscipiendo: eo quòd memoriam contineat vitæ Christi & euangelicæ legislationis. Nam Dominus prædicaturus euangelium, ieiunauit prius quadraginta diebus & quadraginta noctibus: quod ieiunium quicumque nobis indictum esse negant, sicut faciunt Protestantes, ij nolunt etiam vitæ Christi memoriam habere: quemadmodum non vult memoriam passionis Christi habere, qui non vult sequi vestigia eius & compati, vt conglorificetur. Sicut enim passus est Christus vt & nos sequamur vestigia eius; ita quoque quadraginta diebus ieiunauit, vt nos illum imitaremur ieiunando, orando, abstinendo, & per omnia vestigiis illius insistendo. Nam hoc est ἐνεργῶς, id est, efficaciter & ipso effectu meminisse vitæ Christi, imitari illam, & pro naturæ nostræ modulo, vt quisque ferre potest, moribus & vita exprimere.

Coll.

Coll. 23. cap. 2.

Quid sit principaliter bonum; quod Apostolus non potuerit perficere cùm vellet, diligentiùs indagemus. Multa enim nouimus bona, quæ beatum Apostolum, omnésque illius meriti viros & habuisse per naturam, & acquisisse per gratiam negare non possumus.

BOnum bifariam dicitur, nempe officio siue secundum substantiam actus vt loquuntur Scholastici, & bonum veræ virtutis, quod sit æternæ vitæ meritorium. Illud potest ab hominibus fieri ex solis naturæ viribus: sicut permulti Philosophi, & apud Romanos atque Græcos celebres viri multa moraliter & officio tenus bona fecerunt: Mansit enim in hominibus post peccatum inclinatio quædam generalis ad virtutes, seu reliquiæ quædam virtutum, propter quas in parabola euangelica post ruinam suam homo semiuiuus relictus fuisse describitur: cuiusmodi reliquiæ sunt, Bonum esse amare Deum, Benefactoribus esse rependendam gratiam, Parentes esse colendos, Neminem iniuria afficiendum esse. Per has reliquias B. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte, Deum quotidiè etiam in peruersissimis hominibus loqui asserit: numquam enim illæ penitùs obliterantur aut extinguuntur; sed quamdiu natura ipsa perseuerat, tamdiu manet etiam aliqua ad bonum inclinatio, sicut ostendit August. lib. de spiritu & littera cap. 25. & 27. & lib. 2. de libero arb. cap. 10. Basil. in regulis fusiùs disputatis cap. 2. & 3. Cyrill. super illud Ioan. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. D. Thomas 1ª. 2ª. quæst. 63. artic. 1. & quæst. 85. art. 1. 2. & 3. Quorum sententiæ adstipulantur Neoterici, D. Turnhoutius, Ruardus, Latomus, Dominicus à Soto & complures alij. At veræ virtutis bonum, quod Deo nos gratos efficiat, & ad sempiternæ salutis adeptionem promerendam conferat, non est in viribus nostris positum, sed diuinitùs donari debet: quia Deus gratuita sua bonitate depressos nos sub onere peccati excitare, illuminare, & per Christum erigere debet. Nam ipse est qui, sicut ait Apostolus, operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Hinc bene confitetur S. Ieremias, Scio Domine, inquit, quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Et alibi: Sicut Æthiops non potest mutare pellem suam, sic nec vos potestis benefacere cùm sitis mali. Et ipse Dominus in euangelio: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Rursus alio loco: Sine me nihil potestis facere. Sic etiam Apostolus Paulus superbiam nostram increpans loquitur: Quid habes ô homo quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Non enim sumus sufficientes quicquam cogitare ex nobis tamquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Multa præterea huc adferri possent; sed remittimus lectorem ad vigesimam notationem, vbi diffusè hac de re disputauimus. Quòd ergo hoc loco dicit Theonas, Apostolum Paulum aliosque eiusdem meriti viros habuisse multa bona per naturam, & multa per gratiam acquisiuisse; si de illis bonis intelligatur quæ verè bona sunt, & quæ ipse paulo pòst numerat, vtpote de castitate, de misericordia, de temperantia, de iustitia; error est, & ad Pela-

[Margin notes: Vigesima octaua. — Philip. 2. — 10. cap. — Cap. 13.]

gianam hæresim accedit: si autem de naturæ donis quibusdam accipiatur, tolerari potest: quia non est dissimile vero, quod Apostolus habuerit quasdam propensiones ab ipsa natura, siue ad humanitatem, siue ad misericordiam, prudentiam & similes virtutes: cuiusmodi propensiones Deus ipse naturæ hominum alias atque alias indere consueuit.

Coll. 23. cap. 4.

Sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur; ita etiam iustitia nostra diuinæ collata iustitiæ, panno menstruatæ similis deputatur; dicente Isaia, Sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.

Vigesimanona. IOannes Sotteaux sacræ Theologiæ Licentiatus in præfatione Operum B. Prosperi, occasione eorum quæ in hoc quarto cap. 13. Collationis de iustitia hominum per quandam ταπείνωσιν siue extenuationem dicit Abbas Theonas pestilentissimum illum Martini Lutheri errorem, quo iustitiam nostram verius esse iniustitiam docebat, atque adeò neminem in hac vita iustum esse nisi externè, & per imputationem iustitiæ Christi, Cassiano impingit: Sed temerè & falsò: Non enim negat Theonas in nobis esse iustitiam, sed dicit illam comparatione excellentis iustitiæ quæ in Deo existit obfuscari, ita vt non videatur esse iustitia. Ad quem modum Psalmographus in psalmo 142. dicit, quòd non iustificabitur in cõspectu Dei omnis viuens: Hoc est, vti Euthymius, Hilarius, Arnobius, & Commentarius D. Hieronymo adscriptus exponunt; si hominis iustitia ad eximiam illam Dei iustitiam comparetur, & iuxtà illam exquiratur, non iustificabitur in conspectu illius, nec videbitur esse iustitia. Numquid enim iustificari potest homo compositus Deo? (inquit S. Iob in cap. 25.) aut apparere mundus, natus de muliere? Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius; quanto magis homo putredo & filius vermis? Et cap. 4. Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? Adeò sublimis igitur est Dei iustitia, vt omnis humana & angelorum iustitia cum ea comparata, iniustitia esse videatur. Sicut stellæ sunt quidem in se clarissimæ; àt si ad solem conferantur, aut coràm illo statuantur, nihil lucis habere videbuntur. Nàm D. Bernardus sermon. 5. de verbis Isaiæ etiam ad angelos extendit illud Prophetæ, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iusti sunt angeli, inquit, sed ex eo, non autem coram eo: & munere eius, non comparatione. Ipse enim sibi iustitia est, cuius voluntas tam æqua est, quàm ipsa æquitas: Angeli autem viuunt tantò verius, quantò propius assistunt ei apud quem est fons vitæ. Ideoque iustitia illorum ad Dei exactissimam iustitiam & regulam suam comparata, non videtur esse iustitia. Quod si ita est, multò minus ergo iustificari poterit homo in conspectu illius, vtpote cui ira, inquit Hilar. cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui obliuio, cui casus, cui necessitas, vel per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admixta sunt. Hinc fit vt iustitia quæ in nobis est, quamquam sit veri nominis iustitia, tamen propter occultas maculas, propter subrepentes superbiæ cogitationes & venialia delicta, quæ frequenter à nobis etiam cùm rectè operamur admittuntur, & quibus ipsa opera nostra bona venialiter saltem inquinantur: immúdâ quo-

quodammodo esse videatur, & veluti pannus menstruorum sordibus inquinatus. De hac disputatione plura videre est apud D. August. toto libro secundo de peccat. merit. & remis. D. Hieron. ad Ctesiphontem, & B. Greg. lib. 9. moral. cap. 1. & super psalmum 142. Porro Isaias propheta cuius auctoritatem ex cap. 64. hic adduxit Abbas Theonas, in illis verbis, Sicut pannus menstruatæ, &c. sustinet personam impiorum, quorum iustitiæ erant contaminatæ multis sordibus idololatriæ & similium scelerum: quia etsi Deum vnum colere viderentur, hanc iustitiam tamen frequenti idolorum cultu sæpenumero contaminabant. Quem locum Isaiæ aduersus nostri temporis hæreticos doctissime tractat B. August. de spiritu & littera cap. 36.

Coll. 18. cap. 16.

Licet hunc Nicolaum quidam asserant non illum fuisse qui ad opus ministerij ab Apostolis est electus; nihilominus tamen eum de illo discipulorum fuisse numero negare non possunt, quos omnes tales tamque perfectos in tempore illo fuisse manifestum est, quales nunc perpaucos vix in cœnobius inuenimus.

HAnc notationem trigesimam & postremam extra ordinem adiicimus, propter opinionem quorundam quæ hic refertur de Nicolaitis hæreticis quos opinati sunt nonnulli ab alio Nicolao accepisse nomen & appellationem, quàm sit Diaconus ille, vnus è septem qui in Actis Apostolorum ab Apostolis ad ministerium ecclesiasticum electi fuisse describuntur. Est enim hæc improbabilis opinatio, & receptæ apud omnes passim sententiæ contraria. Nam D. Ignatius ad Trallianos scribens, à Nicolao diacono Nicolaitas putat esse nuncupatos: Fugite immundissimos Nicolaitas, inquit, amatores libidinis; malos calumniatores. Nam talis fuit Apostolorum minister Nicolaus. Suffragatur huic sententiæ B. Irenæus lib. 1. contra hæres. cap. 27. Epiphanius hæresi 25. Augustinus hæresi 5. Hieron. ad Sabinum, & alij complures. Trigesima.

INDEX RERVM

MEMORABILIVM

QVÆ IN HISCE D. IOANNIS CASSIANI OPERIBVS CONTINENTVR.



Amans

Domi-

H

Humi-

L

Leporius

P

Patientia

Venia-

CATA-

CATALOGVS OMNIVM SACRÆ SCRIPTVRÆ SENtentiarum quæ in his D. Ioannis Cassiani operibus explicatæ sunt.

Genes. 1. cap.

FAciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Collat. 10. cap. 1. 2. & seq.

Genes. 3.

Serpens erat callidior cunctis animantibus. Coll. 8. cap. 10.

Ibidem.

Ipsa conteret caput tuum; Et tu insidiaberis calcaneo illius. Lib. 4. Inst. cap. 37. & Lib. 6. cap. 13.

Genes. 6.

Cùm vidissent filij Dei filias hominum eo quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores. Coll. 8. cap. 21.

Genes. 12.

Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Col. 3. c. 6.

Ibidem.

Et veni in terram quam monstrauero tibi. Coll. 3. cap. 10.

Genes. 15.

Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti vsq; ad fluuium magnum Euphraten, Cinæos, & Cenezeos, Cedmoneos, & Hethæos, &c. Coll. 5. cap. 22. & seq.

Genes. 32.

Luctabatur cum eo vsque mane: Et post pauca: Vidi Dominum facie ad faciem &c. Lib. 7. de Incarn. cap. 9.

Exod. 3.

Ego sum qui sum. Lib. 5. de Incarn. cap 8.

Exod. 7.

Constitui te Deum Pharaonis. Lib. 3. de Incar. cap. 2.

Exod. 20.

Non fornicaberis. Coll. 14. cap. 11.

Exod. 22.

Decimas tuas & primitias nõ tardabis offerre Domino Deo tuo. Coll. 21. cap. 25. & 26

Numer. 11.

Quis dabit nobis ad vescendum carnes Coll. 5. cap. 18.

Deuter. 6.

Ne postquam comederis & saturatus fueris, domos pulchras ædificaueris &c. obliuiscaris Domini Dei tui. Coll. 5. cap. 15.

Deuter 7.

Cùm introduxerit te Dominus in terram quã possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum & Gergezæum, &c. Coll. 5 cap. 6. 18. & 19

Ibidem.

Deus consumet has nationes in conspectu tuo paulatim atq; per partes. Non poteris eas delere pariter &c. Coll. 5. cap. 14.

Deus.

Deuter. 9.

Ne dicas in corde tuo, Propter iustitiam meam introduxit me Dominus,vt terram hanc possiderem. Coll.5.cap.15.

Deuter. 20.

Si quis est homo formidolosus & corde pauido, vadat & reuertatur in domũ suam,ne pauere faciat corda fratrũ suorum.Lib.7.Inst.c.15.

Deuter. 23.

Nõ abominaberis Ægyptiũ,quia incola fuisti in terra eius.Col.5.c.19.

Iudic. 3.

Hæ sunt gẽtes,quas Dominus dereliquit vt erudiret in eis Israëlem,& haberent consuetudinem cum hostibus prœliandi &c. Coll.4.c.6.

1. *Reg.*3.

Vocauit Dominus Samuelem dicens,Samuel Samuel &c. Col.2. c.14.

Iob 2.

Verumtamen animam illius serua. Coll.7.cap.12.

Psal. 4.

Irascimini & nolite peccare Lib.8.Instit.cap.7.

Psal. 14.

Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Coll.14.cap.17.

Psal. 15.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. Coll.12.cap.5.

Psal. 23.

Attollite portas principes vestras &c. Lib.7.Incar.cap.24.

Psal. 35.

Homines & iumenta saluabis Domine.Coll.8.cap.3.

Psal 45.

Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Coll.12.cap.12.

Psal. 61.

Vani filij hominum,mendaces filij hominum in stateris Coll.21.c.23.

Psal. 65.

Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium. Lib. 5.Instit. cap.2.

Psal. 69.

Deus in adiutorium meum intende. Coll.10.cap.10.

Psal. 73.

Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Coll.10. cap.11.

Psal 75.

Notus in Iudæa Deus,& in Israël magnum nomen eius.Coll.12.c.12.

Psal. 80.

Non erit in te Deus recens. Lib.5.Incarn cap.10.

Psal. 86.

Ego dixi dij estis. Lib.3 Incarn cap.2.

Psal. 87.

Mane oratio mea præueniet te. Coll.21.cap.26.

Psal 90.

Angelis suis Deus mandauit de te Coll.1 cap 20.

Psal. 100.

Psallam & intelligam in via immaculata. Coll.14 cap.9.

Psal. 101.

Cinerem tamquam panem manducabam. Coll.9.cap.29.

Psal. 103.

Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis Coll. 10. cap. 11.

Psal. 118.

Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini, Beati qui scrutantur testimonia eius. Coll. 14. cap. 16.

Ibidem.

Non me derelinquas vsquequaque Col. 4. cap. 6.

Ibidem.

Dormitauit anima mea præ tædio. Lib. 10. Instit. cap. 4.

Ibidem.

Bonum mihi quia humiliasti me. Coll. 4. cap. 6.

Ibidem.

Quia factus sum sicut vter in pruina. Lib. 1. Inst. cap. 12.

Ibidem.

A mandatis tuis intellexi. Coll. 14. cap. 9.

Ibidem.

Confige timore tuo carnes meas. Lib. 4. Instit. cap. 34. & 35.

Ibidem.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum. Coll. 3. cap. 15.

Ibidem.

Præueni in maturitate. Col. 21. cap. 26.

Ibidem.

Septies in die laudem dixi. Lib. 3. Inst. cap. 3. & 4.

Psal. 132.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Coll. 16. cap. 3.

Psal. 136.

Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Lib. 6. Inst. c. 13.

Psal. 140.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum Lib. 3. Instit. cap. 3.

Prouerb. 4.

Omni custodia serua cor tuum. Lib. 6. Inst. cap. 12. & 13.

Ibidem.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram. Lib. 11. Inst. cap. 4.

Prouerb. 16.

Vniuersa propter semetipsum creauit altissimus Coll. 11. cap. 6.

Ibidem.

Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Coll. 6. cap. 17.

Prouerb. 20.

Pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominum vtraque Collat. 21. cap. 23.

Prouerb. 24.

Erue eos qui ducuntur ad mortem. Coll. 2. cap. 13.

Prouerb. 25.

Sicut tinea vestiméto, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Lib. 9 Inst. c. 2. & 3.

Prouerb. 26.

Quando inimicus tuus submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius Coll. 5. cap. 25. & 26.

Pro-

Prouerb. 27.

Anima quæ in satietate est fauis illudit, &c. Coll. 14. cap. 13.

Prouerb. 29.

Totum spiritum suum profert stultus: Sapiens autem differt & reseruat in posterum. Coll. 16. cap. 27.

Prouerb. 30.

Lepusculus gens inualida, qui collocat in petra cubile suũ. Col. 10. c. 11.

Prouerb. 31.

Date vinum mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Coll. 14. cap. 17. *Ibidem.*

Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. Col. 14. cap. 8.

Eccl. 6.

Omnis labor hominis in ore ipsius Coll. 14. cap. 9.

Eccl. 10.

In pigritiis humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus. Coll. 6. c. 17. *Eccl.* 11.

Da partem his septem, necnon & octo. Lib. 3. Inst. cap. 9.

Cantic. 2.

Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Coll. 6. cap. 10. *Sap.* 4.

Senectus venerabilis est, non diuturna, &c. Coll. 2. cap. 13.

Eccl. 11.

Ne laudes hominem ante mortem Coll. 6. cap. 16.

Eccl. 25.

Quæ non congregasti in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua? Coll. 2. cap. 13. *Isa.* 2.

Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est ipse. Lib. 5. Incar. cap. 5.

Isa. 7.

Ecce Virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Lib. 2. Incarn. cap. 3.

Isa. 9.

Vocabitur nomen eius magni consilij nuncius, Deus, fortis, &c. Lib. 2. Incarn. cap. 3.

Isa. 11.

Replebit eum spiritus timoris Domini. Coll. 11. cap. 13.

Isa. 29.

Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino, &c. Coll. 9. cap. 5.

Isa. 42.

Arundinem quassatam non conteret. Coll. 2. cap. 13.

Isa. 45.

Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo Lib. 5. Inst. cap. 2.

Ibidem.

Ego Dominus creans pacem & faciens mala. Coll. 6 cap. 5. & 6.

Ibidem.

Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt. Et paulò post: Tantùm in te est Deus & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus. Lib. 4. Incar. c. 9. 11. 12. & 13.

Isa.

Isa.48.

Propter me longè faciam furorem meum, & laude mea infrenabo te ne intereas. Coll. 5. cap. 12.

Isa. 56.

Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierunt sabbatha mea, &c. dabo eis in domo mea & in muris meis locum, &c. Coll. 22. cap. 6.

Isa. 66.

Erit mensis ex mense & sabbathum ex sabbatho. Coll. 21. cap. 23.

Ierem. 4.

Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Coll. 4. cap. 19.

Ierem. 8.

Ecce ego mittam vobis serpentes regulos quibus non est incantatio. Coll. 18. cap. 17. sub initium & post medium capitis.

Ierem. 17.

Duplici contritione contere eos Domine. Coll. 7. cap. 21.

Ierem. 48.

Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Coll. 20. cap. 8.

Ierem. 51.

Curauimus Babylonem & non est curata. Coll. 7. cap. 31.

Baruch 3.

Hic est Deus noster, & non reputabitur alius: Post hæc in terris visus est, &c. Lib. 4. Incar. c. 9. *Ezech. 20.*

Dedi eis præcepta non bona & iustificationes, in quibus non viuent in eis Coll. 21. cap. 33. *Ozeæ 7.*

Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. Coll. 2. cap. 13.

Ioelis 1.

Expergiscimini qui estis ebrij, &c. Coll. 9. cap. 5.

Amos 3.

Si est malum in ciuitate quod non fecit Dominus. Coll. 6. cap. 5. & 6.

Michææ 7.

Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Col. 9. cap. 35.

Abacuc 2.

Væ qui potum dat amico suo, mittēs fel suū & inebrians. Col. 16. c. 18.

Malach. 3.

Si affiget homo Deum suum quia vos affigitis me? Lib. 2. Inc. cap. 3. & Lib. 7. cap. 4. *Matth. 3.*

Baptizatus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli & audita est vox de cælis dicens, Hic est filius, &c. Lib. 3. Incar. cap. 16.

Matth. 4.

Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant Col. 5. c. 6. & Col. 24. c. 17.

Matth. 5.

Beati pauperes spiritu, &c. Coll. 10. cap. 11.

Ibidem.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Col. 12. cap. 6.

Ibidem.

Si offers munus tuum ad altare, &c. Col. 16. c. 6. 15. & 16. Et lib. 8. Inst. cap. 12. 13. & 20. *Ibidem.*

Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Col. 16. cap. 20. & 22.

Matth.

Matth.6.

Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito Collat.9. cap.35.

Ibidem.

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, &c. Coll.9 c.18. & seq.

Ibidem.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ęrugo, &c. Col.1.c.22.

Ibidem.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Coll.2.cap.2.

Matth.8.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic vade, &c. Col.7.c.5.

Matth.10.

Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Lib. 4. Instit.cap.34.& 35.

Matth.11.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Col.24.c.26.

Ibidem.

Iugum meum suaue est, & onus leue Coll.24.cap.22.23.24.& 25.

Matth.13.

Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Coll.13. cap.2.& 3.

Matth.16.

Tu es Christus filius Dei viui. Et, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Et rursum: Portæ inferi non præualebunt, &c. Lib.3. Incarn.cap.12.13.& 14.

Matth.18.

Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, erue eum, &c. Coll.1.cap.20.

Matth.19.

Quod Deus coniunxit, homo non separet. Lib.5. Incarn. cap.13.

Ibidem.

Ecce nos reliquimus omnia, &c. Et, In regeneratione cùm sederit filius hominis, &c. Coll. 3. cap.10. & lib.5. Incarn.cap.7.

Ibidem.

Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Coll.24.cap.26.

Matth.25.

Simile est regnum cælorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, &c. Coll.22. cap.6.

Marci 2.

Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum eis est sponsus? Coll.21.cap.18.

Marci 10.

Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matrem, & filios, & agros cum persecutionibus, &c. Coll. 24.cap.26.

Lucæ 1.

Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Lib. 2. Incarn.cap.2.

Lucæ 10.

Martha satagebat circa frequens ministerium: Maria optimam partem elegit, &c. Coll.1. cap.8. & seq.

Luca 11.

Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Lib.6.Instit. cap.13.

Ibidem.

Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, &c. Coll.5.cap.25.& 26.

Luca 16.

Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis. Coll. 3.cap.10.

Luca 17.

Regnum Dei intra vos est. Coll.1.cap.13.

Ibidem.

Qui in tecto est non descendat, &c. Lib.7.Inst.cap.27.

Luca 21.

Cauete ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate. Coll.9. cap.5.

Luca 23.

Hodie mecum eris in paradiso Coll.1. cap.14.

Ioan. 3.

Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Lib.4.Incarn.cap.6. & lib.6.cap.22.

Ioan. 6.

Est puer vnus hic qui habet septem panes hordeaceos & duos pisces. Lib.6. Incarn.cap.2.

Ioan. 8.

Mendax est & pater eius. Coll.8.cap.25.

Ibidem.

Antequam Abraham fieret ego sum Lib.5.Incar.cap.8.

Ioan. 11.

Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui Lib.5.Incarn. cap.11.

Ioan. 12.

Si quis mihi ministrat, me sequatur Coll.1.cap.14.

Ioan. 20.

Dominus meus & Deus meus Lib.3.Incar.cap.15.

Actor. 1.

Cœpit Iesus facere & docere vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit assumtus est. Lib.7.Incar.cap.23.

Actor. 10.

Vidit Petrus cælum apertum & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, &c. Lib. 3.Inst.cap.3.

Actor. 20.

Beatius est magis dare quàm accipere. Lib.10. Instit.cap.19.

Roman. 6.

Vt destruatur corpus peccati Coll.23.cap.16.& Coll.12.cap.1.& 2.

Ibidem.

Peccatum vobis non dominabitur, &c. Coll.21.cap.30.31.& seq.

Roman. 7.

Scimus quoniam lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato Coll.23. cap.12.

Ibidem.

Ibidem.

Scio enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Coll. 23. cap. 13.

Ibidem.

Non enim quod volo bonũ hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Coll. 22. cap. 14. & per totam 23. Collat. ac præsertim 14. & 15. cap.

Ibidem.

Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, &c. Coll. 23. cap. 11. & 15.

Rom. 8.

Deus mittens filium suum in similitudine carnis peccati Coll. 5. cap. 6. & Coll. 22. cap. 11.

Rom. 9.

Optabam ego ipse anathema à Christo pro fratribus meis. Coll. 9. cap. 18. & Coll. 23. cap. 6.

Ibidem.

Verbum consummans & abbreuians in æquitate. Lib. 6. Incar. cap. 3.

Rom. 12.

Habentes donationes secundum gratiam differentes, &c. Coll. 14. cap. 5. 6. & 7.

Ibidem.

Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Coll. 16. cap. 27.

Rom. 13.

Carnis curam ne feceritis in desideriis. Lib. 5. Inst. cap. 8.

1. Cor. 1.

Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Lib. 3. Inc. cap. 8. 9. & 10. Et lib. 6. cap. 12.

1. Cor. 2.

Loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Lib. 3. Inc. cap. 10.

1. Cor. 4.

Nihil mihi conscius sum, &c. Coll. 22. cap. 7.

1. Cor. 9.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Lib. 6. Instit. cap. 7. & 8.

Ibidem.

Ego igitur sic curro, &c. Lib. 5. Inst. cap. 17. & 18.

1. Cor. 10.

Tentatio vos non apprehendit nisi humana Lib. 5. Instit. cap. 16.

1. Cor. 11.

Non diiudicans corpus Domini: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, &c. Coll. 22. cap. 5.

1. Cor. 13.

Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, &c. Col. 3. c. 7.

Ibidem.

Caritas non æmulatur, non agit perperam, &c. Coll. 1. cap. 6.

Ibidem.

Caritas numquam excidet Coll. 1. cap. 11.

1. Cor. 14.

Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, &c. Coll. 14. c. 8.

1. Cor. 15.

Cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem. Coll. 8. cap. 14.

2.Cor.5.

Si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Coll. 10. cap. 6. Et Lib. 3. Incar. cap. 3. 5. & 6.

2.Cor. 6.

Per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris Coll. 6. cap. 9. & 10.

Galat. 4.

Misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Lib. 6. Incarn. cap. 8. Coll. 5. cap. 6. Et Coll. 22. cap. 11.

Galat. 5.

Vos in libertatem vocati estis fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis Coll. 21. cap. 34.

Ibidem.

Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Coll. 4. cap. 7. 8. & seq.

Galat. 6.

Per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Lib. 4. Inst. c. 34. & 35.

Ephes. 4.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Lib. 8. Inst. cap. 8. 9. & 10.

Ephes. 5.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. Lib. 5. Incar. cap. 13.

Ephes. 6.

In omnibus sumentes scutum fidei, &c. Coll. 7. cap. 5.

Philip. 3.

Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ priora sunt meipsum extendens. Coll. 20. cap. 8.

Ibidem.

Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis. Coll. 1. c. 5.

Coloss. 1.

Gratias agentes Deo & patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit, &c. Lib. 5. Incarn. cap. 7.

Coloss. 2.

In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, &c. Lib. 5. Incarn.. cap. 16.

Coloss. 3.

Mortificate membra vestra quæ sunt super terrã, &c. Coll. 12. c. 1. & 2.

Ibidem.

Auaritia quæ est idolorum seruitus Coll. 12. cap. 2. Et lib. 7. Inst. cap. 7.

1. Thessal. 4.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, &c. Lib. 6. Institit. cap. 15.

Ibidem.

De caritate autem fraternitatis non habemus necesse scribere vobis, &c. vsque ad illa verba, Nolumus vos ignorare de dormientibus. Lib. 10. Inst. cap. 7.

1. Thessal. 5.

Sine intermissione orate. Coll. 9. cap. 3. 6. & seq. Et Coll. 10. c. 7. & 14.

2. Thessal. 3.

Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, &c. Lib. 10. Inst. cap. 7. & seq. vsque ad 17.

1. Ti-

1.Timoth.1.

Lex iusto non est posita. Coll.21.cap.3.4.& 5.

1.Timoth.2.

Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Coll.9.cap.9.& seq.

Ibidem.

In omni loco leuantes puras manus.Coll.9.cap.3.6.& seq.Et Coll.10. cap.7.& 14.

1.Timoth.3.

Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatũ est in carne, iustificatum est in spiritu, &c. Lib.5.Incarn. cap.14. & lib.7. cap.17. & 18.

1.Timoth.4.

Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia. Coll.1. cap.10.

1.Timoth.6.

Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Lib.1.Inst. cap.3.

Ad Titum 2.

Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, &c. Lib.2.Incarn.cap.4.

Hebr. 4.

Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato Coll.5. cap.5. Et Coll.22. cap.10.

Hebr. 7.

Sine patre, sine matre, sine genealogia. Lib.7.Incar.cap.14.& 15.

Hebr. 9.

Sine sanguinis effusione non fit remissio. Coll.20.cap.8.

Hebr. 12.

Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam Lib.6.Inst.cap.16.

Hebr. 13.

Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula Lib.6.Incar.cap.19.

Iacobi 4.

Deus superbis resistit. Lib.12.Instit.cap.7.

1.Ioan.1.

Quod fuit à principio, quod vidimus oculis nostris, quod audiuimus, &c. Lib.5.Incar.cap.6.

1.Ioan.3.

Qui odit fratrem suum, homicida est. Lib.8.Instit.cap.19.

1.Ioan.4.

Omnis qui soluit Iesum, ex Deo non est. Lib.5.Incarn.cap.12.

1.Ioan.5.

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Collat. 11. cap.10.

Apocal.3.

Scio opera tua, quia neque calidus es, neque frigidus, &c. Col.4.cap.19.

REGVLA SANCTORVM PATRVM SERAPIONIS ET MACHARII PAFNVTII ET ALTERIVS Macharij, ex antiquissimo Affliginiensis monasterij codice desumtæ.



EDENTIBVS nobis in vnum consilium saluberrimum comperti Dominum rogauimus, vt nobis tribueret Spiritum sanctum, qui nos instrueret qualiter fratrum conuersationem vel regulam vitæ ordinare possemus. Serapion. Quoniam misericordia Domini plena est terra, & multorum agmina ad vitæ fastigium tendent: & quia eremi vastitas & diuersorum monstrorum terror sigillatim habitare fratres non patitur, optimumq; videtur spiritus sancti præceptis obedite: nec propria verba possunt firma perseuerare, nisi firmitas scripturarum nostrum ordinem firmet, quæ dicit; Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et iterum: Qui habitare facit vnanimes in domo: firmam iam nunc regulam pietatis per spiritus sancti ostensionem, & præclaram fratrum regulam ordinare prosequamur. Volumus ergo fratres vnanimes in domo cum iucunditate habitare: sed qualiter vnanimitas ipsa vel iucunditas recto ordine teneatur, Deo iuuante mandamus. Volumus ergo vnum esse super omnes, nec ab eius imperio quicquam sinistrum declinare: sed sicut imperio Domini cum omni lætitia obedire, dicente Apostolo ad Hebræos: Obedite prępositis vestris quia ipsi vigilant pro vobis. Et Dominus dixit: Nolo sacrificium, sed obedientiam. Considerandum est ab his qui se tali opere vnanimes esse cupiunt, quia per obedientiam Abraham placuit Deo, & amicus Dei appellatus est. Per obedientiam ipsi Apostoli meruerunt testes Domini in tribubus & populis esse. Ipse quoque Dominus nuper de supernis ad inferiora descendens ait: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit. His ergo tantis virtutibus firmata obedientia, magnopere magnoque studio teneatur. Macharius: Quoniam fratrum per insignia virtutum habitationes vel obedientia superius conscripta præuenerunt; nunc qualiter spiritale exercitium ab his qui præsunt teneatur, Deo adiuuante, ostendemus. Debet is qui præest talem se exhibere, vt Apostolus ait: Estote forma credentibus: hoc est, fratrum animos ad cælestia de terrenis erigere, dicente Apostolo: Argue, obsecra, increpa cum omni lenitate & mansuetudine. Et alio loco inquit, Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Discernendum est ab illo, qui præest qualiter circa singulos debeat pietatis affectum monstrare, æqualitas enim ab eo teneri debet, non immemor Domini dicentis: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Adstantibus ergo ad orationem, nullus prę-sumat sine præcepto eius qui præest psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, vt nullus priorem in monasterio ad standum vel psallendum præsumat præcedere, dicente Salomone: Fili, primatum concupiscere noli;

noli; neque accubueris prior in conuiuio; ne veniat melior te, & dicatur tibi, surge, & confusionem patiaris. Et iterum dicitur: Noli altum sapere, sed time. Quod si tardat is qui præest, oportet primum in notitiam eius differri, & secundum eius imperium obedire conuenit.

Qualiter verò examinatio erga eos qui de seculo conuertuntur teneri debeat, ostendimus. Amputandæ sunt primum ab huiuscemodi diuitiæ seculi. Quod si aliquis pauper conuerti videatur, habet & ipse diuitias quas spiritus sanctus per Salomonem ostendit: Odit anima mea pauperem superbum. Et alio loco: Sicut vulneratum superbum. Debet ergo is qui præest magno studio hanc regulam tenere, vt si pauper conuertitur, primum exponat sarcinam superbiæ, & sic examinatus suscipiatur. Debet ante omnia humilitate imbui, vt (quod magnum est, & Deo sacrificium acceptum) suam voluntatem non faciat, sed ad omnia paratus sit: Quicquid acciderit; memor esse debet, In tribulatione patientes. Is qui talis est, cùm de seculi latebris liberari voluerit, primum adpropians monasterio, hebdomada pro foribus iaceat, nullus cum eo de fratribus iungatur, semper dura & laboriosa ei proponantur. Si verò perseuerauerit pulsans, petenti non denegetur ingressus. Sed is qui præest huiuscemodi hominem instruere debet, qualiter vitam fratrum vel regulam tenere possit. Quod si diues est habens multas diuitias in seculo, & conuerti voluerit: debet primum Dei voluntatem implere & consequi præceptum illud præcipuum quod adolescenti diuiti dicitur: Vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & sequere me. Deinde instruendus est ab isto qui præesse videtur, vt nihil sibi relinquat nisi crucem, quam teneat, & sequatur Dominum. Crucis verò fastigia quæ tenenda sunt, primum omnium obedientia est, non suam voluntatem facere, sed alterius. Quod si voluerit monasterio partem conferre, nouerit quo ordine siue ipse, siue eius oblatio suscipiatur. Si autem voluerit de seruis suis secum habere, nouerit iam non eum seruum, sed fratrem; vt in omnibus perfectus inueniatur.

Qualiter peregrini hospites suscipiantur.

VEnientibus eis nullus nisi vnus cui cura fuerit iniuncta occurrat, vt responsum det venienti. Non licebit ei orare, nec pacem ei offerre, nisi primum videatur ab eo qui præest. Et oratione simul peracta sequantur ordinem suum, pacis officium reddere. Non licebit alicui cum superueniente sermocinari nisi soli qui præest, & quoscumque voluerit. Venientibus verò ad refectionem, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare: nisi cum eo qui præest, vt possit ædificari. Nulli licebit loqui, nec alicuius audiatur sermo, nisi diuinus qui ex pagina profertur, & eius qui præest, vel quibus ipse iusserit loqui, vt aliquid de Deo conueniat. Magna & vtilia ad animæ salutem dicta sint omnia. Nec hoc tacendum, qualiter ieiuniorum ordo tenendus sit. Nec aliud firmum testimonium conuenit, nisi in eo quod dicitur: Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Debet ergo iste ordo teneri, vt nullo die in monasterio, nisi nona reficiatur: excepta Dominica die. Die autem Dominica non nisi Deo vacetur: nulla operatio in eo die comperiatur, nisi tantum hymnis, &

psalmis, & canticis spiritalibus transigatur. Qualiter debent fratres operari præcipimus. Debet ergo iste ordo teneri. A prima hora vsque ad tertiam Deo vacetur: à tertia verò vsque ad nonam quicquid iniungitur sine aliqua murmuratione suscipiatur. Meminisse debent hi quibus iniungitur, dictum Apostoli, Omnia quæ facitis, sine murmuratione facite. Timere debent illud dictum terribile, Nolite murmurare, sicut quidam eorum murmurauerunt, & ab exterminatore perierunt. Debet etiam qui præest opus quod faciendum est, vni iniungere: vt cæteri eius præcepto cui iniunctum fuerit obediant.

Qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo qui præest cognoscenda sit.

SI qui ex fratribus per ieiunia, vel opera manuum quæ Apostolus præcepit, Operantes manibus nostris ne quem vestrum grauaremus; is qui talis est fuerit infirmitate obsessus: prouidendum est ab eo qui præest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si infirmus est animo huiuscemodi frater, oportet eum frequentius operari, considerans Apostolum, qualiter corpus suum redegit. Hoc autem obseruandum est, vt in nullo voluntatem suam faciat.

Qualiter officiis mutuis se præueniant.

SI fratrum congregatio multa est, debet is qui præest hebdomadarum ordinem constituere, qui sibi inuicem suppeditent in ministrando.

Qualis debeat esse qui cellarium fratrum continere debeat.

TAlis eligi debet, qui in omnibus gulæ suggestionibus dominatur: qui timet Iudæ sententiã, qui ab initio fur fuit. Studere debet, qui huic officio deputatur, vt audeat, Qui bene ministrauerit, bonum gradum acquirit. Nosse etiam debent fratres, quia quicquid in monasterio tractatur, siue in vasis, siue in ferramentis, vel cætera omnia esse sanctificata. Si quis negligenter aliquid tractauerit, partem se habere nouerit cum illo rege qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, & qualem meruit vindictam. Custodienda sunt ista præcepta & per singulos dies in aures fratrum recensenda. Quoniam veritas protestatur quæ dicit, In ore duorum vel trium stabit omne verbum. Firmamus ergo regulam pietatis. Nec tacendum est, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio monasterio sine voluntate eius qui præest fratrem suscipere, nec non solum recipere; sed nec videre oportet, dicente Apostolo, Quia qui primam fidem irritam facit, est infideli deterior. Quod si precatus fuerit eum qui præest, vt in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo qui præest vbi esse desiderat: & suscipiatur, vt quantos fratres in monasterio inuenerit, tantos se nouerit habere priores. Nec attendendum est, quod fuit, sed probandum est qualis esse cœperit. Susceptus verò, si habere videtur aliquid, siue in rebus, siue codicibus; vltra eum possidere non licebit, vt possit esse perfectus, quod alibi non potuit. Residentibus verò fratribus, si fuerit aliqua de scripturis collatio, & fuerit is talis situs, non ei liceat loqui, nisi præceptum ei fuerit ab eo qui præest.

Qua-

CVm omni reuerentia, vt ministri altaris. Non licebit nisi ipsis orationem complere. Siue ostiarius sit, minister est templi Dei. Quod si aliquo casu lapsus est, & in eo quod dicitur probatus crimine, non liceat ante eum qui præest vel secundum complere. Nulli permittatur clerico in monasterio habitare, nisi eis tantum quos lapsus peccati ad humilitatem deduxit: & est vulneratus, vt in monasterio humilitatis medicina sanetur. Hæc vobis tenenda sufficiant, custodienda conueniant, & eritis irreprehensibiles.

Epistola B. Macharij data ad Monachos.

LIgnorum copia ingentem excitat flammam; multitudo autem escarum, emittit concupiscentiam. Pessima concupiscentia escarum, & inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigilantiam præstat, & coronam animæ acquirit; repletus autem, somnum inducit grauissimum. Oculus gulosi conuiuia scrutatur, oculus autem sapientium meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam quæ bellum significat, & gulosus si abstinentiam prædicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cùm marcescit, eluceścit iterum si acceperit lignum: & libido sopita rursum crescit in saturitate. Non miserearis corpori si lassitudine defecerit. Equus consentiens indigens corpus; nec ascensorem deiicit vnquam. Concupiscentia gulæ, mater est libidinis. Oleum nutrit lampas lucernæ, & ignem reaccendit confabulatio mulieris. Facies mulieris, sagitta est truculenta, infigit vulnus in animam. Vt venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris. Absconsum namque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis appropinqua igni ardenti, quàm mulieri nouellæ. Cùm sis iuuenis fuge impetum libidinis, & confabulationem mulieris. Qui repleuerunt ventrem, & promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis peius quàm procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriuerit, etiam ipsam mentem contemnere persuadet. Vt enim si paleis remoretur ignis, excitat flammam; sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Vt enim cumulata nauis vndarum ictu obruitur; sic multa possidens monachus nō saluabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis: nihil possidēs monachus cursor leuis velociter ad brauium vocationis peruenit. Auarus monachus operari negligit: nihil possidēs monachus post opus moderatū orationib. & lectionibus vacat. Auarus monachus thesaurizat sibi irā in die vltionis: nihil possidēs monachus thesaurizat in cælo, & dabit laudē cum angelis Deo. Gloriatio monachi, patiētia in tribulationibus eius. Gloriatio monachi, longanimitas cū caritate. Gloriatio monachi nullas res præsentis vitæ possidere. Gloriatio monachi, vigiliæ & fletus in orationibus. Gloriatio monachi, mãsuetudo & cordis silentium. Gloriatio monachi, quando Dominū ex toto corde dilexerit, & proximū suum tāquam se ipsum. Gloriatio monachi, abstinētia escarum, & à multiloquio linguæ. Gloriatio monachi, quando proximum suum sicut seipsum patitur. Gloriatio monachi, quando verba eius, operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, & huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi longanimitas, sicut

sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians, sic monachus mente sobria & corde peruigili, in tempore salutis suæ. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinæ & tribuli agro opimo, sic & cogitationes turpes pessimæ in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic detractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne fias separatus à regno Dei. Et ne velis dicere, loquar cum muliere, & mundus sum. Monachus sapiens, suis manibus operatur, & victum sibi quotidianum acquirit, & lucratus est orationes & ieiunia sua. Si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat & vigilat? Sicut mercenarius malus nudus euadit, quia scriptum est: Melius est dare quàm accipere. Qui legis, intellige in Domino semper.

COLLATIO SANCTORVM ABBATVM SVB GLORIOSISSIMO PRINCIPE BLODOVVICO IN DOMO AQVIS PALATII.

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, DCCC XVII *Imperij verò gloriosissimi Principis Blodouuici tertio anno,* VI *Idus Iulij, cùm in domo Aquis palatij, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quamplurimis residerent monachis; hæc quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari voluntate inuiolabiliter obseruari decreuerunt.*

Vt si quis negligenter sonitum fecerit, vel aliud quid excesserit, in refectorio, mox à Priore veniam petat.

Vt nullus plebeius vt clericus secularis in monasterio recipiatur ad habitandum, nisi voluerit fieri monachus.

Vt nemini liceat sermonem iuramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui.

Vt Abbatibus liceat cellas habere, in quibus monachi sint aut canonici: & Abbas præuideat ne minus duobus monachis ibi habitare permittat.

Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.

Vt in præcipuis sollemnitatibus bis reficiantur; id est, in natali Domini, in octauis Domini, in Epiphania, in pascha quoque, & ascensione Domini, in pentecoste, & sanctorum Festiuitatibus, id est sancti Stephani, Beati Ioannis euangelistæ, & in natali Innocentum, in festis sanctæ Mariæ, similiter Apostolorum, in sancti Ioannis Baptistæ, in sancti Laurentij, in sancti Martini, seu in natali cuiuslibet sancti cuius honor in qualicumque parochia specialiter celebratur.

Vt in parasceue non aliud nisi panis & aqua sumatur.

Vt benedictio post completorium à sacerdote dicatur.

Vt de omnibus in eleemosynam datis tam Ecclesiæ quàm fratribus, decimæ pauperibus dentur.

Vt opus balneorum in arbitrio Prioris consistat.

Vt in octauis paschæ radantur.

Vt prætermissis partitionibus psalterij, Psalmi speciales pro eleemosynariis & defunctis cantentur.

Vt in hebdomada pentecostes non flectantur genua & non ieiunetur, nisi statuti fuerint dies ieiunij.
Vt Laici in refectorium causa manducandi vel bibendi non ducantur.
Vt quotiens necessitas exposcit, vestimenta & calciamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.
Vt monachis professione facta tribus diebus cuculla velentur capita.
Vt puerum pater & mater altari tempore oblationis offerant; & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam & tempore intelligibili ipse puer confirmet.
Vt qui præponuntur Nonni vocentur.
Vt senior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.
Vt præpositus, decanus, cellarius, portarius, de suo ministerio non nisi causa vtilitatis aut necessitatis remoueantur.
Vt infantes oblati, carnem nisi causa infirmitatis non manducent.
Vt libra panis xxx. solidis per xij. denarios ponderetur.
Vt mensura cucullæ duobus consistat cubitis.
Vt dormitorium iuxta oratorium constituatur, vbi superuenientes monachi dormiant.
Vt Canonici Abbates secum & monachos in itinere nisi ad generale placitum ducant.
Vt duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.
Vt monachi cappas dissutas præter villosas habeant.
Vt Abbas præpositus vel decanus quamuis presbyteri non sint, lectoribus benedictiones tribuant.
Vt docti fratres eligantur, qui cum hospitibus loquantur.
Vt de furto incerto, excommunicatio à sanguine & corpore Christi non fiat, quousque culpabilis confiteatur.
Vt si frater aduersus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.
Vt psalmus Inuitatorius, & Gloria pro defunctis non cantetur.
Vt à lectore stando benedictio postuletur.
Vt eulogiæ fratribus à presbyteris in refectorio dentur.
Vt baculi à monachis pro necessitate ferantur.
Vt ad capitulum primitus Martyrologium legatur; & dicatur versus: deinde regula aut homilia quælibet legatur.
Vt quando fratres ieiunant, post sextam dormiant in æstate.
Vt datam à Priore saponis & vncturæ mensuram, & reliqua quæ sibi sunt necessaria ad suos habeant lectos.
Vt lectio ad capitulum tradatur: similiter ad collationem si tempus fuerit opportunum.
Vt qui noxa tenentur pro culpa die Dominica remissius habeant, & veniam non petant.
Vt pro Abbate defuncto anniuersarium fiat officium.
Vt ad Missam, Sanctus, Sanctus, Sanctus, stantes; & post hæc Pater noster, & alias orationes genua flectentes dicant tempore opportuno.
Vt volatilia in natiuitate Domini & pascha tantum octo diebus, si fuerit vnde aut qui voluerit, comedant.

Anno

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCC XIX. *Imperij verò gloriosissimi Principis Blodouuici tertio* 10. *Kalendas Septembris, cum in domo Aquis palatij quæ Lateranis dicitur, Abbates complures vnà cum suis resedissent monachis; hæc quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari regula decreuerunt.*

VT Abbates cùm ad sua remearint, regulam discutientes pleniter legant, & intelligant: & Domino opitulante efficaciter cum monachis suis implere studeant.

Vt monachi omnes qui possunt, memoriter regulam discant.

Vt officium iuxta quod in regula S. Benedicti continetur, celebrent.

Vt in coquina, in pistrino, & in cæteris artium officinis, propriis manibus operentur.

Vt nullo vnquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

Vt non in xl. nisi in sabbatho sancto: in alio tamen tempore semel per quindecim dies radantur.

Vt poma & lactucas, nisi quando alius cibus sumitur, non comedant.

Vt certum phlebotomiæ tempus non obseruent; sed vnicuique secundum quod necessitas exposcit concedatur: & specialiter in cibo.

Vt quãdo ieiunant monachi, officiũ mortuorũ celebretur prius quàm collatio ante cõpletorium legatur; sicque ante collationem bibant.

Vt cùm à quocumque Priore suo increpatus quis eorum fuerit; Mea culpa, primò dicat: deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat; & tunc iubente Priore surgat, & vnde interrogatus fuerit rationem humiliter reddat.

Vt soli videlicet, & sine alio fratre in via non dirigantur.

Vt sibi compatres commatresq; non faciant, & nullam vnquam mulierem osculentur.

Vt nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellẽtur.

Vt si necessitas fuerit eos occupari in frugibus colligendis, constitutum legendi meridie & pausandi tempus prætermittatur, & operantes non murmurent.

Vt quarta & sexta feria ieiunantes, ante nonam aut post nonam si necessitas fuerit, iuxta Prioris arbitrium leuia opera exerceant.

Vt in quadragesima libris de bibliotheca secundum Prioris dispositionem acceptis, alios nisi Prior decreuerit non accipiant.

Vt eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

Vt si infrà positæ mensæ decreuerit Abbas causa necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino prouideat, vt camisias duas, tunicam vnam, & cucullas duas, & cappam vnam; & pedales quatuor, pelliceas vsque ad talos duas, fasciolas duas: quibus autem necesse est itineris causa alias duas manicas, quas vulgò vuantas appellant in æstate, in hieme verò muflas, calciamẽta diurna paria ij, subtalares per noctem in æstate duos, in hieme soccos, saponem sufficienter, & vncturam & pinguedinem ad esum excepta sexta feria, & viginti diebus ante natiuitatem Domini, & septimana in quinquagesima, & quæcumque præter hæc regula iubet singuli eorum cùm necessitas postulauerit, absque dilatione suscipiant.

Vt in

Vt in quadragesima sibi, aut in alio tempore, vicissim pedes lauent: & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna verò Domini, pedes fratrum lauet Abbas, & osculetur: & demum manu propria poculum eis porrigat.

Vt mandatum si tempus cœnæ est tam fratrum, quàm etiam peregrinorum post cœnam fiat.

Vt ea quam monachi sui habent mensura, sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, quando in aliis non fuerint vtilitatibus occupati.

Vt villas frequenter & nisi necessitas coëgerit non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant: & si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox monasteria redeant.

Vt Abbas, vel quispiam fratrum ad portam monasterij cum hospitibus non reficiantur; in refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi exhibeat: ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit quam reliqui fratres accipiunt: si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus cibi aliquid augere, in sua maneat potestate.

Vt seruitores non ad vnam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur: quibus eadem lectió quæ fratribus recitata est recitetur.

Vt lectoribus nihil nisi quod regula iubet detur.

Vt Alleluia in Septuagesima dimittatur.

Vt præpositus intra & extra monasterium post Abbatem maiorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.

Vt monachis, nisi monachus sit, non constituatur præpositus.

Vt seniorum monasterium circumeuntium quidam cum fratribus in obedientiam exeant: quidam in monasterio propter custodiam remaneant.


Vt nouitio non facilis monasterij tribuatur ingressus: & vt in cella hospitum probationis causa hospitibus seruiat. Res verò si quas habet parentibus committat. expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciat: ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiã promittat.

Vt quando fratres post sextam dormiunt, qui eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lectis suis legant.

Vt in quadragesima vsq; ad nonam operentur fratres, quatenus Missa celebrata, congruo tempore reficiantur.

F I N I S.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS,
ANNO M. D. LXXVIII.



Cassianus D. Joannes eremita

Monasticarum Institutionum libri IV
De Capitalibus vitiis libri VIII
Collationes SS. Patrum XXIV libri
Tomus primus.

Antverpiae
Ex officina Christophori Plantini Architypographi Regij.
1578.
16° 606 str.
A-A5 – p-p5

Opr. perg.

Uwaga: dwa tomy oprawione razem.

Cassianus D. Joannes eremita

Monasticarum Institutionum libri IV
De Capitalibus vitiis libri VIII
Collationes SS. Patrum XXIV libri
Tomus primus.

Antverpiae
Ex officina Christophori Plantini Architypographi Regij.
1578.

16° 606 str.
A–A5 – p–p5

Opr. perg.

Uwaga: Dwa tomy oprawione razem.